BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
H
23
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS
COTTVNII
DE TRIPLICI STATV ANIMAE RATIONALIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

S·P·Q·B · S·P·Q·B

LIBERTAS

DE TRIPLICI STATV ANIMÆ RATIONALIS

AD AVRES, AC TENOREM ARISTOTELIS, VERÆQVE PHILOSOPH·

HOC EST,

De ea, vt oritur, vt in corpore degit, vt poſt corporis interitum agit,

OPVS

non modo solidis Philosophiæ fundamentis firmatum, ac Varijs Stagiritæ locis ex Græco fonte erutis illustratum, sed multiplici etiam eruditione refertum.

AVCTORE

IOANNE COTTVNIO VERIENSI

PHILOSOPH· MEDIC· ETS· THEOL· DOCT

EQVITEQVE AVREATO S· GEORGII·
Nec non in Almo Bononien· Archigym Philoſopho Ordinario, veſpert·

AD

AMPLISSIMVM, ET ILLVSRISSIMV̄ SENATVM BONONIEN·

ÆRE PERENNIVS

Bononiæ, typis Hier. Mascheroni · Superior. permiſsu 1628

Digitized by Google

AMPLISSIMIS
ET
ILLVSTRISSIMIS
REIPVBLICAE BONONIEN.
SENATORIBVS SAPIENTISS.
DOMINIS
DD. CLEMENTISSIMIS
FELICITATEM.

INTER omne rerum genus, Ampliſs. & Illuſtriſs. VV. quæ præclara quæque ingenia ad ſui indagationem excitarunt, nulla vnquam extitit, in qua maiori animorum contentione omnes deſudarint ætates, quàm abſtruſa animæ humanę conditio. Digna profectò controuerſia, cui omnes allaborarent, cũ omnium cauſa ageretur: vtpote cuius ſanctio non modo ad Reipublicæ gubernacula flectenda, moreſque informandos interſit maximè, ſed ad ſummum etiam ſummi animantis bonum definiendum, & quod omnium caput eſt, numen ipſum colendum, plurimum habeat & penſi, & ponderis: vt merito optimoque iure decantato illo diuinoque effato, quod pro foribus templi Delphici Amphictyones inſcribi curarunt, ſedulò iuberentur omnes, vt ſemetipſos, hoc eſt ſuos animos noſcerent.

ſcerent. Inſudauit in hoc ipſo puluere aliquot annos labor etiam noſter: atque eo diſcrimine, quod quicunque ad hanc vſque diem quicquam de Anima præceperunt, vnam aliquam eius partem attigere: nos vniuerſam eius tractationem, *quà ea oritur, quà in corpore degit, quà poſt corporis interitum agit*, pertinaci contemplatione ac ſtudio, propter rei abſtruſitatem, moliti ſumus.

Porrò labores hos meos, cum publici iuris fieri paſſus ſim, non diu nec multum habui cogitare, cui offerrem: acturum occurriſtis vos Ampliſsimi, & Illuſtriſs. VV. quibus beneficentiæ iure debemur nos, noſtraque: & quorum humanitati omni beneficiorum genere vadatum me obſtrictumque, & prudens agnoſco, & lubens profiteor. Deinde, nullus ambigo, quin lucubrationes hæ meæ tutiores illuſtrioreſque in conſpectum hominum prodeant, ſi vos quaſi ſui aſſertores defenſoreſque, vel in fronte præſeferant, qui in hac veſtrâ omnium Academiarum facile Principe, bonarum artium ſtudia, earumque cultores tam humaniſſimè excipitis ac fouetis, vt ad vos non modo Muſæ omnes, vt quondam ad Herodotum, diuertiſſe, ſed cum Gratijs ipſis perpetuum apud vos domicilium collocaſſe videantur. Quocirca nullus etiam eſt vſqueadeo remotus in terris locus, in quo maiorum veſtrorum, veſtraque gloria, domi foriſque clara, non increbuerit: nec vllus vſpiam adeò corruptus rerum humanarum æſtimator, vel vt verius dicam, tam impensè inſulſiis, cui non nota perſpectaque ſit, accurata SENATVS BONONIENSIS diligentia in dijudicando, conſilium in deliberando, prudentia in agendo, conſtantia in exequendo; auita pietas, & ſingularis obſeruantia erga D. Optim. Max. eiuſque SVMMVM in terris VICARIVM. Quemadmodum nunc quoque obſequioſa colit, enixèque veneratur Sanctiſs. D. N. VRBANVM OCTAVVM Pontificum verè MAXIMVM OPTIMVMQVE.

Οὗ κράτος ἐςὶ μέγιςον, ὅου κλἑος ὄυποτ' ὀλεῖται,
ἔιο σέβας κορυφὰς ἀμφιβέβηκε πόλων.

CVI, ad ſacratiſsimos illos, æternùmque venerandos pedes prouoluti,

præſenti maturos largimur honores,
Iurandaſque ſuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.

Accipite

mi,

Accipite ergo Ampliſs. & Illuſtriſs. VV. labores hos meos, ea humanitate, qua me ſoletis accipere: ſtudiumque hoc meum colendi nominis veſtri æqui bonique conſulite. Maiora darem, ſi noſtra fortuna maiora ſuppeditaret, aut veſtra optaret. Valete æterna litterarum, ac litteratorum decora, & ornamenta, nobiſque, Reique publicæ vniuerſæ felices, ſoſpites, diuinaque clementia, quod ex intimo animi receſſu deprecamur, in dies magis magiſque aucti, viuite.

Bononiæ ix. Cal. Februar. A. P. V. M. DC. XXVIII.

Amplitudinum veſtrarum

obſeruantiſſimus

Ioannes Cottunius.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO AVCTOR S. D.

PRAETER communes illas cauſas, Humaniſſime Lector, quæ vnumquemque rectè, ac piè præparatum, ad ſcribendum pelliciunt, nempè, vt ſuo quiſque labore ac induſtria mortale hominum genus pro virili parte iuuet, & vt poſteritati, (ſi ita rectiſſimo mundi Principi, ac moderatori Deo viſum eſt) indicet, ſe aliquando vixiſſe; ſuppetunt hic peculiares, quæ me ad hoc opus elaborandum pepulerunt. Prima eſt Græcarum litterarum cognitio: quamquidem, dum quos ob eam exantlaui exercuique labores, animo repeto, haud facio præter æquum, ſi mihi iure quodammodo meo vindico. Cum itaque complura Ariſtotelis loca in Latinis tralationibus mutilata, & corrupta animaduerterem, in quibus etiam melioris notæ in Peripato auctores, quaſi in latentes ſcopulos offenderunt; vnde geminum malum ortum eſt: Alterum, quod ij ipſi, iacto praua inuerſionis fundamento, præſertim vbi conciſum aliquod ac ſubtile eminentiſſimi auctoris effatum occurreret, inanes neſcio quas abſurdarum opinionum machinas exſtruxerunt. Sic amat fieri, quia principium virtute maius eſt, quàm magnitudine: idcòque quod in principio modicum eſt, in fine fit perquam magnum. Alterum, quod illorum fama ac celebritate permoti nonnulli, qui videlicet, vel ſuis dogmatibus magna aliqua auctorum nomina auent præfigere, vel per impotentiã pendent ex alieno ſenſu iudicioq; atq; eas ipſas abſurditates, cum auctario recipientes, fædas ac procelloſas tempeſtates in multorum animis etiamnum excitauere. Hæc inquam, cum mecum ipſe reputarem, operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi aliqua Ariſt. loca quaſi in tranſcurſu reſtituerem, (nã reliqua ſuo ordine proſequemur in Commentarijs, quos in hunc ipſum auctorem, afflante diuino numine, cudimus.) vnde germana eius mens planior poſthac apertiorq; redderetur. Profectò, qui Stagiritæ opera latinitati donarunt, erant illi quidem eruditi, magnæque exiſtimationis viri, ſed tamen ἐις ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ.

Altera cauſa fuit, meus erga conterraneum, ac fermè πατριώτην Ariſtotelem, amor. Enimuerò Stagira, natale ſolum Ariſt. hodie eſt Libanoua. Mihi verò patria eſt præclara illa ciuitas Veria, ſeu Beræa, quæ vix mille paſſus Libanoua diſtat. Nonne igitur ciuicam propemodum mereri videar, ſi popularem meũ, ac fermè conciuem a terris multorum calumnijs, maximè verò ab imani illa, liberauerim, ex qua innumera

mala

mala veluti Lernea quedam emergunt capita, quod is animos noſtros exiſtimarit mortales? Qui autem id preſtare potui, niſi Antagoniſtarum partes audirem, rationes infringerem, noſtra confirmarem? Feci: an etiam effeci? Verùm, ne vlterius quicquam poſſet in hoc argumento optari, triplicem, vt vides, animę ſtatum, ac rationem complexus, pro captu ingenioque meo explico. Sanè in illud incubui, Candide Lector, vt in receſſu, & re ipſa hic tibi plura darem, quàm liminaris inſcriptio pollicetur: atque hoc quicquid eſt mearum lucubrationum, quammaximè ad illam Thimantis picturam accederet, in qua, auctore Plinio, plura intelligebantur, quàm eſſent picta. Sermone tali vti conatus ſum, quo inſeruirem quidem philoſophicæ granditati, ſed tamen & abiectum nonnullorum, ac pęnè dixerim, barbarum, euitarem, & ab oratoria illa vbertate, ac libertate recederem: Indulſi, fateor, aliquantum ſtylo in Diſputatione Septima, quòd ita, & argumentum illud expoſcere, & propter aliquem finem, viſum eſt. Quæ omnia, amice Lector, probè ne, ac iudicio a me facta ſint, tuum arbitrium, tua exiſtimatio valebit; cui ſi placui, profectò magna ex parte voto meo ſatis eſt.

At at erunt fortaſſe aliqui, qui hoc noſtrum opus toruo intuebuntur aſpectu, & dente etiam lacerabunt inuido. Erunt. Quid enim? fortean deſunt hodie in Republica litteraria, Ariſtarchi, Theocrines, Pattaciones, qui genuino mordent, & quaſi ſcarabæi etiam roſam faſtidiunt, pereuntque? Porrò nō ego is ſum, qui perfractè negem, eſſe aliqua in hoc opere, quæ attento Lectori, aut ordinatius diſponi, aut ſubtilius, veriuſue excogitari, aut melius explicari potuiſſe videbuntur. Homo ſum, humani a me nihil alienum puto: quorum tamen ſi quiſquam me admoneat, euincatque, parato animo corrigam. Præſtiti quod potui, quid præſtiterim, iudicent viri docti, prudentesque: inter quos, te Humaniſſime Lector, annumero, qui ſi hoc munus, ea qua porrigitur manu, nempè dextera, & quo offertur animo, hoc eſt beneuolo, acceptare, euoluereque volueris, leges, vt ſpero in eo aliqua, quæ te legiße nequaquam pigebit. Vale, & faue.

Digitized by Google

OPus,de triplici ſtatu animæ rationalis, celeberrimi, ac primarij philoſophiæ profeſſoris, Ioannis Cottunij, vidi, nihilque in eo chriſtianæ fidei dogmatibus, neque bonis moribus aduerſans repperi: quinimò illis omnia conſona, & ſolida doctrina,varia eruditione, ac eleganti ſtylo conſcripta. Ac proinde maxime dignum cenſui,quod ad commune commodum prodeat. Quandoquidem qui ſe totos ad ea conferre ſtudia ſolent, quæ non priuatæ modo iucunditatis; verum etiam publicæ vtilitatis fructum in ſe continent, ij ſanè perfectam, veraque laude dignam quærere ſapientiam,mihi ſemper viſi ſunt.

D. Homobon de Bonis Cler. Reg. S. Pauli,& in Bonon. Metrop. Eccl. Pænit. pro Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Card. Archiep.

LIbrum hunc,inſcriptum, De triplici ſtatu animæ rationalis, ad aures,ac tenorem Ariſtotelis,veræque philoſophiæ, Eccellentiſſimi,ac celeberrimi Philoſophi, Ioannis Cottunij patritij Verienſis,diligenter euolui, Inuenique illum non modo ſanç, ac catholicæ Doctrinæ, & ſine piarum aurium offenſione, verum etiam verbis limatum,ſententiarum pondere grauem,eruditione refertum, Antiquorum, recentiorumque philoſophorum placita, & opiniones,ſubtiliter expendentem, altiſſima ſpeculatione vndique redolentem,aſſertaque omnia ſua, & rationibus validiſsimis,& Patrum, & Philoſophorum teſtimonijs comprobantem, tanto denique ſuo Auctore dignum; vt propterea cenſuerim, vt non ſolum prælo mandetur,ſed vt continuè in omnium oculis, manibuſque verſetur.

Ego Fr Hieron. Onuphr. Sanctiſs. Inquiſit. Conſultor Bonon. atque ibidem Lector publicus,pro Reuerendiſs. Patre Magiſtro Paulo de Garrexio Inquiſit.



Digitized by Google



Digitized by Google

DISPVTATIO PRIMA

DE QVIDDITATE ANIMAE RATIONALIS.

INTRODVCTIO.

SVPPONIMVS ex communi hominum conſenſu, & ipſo ſenſu, animam eſſe: quod adeò perſpicuum eſt, vt quemadmodum Ariſtoteles in ſecūdo de Phyſica auſcultatione tex. 6. *ridiculum*, exiſtimabat, *tentare demonſtrare naturam eſse*, quoniam id ita liqueat, vt qui in eo ſeduliorem impendat operam, *habendus ſit, non potens iudicare, quod per ſeipſum, & non per ſe ipſum notum eſt*, ita reprehenſioni, opinor, doctorum hominum incurriſſet, quicunque in rerum natura animam eſſe, anxius oſtendere niteretur. Hinc meritò concordi ſapientum ſuffragio, vel a communi hominum vita, quod ad hanc rem attinet, exploditur Dicæarchus, quod nihil eſſe omninò animam aſſeruerit, *& hoc eſse nomen totum inane; fruſtraque, & animalia, & animantes appellari, neque in homine ineſse animum, vel animam, nec in beſtia*, verba ſunt Tullij in 1. Tuſc. Hic ſe homo quauis animante, vel etiam planta inferiorem fecit, quò plus cęteris philoſophantibus ſciſſe aliquid videretur: quamuis alij dicāt, inter quos eſt Plutarch. lib. 4. de plac. Phil. cap. 2. Dicæarchum, *animam feciſse ex quatuor elementis harmoniam*. Cæterùm, vt in viuentibus animam ineſse, perclarum eſt, ita quid ea ſit aperire, & olim laborioſum habitum fuit, & etiamnùm habetur. In hac arena deſudet noſter etiā labor. Quia ergo id omne quod eſt, aut ortum eſt, aut diuinum, videndum primùm, vtrumne humana anima (de hac enim præcipuè noſter ſermo) ſit aliquid ortum, & creatum, an verò ex diuina natura excerptum? Deinde, ſi creatum, ſit ne ſubſtantia, an accidens? Præterea, ſi ſubſtantia, ſimplex, an compoſita? tandem, ſi ſimplex, quænam? Quæ omnia, vt in hac Diſputatione ex ordine proſequamur, ſit.

SECTIO I.

Opinio eorum, qui animam rationis participem, fecerunt diuinę naturæ particulam, eiuſque fundamenta, relata, & reiecta.

VETVS fuit opinio, vel a prima temporum ruditate profecta, humanam animam eſse diuinę naturę ſiue particulam aliquam, ſeu excerptum. Quę quidem imaginario, e gemino errore habuit anſam, vt adnotauit S. Tho. tùm ſæpe alibi, tùm maximè in prima par. quęſtione 90. art. 1. Primò, quia priſci illi, qui primi rerum naturas conſiderare cæperunt, cum imaginationem traſcendere non poſsent, opinati ſunt, in rerum natura nihil omninò eſſe præter corpora ipſa, quæ ſenſuum ope percipiebant: eóq; Deum iudicauerunt eſse quoddam nobiliſſimum corpus, quod cæterorū corporum principium foret, ac fons. Cuius opinionis auctores relatos, & meritò reprehenſos habes apud Ariſtot. lib. 11. diuinorum tex. 41. quia verò alia ex parte, animam humanam ijdem auctores, fecerunt de natura illius, quod eſset omnium principium, vt omnia intelligere poſſet, quemadmodum dicitur in primo de Anima tex. 20. conſequebatur, eam eſſe de natura Dei, quo illi pacto Deum fingebant. Deinde, quamuis aliqui apprehenderint reperiri quidem in rerum natura aliquid incorporeū, id tamen exiſtimarunt haud eſſe abiunctum à corpore, ſed potius quandam totalem, vt aiūt, corporis formam; qua ratione M. Varro, vt auctor eſt. Auguſt. lib. 7. de Ciuit. Dei, cap. 6. & S. Thomas in prima par. quæſt. 90. art. 1. ait, *Deum eſse animam, mundum intuitu, vel motu & ratione gubernantem*, quamobrē humanam animā, dixerunt eſse quandā totalis illius animæ par-

tem,ſicuti homo eſt pars totius mundi. In ſecundo autem lib.cont.Gent.cap. 85. idem S. Doctor, tertiam huius rei affert occaſionem; quod cum nonnulli in ea extiterint opinione, quod omnium hominũ intellectus,ſiue agens, ſeu etiam poſſibilis, ſit vna aliqua ſubſtantia ſeparata;ex alia verò parte, priſci illi, quamcunque ſubſtantiam à corpore ſegregatam,appellarint Deum,conſequens erat,animam noſtram,id eſt, intellectum,eſſe diuinæ naturæ.

Hanc itaq; opinionem,ab iſta ſeu vocis, ſeu potius rei, nimirum Dei,ambiguitate,& ignoratione profectam, ita commentorum inuentrix poſteritas auxit, vt animã intellectus participem, veram veri numinis partem exiſtimarit. Hinc Plutarch.in q.Platon.cap.2. *anima*, inquit,*mentis,rationis,& harmoniæ particeps, non ſolum Dei opus eſt,verum etiã pars, neque ab eo,ſed de eo,& ex eo facta eſt.* Et in ſermone de audiendo,ita illud effatũ, ἕπου θεῷ. *ſequere Deum*,interpretatur,vt dicat, hunc eius eſſe intellectũ; obtempera rationi. Quò facit perantiquus ille græcus verſus. ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἐστὶν ἐν ἑκάστῳ θεός. mens enim nobis eſt in vnoquoque Deus,& Plotin.in lib.2.de immortal.c.10.animam appellat diuinæ naturæ cognatam, & ὁμοούσιον. De Euripide,ita Tullius in 1. Tuſcul. *ergo animus,vt ego dico diuinus: vt Euripides audet dicere Deus eſt*. Quòd verò ipſe Cicero veluti Euripo quodam diſtractus, eòdem reuolui aliquando viſus eſt,cum paucis interiectis,dixiſſet,neque Deum ipſum,qui à nobis intelligitur, alio modo intelligi poſſe; niſi quod ſit mens ſoluta quædam,ac libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & omnia mouẽs,ipſa quoq; prædita motu ſempiterno;ſubiungit. *Hoc e genere,atq; eadem e natura eſt humana mens.* Scio eum in 1.ſerm.de natura Deorũ, hoc dogma,ita referre,& redarguere; *Nam Pythagoras*, inquit,*qui cenſuit animũ eſſe per naturã rerum omnium intentum,& commeantem, ex quo noſtri animi caperentur, non vidit detractione humanorum animorum diſcerpi,& dilacerari Deum, & cum miſeri animi eſſent,quod pleriſque contingeret,tum Dei partem eſſe miſeram.Cur autem quidquã ignoraret animus hominis,ſi eſſet Deus?* Quibus verbis impugnat, quod altero loco, dixerat, nimirum humanam mentem eſſe ex illo genere, atq; eadem e natura,id eſt;Dei. Præterquamquod hanc opinionem aſcribit Pythagoræ,qui tamen nunquã fuit in ea,vt Diſp.3.oſtẽdam:ſed Tullio æquè doctrinæ conſtantia,atq; morum. Ad hanc rem ſpectat Catonis illud.

Si Deus eſt animus nobis, vt carmina dicunt:
Hinc Horatius libro 2.ſerm. Satyr.2. animam vocat diuinæ auræ particulam.

Corpus onuſtum
Heſternis vitijs,animam quoque prægrauat vnà,
Atque affligit humo,diuinæ particulam auræ.

Eodem poſtea ſe detruſerunt Carpocrates, & Cerdon,qui pugnaciter, perfractèq; aſſeuerarunt, humanos animos eſſe veram ſubſtantiæ Dei partem. De illo teſtatur Irenæus lib. 1. aduerſus hæreſ: cap.24. de hoc Theodoret. in lib.de diuin. decret. Poſtremò, Manichæi, vt inter alios refert S. Thomas prima par. quæſt. 90.art.1. vel ſanis temporibus, extrema inſania correpti, dixerunt, Deum eſſe quandam corpoream lucem,per infinita ſpacia diſtẽſam, & animam humanã eſſe partem quãdam illius lucis,humano corpori alligatam. Quamuis D. Greg. Nyſſ.lib.2.de Anima cap. 7. alio modo referat ſententiam Manichæorum. Non referã Gnoſticorum,& Priſcillianiſtarum de hac ipſa re deliramenta; eos exagitat Auguſt.lib.de hæreſib & epiſt.28.ad Hieron.& epiſtol.157. ad Optatum,& lib.7. ſuper Gen. ſ.ad litter.à cap. primo,& in tract.de origine animæ. Præterea etiã amẽtiam Almarici, qui fatuè aſſeuerauit, Deũ ipſum eſſe omnium rerum eſſentiã. Adi, ſi vacat, Dominicum Bannes ſuper prim. par. S.Thom. quæſt.90.art.1. & Alfonſum de Caſtro lib.2.aduerſus hæreſ:verbo Anima.

Poſtremò, Lactantius Firmianus, multis in hunc lapidem impegiſſe viſus eſt, propterea, quod lib.2.diuin.Inſtit.cap.13.hęc omninò de homine ſcribat. *Facto enim corpore,ſpirauit*,id eſt Deus, *ei animam de vitali fonte ſpiritus ſui,qui eſt perennis.* Quæ verba in cauſa ſunt, vt inter errores Lactantij, hic quoque connumeretur; & Ludouic. Viues in annotationibus ſuper D. Aug.lib.13.de Ciuitate cap.24. ob hæc ipſa verba, hunc errorem aſcribit Lactantio. Verùm ſi auctorem Catholicum piè velis interpretari, id erroris ex huius verbis non ita colligitur; præſertim, cum ibi ſtatim ſubiungat, *conſtat enim*,hoc eſt homo, *ex anima & corpore, id eſt quaſi e Cælo, & terra: quandoquidẽ anima,qua viuimus,velut e Cælo oritur à Deo*,quod ſi aĩa oritur à Deo,& quidẽ tanquam à Cęlo oritur, nõ igitur animus,in huius ſententia,eſt pars aliqua Dei. Et in lib.de Opificio Dei cap.19. Lactantius ſanè læctè, & catholicè de origine,& productione animæ rationalis loqui videtur.

Denique,nõ eſt quod in præſentia plutibus refutemus Veteris illius ſententiæ iam allata

funda-

Digitized by Google

fundamenta. Quotus quiſq; .n. eſt, qui nõ planè iam dudũ teneat, Deum Op. M. neq; corpus vllũ, ſed ſummũ ſpiritũ, neq; corporis vllius formã, ſed ab omni corporea cõcretione eſſe abiunctiſſimũ? Quis vero in Peripato neſcit, animam neutiquã eſſe compoſitũ, aut corpus? Intellectũ aũt, tam agentẽ, quã poſſibilẽ, non eſſe ſubſtantiam aliquã ſeparatã, ſed aīæ facultates, habes ſuis ſedebus à nobis demonſtratũ. Verũ quò veritas ſublimius attollatur, liceat eã nõnullis hic argumẽtorum ponderibus premere. Sit ergo.

SECTIO II.

Argumenta, quib. ſuaderi videtur, humanam animam eſſe aliquid diuinę naturę.

PRIMO, aīa humana ꝑdita eſt vi intelligendi infinita, qđ colligitur, quia cognoſcit obiectũ aliquod infinitum; cognoſcimus quippè Deum, tum ex motu, ex quo ad vnũ immotum mouens deuenimus, tum ex rerum efficientia, in qua non eſt in infinitum abeundum. Quã et via Deum venatus eſt, Ariſt. cum octauo de Phyſic. auſcultatum 12. diuina Deus aũt infinita res eſt, qđ Phyſicis rationib. oſtendit S. Thomas in 1. cont. Gent. cap. 43. & 1. par. q. 6. artic. 1. & Stagirites in calce octaui Phyſic. intulit Deo, qa infinito tpē mouit, ineſſe virtutẽ infinitã. An vero intenſiuã, alias oſtẽdemus. Præterea idem aſſumptũ comprobatur, quia Mathematici conſiderant infinitum, agunt .n. de numero, & linea infinitis; hinc Ariſtot. 3. Phyſic. tex. 32. *Item, inquit, facit dubitationem, quod illud, quod in cognitione eſt, non deficit, & numerus videtur infinitus eſſe, & Mathematicæ magnitudines.* Immo vero antiqui Phyloſophi, vt teſtatur Ariſt. in 3. adducto Phyſic. tex. 31. primũ rerũ principiũ fecerunt infinitũ, quamuis in eo ponendo errarint. Deniq; nos appræhendimus vniuerſalia, ſub quib. infinita particularia, ſaltem potentia continẽtur. Ex his liquido cõſtat, nos attingere infinitum obiectum; ergo potentia eſt infinita, ergo & eiuſdem eſſentia infinita, ergo eſt aliquã particula diuinæ naturæ. Prima conſecutio liquet, qa ſecus nõ poſſet attingere infinitum, cum inter potentiã, & obiectũ, ſeruari dẽat proportio; finiti aũt ad infinitũ nulla proportio. Secunda conſecutio & liquet, quia cum potentia, quæcumq; illa ſit, fluat ab eſſentia, fieri nequit, vt ab eſſentia finita fluat effectus, & potẽtia infinita; quare Stagirites 12. diuinorũ tex. 41. *nihil vero, inqt, finitũ infinitã potentiã hẽt:* vltima, deniq; cõſecutio lõge oĩum liquet, qa preter nãm Dei, nulla res alia eſt infinita; atq; adeo anima humana ſtatuenda eſt aliqua pars diuinæ naturæ.

Secundò, anima hominis intellectiua, aut eſt intellectiua per eſſentiam, aut per participationem; Si prius, ergo eſt ipſe Deus. Hic .n. ſolus, vt eſt per eſſentiam ens, ita per eſſentiã intellectiuus. Si poſterius, ergo ſaltim erit aliqd ipſius Dei, quãuis aliquo modo obſcuratũ. Qđ oſtendo, quæcumq; ſunt talia ꝑ participationẽ, ſunt ab eo, qđ eſt per eſſentiã tale, cum omne per accidẽs, ſit ab eo, qđ eſt per ſe, vt dicitur in 2. Metaphyſ. tex. 4. Si itaq; aĩa eſt intellectiua ꝑ participationẽ, eſt vtiq; ab eo, qđ eſt hmõi per eſſentiã hoc eſt à Deo. Atqui participare aliquam formã, eſt eſſe aliquid illius, & habere formã illam in ſe vere, quamuis non omni illius amplitudine, qđ clare apparet in ligno calido, quod quia eſt calidum per participationem caloris, qui eſt per eſſentiam in igne, vere in ſubſtantia ligni eſt aliquid caloris ignis; ergo ſi anima hominis eſt intellectiua per participationem Dei, ſeu diuinæ naturæ, erit aliquid illius.

Tertiò, quęcumq; ſunt in rerũ natura, (& nõ differunt adinuicem) ea profecto ſunt vnum, & idem, quia ſicut differentia conſtituit in omnibus rebus diſtinctionem, ita eius abſentia vnitatem, & iddentitatem. Atqui Deus, & anima humana, ſunt in rerum natura; (nec tamẽ adinuicem differunt,) quia ſi differrent, ergo per aliquas differentias, Deus autem, & anima nullam vnquam habere poſſunt differentiã, ſecus enim forent compoſita ex genere, & differẽtia, quod vtiq; & præcipuè diuinæ ſimplicitati repugnat, quare natura aīæ humanæ, & Dei, eſt omnĩo ead.

Quartò, eorũ quæ ſunt in nobis dẽt fieri reſolutio in partes ſimpliciſſimas, quę vlterius reſolui nequeãt, hæ ſunt materia prima, & forma ſeu anima; materia autem ita eſt ſimplex potentia, vt nihil ſit in genere materiali ea ſimplicius; ſi quidem vt Auctor eſt Philoſ. in primo de Phyſic. auſcult. tex. 81. *materia eſt id, in quod cum aliquid corrumpitur, abit vltimum,* ergo quod attinet ad alteram partem (formam) deueniẽdum, quoq; eſt vſq; ad aliqđ ita ſimplex, quo ſimplicius quicq̃ in genere formæ, dari non poſſit; Secus .n. neq; reſolutio fieret in partes ſimpliciſſimas, neq; ex ęquo. Cum ex parte materiæ deueniatur ad aliquod ſimpliciſſimũ, ex parte aũt formæ, nequaquã. Quod aũt eſt ita ſimplex in genere formæ, & actus, vt eo ſimplicius non ſit accipere, illud

profectò eſt aliquid diuinum, quare forma hominis erit de natura, & eſſe Dei.

Quintò, vel aĩa humana eſt actus purus, vel eſt aliq̃d cõpoſitum ex actu, & potẽtia, ſi prius dederis, habeo qđ contẽdo; quia ſolus Deus eſt actus purus, ſi poſterius, ergo falsò dicitur, animam eſſe actũ, cum actus in ea, ſit altera tãtummodo pars; Pars autem nõ prędicatur de toto, non enim dicimus homo eſt anima. Immo vero eadem rõne aĩa dicenda foret potẽtia, qđ in ea tam potẽtia, quam actus includuntur ex æquo. Huc facit, qđ ſi aĩa mea eſt actus admixtus alicui potẽtiæ, ergo cõponitur ex actu, & potẽtia, quæro iterum de illo actu qui hanc animæ compoſitionẽ ingreditur, verumne ſit actus purus, an compoſitus? & redit idem argumentũ, idq; infinities, ſi liberet. Qđ cum nõ ſit affirmadum, dicamus oportet in homine deueniri debere ad aliquem actum purum, qui eſt eius anima.

Sextò, diuina natura nequit eſſe aliquid determinatũ, & vnicuipiam appropriatũ, ſed neceſſario ſtatuenda eſt, aliq̃d indeterminatũ cõe rebus oĩbus, in ijſq; intimè diffuſum. Qđ oſtendo, quia id omne, qđ à cõi aliqua rõne cõtrahitur, & vnicuipiã appropriatur, id ſortitur ex aliqua additione; qđ apparet; qñ per rõnalitatis acceſſionẽ, animal, quod eſt cõe, ſit determinatum, & hominis proprium, & acceſſione dominij mei, hæc domus ſit mea. Atqui Deo, vt pote infinito, nequit vlla fieri additio, quare eius eſſe erit non modo animæ humanæ, verum rebus etiam omnibus commune; atque adeo eſſentia rerum omnium erit eſſentia Dei; quò facit communis loquendi modus, quo dicimus Deum eſſe in omnibus, tum locis, tum rebus. Hinc Heraclitus, vt refert Ariſtot. in primo de part. animal. capit. 5. ſic compellauit eos, qui alloqui illum cupientes, ac forte in abiecta furnaria taberna caloris gratia ſedentem videntes, eò accedere veriti ſunt; *ingrediamini, nam ne huic quidem loco Dij deſunt*, & Thales, vt ſcribit Laert. in eius vita, & Ariſtot. in prim. de anima text. 85. *opinabatur omnia eſſe plena Dijs*, & Aratus. *Iouis ſunt omnia plena*, quò etiam ſpectauit Maro, & quidem altius in 6. Æneid.

Principio Cœlum, ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra,
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Quid verò? nonne vere cum S. Thoma in prim. part. quæſt. 8. & 3. cont. Gent. cap. 68. & Magiſtro in prim. diſtinct. 37. dicimus; Deum, intimè per eſſentiam, præſentiam, ac potentiam eſſe in rebus omnibus? hinc magnus ex Areopag. Dionyſ. lib. de Cæleſt. Hierar. cap. 4. *eſſe*, inquit, *omnium, eſt ſuperſubſtantialis diuinitas*.

Tandem animam hominis, ſeu intellectum eſſe eundem, qui eſt Deus, aut illius aliquid, ſignificare viſus eſt Philoſ. quãdo eum, nunc diuinum, nunc æternum, nunc impaſſibilem vocat, in prim. de anima text. 66. *intellectus fortaſſis diuinius quid, & impaſſibile eſt*. In 2. de generat. animal. cap. 3. *reſtat igitur vt mens ſola extrinſecus accedat, eaque ſola diuina ſit*. Quòd ſi diuina, aliquid igitur Dei, vt non immerito tantopore celebretur carmen illud.

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.

Cæterum vt veritas aperiatur, & ea quidem ex principijs Philoſophi, cuius limitibus in hoc opere nos ſponte circumſcripſimus, ſit.

SECTIO III.

Anima intellectiua non eſt aliqua diuinę naturę particula, ſiue ex illa aliquod excerptum.

VT veritas hęc pęnitus eluceſcat dicenda prius ſunt nõnulla de Deo, Primũ itaq; eſt, nos ad Dei cognitionẽ, quã eſt ſummum ens, & mens ſumma, gemino veluti gradu quãuis exiliter eleuari; Vno q̃dẽ negationis, ſeu remotionis, altero affirmationis, vel vt alij vocant, relationis. Prior cognoſcẽdi modus eſt, cum ex his, quæ ſenſuũ, aut etiã intellectus ope cõcipimus, arguimus nihil eorũ eſſe Deũ, vt ſi cũ antiquis quibuſdã Philoſophis dicã, Deus eſt id, qđ non eſt Sol, non Luna, non Cęlũ, non aer, nõ aqua, non homo, idq; genus alia. Item Deus non eſt mutabilis, non interiturus, nõ finitus, non loco circũſcriptus, &c. Poſterior vero modus eſt, cũ referẽdo hæc inferiora ad Deum, & viciſſim ipſum ad hæc inferiora, affirmamus de eo q̃dquid perfectionis in his ſcđm ſimilitudinẽ, aut veſtigiũ aliqđ inuenitur. Quo pacto aſſerimus Deũ eſſe maximũ, optimũ, excelſum, perfectiſſimũ, *principio, extremoq; carentẽ*; duos hos Deum cognoſcendi modos, late proſecutus eſt Plato in Parmen. & in 7. lib. de Repub. Addũt aliq̃ tertiũ cognitionis Dei gradũ, excellentiæ, dictũ, qđ oĩa, quę in hiſce inferioribus ſunt, ſupra modũ oẽm reperiãtur in Deo, q tñ ad ſuperiorẽ reducitur.

Loquendo igitur de hoc ſecundo cognitionis

nis gradu omnium perfectionum radix in Deo eſt, quod ipſe ſit actus purus, ſimplex, & cuiuſcunque potẽtialitatis omnino expers; id, quod his rationibus demonſtratur. Primùm, quia ſi vlla vnquam in Deo eſſet potentialitas, cum ea fruſtranea eſſe non deberet, vtique reducenda aliquãdo eſſet ad actum, & cum id, à ſe efficere minimè poſſet, oporteret, vt ab alio, quod eſſet actu, reduceretur; ſiquidem omne, quod eſt potentia tale, extrahitur ad actum, ab eo, quod eſt actu tale, ac per conſequens, daretur aliquod aliud ens, prius, ac ſuperius ipſo Deo. Hinc optimè S. Thomas in prim. par. quæſt. 3. art. 1. *licet,* inquit, *in vno, & eodem, quod exit de potentia in actum, prius ſit potẽtia, quam actus tẽpore, ſimpliciter tamen, actus prior eſt, quam potentia*. Quare, quemadmodum implicat, dari aliqđ aliud prius, ipſo Deo; ſecus .n. ille nõ eſſet primũ ens, ſic implicat aliquam potẽtialitatem illi ineſſe. Præterea. Cum vnumquodque agat in quantum eſt actu, patiatur verò in quantum potentia; ſciſcitarer, equidem vtrumne illud à quo potentialitas illa, (ſi vlla in Deo poneretur) reducẽda eſſet ad actũ, fuiſſet ſemper in actu, an verò aliquando etiam in potentia? Si prius, iam dabitur aliquod ens primum, quod nullo modo eſt in potentia paſſiua, ſed in perpetuo actu; Sin autem affirmaueris, aliquando fuiſſe in potentia, deinde reductum eſſe ad actum, vt iſtud aliud reduceret, iam ante illud, dabitur aliud ens actu, a quo eſſet reducendum ad reductionis actum: quare ne res in infinitum abeat, deueniendum eſt, ad vnum aliquod ens, in quo ne veſtigium quidem potentialitatis ſublatitet, & hoc eſt Deus.

Introſpexit hoc Ariſt. qũ in 12. diuinorum tex. 40. poſtquàm nonnullos Pythagoricos, & Speuſippum repræhenderat, quòd aſſeruerint, optimum, & pulcherimum, nõ eſſe in principio, ſtatuit inter alia, primũ principium, eſſe purum, ac ſimplicem actum, cuiuſuis expertem potentialitatis; immò verò eſſe ſuam ipſius operationem. Eius verba hæc ſunt, *ſiquidem intellectus,* hoc eſt Dei, *operatio vita eſt,* ille *verò eſt actus, actus verò per ſe illius vita optima, & perpetua eſt*. Vides, vt Deus eſt actus, & eius optima, ac perpetua vita, eſt per ſe actus? quibus in verbis actus, accipitur pro actu ſecundo, id, quod aperiunt græca verba, quæ ſunt, ἐκεῖνος δὲ ἐνέργεια, ἐνέργεια δὲ ἡ καθ' αὑτὴν ἐκείνου ζωὴ ἀρίστη, καὶ ἀΐδιος, vbi in vtroque habetur ἐνέργεια; quæ idem pollet, atque actus ſecundus, ſeu operatio; vt ſenſus ſit, vitam Dei, & ipſam eius naturam, ſitam eſſe in actu ſecundo, atque eum ipſum, eſſe operationem, & actum ſecundum, vt quemadmodum actus ſecundus, nihil potentialitatis includit, ita & Deus. Quare in eodem 12. libr. text. 51. additur, quòd *Dei, intellectio ſit intellectionis intellectio:* & rurſus *dicimus, itaque Deum ſempiternum, optimumque viuens eſſe; quare vita, & æuum continuum, & æternum Deo ineſt; hoc enim eſt Deus*. macte Philoſophorum optime, virtute, & mentis acumine eſto.

Hinc ſequitur primò, Deum eſſe ſummæ, ac infinitæ perfectionis. Nam vnumquodq; eò eſt perfectius, quo magis accedit ad actum, & ſeiungitur à potentia, & contra quò magis potentialitatem participat, eò cenſetur imperfectius. Propterea quod actus præſtantior eſt, quam potentia; quocirca Philoſoph. 9. Metaphyſ. tex. 19. in bonis, ait, ſemper eſſe meliorem actum, ipſa potentia, è contrario verò in malis. Si Deus, itaq; eſt ſummæ, ac infinitæ actualitatis, erit vtiq; & ſummę, ac infinitæ perfectionis. Ad hęc, in quocumq; genere, eò aliquid eſt perfectius, quò ſimplicius in eod. genere: vide hoc in genere calidorum, lignum quippè, vt ſeptem calidũ, perfectius eſt in eſſe calidi, ligno, vt tria calido, quia illud in eiuſmodi genere, ſimplicius eſt; cum minus habeat ad mixtam frigiditatem, ignis verò in hoc genere perfectiſſimus eſt, qđ nullam frigiditatis admixtionem hẽt. Cum igitur Deus, ſummæ ſimplicitatis ſit, erit ſummæ, quoq; perfectionis. Imò verò tantæ, vt virtute contineat longe præſtãtiori modo oẽs oĩum rerum perfectiones, quia nimirũ, ita natura comparatum eſt, vt quęcumq; ſunt ſparſa in inferioribus, adunentur in vno aliquo ſuperiori illius generis. Hic Plato, ſolũ Deũ, aiebat, dici, ac eſſe ens, cætera verò, quæcunq; illa fuerint, cõparatione ad illum; eſſe nõ entia. Cuius quidẽ effati hęc eſt contẽplatio; qđ cum ens haud ſignificet vnã aliquã determinatã nãm, atq; ab alijs rebus diuerſam, ſed immediatè indicet, q̃dquid quõcunq; eſt; hæc tõ entis ſoli Deo videť cõuenire; quia res oẽs pręter Deũ, hẽnt limitatã determinatamq; nãm; quo fit, vt quemadmodũ ob eã, q̃ hẽnt, nãm, dici queunt, ac eſſe entia, ita ob cõplures alias rõnes, ac partes entis, quib. priuantur, veniunt appellanda nõ entia. Exẽpli cauſa, Socrates, eſt ens, ob humanã naturam, q̃ hẽt, eſt aũt non ens, ea rõne, quà non eſt ens, quod eſt Leo, non ens, quod equs, non quod planta, quod Cęlũ, quod reliqua. Quoniam igitur in Socrate præpollet id, qđ rei non eſt, q̃ qđ eſt,

& denominatio rei hauritur à potentiore, fit, vt Socrates potius dicendus ſit non ens, quam ens. Deus autem ſolus eſt ſimpliciter ens, quia hic ſolus complectitur omnes entis gradus, & abſolutè quodcunque eſſe, eòque eſt ens quod homo, quod Leo, quod Lapis, quod Cœlum, quod omnia; nõ quidem formaliter, ſed virtute, ac eminẽter; quare in vna ſimpliciſſima Dei natura continẽtur omnes omnium rerum perfectiones infinito modo perfectius, quã in rebus ipſis reperiantur; & cõplures aliæ, quæ nulli creaturæ communicati poſſunt. Adi, ſi vacat, Platonem in Parmenide, & lib. 6. de Republica, & in Sophiſta; ego iſtuc admoneo, illã Platonis propoſitionem, quoad id quod affirmat, Socratẽ, & res alias dicendas eſſe *non entia*, impropriè, & collatione ad ſummum illud ens, eſſe accipiendam; ſecus enim cum negatio ſit malignantis naturæ, deſtruatque quidquid poſt ſe inueniat, erit falſa; cũ Socrates verè ſit aliquod ens; Auctor verò eam hoc animo protulit, vt explicaret ſummã ſummi entis perfectionem; quo circa Deum etiam appellat abſolutè τὸ ἀγαθὸν hoc eſt, ipſum bonum, ſummam videlicet bonitatem, ac perfectionem.

Sequitur 2. Deum nullo pacto poſſe conſtitui alicuius rei cauſam formalem, neq; vices gerere cuiuſpiam formæ. Quia quamuis forma comparatione ad materiam ſit actus, & perfectio, tamen collata ad cõpoſitum, cuius eſt forma, ſubit rationem potentiæ, atque adeò imperfectionis; quippe cum ex vnione materię, & formę coaleſcat compoſitum, quod eſt aliquod totum reſpectu materiæ, & formę, vtraque pars erit in potentia ad ipſum totũ, tanquã, vt aiunt, vnibilia, quæ vnita conficiunt totum. Docuit hoc etiam Ariſtot. 2. Phyſic. tex. 3 1. quo loci de cauſa materiali diſſerẽs; enumerat etiam partes, cum inquit, *cauſarum aliæ quidem ſunt, vt ſubiectum, vt partes*, & rurſus, *elementa enim ſyllabarum, & materia factibilium, & ignis, & huiuſmodi corporũ, & partes totius, vt id, ex quo cauſa ſunt*, vbi liquidò conſtat, ſicut ſe habent litteræ ad conficiendas ſyllabas, & materia ſecunda ad arte facta, & elementa, ignis, terraque ad mixta, ita partes eſſe ad totum; quodquidem reſpectu partium, ait, habere rationem formæ, & partes ipſas eſſe totius materiam, vt ẽt idem Phyloſ. oſtẽdit 5. Metaphyſ. tex. 2. Cum igitur Deo repugnet, quæcunque potentialitas, eidem repugnabit, quoque vt poſſit conſtitui rei cuiuſpiam forma, aut illius gerere vices. Idẽ ex eo apparet, quod perfectius eſt, habere eſſe per ſe, quã in alio; Deum verò eſſe perfectiſſimũ ens oſtendimus; impoſſibile igitur eſt, vt vllo pacto queat eſſe alicuius rei forma; nam forma non habet eſſe per ſe, ſed in alio, vt explicat Philoſ. lib. 4. de Phyſic. auſcult. tex. 23. quãdo enumerans modos, quibus aliquid dicatur eſſe in alio ait, *amplius, vt ſanitas in calidis, & frigidis, & omnino forma in materia*.

His ita conſtitutis, nullo penè negotio demonſtratur, animam noſtram non eſſe particulam aliquã diuinæ naturæ, aut excerptũ ex ea.

Primò, aĩa noſtra, *cum ſit principium quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus primò*: vt definitur 2. de anima tex. 24. eſt vera, & propria hominis forma, & quidem informans, vt inferius oſtendemus. Patefactũ verò à nobis eſt, Deum nullo vnquam pacto poſſe cõſtitui formã alicuius rei, nec vices eius obire; quare commentum eſt, aſſerere humanam animam eſſe aliquid diuinę naturæ.

Secundò, totum eſt perfectius ſuis partibus, tum quia eſt completum quoddam, & in ſpecie cõſtitutum, qđ partibus minimè competit, tum quia illi competit per ſe ſubſiſtere, & operari, quod proculdubio perfectionis eſt argumentũ. Si igitur anima humana eſſet particula, quæpiã diuinæ naturæ, homo foret aliquid perfectius ipſo Deo, quia homo eſſet totum, & Deus, ſeu diuina natura altera ſolum eius pars.

Tertiò, quicunque in ſe habet aliquam formam, denominatur ab ea in concreto talis; quia enim paries habet albedinem, ab ea denominatur albus, & quia Socrates habet humanitatem dicitur homo. Cuius ratio eſt, quia nulla, vnquã forma, maximè verò abſoluta ineſſe alicui poteſt, quin illud idem à ſe denominet; cum denominatio ſit effectus formalis, ac præcipuus formæ. Atqui in oppoſita ſententia, homo haberet in ſe diuinam formam, ac naturam, ſi eius anima eſſet illius particula, ergo ab ea denominandus foret, & cum denominatio diuinæ naturæ dicat, Deum, homo dicendus foret Deus; quod vel aures horrent.

Quartò, anima humana multam, ac variam ſubit in dies mutationem, non modo circa bonarum artium, ac virtutum ſtudia, earumq; oppoſita, verum circa multijuges etiam affectuum commotiones, & impetus; ſit illa, e non ſciente ſciens, multam quotidie rerum vſu diſciplinam acquirit, probis moribus, & rectis inſtitutis cohoneſtatur, virtutum illuſtratur ſplendore, eiſdem rurſus exuitur, obliuiſcitur, dedecoratur,

tur,obſcuratur.Quibus verò non affectuum excruciatur tormētis,ſaltim ex accidente? Diuina vero natura ab omni varietatis contagio procul abeſt, quippè nihil variatur, niſi qua patitur,nihil patitur, niſi qua eſt in potentia, cuius omnino incapax eſt Deus. Hanc rationem extollit Aug.in tractat. de origin.anim.cap.2.Si, inquit, anima eſſet diuinæ ſubſtantiæ particula,vel Deus eſſet mutabilis, quod à diuina natura alienum eſt, vel anima eſſet expers omnis mutationis, atque ita nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius,nec aliquid in ſe haberet inciperet, quod non haberet, neq; quod habebat habere deſineret: & Tullius loco Superius adducto eodem pugnat argumento.

Dices fortaſſe,fac animā ipſam rationalem, quæ eſt hominis forma,non eſſe aliquid diuinæ ſubſtantiæ, nihilominus, ſi de mēte noſtra, ſeu intellectu ſermo ſit, hic ꝓfecto videtur aliquid diuinum;ſaltem igitur hic erit aliqua diuinę naturæ particula.

Reſpōdeo, multo minus intellectū noſtrum poſſe cōſtitui aliquid huiuſmodi. Primùm quia intellectus,tam agens, quā poſſibilis, ſunt animæ intellectiuæ facultates,vt infra diſp.8.& 9. oſtēdimus; quare ſi anima intellectiua non eſt aliquid diuinæ naturæ,longe minus eius potentiæ. Deinde intellectus poſſibilis eſt pura potētia in aliquo genere,hoc eſt intelligibilium, *eſt enim tanquam tabula abraſa in qua nihil eſt deſcriptū actu* 3. de anima tex. 14. & rurſus in tex.5. *intellectus nihil eſt actu eorum, quæ ſunt, antequam intelligat*. Cum Dei autem actualitate omni modo,quæcunque pugnat potentialitas, nequit igitur hic intellectus eſſe aliquid Dei; Eadem ratione nec etiam agēs;hic enim ſtatuitur ab Stagirite 3.de anim. tex.17. quod ſit *differentia in anima noſtra*: qua dę re ſua ſede.

Ex his exploſa quoq; manet Almarici,&eorum fatuitas, qui Deum aſſeruerunt eſſe rerum omniū eſſentiam. Si enim anima humana,quæ eſt rerum omnium ſublunarium perfectiſſima, non eſt,quicquā diuinitatis, lōge minus id ſortientur reliquæ rerum imperfectarum naturæ. Verū hic error,vt ait S.Thomas in primo cont. Gent.cap.27.fuit quorundam gentilium exiſtimantium Deum eſſe animam Cęli,aut ēt totius mundi, vt cultum, ab ſe Idolis exhibitum tuerentur;Cum enim totum mundum Deum eſſe affirmarent, non quidem ratione corporis, ſed animæ, per conſequens opinabantur, mundo, eiuſque partibus,rectiſſimè deberi cultum diuinum,cuius erroris mentionē,quoq; fecit Auerr. in 12. Metaphyſ.com.41.dum ait. Hic locus fuit lapſus ſapienium gentis Zabiorum; exponit S.Thomas idolatrarum; hucuſque vidimus aīam intellectiuā nō eſſe aliquid increatum, vt vero quid ea ſit,ſi eſt creata,nūc videamus, ſit.

SECTIO IV.

Recenſentur varia veterum Philoſophorum placita de natura animæ, oſtenditurque eam non eſſe harmoniam, non craſim, non denique in vniuerſum accidens.

QVÆ boni auctores,& pręcipue Stagirites, in primo libro de anima veterum Philoſophorum placita, de natura animæ copioſe retulerūt,ea nos compendio,ſtrictimque hic ſubijciamus; vt intelligas, quam tetra inſcitiæ caligo complures veterum hac in parte obduxerat. Cum itaque priſci illi in eo omnes conſpirauiſſent,animatum diſcriminari ab inanimato hiſce duobus, motu, & ſenſu,ſeu congnitione, (quamuis hoc ſtricte falſum ſit,cum plantæ ſint anima vegetante præditæ, quæ tamen, neque mouentur progreſſiue,nec ſentiūt)opinati ſunt, id eſſe animā,quod eſt cauſa motus, & ſenſus, ſeu cognitionis;quocirca ex his,quę manifeſta; atque conſpicua ſunt,motu,& ſenſu,ſeu cognitione,conati ſunt occultam animę naturam venati;Id fortaſſe haud inepte, dū ex manifeſtis, ac patentibus,abditam,& latentem animæ naturam inueſtigabant; errarūt vero in progreſſu,nam.

Aliqui naturam animæ venabātur ex motu, hoc pacto; quod mouet alterum, id in ſe magis moueri debet, quia nihil mouet,niſi moueatur, anima mouet corpus,debet igitur ipſa maxime moueri. Quod maxime mouetur,id de natura ignis eſt;cum hic ſit ſubtiliſſimarum partium, & magis,quam cætera elementa actiuus;eſt ergo anima ignis,aut calor.Sic inter alios Democritus, & Leucippus,vt auctor eſt Ariſt. in primo libro de anima tex.20, & 30. imò vero Democritus ſubtilius neſcio quid, huc attuliſſe arbitratus eſt, cum infinita quædam corpuſcula indiuiſibilia, (atomos appellant) ponebat, ex quibus efficerentur,conſtarentq; oīa,ex eiſdem compoſuit animam. Et quia atomi illæ natura quidem erant eædem,ordine vero,poſitione,&

figura

figura diuerſæ, ita, vt aliæ eſſent rotundæ, aliæ quadratę, aliæ pyramidales, &c. dixit, animam, & ignem, cohæreſcere ex atomis figuræ rotundæ, & ſic, *animam ob partium ſubtilitatem mouere, ob figuram verò moueri*, moueri quidem ob eiuſmodi figuram, quia figura rotunda apprimè eſt apta ad motũ, cum non habeat angulos, quibus impediatur à motu, mouere autem ob partium ſubtilitatem, quod huiuſmodi partes totum corpus penetrare queant. Ex eodẽ capite, nimirum motu, quidã Pythagorei dixerũt, animam eſſe ramenta illa, ſeu corpuſcula indiuiſibilia, quæ ſunt, ac mouẽtur in aere, quæ maximè apparẽt in radijs ſolis. Ita refertur in tex. 22. Alij affirmarunt aĩam eſſe non quidem ramenta illa, ſed id, quod ea mouet: ita Archelaus Philoſophus. Alij denique animã dixerunt eſſe *id, quod ſe ipſum agitat motu:* quò ẽt refertur Anaxagoras tex. 23.

Alij vero ex cognitione, & ſenſu; hoc pacto naturam animæ ſcrutabantur. Primum in hoc principio conuenerũt omnes, *ſimile cognoſci ſimili:* anima verò cognoſcit omnia, debet igitur omnibus aſſimilari. Nequit vero ijs omnib. aſſimilari, niſi cum omnibus conueniat, ſi cõuenit, erit ex ijſdem principijs, ex quibus ſunt illa omnia: ex quo coacti ſunt, (quia diſcrimẽ, qđ eſt inter eſſe naturale, & intentionale ignorarũt, verum enim eſt cognitionem fieri per aſſimilationem, ſed non in eſſe naturæ, ſed in eſſe cognito, & intentionali) aſſerere animam conſtare ex omnium rerum principijs, & quemadmodum alij alia, ſiuè vnum, ſeu multa principia poſuerunt, ita animam quoque conflarunt. Enimuero Empedocles, quia rerũ initia ſex cõſtituerat, quattuor elementa, terram, aquam, aerem, & ignem, atque inſuper duo actiua, & paſſiua, amicitiam, & litem, ex ijſdem conflauit, & animam: vt ea nimirũ quà eſſet ex terra, cognoſceret terram, quà ex aere, aerem, &c. quare ita Poeticè Philoſophatur.

Γαίῃ μὲν γὰρ γαῖαν ὀπώπαμεν, ὕδατι δ᾽ ὕδωρ,
Αἰθέρι δ᾽ αἰθέρα δῖον, ἀτὰρ πυρὶ, πῦρ ἀΐδηλον,
Στοργῇ δὲ στοργὴν, νεῖκος δέ τε νείκεϊ λυγρῷ.

Quæ ita ſonant.

Terrea vis terram, vis humida percipit vndas,
Aether ab ætherea ſentitur, ab ignibus ignis,
Pax pacem monſtrat, litem lis aſpera ſentit.

In eandem ſentẽtiam contrudit Ariſt. etiam Platonem text. 25. libri adducti, cum inquit. *Eodem autem modo, & Plato in Timæo, animam facit ex elementis, cognoſci enim ſimile ſimili, res autem ex principijs eſſe.* Et ſi reuera Plato voce elementorum, non hæc elementa materialia intelligit, ſed alia longe diuerſa, ea vero ſunt. *Vnum, & diuerſum:* qua de re multa, afflante Diuino numine, videbis in cõmentarijs noſtris ſuper Timæum: Anaximenes verò Mileſius, Diogenes, & alij nonnulli, quia rerum omnium principium fecerunt aerem, cẽſuerunt animam aerem eſſe. Ita refertur in text. 33. & à Plutarch. lib. prim. de plac. Philoſ. cap. 3. Heraclitus autem, vt principium rerum poſuit vaporem quẽdam, medium inter aquam, & aerem, ita animam, quoq; affirmauit eſſe vaporẽ. Importunius Hippo, & aliqui Thaletis diſcipuli, cum ex illo accepiſſent, rerũ omnium initium eſſe aquã, opinati ſunt, animam eſſe aquam. Alij quia principia rerum conſtituerant numeros, animam dixerunt eſſe *numerum ſe ipſum mouentem*. tex. 28. Critias, eam fecit ſanguinem, quo fortaſſe reſpexit Latinus Poeta, cum inquit, *purpuream vomit ille animam.* Denarchus harmoniam, non quidem ſonorum, ſed contrariarum qualitatum, in vnam temperiem coeuntium, ita refert S. Thomas 2. cont. Gent. cap. 64 & Greg. Nyſſen. lib. 2. Philoſ. cap. 3. Cui proximè acceſſit Galen. qui animam, ait eſſe Craſim, & temperamẽtum, ſeu complexionem, ita ſcribit in libro, cui inſcriptio, quod mores animi, ſequantur temperiem corporis, cap. 4. & 5. & lib. 3. de locis affectis cap. 6. & lib. 7. de vſu partium cap. 8. quo loci ore rotũdo fatetur, ſe ignorare, quid ſit anima. Auicembron in libro fontis vitæ, exiſtimat, animam eſſe compoſitam ex materia, & forma, vt refert D. Thom. in quęſt. de anima art. 6. Sic alij aliud cõfinxerunt, quorũ confutationes Ariſt. lib. primo de aĩa, multis proſequitur; nos quanta maxima fieri põt breuitate, & perſpicuitate rem tractare volumus.

Animam igitur, & quidẽ in vniuerſum, non eſſe harmoniam, & contrariorũ in vnum coeuntium temperationem, vel hinc fit conſpicuum; Primò, quia hæc ſita eſt in quadam qualitatum Symetria, ac proportione; quemadmodũ harmonia ſonorum in quadam ſoni, vocumq; proportione; Hinc Ariſtoxenus muſicus, ab arte ſua, ne latum vnguem diſcedens, voluit ſimili ratione animam conſtare in homine, atq; concors modulatio conſtat in cantu, & fidibus, ita, vt quemadmodum nerui bene intenti, concentum edunt; ſic primas qualitates, & firmã partium corporis coniunctionem, eſſe animam; & efficere motus animales. Atqui iſtiuſmodi harmonia perturbatur, ac perit, cum quiſpiã ægrotat, non ſecus atque harmonia ſonorum perit;

fidibus

fidibus perturbatis. Quare ſi anima eſſet harmonia, & contrariorum temperatio, cum hæc in eo nõ ſit, qui graui aliquo laborat morbo, nec anima eſſet in eo; atque adeo viueret ſine anima.

Præterea, quia iſtiuſmodi harmonia magis conuenit corporis qualitatibus, quam animæ. Quippe corporis cõditiones, & qualitates ſunt, ſanitas, pulchritudo. &c. Atqui ſanitas eſt quædam humorum, & qualitatũ harmonia, *& quadam mediocritas*, vt loquitur Ariſt. ſect. prima Problem. quæſt. 2. Aut *ſanitas eſt corporis temperatio, cum ea congruat inter ſe, ex quib. cõſtamus*, vt a iũt alij.

Item pulchritudo eſt ſuauis quædam colorum harmonia, cum apta membrorum figura, & vt Plato ait, eſt menſura, & commenſuratio temperiei; nequit autem aſſignari quarum, & qualium vnquã rerum harmonia ſit ſenſus, aut intellectus; aut reliqua, quæ ad animã pertinent, non eſt igitur anima harmonia.

Quod vero nõ ſit Craſis, & cõplexio iiſdem argumentis confutatur. Quibus adde, quod complexio cauſatur ex qualitatibus actiuis, & paſſiuis, eſt enim aliquid conſtitutum ex qualitatibus contrarijs, quaſique medium inter eas. Anima autem in vniuerſum nequit huiuſmodi quicquam eſſe, ſed eſt aliquid longe nobilius, quod ex animæ operatione agnoſces; nam operatio animæ vegetãtis, excedit, quamcunq; virtutem qualitatum actiuarum, & paſſiuarum; Vnde Ariſt. in 2. de anima tex. 41. aiebat ignem non eſſe cauſam augumenti, ſed concauſam aliquo modo; Principalem autẽ cauſam eſſe animam, ad quam compararі calorem, ſicut inſtrumentum ad artificem. Ex quibus verbis apparet augumentum, quod eſt operatio animæ vegetabilis, non poſſe prætienire ex qualitate. Multo minus poterit cognitio ſenſus, & intellectus, ergo impoſſibile eſt, quod anima ſit complexio. Item anima repugnat paſſionibus ex varia complexione ortis, quippe ex varietate temperamenti hi ſunt ad iram, hi ad libidinem, alij ad res alias procliuiores, qui tñ ab ijs conſtanter abſtinent, per animæ diſpoſitionem; Hoc autem qualitatum turba, & complexio præſtare nequit, ſecus enim hæc eſſet illarũ paſſionum productiua ſimul, ac deſtructiua. Huc facit, quod ſi anima eſſet Craſis, & cõplexio, in multis rebus etiam anima carentibus, eſſet anima; propterea, quod in ijs perfectiſſima contrariarum qualitatum Craſis, atque complexio reperitur, vt in auro, lapidibus precioſis, &c. Lege Themiſtium in Paraphraſ. primi libr. de anim. cap. 23. & 24. & S. Thomam 2. cont. Gent. cap. 63. & 64. omnino vero adi Alexand. Aphrodiſæum, in primo lib. de anima cap. 7. Cuius titulus eſt, *contra Ariſtoxenum; qui volebat animam eſſe harmoniam, hoc eſt intentionem quandam corporis.*

Quod ſi obijcias ex Galen. id videtur eſſe anima, quo pereunte perit animal; abolita autem, vel diſſociata qualitatum Craſi, ac temperie in animali, illud actutũ interit; anima igitur nihil erit aliud, quã dicta Craſis. Præterea ex diuerſa corporum complexione, proficiſcũtur in nobis diuerſi affectus, ac paſſiones, quippe ex temperamento melancholico procliuitas ad triſtitiam, ad iracundiam, ex colerico, ad Venerem ex ſanguineo; quæ quidem paſſiones ab anima, tanquam à fonte emanant; ergo hæc nihil erit aliud, quam præfata Craſis.

Reſpondeo ad prius, falſam eſſe priorẽ propoſitionem; non enim id omne, quo pereunte perit animal, eſt anima. Verùm, aut eſt anima, aut aliquid neceſſarium, vt ea conſeruetur in animali. Vt verò anima conſeruetur in viuẽre nõ modo commoda qualitatum temperies, ſed per multa adhuc neceſſaria ſunt. Quare eodem argumento colligat Galen. ſi poteſt quia diffuſo ſanguine, aut obleſo corde, animal concidit, animam eſſe ſanguinem, aut etiam cor. Ad poſterius rectè S. Thomas in capite illo 63. Secundi cont. Gent. Galenũ in eo, ait eſſe deceptum, quod non conſiderauerit, alio pacto paſſiones attribui cõplexioni, alio vero animæ. Complexioni quippe, ac temperamento attribuũtur illæ tanquam cauſæ diſponenti, & prouocanti, & vt dicam, quantum ad id, quod eſt materiale in paſſionibus, quia nimirũ actui ſuppeditant pabulum; Melancholia, ob ſui frigiditatem, vt reddit corpus torpidum, ita inclinat ad triſtitiam; & calor flauę bilis, vt acrimonia ſua excitat hominem ad operandum, (ſic quoque facilius ad iram exacuit) ſanguis ob copiam ſpirituum ſtimulato. Cæterùm animæ attribuũtur, huiuſmodi paſſiones tanquam principali cauſæ, ex parte actus, & ex parte eius, quod eſt in paſſionibus formale, ſicut in ira inquit S. Thomas, eſt appetitus vindictæ. Quid vero cum huiuſmodi paſſionibus permulti reſiſtant, & conſilio, animique fræno compeſcant?

Hæc omnia clariora fient, cum probauerimus animam in vniuerſum non eſſe accidens, (tam enim Craſis, quã harmonia, ſunt quædam accidentia,) quod his rationibus ſatis oſtẽditur. Viuentia per animam, tum conſtituuntur in deter-

determinatæ ſpeciei, cum à non viuentibus ſpecie diſtinguantur, quod Ariſt. in 2. lib. de anima, tex. [illegible] & alibi ſæpe oſtendit, & ſenſu ipſo commonſtratur, quia recedente anima ab homine, cadauer non amplius eſt in ſpecie hominis, nec quicquam differt à non viuentibus. Atqui viuentia non ſunt accidentia, ſed ſubſtantia, id ergo per quod conſtituuntur in ſpecie ſubſtantiali, hoc eſt anima, nequit eſſe accidens. Siquidem nullum accidens poteſt eleuare aliquid ad ſpeciem ſubſtantialem, & vltra ſuum gradum. Ad hæc omne viuens eſt ſubſtantia, & quidem compoſita, & autem huiuſmodi eſſentialiter ex anima, & corpore; implicat ergo, quod anima ſit accidens; alias ſubſtantia componeretur ex accidentibus, cui rei omnis Philoſophia reclamat. *Quomodo enim ex non ſubſtantijs ſubſtantia, atque erit? aut quomodo prius non ſubſtantijs, quam ſubſtantia erit?* inquit Ariſt. in primo lib. Phyſic. tex. 52. vel ſaltem eo aſtruitur ex accidente; & ſubſtantia ſi de hoc ex materia; & forma accidentali.

Præterea, anima eſt primum principium motuum, quicunque in viuente reperiuntur; eſt enim id quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus, primò; huiuſmodi vero principium nequit eſſe accidens, quia accidens nunquam operatur in virtute propria, ſed in vi ſubſtantiæ, & vt inſtrumentum, quod inductiuè apparet in calore ignis, frigiditate aquæ, grauitate lapidis, idque genus aliis, quæ omnia agunt in virtute ſuarum ſubſtantiarum; Cuius rei ea eſt ratio, quia accidens ſicut habet eſſe, ita & operari; habet autem eſſe, non per ſe, ſed à ſubſtantia; ex quo clarè apparet primum principium motuum in animante non poſſe eſſe accidens, nec igitur anima erit accidens. Credit hoc etiam Ariſt. initio ſecundi libri de anima; Hinc Commentator in commento 2. eius libri inquit, prima naturalis cognitio nobis dat, eſſe impoſſibile, quod anima ſit accidens; & hac ratione confirmat, quia ſubſtantia eſt nobilior accidente, & anima eſt nobilior omnibus accidentibus; Auicenn. autem in libro de anima cap. 3. ex eo probat hác aſſertionem; quia anima ſuſcipit cõtraria, ſuſceptiuũ autem contrariorum eſt ſubſtantia; quæ tamen ratio parum firma videtur, cum anima ſaltim brutorum animantiũ non ſuſcipiat cõtraria, vt quod, ſed vt quo. Hoc autem pacto etiam accidentia ſuſcipiunt contraria, nam eadem ſuperficies modo ſuſcipit albedinem, modo nigredinem.

Non equidem hic reticebo luculentã D. Gregorij Nyſſeni in diſp. de anima, hac de re, rationem, quod quemadmodum, qui in hac mundi vniuerſitate, conſentientem rerum varietatem, diſcordem contrariorum pacem, & concordem litem rite perpẽdit, ſtatutum ſecum ipſe ſtatuit, vim quandam eſſe diuinam, per omnes rerum partes commeantem, quæ omnia arbitratu, ac nutu ſuo coerceat, & cõtineat, ſecus enim, ſuſq; deque omnia agerentur; ita, qui in qualibet animante cõſiderat tot cõtrarias qualitates tot repugnantes contrariorũ affectiones, tot, tamque varia, ac diuerſa munia in vnum redacta, inuiolabili quadam lege, ne ſe inuicem perimant conſeruari, niſi ſecum ſtatuat dari vnã aliquam formam, cuius ope, ac beneficio hæc omnia contineãtur, ac perficiantur, amens ſit. Quæ forma accidentaria eſſe nequit, cum vnius accidentis tanta efficacitas eſſe non poſſit, quod tãtas contrariorum pugnas compeſcat; De hac formæ ſubſtantialis continentia, ita ſcribit Ariſt. libro primo de anima tex. 90. contra Platonem, plures animas loco, & ſubiecto, in animali conſtituentem. *Quid igitur continet animam ſi partibilis eſt natura? non. n. vtique corpus; videtur enim contra magis anima corpus continere; egrediente ſiquidem expirat, & putreſcit.* Ex his, itaq; habes, animam, neq; harmoniam, neque Craſim, neque vllum vnquam eſſe accidẽs, vt vero quid ea ſit appareat, ſit,

SECTIO V.

Anima eſt ſubſtantia, non quidem materia, neque corpus, nec aliquid compoſitum ex materia, & forma, ſed actus primus ſubſtantialis.

NVLLVS vnquam Philoſopho ſi auſus eſt affirmare, animam eſſe materiam; Cum in generatione, cuiuſcunq; viuentis, quiſque animaduerteret, materiam ſubſterni, & eſſe id, in quo generatio celebratur, animam vero de nouo fieri; ſecus res eſſet animata, antequam eſſet. Enimuero quemadmodum in arte, verbi gratia, ſtatuaria, quod eſt exẽplum Aphrodiſienſis lib. 2. de anim. capit. 2. æs ſubijcitur omnibus, quæ ex eo artifex excidit; formę vero, quę ex arte effinguntur in ære; ſunt differentiæ cauſa, & faciunt, vt vnumquodque eorum ſit hoc aliquid, hæc forma reddit hanc ſtatuam diſco ludentem, alia facit ſtatuam diademate inſignitam; ita ſe res habet in compoſitis ſubſtantialibus, in quibus

alterum

alterum ſubijcitur, & eſt materia, alterum eſt id quo vnumquodque fit aliquid, & hoc eſt forma. Cuius ope, hoc quidem eſt aer, illud terra, hoc equus, &c.

Cæterùm, eam non eſſe corpus, vel aliquid compoſitum ex materia, olim non ita fuit compertum. Quinimò Veteres illi, quos Sectione precedenti retulimus, communiter animam aſſeruerunt eſſe corpus, quamuis in aſſignando huiuſmodi corpore, inter ſe ſe vehementer altercarentur, dum alij aliud quippiam eam, vt vidimus, facerent. Hos forte, inquit Lactantius Firmianus in lib. de Opeficio Dei, ſecutus videtur Varro, dum dixit, quod *Anima eſt aer conceptus ore, deferuefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffuſus in corpus.* Quò etiam iuit Apollinaris Alexandrinus, vt refertur libro 5. Hiſtor. Tripart. cap. 44. Eandem ſententiam amplexus eſt Tertullianus, qui in ſuo lib. de Anima cap. 2. commemoratis Philoſophis, qui animam corpoream conſtituebant, ſubdit, animam eſſe corpus, facile perſuadebunt. Deinde Ariſtotelem, ac Peripateticos carpit, quòd animam incorpoream fecerint, conſtantem, inquit, ex quinta neſcio qua ſubſtantia.

Verùm aſſertio noſtra, ita probatur ab Ariſtotele in lib. 2. de Anima tex. 4 corpus non eſt in ſubiecto, ſed potius veluti ſubiectũ. Anima eſt in ſubiecto, non igitur eſt corpus. Deinde, anima, dum viuificat corpus, eſt omninò in eadem loci ſuperficie, atq; corpus, ſi enim forma loco eſſet ſeparata à materia, qui vnquã illam actuaret? quod faciat neceſſe eſt, vt totum animatum coaleſcat, & omnes eius partes viuant, nutriantur, augeantur: non itaque erit corpus. Secus enim, vel duo corpora eſſent eodem in loco, ſeque inuicem penetrarent, vel darentur, aliquę viuentis partes, quę non eſſent animatę. Quæ ratio colligitur ex Ariſtotele in primo de Anima tex. 72. Ad hęc, anima eſt primum principium totius vitę, impoſſibile autem eſt, vt corpus ſit huiuſmodi principium, nam corpus nequit eſſe principium totius vitæ, in quantum corpus, alias enim omne corpus eſſet primum principium vitę. Si verò conuenit illi eſſe principio vitæ: in quantum tale corpus eſt, iam non ipſum corpus, ſed actus ille, à quo ſortitur, vt ſit tale, erit primum principium, & prima cauſa totius vitæ, atque adeò ille actus erit anima.

Quid vero? ſi eſſet corpus, poſſet vtique ad arbitratum ſuum ex corpore, in quo eſt, egredi, & rurſus in illud ipſum intrare; quia eſſet ens completum, ac ſuapte natura exiſtens: poſſet ſentiri, ac tangi; cum omne corpus commodè tangatur. Eſſet quanta, & qualis; cum hæ ſint corporis conditiones. Eſſet in animali ſecundum eandem rationem mouẽs, ac motum; cum tamen animę ſit mouere, corporis verò moueri. Lege Alexand. Aphrod. lib. 1. de Anima cap. 5. & S. Thomam in prim. part. quęſt. 75. art. 1. & in 2. contra Gent. cap. 65. Poſtremò, ſi anima vllum eſſet corpus, vel eſſet Cęleſte, vel elementum, vel ex hiſce conflatum: nullum autem horum eſt; non Cęleſte, quia torqueretur in circulum, non elementum, quia ſuperum, aut infimum locum peteret: non denique ex elementis mixtum, quia vi dominantis elementi moueretur: Cum tamen animalia pro appetitu, & apprehenſione, ad varias locorum differentias tendant, vt ſenſu ipſo cõmonſtratur, quare, &c.

Poſtremò, nonnulli opinati ſunt, quamcunque animam, etiam rationalem, & omninò omnem ſubſtantiam, præter Deum, eſſe compoſitam ex materia, & forma. Cuius quidem aſſertionis primus auctor commemoratur Auicebron, in libro, cui inſcriptio fons vitæ; quod adnotauit quoque S. Thomas in quæſt. de Anima art. 6. Mouebantur autem, vt hoc aſſererent, hac potiſſimùm ratione; quia in quocumque inueniuntur proprietates materiæ, in eo inuenitur & materia. In anima rationis compote, inueniuntur proprietates materiæ, nimirum eſſe in potẽtia, recipere, ſubijci: Subijcitur quippe ſcientiæ, & virtuti: & mutatur de ignorantia ad ſcientiam, & de vitio ad virtutem; ea igitur eſt compoſita ex materia, & forma. Quò etiam facit, quia cum forma ſit principium agendi, materia verò principium patiendi, in quocumque inuenitur actio, & paſſio, in eo erit materia, & forma; Atqui in anima eſt actio, & paſſio, ſiquidem operatio intellectus poſſibilis ſita eſt in paſſione, ſi *intelligere eſt quoddam pati*, 3. de Anima tex. 2. operatio autẽ intellectus agentis eſt in actione, *facit enim intelligibilia potentia intelligibilia actu.* ex eodem 3. de Anim. Eadem omne qđ eſt, vel eſt actus purus, vel potentia pura, vel conflatum ex potentia, & actu. Anima nõ eſt actus purus, huiuſmodi enim actus ſolus eſt Deus: nec eſt potẽtia pura, nõ enim differret à materia prima, erit igitur aliquid cõpoſitum.

Verùm hæc aſſertio falſa eſt, nec eius argumenta quicquam officiunt. Primum his rationibus commonſtratur. Quia cum forma adiuncta materię, conſtituat vnam aliquã ſpeciem, ſi anima eſſet compoſita ex materia, & forma, illa vtique eſſet aliqua ſpecies in rerum natura, quod

autem

autem eſt per ſe ſpecies, nequit vllius eſſe forma, & pars alterius, vt oſtendit Ariſtot. 7. Metaphyſ. Quare anima ſi eſſet compoſita ex materia, & forma, non poſſet informare corpus. Quid verò? corpus adueniret animæ tanquam enti per ſe, & completo, nec ex ijs coaleſceret, niſi vnum ex accidente. Deinde, cum ea, quæ ſunt per ſe ſpecies, non poſſint vniri ad conſtitutionem alterius ſpeciei, niſi vel omnia, vel eorum aliqua, modo aliquo corrumpantur, ſicut elementa vniuntur ad conſtituendam ſpeciem mixti, ſi anima eſſet compoſita, atq; adeò ſpecies, non poſſet vniri materiæ, niſi corrumperetur, præſertim cum materia ſit incorruptibilis. Quomodo autem actuaret, ſi corrumperetur? Præterea, ſi anima eſt compoſita ex materia, & forma, & iterum corpus, vtrumque habebit ſuam vnitatem. Quamobrem neceſſariū erit ponere aliquid tertium, quo anima vniatur corpori, & vtraque aſſociata contineantur, vt etiam arguit Ariſt. in primo de Anima tex. 90. Quod adeò neceſſarium eſt, vt aliqui huius opinionis ſectatores, id conceſſerint, aientes, animam vniri corpori mediante luce; vegetantem quidem mediante luce Cęli ſyderei, ſenſitiuam autem mediante luce Cęli Cryſtallini, rationalem verò mediante luce Cęli empyrei. Quæ omnia, vt inquit S. Thomas in art. illo 6. quæſt. de Anima, fabuloſa ſunt. Oportet enim animā immediatè vniri corpori, ſicut actum potentiæ. Vltimò ſi anima eſſet compoſita ex materia, & forma, peto de altera eius parte, nimirum forma, vtrumne illa quoque ſit compoſita ex materia, & forma? Si dederis, res abibit in infinitum. Si neges, datur ergo aliqua forma, eaque ſubſtantialis, præter Deum, quæ non eſt compoſita ex materia, & forma.

Nec rationes in oppoſitum adductæ, quicquam concludunt. Prima æquiuocat, quia nō eodem modo recipit, ac patitur anima, ſeu intellectus noſter, atque materia prima. Hæc enim recipit aliquid cum tranſmutatione, ac motu. Cum verò omnis tranſmutatio, ac motus reducatur ad motum localem, veluti ad primū, & communiorem, vt probat Ariſt. 8. de Phyſ. auſcult. fit, vt materia, in ijs tantummodo reperiatur, in quibus eſt potentia ad vbi; huiuſmodi autem ſunt, ſolum corporalia, quæ loco circumſcribuntur. Quare materia ſtrictè accepta, non niſi in rebus corporalibus inuenitur. Anima verò non recipit, cum motu, ac tranſmutatione, quinimò ſeiungendo a motu, rebuſque obnoxijs tranſmutationi enimuerò *in quieſcendo, anima fit ſciens, ac prudens*: & ideò in 3. de Anima tex. 11. dicitur, *omninò autem, vt ſeparabiles ſunt res à materia, ſic quæ circa intellectum*: & ibidem tex. 14. intelligere dicitur pati, alio modo, quàm fit in rebus corporalibus paſſio.

Quamobrem, qui vult concludere animam eſſe compoſitam ex materia, eò quia recipit, ac patitur, omninò errat. Eodem modo dicēdum eſt ad aliud, nimirum paſſio, quæ reperitur in anima, & attribuitur intellectui, longè alterius rationis eſt, atque ea, quæ eſt materiæ. Paſſio quippè intellectus poſita eſt in receptione ſpecierum, quæ recipiuntur in intellectu modo immateriali: pari modo actio intellectus agentis non eſt eiuſdem rationis, cum actione formarum naturalium: nam actio intellectus agē tis eſt abſtrahere a materia, actio verò agentium naturalium eſt imprimere formas in materia. Ad vltimum, licet anima neque actus purus, neque pura potentia ſit, nō tamen hinc ſequitur, eam eſſe compoſitam ex materia, & forma, ſed benè erit ex actu, & potentia, quod mox explicabimus. Sit ergo.

SECTIO VI.

Explicatur vera animæ natura.

DEMONSTRATVM a nobis eſt, animam non eſſe particulam diuinæ naturæ, non harmoniam, aut Craſim, neq; in vniuerſum accidens, ſed ſubſtantiam. Præterea, non eſſe materiam, neque corpus, an ſimplex, an mixtum; nec denique compoſitam ex materia, & forma: reliquum eſt, vt quænam eius natura ſit, videamus. Quoniam verò quæcunque res ex ſua definitione clarius explicatur, varia Philoſophorum ingenia, quò naturam animæ enodarent, varias eius definitiones dedere. Eas, ſi lubet, quære apud Themiſtium in toto fere prim. lib. de Anima. Alber. Mag. in ſumma de homine. Lactantium in lib. de Opificio Dei, cap. 27. Theodoretum in lib. de Natura hominis, Marſil. Ficinum lib. 6. de Theologia Platonis cap. 1. Nos ſatis abundè feciſſe arbitramur, ſi duas animæ definitiones, ab Stagirite in ſecundo de Anima traditas, diligentius explicuerimus. Altera iacet in tex. 6. *Anima eſt actus primus, corporis, phyſici, organici, potentia vitam habentis*; Altera in tex. 24. quod, *anima eſt id, quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primò.*

Vltra.

Vtraq· membratim ſic explicāda erit. Primò dicitur anima, *actus*, ἐντελέχεια. Quæ quidem vox in Peripato æquiuoca eſt: nunc quidē deſignat actū informantem; & hunc duplicem, vel ſubſtantialē, cuiuſmodi eſt actus, & forma equi; vel accidentalem, qualis eſt candor. Nunc verò actum aſſiſtentem. Prima ἐντελεχείας acceptio, vel in primo cap. lib. 2. de anima paſſim apparet. Pro forma verò accidētatia ſumitur in 3. de Phyſic. auſcult. tex. 6. cum motus dicitur ἐντελέχεια, & actus; Pro actu deniq: aſſiſtente, capitur in 2. de anima, tex. 11. Quo loci nauta appellatur entelechia nauis. *adhuc autem immanifeſtum, ſi ſic corporis entelechia, anima, ſicut nauta nauis.* Et qđ maius eſt in 12. Metaph. tex. 49. prima intelligētia, ſiue prima omniū forma, ab omni concretione mortali abiūctiſsima, tali voce appellata venit. τὸ δὲ τί ἦν εἶναι, οὐκ ἔχει ὕλην τὸ πρῶτον, ἐντελέχεια γάρ. Hoc eſt, *ipſum verò, quid erat eſſe primum, non habet materiam, cum ſit entelechia.*

Præterea entelechia, ſeu actus, ex Ariſt. 2. de anima, tex. 5. alius eſt primus, qui vel eſt ſubſtātialis, vt anima, vel accidētalis, vt potētię. Alius verò ſecundus, vt operatio. *actus autē*, inquit Philoſ. *dicitur dupliciter, alius quidē ſicut ſcientia, alius verò ſicut ſpeculatio.* Ad hæc, entelechia, & actus primus ſubſtātialis, eſt duplex. Hic quidē qui ſemper operatur, nec vnquā ab actu ſecundo, ceſſat: huiuſmodi eſt forma ignis, forma grauium; & leuium, ille ſemper calefacit, hæc ſemper deſcendunt, aut aſcendunt, niſi impediantur. Quę formæ conſueuerunt appellitari, merè naturales: Hic verò eſt, qui poteſt ab operatione ceſſare; vt forma rationalis in homine; quæ ad arbitratum vacat ab opere; & forma ſenſitiua in brutis animantibus, quæ agit ex apprehenſione. De etymologia entelechiæ, quā primus omnium formauit Stagirites, non parū diſſidij eſt inter Ariſtotelis enarratores, & criticos quoſdam neotericos, adi, ſi lubet, Iulium Scalig. exercit. 308. in Cardan. & Angelum Politianum in Miſcellaneis cap. 1. & nos alias plura.

Ex eo igitur quod anima in definitione dicitur entelechia, ſiue *actus*, excluditur materia prima, quæ eſt pura potentia, & quęcumque nō ſunt ſimpliciter actus; vt compoſita, tam naturalia, quam artefacta. Dicitur *primus*. tùm quia anima eſt actus primæ potentiæ, hoc eſt materiæ primæ: tùm quia ſemper eſt prior actu ſecūdo, vel tempore, vt in anima intellectrice; quinimò & ſentiente; non enim ſtatim, ac quiſpiā habet animam intellectiuam, intelligit, aut vult; neque in anima ſenſitiua, omnes eius operationes confeſtim apparēt. Vel eſt prior ſaltim natura; quòd quæcumq; anima antegreditur operationem in eo, cuius eſt anima. Verùm in definitione animæ, nihil huiuſmodi, opinor, intenditur, ſed dicitur actus *primus*, ad reijciendos actus ſecundos, præcipuè verò operationes; vt Themiſtius, in lib. 2. de anima, cap. 4 Philoponus in explicatione huius definitionis; Albert. Mag. tract. 1. cap. 2. & complures alij animaduertunt. Anima itaq; eſt actus primus, quia eſſentialiter non eſt operatio, ſed principium operationis. Cæterùm S. Thomas, & Caietanus in 1. caput eiuſdem operis, ſubtilius aliquid meditātur, aiunt quippè, animam dici actum *primum*, non modò vt excludatur actus ſecūdus, ſeu operatio; verùm vt etiam indicetur ſeparatio eius ab actu ſecundo. Itaq; dicitur actus primus, nō tam vt diſtinguatur ab actu ſecūdo, (hoc enim in aperto erat, formam non eſſe operationē, nec ab Stagirite tanta ſolicitudine oſtendendum) quàm vt denotetur differentia, quæ eſt inter formas purè naturales, & animam. Illæ namq: penitus ſunt inſeparabiles ab actu ſecundo: nunquam enim, quod ad eas attinet, niſi impeditæ ceſſant ab operatione, vt in aſcenſu, & deſcenſu leuium, & grauium, & calefactione ignis, videre eſt; cui ſi materia ſuppetit, nunquam non comburit. Atqui anima, an per libertatem in homine, an ex apprehenſione in brutis, an denique aliquo alio modo in plantis, potis eſt ab operatione vacare.

Hanc verò eſſe Philoſophi mentē, ex eo colligunt, quòd is in tex. 5. libri, quem modo citauimus, comparauit actum *primum*, ſcientiæ habituali, & ſomno: actum verò ſecundum, vigiliæ, & contemplationi; quamobrem, quemadmodum ſcientia habitualis ſeparatur à contemplatione, & ſomnus à vigilia; ita anima ab actu ſecundo. Audi S. Th. Phil. ait, vocat animā, actū *primum* non modò, vt eam diſtinguat ab actu ſecūdo, ſed à formis ēt elemētorum, quæ ſemper habent operari, niſi impediantur. Prima harum expoſitionū plana, ac facilis eſt; poſterior, profundior, & magis, opinor, ad Philoſophi mētē.

Verùm, aduerſus poſteriorem hanc explicationem non vno modo obijcitur. Primùm, anima vegetatrix nunquam feriatur, ſeiungiturue ab opere, quinimò ſemper eſt in actu ſecundo; quò etiam ab Stagirite aſſimilatur ſemper vigilanti. Et luculēter apparet in nutritione, de qua lib. 1. de generatione, tex. 41. dicitur, *animal tam-*

Digitized by Google

diù nutriri, quamdiù ſaluatur: non igitur ea eſſet actus *primus*: iuxta præfatam expoſitionem, cum ſeparari nequeat à ſecundo. Quiduero? anima etiam ſenſitiua, nequit ſeiũgi ab aliqua ſua functione, à motu cordis, qui in animante feriatur nunquam. Deinde, anima diſcriminatur à formis purè naturalibus, alia particula, in eadem definitione adiecta, nimirũ, *organici*. Quia forma merè naturalis, vt ignis, aut lapidis, tametſi actuat corpus, non tamen organicum; non ergo differt ab illis per hanc particulam, actus *primus*. Secus altera earum intruderetur ſuperuacaneè. Poſtremò, cum aſſeritur, animam eſſe actum primum, nimirum ſeparabilem ab actu ſecundo; hoc vel ita capitur, vt ea adhibitis omnibus ad operandum requiſitis, potis ſit operari, & non operari; Et hoc pacto non niſi de anima intellectrice verum eſt; idque duntaxat quoad voluntarias operationes: Verùm in anima ſenſitiua, poſita motione, v.g. potẽtiæ viſiuæ per ſpecies, nequit non elici actio videndi; & multò minus in anima vegetatiua. Vel intelligitur, animam poſſe ociari ab actu ſecũdo, ob defectum, cuiuſpiam requiſiti; Quod ſi ita eſt, nihil peculiare aſcribitur animæ, quod non etiam elementorũ formis poſsit aſcribi; enimuerò huiuſmodi formæ, quandoque etiam à ſuis actibus ceſsant ob alicuius defectum, quod ad operationem requiratur. Ignis enim defectu materiæ, aut approximationis, non comburit.

Ad haſce obiectiones, ita reſpondẽdum eſt: Ad primam, ſunt qui dicunt, animam etiam vegetatiuam ſeiungi aliquando ab actu ſecundo, etiam nutriendi. Ita contingere in bufonibus, ſerpentibus, gliribus, atque alijs id genus animalibus, quæ cum tota ferè hieme nihil edant, non vtiq; eo tempore nutriri videntur. De gliribus ſic Auſonius in Ephemeſi,

Dormiunt glires hiemem perennem,
Sed cibo parcunt;

Et illud Martialis lib. 13. epig. 59.

Tota mihi dormitur hiems, & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

De qua quidem re Plinius lib. 8. cap. 52. & lib. 29. capit. vltimo, Varro lib. 3. de re ruſtica, cap. 15, Mathiolus lib. 2. ad Dioſcoridem, cap. 63. Ammian. Marcell. lib. 28. ex recentioribus, Ioannes Bruyerinus de re cibaria, & Matthæus Raderus in epigram. Martialis. In his igitur animantibus, animam vegetatricem eo temporis ociari putant ab opere etiam nutriendi. ita etiam affirmare videtur Commẽtator ſuper 2. lib. de anima Comment. 5.

Hæc tamen ſolutio iure meritò exploditur à Mag. Albert. Quia facultas vegetatrix etiã tùm neutiquam feriatur, ſed in concoquenda ea humiditate occupatur, quam ſibi anteacto tẽpore animalia illa conquiſiuere; Quod in cauſa eſt, vt ea poſt illud temporis, digeſta conſumptaq; humiditate, extenuata, & gracilia egrediantur: Nec ab hac doctrina diſcedit Auerr. ſi loco citato attentè legatur. Martialis autem, dum aſſerit, glires, cum ſomno tantum aluntur, pinguiores eſſe, poeticè locutus eſt. *πολλὰ δὶ ψεύδονται ἀοιδοί*. Prætereo aliam quoque ſolutionem, cuius anteſignanus eſt Caietanus, quod præfata definitio conueniat animæ vegetatrici, *per non repugnantiam*, hoc eſt, qua anima eſt, nõ repugnat ei ſeparari aliquando ab actu ſecundo; eſto qua huiuſmodi, ſeu, prout nutritiua eſt, nunquam non operetur. Prætereo, inquã, quia eadem ratione definitio hominis commodè cadere poſset in equum, aut canem; Cũ vtrique, qua animal, non repugnet eſſe rationali: Quamuis qua tale animal, ſeu, prout equus, aut canis eſt, ei repugnet.

Dicendum itaque eſt, ad hoc vt anima vegetatrix, dicatur actus primus, & ſeparabilis à ſecundo, ſatis eſse, eam ſeparari poſse ab aliquo ſuo actu; etſi non ab omnibus. Proprij autem vegetantis animæ actus, ſunt, nutrire, augere, & ſibi ſimile generare: à duobus vltimis ſæpenumerò feriatur, à primo non ita. Id ſatis eſt, vt ea vocetur actus *primus*, & ſeparabilis, cum à maiori ſuorum actuum parte ſeiũgatur. per quod diſcriminatur quoque a formis purè naturalibus, quę à nulla ſuarum operationum, niſi impeditæ, vel ob defectum alicuius requiſiti, vacant. Eodem pacto dicendum eſt de motu cordis, quippè, etſi anima ſenſitiua ab eo motu nunquam ceſſet, quia tamen à pluribus ceſsat, commodè actus primus, & à ſecundo ſeiungibilis poteſt appellitari: Quamuis Soto quæſt. 3. libri 8. Phyſic. in reſponſione ad tertium argumentum, dicat, motum illum, magis eſse tribuendum generanti, quàm principio interno animalis. Alij dicunt, motum cordis, non eſſe proprium animæ ſenſitiuæ; quia non conuenit omnibus animalibus, ſolus enim ſenſus tactus, ſine quo anima ſentiens reperiri nequit, eſt proprius animæ ſenſitiuæ. Alij, quòd cum motus cordis componatur e ſyſtole, & diaſtole, curſu quodam, & recurſu, in pũcto reflexionis, datur quies, De qua quidem re,

vide

vide S. Thomam, Opuſcul. 35. & Domin. Banes ſuper primam partem, eiuſdem S. Thom. quæſt. 75. art. 1. dubio 2. in reſponſione ad tertium argumentum.

Ad ſecundum, anima gemino modo differt à formis elementorum, tùm quia potis eſt ab actu ſecundo ſeiungi, vt expoſitum eſt, tùm ex corporis diuerſitate; etenim anima expoſcit corpus varijs organis inſtructum; id, quod nō modò in corpore hominis, cæterorumque animantium conſpicimus: vt ventriculum, hepar, cor, oſſa, neruos, venas, idque genus ſexcenta alia, verùm in infimo etiam animarum gradu, in plantis, & arboribus videmus, radices, fibras, truncos, medullas, &c. Illæ tamquam os e terra ſuccum, & alimentum trahunt, fibræ venarum munere funguntur, &c. quod his omninò verbis docuit Ariſt. in tex. 6. lib. 2. de anima. *Inſtrumenta autem, & plantarum partes ſunt, ſed penitus ſimplicia, vt folium, eius quod circa fructum cooperimentum, id autem, quod circa fructum, fructus, radices verò ori ſimiles ſunt, vtraque enim trahunt alimentum.* Qua de re pluribus diſſerit Theophrast. de hiſtor. plantar. cap. 4. 7. & 14. & Plinius lib. 17. cap. 34. Formæ autem merè naturales, vt ignis, aut ligni, neutiquam expoſtulant huiuſmodi corpora. Prima itaque differentia explicatur, per illam particulam, actus *primus*. Secunda verò, per illam *organici*. Quare ne imaginatione quidem fingi poteſt quicquam in hac definitione ſuperuacaneum.

Ad vltimum, ſi ſermo eſt de anima intellectrice, ac ſentiente, nulli dubium, quin eæ, adhibitis omnibus ab extrinſeco ad operandum requiſitis, commodè poſsunt operari, & non operari; De intellectiua patet in actionibus liberis, quarum ratio in eo poſita eſt, vt ea adhibitis omnibus, quæ ad operationem neceſsaria ſunt, maneat indifferens ad operādum, & non, & ad operandū hoc, vel illud. De ſentiente etiā patet in memoria ſenſitiua, in qua conſeruātur ſpecies, abſque actuali tamen earum vſu; quippè non reminiſcor actu earum omnium rerum, quas memoria teneo. Si autem oratio ad quācumque animam extendatur, tunc eam eſſe ab actu ſecundo ſeiungibilem, hunc habet intellectum, quod anima ab intrinſeco aliquando poſſit an ab omnibus ſuis operibus, an ab aliquo otiari. Quod in vegetatricem quoq; animam, vt dicebamus, non incommodè cadit. Enimuerò viuentia, ita ex propria natura affecta ſunt, vt neq; ſemper ſibi ſimile gignāt, nec quolibet inſtanti perpetuò nutriantur. Quiduerò? nonne Stagirites in 2. de anim. cap. 4. & S. Thom. in 1. par. qu. 78. art. 2. diſertè docuerunt vegetatricem vim, alias vires, ac facultates ſubiectas, ſibiq; deſeruientes habere? nimirum attractricem, retentiuam, digeſtiuam, & expulſiuam. Atqui animal ab hiſce nonnunquam vacare, clarius eſt, quàm vt vlla egeat confirmatione. Præterea, viuentia non toto vitæ curriculo inceſſanter augentur: eſt quippè illis terminus, & ratio creſcendi. *Impoſſibile eſt animal, aut plantam quantamcunque eſſe ſecundum magnitudinē, & paruitatem*, ait, Philoſ. 1. de Phyſic. auſcult. tex. 36. Cæterum formæ purè naturales, quantum ad eas attinet, ſemper operantur, nec vnquam ab opere, niſi extrinſecus impeditæ, ceſsant. Nulla etiam illis creſcendi meta: *nam ignis, & reliqua non viuentia, quantum eſt ex ſe, nullum habent terminū augmenti ſui*: vt aſſeritur ab Ariſt. eodem in loco. Ex quibus liquidò conſtat, animam vegetatiuam; tùm ab actu ſecundo augendi, tùm ſibi ſimile edendi, tùm etiam nutriendi, ſaltem in viribus ſibi ſubordinatis, (qui ſunt tres actus animæ vegetatricis) poſse ſeiungi, & ſic eſſe *actus primus*.

Deinde, enucleandum eſt, quonā pacto anima ſit, *actus corporis*, & quidem de ſentiente, ac vegetante concors eſt Philoſophorum ſententia, eā eſſe actum corporis, ceu veram, & informantem, quod aiunt, formam; ita, vt ea atque materia, quod eſt exemplum Philoſ. 2. de anima, tex. 7. habeant ſe, *tanquam cera, eiuſque figura*. Verùm de anima intellectiua non parū dimidij inter auctores verſatur, quādo Auerr. Simplic. Philopon. ante eos Plato, & alij cōplures, opinati ſunt, eam eſſe actum corporis, non informantem, ſed aſſiſtentem duntaxat; ex quo fit, vt præfata animæ definitio, non vniuocè conueniat omni animæ; verùm ſentienti, ac vegetanti, veluti actui informanti, intell. ctiuæ autē velut aſſiſtenti. At verò quoniam Diſputatione 4. oſtenſum à nobis eſt, animam etiam intellectus participem, eſſe verum, ac informantē hominis, actum, actum agerē, ſi in præſens diutius immorarer. Quàm rectè autem anima definiatur per corpus, ex eo liquet, quod cum quæcumq; forma, & actus, dicat internā habitudinē, ad id quod actuat, à quo etiā ſpecificatur, ne ceſſarium eſt, vt in eius definitione, apponatur ipſum ſuſceptiuū, quòd illa actuat, & a quo ſpecificatur. Ita docuit Ariſt. 7. Metaph. tex. 2. & S. Thom. cū ſæpè alibi, tū maximè, qu. 7. de potēt. art.

art. 2. ad 9. quo loci etiam habet, *eſſe humanum differre ab eſſe equi per ordinem ad eſſentiam humanam, quam actuat*. Quia ergo anima eſt forma actuatque corpus, ipſumque eſt ſubiectum, in quo ea recipitur, meritò definitur per corpus.

Cæterùm, cũ multifariam vſurpetur corpus, magnum diſſidium eſt inter Ariſtotelis enarratores, quonam pacto in præſentia ſumatur corpus. Auerr. Simplic. Themiſt. Philop. & cõplures alij, in ea ſunt opinione, quod corpus hic accipiatur pro toto compoſito naturali; ita, vt definiatur anima per corpus, & ſubiectũ, eademmet forma actuatum; ſimili dicendi modo atque dicere conſueuimus, albedinem eſſe formam albi: vbi album ſtat loco ſubiecti albedinis, non quidem informe, ſed eadem albedine informatum. Sic etiam Ariſt. 2. de Anima, tex. 69. definiuit lumen inquiens, *lumen autem eſt actus huius perſpicui, ſecundum quod eſt perſpicuũ*. Perſpicuum actu, idem eſt, atque lucidum, cum aer tenebricoſus minimè ſit actu perſpicuus. Quapropter hæc definitio idem pollet, ac ſi Stagirites dixiſſet, lumen eſſe actum lucidi: & ſic definiuit lumen per ſubiectum eodem lumine actuatum. Huc etiam iuit S. Thomas in prima parte, quæſt. 76. art. 4. in reſponſione ad primũ argum. Cuius verba hic exſcribam. Ariſtoteles non dicit animam eſſe actum corporis tantum, ſed actum corporis Phyſici, organici, potentia vitam habentis, & quod talis potentia non abijcit animam: Vnde manifeſtum eſt, quod in eo, cuius anima dicitur actus, etiam anima includitur; eo modo loquendi, quo calor eſt actus calidi, & lumen eſt actus lucidi; non quod ſeorſum ſit lucidum ſine luce, ſed quia eſt lucidum per lucem; & ſimiliter dicitur, quod anima eſt actus corporis: quia per animam, & eſt corpus, & eſt organicum, & eſt potentia vitam habens. Hæc S. Doct. Conſimilia habet in quæſt. de anima, artic. 5.

Sunt qui volunt, corpus hic accipi pro compoſito ex materia, & anima; non quidem ſecundum omnes gradus, ſed ſecundum gradum dũtaxat corporeitatis, cùm quo adhuc materia (in quo hæc opinio differt à ſuperiori) manet in potentia ad vlteriores gradus vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum. Formam autem illam corporeitatis, quidam contendunt proficiſci ab anima, quòd hæc virtute contineat inferiores formas, ſicut ternarius dualitatem. quade re Caietanus ſuper prim. par. quæſt. 76. artic. 4. Ferrarienſ. lib. 4. cont. Gent. cap. 64. & in lib. 2. de anima, quæſt. 2. Bannes in prima parte quæſt. 75. art. 1. Capreol. in 4. diſt. 10. quæſt. 1. art 3. ad argum. Scoti. Alij verò acriter contendunt, formam illam corporeitatis, non tribui ab actu formali, ſed eſſe coæuam ipſi materiæ. Quod definire non eſt præſentis inſtituti.

At verò ſi accuratius verba Philoſophi perpendas, neutra harum interpretationum omninò tibi amplectenda videbitur. Non prior, tùm quia Philoſoph. in tex. 4. luculenter docuit, corpus, quod in animæ definitione ponebat, eſſe ſubiectum animæ, *Corpus non eſt eorum, quæ in ſubiecto, magis autem ſicut ſubiectum, & materia eſt*; Atqui compoſitum naturale, cum ſit quippiam ex materia, & anima conflatum, non eſt animæ ſubiectum; non igitur corpus accipitur pro compoſito naturali. Tùm etiam, quia ſi corpus acciperetur, prout eſt anima præditum, iam vtique erit organicum; atque adeò ſuperuacanea foret alia particula, *organici*: cum ſatis id, per *Corpus*, hoc eſt, animatum, eſſet importatum. Quid vero? Cum forma, & actus definiri debeat per ſubiectum, vt dictum eſt, hoc profectò prius eſſe debet, quàm forma; Atqui ſi corpus capiatur pro compoſito ex materia, & forma, nullo pacto præſupponetur ad formam. Ijsdem argumentis reijcitur poſterior expoſitio. Quare &c.

Dicendum igitur eſt, capi in præſentia corpus, pro ipſa materia prima, vt per diſpoſitiones aliquas accidentarias, ſit capax, immediateq; ſusceptiua ipſius animæ; quę dein ſubſtantialiter, & actu impertit eſſe phyſicum, & organicum. Ita S. Thomas ad tex. 4. ſecundi lib. de anima (quãuis ſecus alibi opinatus ſit.) Cui quidem expoſitioni apprimè conſonant omnia, quæ Philoſ. in contextu enuntiat de corpore; nempè corpus eſſe ſubiectum animæ, tex. 4. Et ex corpore, atque anima fieri vnum, tex. 7. Et definitio erit per priora; cum hoc intellectu, *corpus* præſternatur ad animam. Itaque anima eſt actus primus corporis, id eſt, materiæ primæ. Sed quia complures etiam aliæ formæ ſunt actus materiæ primæ; ideò in definitione ſubnectitur.

Phyſici. Qua particula excluditur corpus, tam mathematicum, quàm artificiale. vt colligitur ex Ariſtotele, tex. 3. & adnotauit co loci Sanctus Thomas. Mathematicum autem corpus nihil eſt aliud, quàm ſpecies quædam quantitatis continuæ, diuiſibilis ſecundum trinam, quod aiunt, dimenſionem. vel ſi mauis eſt

ipſa

ipſa trina dimenſio. Hinc S. Thomas in prima parte, quæſt. 18. art. 2. *ponitur*, inquit, *nomen corporis aliquando ad ſignificandas tres dimenſiones, ſecundum quod corpus ponitur ſpecies quantitatis*. Corpus autem artificiale eſt, vt dicimus, ſcabellum eſſe corpus. Differunt verò corpora phyſica ab arte factis, & mathematicis, eo potiſſimùm, quòd illa habent in ſe principium ſui motus, artificialia verò, & mathematica nequaquam. namque ſi motu locali ſcabellum mouetur, id habet qua lignum, non qua artefactũ, quo pacto eſt prorſus immobile: Anima igitur dicitur actus corporis phyſici, ad explodendum, tùm corpus mathematicum, quod cum ſit accidens, nequit forma ſubſtantiali, cuiuſmodi eſt anima, actuari; tùm etiam corpus artificiale, quod conſtituitur per figuram; quæ vtique formæ accidentaria eſt: Quare optimo iure ſtatuitur anima eſſe actus, & quidem ſubſtantialis corporis phyſici, ſeu naturalis.

Sequitur *organici*, per quod diſcernitur anima ab omnibus formis purè naturalibus; vt à forma ligni, lapidis, ignis, quæ hucuſque nondum erant reiectę. In eo quippè omnes conueniunt, quod ſint actus, primi, corporis, phyſici; at non organici. Anima ergo cum ob ſui præſtantiam multas obeat operationes, & quò ea perfectior eſt, eò etiam plures; nam animantia edunt operationes plantarum, & adhuc alias; & homo elicit brutorũ animantium actiones, & inſuper alias, fit, vt ad huiuſmodi functiones obeũdas, egeat corpore inſtructo multis, ac varijs organis, ſitu, fabrica, complexioneq́; diſtinctis: quod præclarè illuſtrat Ariſt. lib. 2. de partib. animal. cap. 10. Quo loci organa eò, ait, debere eſſe plura, & meliora, quò anima eſt perfectior, & M. Albert. 2. de anima, tex. 5. cap. 3. homo, ait, plura, & meliora habet organa, q̃ equus & hic in hiſce ſuperat ſpongiam, & hæc plantas. Quod tu, vel in vna manus fabrica contemplare, quàm illa mirabili ſtructura condecoratur. Corpora autem formarum purè naturaliũ, tali inſtrumentorum varietate deſtituta ſunt; quòd his non egent. Inter quas annumerantur etiam formæ cadauerum; nam organa, oculi, pedes, manus, idque genus alia, quę in cadauere cernuntur, non conueniunt cum organis viuentium, niſi æquiuocè, *nam deficiente anima, non eſt amplius oculus, niſi æquiuocè, ſicut lapideus, aut depictus*: ait Ariſtot. tex. 9. libri 2. de anima, & lib. 7. Metaphyſ. tex. 35.

Vltima definitionis particula eſt, *potentia vitam habentis*, vbi aduerte, vitam, ſeu viuere, (vita .n. & viuere differunt, vt curſus, & currere, auctore S. Thoma in prima parte, quæſt. 54. artic. 1. in reſponſione ad 2.) bifariã ſumi. Vno modo, pro vita ſubſtantiali, alio pro accidentaria. Vita priori modo ſumpta, eſt compoſitio, ſeu coniunctio animæ cum corpore, vt dicitur in 8. Metaphyſ. tex. 24. cui opponitur mors, quæ eſt priuatio vitæ, per ſeiunctionem animæ à corpore. Hinc viuere hoc modo, dicitur viuentium eſſe, in 2. de anima, tex. 37. *viuere viuentibus eſt eſſe*. Vel vt Iulius Cæſar Scalig. in Cardanum, exercitat. 102. cap. 5. ait, *vita eſt actus animæ in corpore, id eſt, vis eius per vnionem vtriuſque*. Accidentaria autem vita, ſunt ipſę actiones vitæ; quo intellectu accepit vitam Ariſt. cum lib. 9. Ethic. cap. 9. ait, *viuere, principaliter eſſe ſentire, & intelligere*. & 11. Metaphyſ. tex. 39. actionem intellectus nuncupauit vitam; *actio autẽ intellectus eſt vita*. Vtraq; ſignificatio iacet in illo effato, *à Deo nobis non modo viuere, verùm & benè viuere dari, ac impartiri*. viuere priori loco ſtat pro vita ſubſtantiali; poſteriori, pro actione. De hac diſtinctione S. Thomas in prima parte, quæſt. 18. art. 2. & quæſt. 54. art. 1. & in prima ſecundæ quæſt. 3. art. 2. & quæſt. 56. art. 1. & 2. 2. quæſt. 19. artic. 7. Vt ergo duplex eſt vita, ſic duplici modo exponi poteſt *potentia vitam habentis*. vno quidem, vt anima dicatur actus corporis, potentia habentis vitam, id eſt, corporis, quod actu careat vita ſubſtantiali; habeat tamen potentia, Altero, ita, vt potentia, referatur, non quidem ad vitam ſubſtantialem, quę eſt principium, atque fons, à quo dimanãt operationes vitales; ſed ad ipſas operationes; vt hunc efficiat ſenſum, corpus, cuius actus ponitur anima, non habet actu operationem, ſed ſolum potentia. Qui igitur nomine corporis in definitione, capiunt materiam primam, intelligunt vitam priori modo; qui verò corpus capiũt pro compoſito, (vt ſuperius expoſuimus) ex materia, & anima, cõflato; uitam hic intelligunt pro ipſa actione. Tandem pro coronide huius rei, hoc habe ex Themiſtio, Alexãdro, Philpono, & S. Thoma, quamuis Simplici⁹ ſecus opinetur; hęc duo, corpus organicum, & potentia vitam habens, idem omninò pollere: quod .n. eſt corpus organicum, id omne, & potentia vitam habet, & e contra: Adijci autem dicta verba *potentia vitam habentis*; communiter animæ defintioni, nõ neceſſitatis, ſed gratia maioris dilucidationis.

Ex hucuſque dictis liquet, quomodo anima

ſit actus primus corporis, phyſici, organici, potentia vitam habentis; quæque ſit animæ natura, ac quidditas; quæ vtique per hanc definitionem aperitur. Quocirca non eſt hac in parte audiendus Auicenna lib. 6. naturalium, dùm hac definitione, ait, non declarari eſſentiam, ſed potius exiſtentiam animæ. Sicut nec Plotinus lib. 2. Enn. 4. aut Proclus, cap. 5. in Timæū, qui pertractè carpunt, ſugillantq; Ariſtotelē, quòd non tam explicuerit, quid ſit anima, quā cuius ſit; hoc eſt, corporis organici: Nec deniq; magni pendendi ſunt ij, quicunque Stagiritæ firmitatem, inuido corrodunt dente; Enimuerò nullus vnquam extitit Philoſophorum, cuius memoria ad nos peruenerit, qui vel penitius naturam animæ rimatus ſit, vel luculentius explicuerit, quàm Ariſtoteles. Hæc definitio cadit in omnem animam, atque adeò in rationalem; ſed quia hac de re multis Diſputat. 4. diſputatum eſt, verbum hic non amplius addam.

Venio nunc ad alteram animæ definitionē, in tex. 24. eiuſdem operis, itidē ab Stagirite allatam. Iam leui duntaxat dolabra tangam: ſic ea effertur; *anima autem eſt id, quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primò.* Principio abijciatur hinc eorum opinio, inter quos fuit Aegidius Romanus, qui Philoſophum præfatis verbis, non vnam, ſed quadruplicem definitionem tradidiſſe, exiſtimarūt, decepti, opinor, occaſione illius particulæ, &, quam temerè disiunctim accipiunt. Nec nobis è regione arridet ſententia Simplicij, opinantis, hanc definitionem ſoli animæ intellectiuæ accommodari poſſe, propterea, quòd huic ſoli, quatuor illæ particulæ, viuere, & ſentire, & moueri, & intelligere, conueniant. Enimuerò dicta definitio reuera, & vna eſt, & omni animæ cōpetit. Vna; vt ex toto eius capitis decurſu liquet: præter q̄ quod, vbinam quatuor animæ, vt totidem illis particulis definiantur? Competit omni animæ; quia Philoſophus hic definire inſtituit animā in communi. Illæ autem quatuor voces, viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus, neque omnino diuiſim, ac disiunctim accipiendæ ſunt, vt eas capit Aegidius, nec etiam omnino coniunctim, vt hunc reddāt ſenſum, anima eſt id, quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus; vt interpretatur Simplicius; ſed accipiuntur per diſtributionem; ita, vt anima dicatur id, quo viuimus, aut etiam ſentimus, aut & loco mouemur, aut etiam intelligimus, clarius; eſt id, nimirum principium internum, quo operamur, quodcumque opus vitæ, ſiue illud ſit viuere, ſiue ſentire, ſiue moueri ſecundum locum, ſiue denique intelligere. Adijcitur primò, id eſt præcipuè, ac radicaliter: nam etiam cor eſt id, quo viuimus, ſed non primò; verum eius vita, acceptum refertur animæ: ceu principio primo. Quemadmodum nos, ſi quid in præſentia, ſani, ac ſolidi diximus, id omne Deo Opt. Max. à quo omnis datio bona, & omne donum perfectum deſcendit, acceptum referimus. Iam reliquum eſt, vt argumenta in ſecunda ſectione adducta, diluamus. Quare ſit.

SECTIO VII.

Soluuntur argumenta ſecundæ ſectionis.

NVNC diluenda ſunt argumenta, quibus in ſecunda Sectione probari videbatur, humanam animam eſſe quandam diuinæ naturæ particulam. Ad primū, admittimus intellectionem humanam eſſe quidem infinitā extenſiuè, ac ſyncategorematicè, non verò ſimul, ac intenſiuè: potis nimirum eſt anima, ſeu verius homo per intellectum, attingere omne verum, quemadmodum, & voluntas velle omne bonū, ſed ſucceſſiuè, ac finito modo. Ex quo tamē neutiquā colligitur animæ potentiam, eſſentiamue, eſſe quippiam infinitum; quia ad hoc requiritur infinitas intenſiua. Conſimilem nobis doctrinā tradit S. Thomas in prima parte, quæſt. 54. artic. 2. quo loci hæc de intellectione ſcribit. *Secunda autem actio immanens, de ſui ratione habet infinitatem, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid; ſimpliciter quidem ſicut intelligere, cuius obiectum eſt verum, & velle, cuius obiectum eſt bonum, quorum vtrumque conuertitur, cum ente; & ita intelligere, & velle, quantum eſt de ſe, habent ſe ad omnia, & vtrumque recipit ſpeciem ab obiecto: Secundum quid autem eſt ſentire; quod ſe habet ad omnia ſenſibilia, ſicut viſus ad omnia viſibilia.* Ex quibus liquidò conſpicitur, quomodo intellectio ſortiatur quandam infinitatem; & quidē ſimpliciter: ex quo tamen haud vnquam conſequitur, vt facultas, quæ actionem illam elicit eiuſue radix eſſentia, ſit infinita. Porrò ſi quicquam valet hæc conſecutio, anima humana attingit obiectum infinitum, ergo habet infinitā facultatem, eſſentiamque, colligat etiam intelligentias eſſe infinitæ virtutis, ac eſſentiæ; cum attingant obiectum infinitum; nimirum primū ens. Quinimò, vt nonnullis in Peripato viſum

eſt,

eſt, ęę ciętn corpora cœleſtia apprehendendo primum ens, quod ſi ex illa perceptione, longè perfectiori, nulla vnquam in ijs eruitur infinitas; quid eſt, quod ea in anima requiratur?

Vel dicito, nullam vnquam humanæ animæ ineſſe vim, etiam in intelligendo infinitam; nec intellectionem abſolutè attingere infinitum. Cũ verò vrgetur; attingit Deum &c. ergo proportionatur illis; dicendum, eam non attingere illa ſub ratione Infiniti, ſed finiti, nempè ſub ratione proprij, & ſpecificatiui ſui obiecti, quæ ratio, cum finita ſit nullam conferet infinitatem. Quod, vt melius intelligatur, ſcito, longè aliud eſſe verba facere de aliqua re, in eſſe, vt aiunt, entis, atque in eſſe obiecti: multa, qua ſunt entia, differunt inuicem ſpecie, & genere, quæ tamen qua obiecta, fiunt vnius rationis, ac ſpeciei atomæ. Vides hoc in albo, & nigro, quę quidem vt paſſibiles qualitates, ſpecie diſcriminantur, vt verò obiecta viſibilia, vnicam ſpeciẽ induunt. Item, ens in eſſe rei, ad Deum, & creaturas, ad ſubſtantiam, & accidens, longè omnium diuerſum eſt, verùm in ratione obiecti, ac ſcibilis, exempli gratia metaphyſices, fit penitus vnum, ſecundum quòd habitui metaphyſices largitur ſpeciem. Sic intellectus humanus, tametſi omne ens, & omne verũ attingat: ſiue illud accidens, ſeu ſubſtantia ſit, an finita, an infinita: nihilominus non fertur in ea, qua huiuſmodi entia ſunt, ſed qua in vna ratione formali, atque intellectus humani ſpecificatiua conueniunt. Quod cùm exemplis nuper allatis, tùm hac ratione conſpicitur: quia intellectus humanus eſt vnus ſpecie atoma: hoc ſortitur internè, quidem ex habitudine tranſcẽdentali ad ſuum obiectum: Habitudo verò eſt vna ex obiecto, prout eſt ab intellectu humano attingibile, quamobrem obiectum eius debet eſſe vniforme, & vnitate ſpecifica præditum. Ens autem in ratione entis, ad Deum, & creaturas, ſubſtantiam, & accidens, vniforme non eſt, quinimò analogum, Nõ itaque potis eſt intellectus humanus habere pro obiecto ens, in ratione entis, ſed habet, qua vnam rationem formalem ſubit. Idem dicendum de quacumque alia potentia. Tum præterea, ens in ratione entis, eſt commune intelligibile intellectui humano, Angelico, & Diuino. Quod autẽ commune eſt, qua huiuſmodi, nequit ſpecificare vnam aliquam potentiam in particulari; relinquitur igitur, vt ſub aliqua preſſiori ratione attingatur ab intellectu humano, quæ cum ſecernat ab alijs. Hæc ratio finita eſt, finita igitur etiam intellectio, & facultas.

Quod ſi quæras; quænam eſt peculiaris hæc ratio, ſub qua ens attingitur ab intellectu humano, vt ab Angelico, & diuino ſecernatur? reſpondeo, ſitam eſſe in tribus. Primò, quod intellectus humanus, Ita attingat ens, vt in eius cognitionem quaſi nuda aliqua potẽtia, in genere intelligibilium exeat. Deinde, vt ad eius actum determinetur ab extrinſeco. Tandem, vt in illud tendat per diſcurſum: ſed de his non hic locus: hæc dixiſſe ſatis, quo illa omnia, quæ in primo argumento obijciebantur, affatim diluerentur.

Ad ſecundum, vtique anima humana eſt intellectiua per participationem à Deo: At verò conſequẽtia: nẽpè eſt ex participatione à Deo, ergo aliquid eius: nulla eſt. Eadem quippè ratione erueretur, lapidem, vermem, & cætera, quæcunque ſunt, eſſe quippiam ſubſtãtiæ Dei. Nec eſt opus, vt id, quod eſt tale ex participatione, contineat in ſe formaliter aliquid participati; *Sed quod per participationem dicitur aliquale, dicitur tale, in quantum habet quandam ſimilitudinem eius, quod per eſſentiam dicitur: ſicut ferrum dicitur ignitum, in quantum participat quandam ſimilitudinẽ ignis;* inquit S. Thomas in ſecundo cont. Gent. cap. 40. & in prima parte quæſt. 6. art. 4. Quod etiã apparet in ligno calido, in quo non eſt forma ignis, ſed quoddam ſolummodo illius veſtigium, & diſpoſitio. Quo pacto fatemur, in omnibus rebus, maximè verò in anima intellectus, ac rationis participe, ineſſe quoddam Dei Optimi Maximi veſtigium, & ſimilitudinem. Quinimò Platonici, omnem formam, dixerunt eſſe imaginem diuini exemplaris, expreſſam in materia: & Arabes definierunt formam, eſſe participationem primi actus, impreſſam rebus, ex quibus tamen neutiquam conſequitur, eam eſſe aliquid diuinæ naturę.

Ad tertium, conſimili argumento non nulli In eam inſaniam venerant, vt conſtanter aſſeuerarent, pugnaciterq́; defenderent, Deum, & materiam primam, eſſe vnum, & idem. obſtupeſcis? res ita habet: ſed tamen nihil vnquã fuit in omni ætate, adeò vanum, & à ratione abhorrens, quod non aliquem aſſertorem defenſoremq́; aliquando habuerit. Huius erroris inopinabilis auctorem, Albertus Magnus in primo Phyſic. tract. 3. cap. 13. percenſet Alexandrum quendam Epicureum; *Alexander*, inquit, *Epicureus, dixit, Deum eſſe materiam, vel non eſſe extra*

ipſam;

ipſam; & omnia eſſentialiter eſſe Deum, & formas eſſe accidentia imaginata, & non habere veram entitatem: & idem dixit, omnia idem eſſe ſubſtantialiter, & hunc Deum appellauit aliquando Iouem, aliquando Apollinem, & aliquando Palladem; & formas eſſe peplum Palladis, & veſtem Iouis, & neminem ſapientum, aiebat, ad plenum reuelare poſſe, ea, quæ latebant ſub peplo Palladis, & ſub veſte Iouis. At verò S. Thomas in prima parte quæſt. 3. art. 8. & libro primo cont. Gent. cap. 17. fatuum hoc dogma tribuit cuidam Dauidi de Dinanto; qui fuit hæreticus, vixitq; anno ſalutis noſtræ 1204. vt ex hiſtoria Almarici colligitur. Hoc autẽ argumẽto conuincebantur. Si Deus, & materia prima, non ſunt idem, differunt: quęcunque autem differunt, ea aliquo differant neceſſe eſt; hinc etiã erunt compoſita ex eo, in quo conueniunt, & ex eo, in quo differunt: Deus verò, & materia prima non ſunt compoſita, non ergo differunt, ſed ſunt vnum, & idem. Ita hic tertio loco contra nos de anima ſtruebatur. Qui tamen ex eo decepti ſunt, quòd ignorarũt diſcrimen inter *differens*, & *diuerſum*. Quippè nõ omne quod non differt ab alio, eſt idem cum illo; cum inter idem, ac differens, detur eſſe diuerſum: Ariſtot. lib. 10. Metaphyſ. tex. 12. *differentia*, inquit, *& diuerſitas aliud eſt: diuerſum .n. & illud à quo diuerſum, non eſt neceſſe aliquo eſſe diuerſum: differens verò ab aliquo, aliquo differens eſt.* Differunt itaque inter ſe ea, quæcunque in aliquo conueniunt, in aliquo non; vt homo, Leo, equus, inter ſe differunt, quia conueniunt in animali, & non in proprijs differentijs. Et quæ huius generis ſunt, verè cõpoſita ſunt. Cæterũ diuerſa ea cenſentur, quæcunque non per aliquod aliud, ſed ſe ipſis diſcriminantur; quia ſimpliciſſima ſunt: hoc pacto inuicem diſtinguuntur decem categorię, vltimæ differentiæ, materia, & forma, Deus & materia prima, & denique Deus, & anima humana.

Ad quartum reſpondeo, animam non eſſe actum purum, neque actum ſimpliciter, actum ſimpliciter voco id, quod nihil habet admixtũ potentialitatis; quamuis ſit concluſum, & limitatum, eiuſmodi eſt actus exiſtentiæ. Sed eſſe conflatam ex actu, & potentia; vt expoſuimus, & compoſitam metaphyſicè: Verùm ea ipſa eſt ſimpliciter, & determinatè actus in eſſe phyſico: quo quidem in genere, nullam habet potentialitatem. Adhiberi poteſt accommodatum exemplum ex materia prima, in eorum ſententia, qui illi actum aſſociant entitatiuum: Illa quippè metaphyſicè eſt aliquid compoſitum ex actu, & potẽtia; nihilominus phyſicè eſt omnino ſimplex: Itaque vel ſermo eſt de reſolutione, quæ fit in nobis ad partes ſimpliciſſimas in eſſe naturali, vel metaphyſico; priori modo, ita anima in genere actus eſt aliquid ſimplex, quemadmodum materia, in ſuo genere eſt id, quo ſimplicius quicquam accipi nequit. Verùm metaphyſicè non eſt ſimplex, ſed conſtat ex actu, & potentia. Deus autem nullam admittit potentialitatem: non igitur anima erit aliquid eius.

Eodem propè modo dicitur ad quintum, animam componi ex actu, & potentia: Cum verò obijcitur; pars nõ prædicatur de toto, actus eſt pars animæ, cum in ea includatur etiam potentia, haud igitur abſolutè dicenda venit actus. Reſpondendum eſt, componentia phyſica, eſſe verè partes, ideoq́ue nullam partem prædicari poſſe de toto: neque .n. dicimus, hominem eſſe formam, aut materiam. Componentia verò velut actus, & potentia, non ſunt verè partes; vt alias à nobis expoſitum eſt: nec enim eſt compoſitio, *ex his, ſed cum his*: quare optimè alterum poteſt prædicari de tota anima, affirmando, eã eſſe actum. Nec eadem ratione anima dici poteſt potentia: quia, tametſi ea cùm ad eſſe, tùm ad multa alia comparetur, ceu potẽtia ad actũ: tamen quia eſſentialiter eſt pars, dicatq́ue ordinem eſſentialem ad materiam duntaxat, & cõpoſitum, non verò ad ipſum eſſe, fit, vt eſſentialiter nuncupetur actus: non autem potentia. Iam verò, cum in anima diſtingui nequeat, altera quidem pars, quæ ſit actus, altera, quæ ſit potentia, vt in compoſito phyſico cõtingit, ſed anima ipſa ſecundum ſe totam ſit actus corporis, & ſit etiam in potentia ad ipſum eſſe, & ad vnionem; res non abibit in infinitum. Porrò ſi argumentum de anima intellectrice quicquam concluderet, idem inferret de forma lapidis, equi, aut etiam vermis: hæc quippè vel eſt purus actus, vel non: ſi prius, dicenda fuerit aliquid diuinæ naturę: ſi poſterius, accipio actum illius, prout diſtinguitur à potentia, & de eodẽ peto, atque hoc pacto in infinitum.

Ad ſextum, negãdum eſt, diuinam naturam non eſſe quippiam determinatum, ſed commune. Enimuerò commune, ſeu vniuerſale, vel ſola mente concipitur, vel eſt contractum à parte rei: poſteriori modo nuſquam eſt, niſi cum additione alterius. Animal enim fit à parte rei, per acceſſionem rationalis, aut alterius differẽtiæ. At qui Deo; quia infinitus, nihil vſquam

addi

addi poteſt. Si verò commune, & vniuerſale ſola intellectus ope concipitur, eſt quidem ſine actuali cuiuſpiam additione, ſed tamē actu dicit aptitudinem ad ea, à quibus contrahi, & determinari poteſt. Deo verò, quia ſimpliciſſimus, repugnat itidem huiuſmodi habitudo. Quocirca eſſe Dei nequit ſtatui, quicquam cōmune. Immò verò ex hoc ipſo capite, quod Deo quoduis additamētum repugnat, colligitur, eum non eſſe aliquid commune rebus omnibus, ſed determinatum. Quare optimè S. Thomas in primo cont. Gent. cap. 26. *ex hoc ipſo*, ait, *Dei eſſe ab omnibus alijs diſtinguitur, quia nihil ei addi poteſt.* & Commētator in lib. de cauſis, propoſitione 9. *Cauſa*, inquit, *prima, ex ipſa puritate ſuæ bonitatis, ab alijs diſtinguitur, et quodāmodo indiuiduatur.* Ex quibus liquidò apparet, quomodo nec eſſe Dei eſt commune, nec anima humana eſt aliquid illius. Deum autem adeſſe locis, & rebus omnibus, verò verius eſt. Sed non adeſt veluti earum, an eſſe, an forma: verùm vt agens in ſuo effectu, & vt cuncta conſeruans. Nec eſt vſpiā circumſcriptiuè, aut definitiuè, ſed, vt noſtri Doctores loquuntur, per eſſentiam, præſentiam, potentiam, & repletiuè. Hæc vera ſunt, ſed in Peripato, vbi nunc verſamur, controuerſa. Nec nos quæuis dictēria, quocunque ſenſu, à quouis prolata, mouere debent.

Effatum autem illud Dionyſij, *eſſe omnium eſt ſuperſubſtantialis diuinitas*, interpretatur S. Thomas in primo cont. Gent. cap. 26. per illud ſignificari, *à Deo rebus in omnibus, reperiri quandam diuini eſſe ſimilitudinem.* Dum verò Philoſophus, intellectum appellat, *diuinum*, nihil innuit aliud, quā eum eſſe eximium aliquid, & admirabile. Quippè grecè θεῖον, eſt etiam θαυμαστὸν. Quo intellectu, vt græca ſileam, dixit latinus poeta.

Calatum diuini opus Alcimedontis.

Quiduero? omnes formæ, etiam infimi gradus, *diuinæ*, veniunt appellatæ ab Stagerite, cū alibi; tùm libro primo Phyſic. tex. 81. Cuius appellationis hæc ratio adduci poteſt; quia, quemadmodum eodem Philoſopho auctore, libro primo de Cęlo, tex. 100. à primo mouente, Deo, communicatur rebus omnibus eſſe, ac viuere, his quidem clarius, his verò obſcurius; ita cuilibet rei tribuitur eſſe à forma, ideòque forma meritò appellari poteſt diuina.

Verùm illa Philoſophi dicta, accuratè infra diſcutientur. Nos hic præſentis Diſputationis metam, in gloriam Dei, Beatęq; Virginis Mariæ figamus.

Finis Diſputationis Primæ.

DI-

DISPVTATIO
SECVNDA
DE ORIGINE ANIMAE INTELLECTIVAE.

INTRODVCTIO.

Oſtenditur huius rei difficultas, dicendorum ordo proponitur, & eorum ſententia, qui animam intellectiuam de poteſtate materiæ educunt.

QVAM firmum, & perſpicuum eſt, homines, præ cæteris animantibus, præditos eſſe ſublimiori quadam animæ parte, quàm rationalem appellitamus; tam anceps, & controuerſum fuit in omni ætate, vnde illam hauriamus. Huius cognitio ſic olim ἐν βύθῳ, vt Democritus ait, delituiſſe viſa eſt, vt pleriſque veterum Philoſophorum, veluti in illuni nocte errantes, in diuerſos ſcopulos offenderint turpiter: vt meritò dicat Ariſt. lib. 2. de generat. animal. cap. 3. *Quamobrem de mente etiã quonam tempore, & quomodo, & vnde eam recipiant, qua principium id participant, plurimum dubitatur.* Plurimum ſanè, quando non modò multi, iiq; haud infimæ notæ Philoſophorum, in altum huius immenſæ vaſtitatis ablati, clauum amiſere, & ratem, ſed pia etiam aliqua, & ſacra Doctorum ingenia, vela hic contraxiſſe ſunt viſa. Gregor, cognomento magnus, in hunc modũ ſcribit lib. 7. Epiſtolarum epiſt. 53. ad Secũdinũ, Quæſtio de origene animæ, inter Sanctos Patres, non parua verſata eſt; ſed vtrum ipſa ab Adam deſcenderit, an certè ſingulis detur, incertum remanſit; eãq; in hac vita, inſolubilem faſſi ſunt eſſe quæſtionem: grauis enim eſt quæſtio, nec valet ab homine comprehendi. hæc ille. Et ſi tam ardui quæſiti rationem quæras, eã ſubnectit, tametſi Theologicam, Si enim, inquit, de Adæ ſubſtantia anima cum carne naſcitur, cur non etiam cum carne moritur? Si verò, cum carne non naſcitur, cur in ea carne, quæ de Adã prolata eſt, obligata peccatis tenetur?

Altera Eccleſiæ fax, Auguſtinus non modò anceps in hac parte pendere viſus eſt, vt apud eum videre licet, in epiſtola 7. ad Marcellinum, & epiſt. 28. ad Hieronymum, & epiſt. 99. ad Euodium, & epiſt. 157. ad Optatum, & multis alijs in locis; ſed quod maius eſt, libro 10. ſuper Geneſ. ad literum, vbi per 26. capita tractat hanc quæſtionem, & libro 7. vbi per torum opus eandẽ agitat, tandem in fine concludit, ſe neſcire huius rei veritatem; num anima ſit producta ex nihilo, an ex aliquo alio. Qua quidem de re, adi ſi lubet, magiſtrum Bannes ſuper primã partem S. Thomæ, quæſt. 90. art. 2. quo loci multa notatu digniſſima, de Auguſtino adnotauit. Sed quæſtio de origene, & productione animarum, rationis participum, validius, impenſiuſq; torſit, magnam Patrum orientalium partem; vt ſcribit D. Hieronymus in epiſt. 61. ad Pammachiũ, de erroribus Ioannis Hieroſolimitani. Hæc ego ea mente hic ſolum attigi, (attigi nimirum; neque enim mihi in præſens eſt animus, dicta Patrum referre) nõ quò præclara illa Eccleſiæ lumina, Patres, in hac veritate hæſiſſe oſtendam, apage id putes; ſed quò penitius introſpicias, quam ſit ardua, & ſalebroſa difficultas, in qua verſamur.

In qua quidem, ita procedendum erit, vt videamus, num anima rationis compos educitur de potentia materiæ, vt reliquæ animantium formæ, an veniat aliunde? Quod ſi aliunde, vndenam? à Deo ne, an ab aliquo alio agente? Si ex Deo, producitur ne quando corpus formatur; an antè illud præextiterit? primum in hac diſputatione examinabimus, reliqua in diſputa-

ſputatione ſequenti. Quod igitur attinet ad primum; illi Philoſophi, qui animam fecerunt aliquod corpus, vel elementum, aut ex elementis, quos ſupra recenſui, iidem omnes conſequenter aſſeruerunt, animam rationis participem, ex ſemine propagari. In quam ſententiam iuit etiam Tertullianus, vt auctor eſt D. Auguſt. in epiſt. illa 157. & in lib. de hæreſibus cap. 86. & lib. 10. de Geneſ. ad literam cap. 25. Apollinaris autem, teſte D. Thoma in ſecundo contra Gent. cap. 86. dixit, animas generari ab animabus, ſicut à corporibus corpora. Sed quia nulla vnquam fuit inter Veteres tam abſurda opinio, quæ non aliquo colore obduceretur, age nunc videamus, quid pro hac opinione afferri poſſit, quare ſit.

SECTIO PRIMA.

Argumenta, quibus probari videtur, animam rationalem ex ſemine propagari.

PRIMVM, cuicumque potentiæ naturali paſſiuæ, correſpondet alia naturalis actiua, vt oſtēditur à Philoſopho in 5. Metaphyſ. tex. 17. & lib. 9. tex. 2. Cuius dicti ea eſt ratio, quòd alias, natura impertiret alicui potentiam naturalem, quæ tamen non poſſet ab vllo agente naturali educi ad actum: Atqui materia prima, eſt in potentia, immò ipſamet eſt potentia naturalis ad recipiendam animam rationalem: Secus enim ex illa, & forma, non coaleſceret vnum per ſe: ergo datur inter agentia naturalia, potentia actiua, ſeù agens naturale, quod deducat potentiam materiæ ad actum, quodq; per conſequens producat animam rationalem. Hoc verò quod vnquā aliud eſſe poteſt, quam pater? pater igitur vi ſeminis, extrahit illam de poteſtate materiæ. Item, cum inter omnia animantia, homo principem obtineat locum, non erit illi deneganda ea operatio, quæ imperfectioribus animalibus competit; quod enim alicui imperfectiori conceditur, id iure negari nequit perfectiori. Cætera autem animantia, habent virtutem edendi ſibi ſimile, & producendi geniti formā; multò igitur magis hoc efficiet homo. Adde, quod maior conuenientia eſt inter hominem, & hominem, quàm inter brutum, & brutum, & vis etiam generatiua, perfectior eſt in homine, quàm in brutis. Si itaque muta animantia producunt alia, & quò ad corpus, miniſtrando materiam, & quò ad formam, educendo eam de poteſtate materiæ, id totum conueniet etiam homini.

Secundum, *idem eſt agens diſponens materiam, & inducens formam.* vt habet Auerr. in 7. lib. primæ philoſophiæ, in illa ardua, & diu agitata digreſſione, de poſitione, & neceſſitate Idearū. Quam propoſitionē latiſſimè proſequitur Marcus Anton. Zimara, Theoremate 114. Et de ſe videtur conſpicua, quia cum forma ſit finis generationis, vt oſtenditur in 2. Phyſic. tex. 74. & omne agens, quod virtute propria confert media ad finem, poſſit etiā ſuamet virtute obtinere eundem finem, vt etiam oſtendit in 7. Metaphyſ. tex. 30. fit, vt, qui in generatione producit diſpoſitiones, quæ ſunt media ad formam, producat etiam ipſam formam. Atqui homo in generatione hominis, producit diſpoſitiones, & præparationem ad animam rationalem; ſiquidem materia diſponitur ad animam rationalem, virtute ſeminis, quod agit, vt inſtrumentum, in virtute principalis agentis, qui eſt homo. ergo eandem euocat de potentia illius materiæ, quam diſponit. Item, ideò equus generans equum, & ignis producēs ignem, attingunt productionem formæ equi, & ignis, quia habent principia ſimilia rebus producendis, & eiuſdem ſpeciei, cum illis; Sed homo etiā generans hominem, habet ſufficiens principiū, & ſimile, animæ rationali producendæ; ergo etiam hic producit formam geniti. Ad hæc, ſi homo non producit formam hominis geniti, ſequitur, vt homo non generet hominem. Siquidem homo nihil eſt aliud, quàm ſuę partes, materia ſcilicet, & forma. Materiam vtique nō producit: ſi igitur non producit formam, neque producit hominem, nec ſibi ſimile. Cui tamen reclamat Philoſophus in 2. Phyſic. tex. 26. *homo generat hominem, & Sol.* Quid uero? cum ſpecies rei ſumatur à forma, ſi homo in generatione hominis non edit formā geniti, quomodo edit ſibi ſimile in ſpecie? Cum homo ſit in ſpecie hominis, per animam rationalem?

Tertium, ex anima rationali, & corpore coaleſcit in homine vnum eſſe. Vnius autem eſſe, poni debet vna actio productiua, & vnū agens totale: Quia vbicumque ſtatuuntur diuerſa agentia, ac per conſequens, diuerſæ actiones; ibi etiam ſtatuēda ſunt diuerſa facta ſecundum eſſe. Perſpicuum autem eſt, corpus fieri ab actione, quæ eſt in ſemine, ergo ab eadem fit, & anima

ma rationalis; cum eſſe huius, & corporis, ſit vnum, & idem. Præterea imperfecta eſt omnis illa operatio, quæ non producit in eſſe totam rem, ſed ſolum aliquid eius. Si igitur vtraque hominis pars, quæ eſt corpus, & anima, non produceretur ab actione generatiua, mediante ſemine, hæc vtique erit imperfecta. Eadem ratione, illa, ſiue Dei, ſeù alicuius alterius agentis actio, qua ſtatueretur, animam produci, eſſet imperfecta: cum non proferat rem totam, ſed ſolùm aliquid eius. Inconueniens autem eſt aſſerere, haſce actiones, eſſe imperfectas; ergo eadem actione ſeminis, qua producitur hominis corpus, producitur quoq; eius forma rationalis.

Quartum, in homine, anima ſenſitiua, & intellectiua, eſt vna ſecundum ſubſtantiam; vt patet, vel ex ipſo Philoſopho in primo libro de anima tex. 91. vbi reprehendit Platonem, ponẽtem tres animas in homine, loco, & ſubiecto, diſtinctas. Quia, ſi in homine, inquit, eſſent tres animæ, homo eſſet tria animalia. Atqui anima ſenſitiua in homine, producitur per virtutem, quæ eſt in ſemine; cum ſit eiuſdem generis cum animabus ſenſitiuis aliarum animantium; ergo etiam anima intellectiua producetur ab eadem virtute ſeminis. Secus enim vna eademque ſubſtantia produceretur à ſemine, & non produceretur. Item, fętus prius eſt animal, quàm homo; vt dicitur in 2. de generat. animal. cap. 3. In illo itaque priori, habet animam ſenſitiuam, & non rationalem. Senſitiua autem illa, eſt in potentia, vt ſit intellectiua, quemadmodum illud animal, eſt in potentia, vt ſit rationale; Cum igitur anima intellectiua, non ſit alia à ſenſitiua, ſequitur, vt illa ſenſitiua educta de potẽtia materiæ, reducta ad perfectiorem actum, ad quem habet potentiam, fiat intellectiua: atque adeò intellectiua educitur de potentia materiæ.

Explicatur hoc magis, anima ſenſitiua, quæ prius eſt in embryone, vel corrumpitur, ita, vt accedat alia forma ſpecie diſtincta, vel manet. Eam corrũpi, hinc potiſſimùm videtur falſum, quia homo non generaretur per vnicam generationem, ſed per multas. Deberet quippè primò fieri corruptio animæ vegetatiuæ, & generatio ſenſitiuæ, mox corruptio huius; & generatio intellectiuæ: Cum tamen vnius rei, vnica ſtatui debeat generatio. Si autem manet, id bifariam contingere poteſt, vel ita, vt aduenięte intellectiua, maneant, ſintque in genito duæ animæ, ſecundùm ſubſtantiam, diuerſæ: vel ita, vt prædicta ſenſitiua, perducatur ad hoc virtute ſeminis, vt fiat intellectiua. Primum dici nõ poteſt: cum in vno viuente, non niſi vnicam formam ſubſtantialem, ponamus. Dicendum igitur erit ſecundum: animam videlicet ſenſitiuam, perduci ad hoc, vt fiat intellectiua: Et cũ illa, cum ſemine propagetur, idem dicendum erit, de intellectiua.

Quintum, omnis pars cuiuſcumque rei, per generationem productę, continetur in ſemine; non quidem actu, ſed virtute. Perpende hoc, in tritico, exempli cauſa, quod herbam, culmum, internodium, ariſtas, & fructus denique, virtute habet: & poſtea naturali quadam conſecutione dilatatum; ita protenditur ad perfectionem, vt, quæ in eo latitabant potentia, vi naturalium diſpoſitionum, prodeant in actum. Manifeſtum autem eſt, animã intellectiuã, eſſe hominis partem; Ipſa igitur virtute comprehenditur in ſemine humano, quę poſtea per diſpoſitiones euocatur ad actũ. Item, anima eſt cauſa efficiens viuentis corporis, vt dicitur in 2. de anima, tex. 36. Et patet, quia corpus formatur ex actione animæ; cum videamus, talem eſſe in corpore viuente organorum diſpoſitionem, qualis congruit ad operationes animæ exercendas. Sed corpus, ſecundum omnem ſui partem, formatur per virtutem, quæ eſt in ſemine, ergo etiam anima humana erit in eodem ſemine, ſi ab ea formari debeat humanum corpus.

Sextum, anima rationalis non præexiſtit ad corpus, vt inferius oſtendetur: Si igitur non euocatur de ſinu, gremioq; materiæ, illa profectò fit ex nihilo. Quod enim antea non erat, & modò fit, nec ex aliquo, id ſanè fit ex nihilo. Productionem autem cuiuſquã ex nihilo, ignotam, ne dicam impoſſibilem, fuiſſe Ariſtoteli, vel ex his paucis, quæ ſubijciam, cognoſce. In primo Phyſic. tex. 33. & 34. Commendat commune illud omnium Philoſophorum decretũ, *ex nihilo, nihil poſſe fieri.* In eodem lib. tex. 75. ait, eſſe impoſſibile, ex ſimpliciter nõ ente, aliquid fieri. In 7. libro Metaphyſ. tex. 22. dicit, omne quod fit, ex aliquo, & aliquid fieri. In 5. eiuſdẽ operis, tex. 17. definit, in vniuerſùm potentiam actiuam, per paſſiuam, dicens, illam eſſe principium tranſmutandi aliud, in quantum aliud. quod falſum eſſet, ſi daretur potẽtia, quæ produceret aliquid ex nihilo. Et profectò, vt ſenſatè, Pererius lib. 5. Phyſic. cap. 7. poſt multas

ratio-

rationes, in hanc partem adductas concludit, *nihil reperiri, aut fingi poteſt, quod ſit magis contrarium doctrinæ Ariſt. & quod omnes eius artus, & neruos vehementius elidat, quàm ſi ponatur productio alicuius ex nihilo.* quare neceſſariò dicendum erit, animã rationalem, de poteſtate materiæ extrahi, ne aſſeratur fieri ex nihilo.

Poſtremò, idem aſtruitur auctoritatibus Philoſophi, in 3. lib. de Cælo, tex. 1. ita ſcribit, *omnes autem naturales ſubſtantiæ, aut corpora ſunt, aut cum corporibus generantur, ac magnitudinibus.* Atqui anima intellectiua, eſt ſubſtantia naturalis, vnde & à Philoſopho naturali conſideratur; nec eſt corpus, nulla quippè forma eſt corpus; quod oſtenditur in primo de anima, ſed eſt actus corporis, vt definitur in 2. eiuſdem operis: ergo illa fit, & generatur cum corpore; quod eſt, eam educi de poteſtate materiæ. Ad hæc, in 2. de generatione animal. cap. 1. exquirens Philoſophus cauſam, cur in generatione animalium, alterum ſit mas, alterum fæmina? ſentit haſce differentias ſexus, eſſe propter generationem; atque à fæmina quidem præberi corpus, & magnitudinem, à mare autem animam: ex quo concludit, hominum, & beſtiarũ genus, ſemper fore. Et vbi per quatuor capita hac de re diſſeruerat, tandem in cap. 4. ita concludit, *corpus igitur ex fæmina eſt, anima ex mare.* ergo anima rationalis, qua homo eſt homo, præbetur ab homine, mediante ſemine. Quid vero? in primò illo capite, omnem animam, in ſemine contineri, veluti perſpicuum his omnino verbis profert? *Semen igitur, & habere animam, & eſſe potentia, palam eſt.* Quod ſi quis reſpõdeat, Stagiritem, in hiſce locis, loqui de alijs animabus, non autem de intellectiua; En tibi locus ex 2. de generatione animal. cap. 3. vbi expreſsè affirmat, animam intellectiuam, pari modo, atque reliquas, ſcilicet vegetatiuam, & ſenſitiuam, prius contineri potentia in ſemine, deinde eſſe actu; eius verba ſunt hæc. *de anima quoq; ſenſuali, pari modo dicendum eſt, atque etiam de intellectuali: omnes enim potentia prius haberi, quàm actu, neceſſe eſt.* Vt tamen veritas huius rei appareat, ſit.

SECTIO SECVNDA.

Aperitur quid ſit, formam educi de potentia materiæ.

FOrmam aliquam educi de poteſtate materiæ, *nihil aliud eſt*, inquit S. Thomas prima parte, q. 90. art. 2. in reſponſione ad 2. *quàm aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia.* quam quidem doctrinam repetit in quæſt. de ſpiritualibus creaturis art. 2. ad 8. & in 2. contra Gent. cap. 86. multis proſequitur. Eam tamen, moderni neſcio qui, veluti mancam, & inſufficientem, hac ratione ſugillant; quia, qui hoc pacto (inquiunt ipſi) explicant eductionem formæ, nihil explicant; & ignotum afferunt, pro ignoto: quin immo laborare videntur in petitione principij. quandoquidem idem eſt, educi quippiam de potentia materiæ, & fieri actu, quod erat in potentia. Iccircò aliam huius rei explicationem afferunt, aientes, formam educi de poteſtate materiæ, nihil aliud eſſe, quàm eam dependere à materia, in eſſe, fieri, & conſeruari.

Veruntamen doctrina S. Thomæ eſt ſincerè peripatetica, & quemadmodum reliqua omnia ſanctiſsimi Doctoris effata, ita hæc magnam habet profunditatem. Quod enim illi dicunt, formam educi de potentia materiæ, eſſe, eam dependere, in eſſe, fieri, & conſeruari; verum quidem dicunt, ſed non afferunt primariam eductionis cauſam; ſed proximam duntaxat, & veluti effectus quoſdam formæ hoc pacto productæ; quæ tamẽ aſſignatur in præfatis S. Thomæ verbis. Quod enim aliqua forma, pendeat à materia in eſſe, fieri, & conſeruari, id ſortitur ex eo, quia prius erat indiſtinctè in illa materia, & poſteà vi naturalium diſpoſitionum, reſultat in actu. quare S. Thomas affert primariam, ac totalem, vt aiunt, huius rei cauſam.

Quod, vt melius intelligatur, ſcito, omnes rerum formas ſubſtantiales, generabiles, & corruptibiles, contineri in materia prima; nõ quidem actu, & ſecundùm aliquid ſui reale, ſed confusè, indiſtinctè, & in potentia; ita, vt in materia prima, exempli gratia hominis, poteſtate inſit forma cadaueris, forma aquę, ignis, & aliarum infinitarum; cum ab hac ipſa materia, ſucceſſiuè infinitæ formæ educi poſſint. Ita prorſus, ſicut in ære, aut ligno, potentia latitant

multæ formæ artificiales, ad quas illud æs, & lignum, per artem reduci poteſt. Quippè idẽ æs, modò in ſtatuam, modò in vas, an triangulum, an quadrangulum poteſt formari. Ideoque forma ſtatuæ, ac vaſis, inerant quidem in ære, ſed non actu, aut ſecundùm aliquid ſui reale, ſed ſolum potentia. Hoc tamen diſcrimine, quod materia rerum artificialium, cum ſit corpus per ſe actu exiſtens, nec perficiatur à forma artificiali, niſi ſecundùm quid, non habet ad illas formas internam, & naturalem potentiam; ſed ſolummodò reſpicit agens naturale, liberum. Materia verò prima, quia per ſe, non eſt ens completum, ſiquidem per ſe ipſa, neque quid, neq; quantum, neque aliquid aliud eſt eorum, quibus ens determinatur; vt dicitur 7. Metaphyſ. tex. 8. ſed omne complementum, & perfectionem capiat à forma ſubſtantiali; fit, vt ad illã, immò ad omnes formas, habeat internam, & naturalem propenſionem. Quod autem formæ omnes, contineantur poteſtate in materia, vel hinc fit conſpicuum, quia aliàs illæ fierent ex nihilo: qui producendi modus, naturæ viribus non eſt conceſſus. Et iccirco Philoſ. lib. 8. natural. auſcultationis tex. 32. aiebat: *Frigidum, potentia eſſe calidum*, Tũ ẽt: *ſimiliter aũt ſe habet, & circa graue, & leue; leue enim fit ex graui, vt ex aqua aer, hoc enim potentia primùm*. & ad hunc ſenſum expono illa verba, quę in definitione materiæ primæ, poſuit Ariſt. in 1. lib. eiuſdem operis, tex. 82. nimirum materiam eſſe primum ſubiectum, ex quo fit aliquid, *cum inſit*. Hinc liquidò conſpicitur, formas ſubſtantiales, generabiles, & corruptibiles, eſſe in potentia materiæ.

Prætereà, aliquid eſſe potentia in aliquo, eſt eſse in eo, tanquam in cauſa. Quod gemino modo contingit; vel in cauſa actiua, vt artefactũ in potentia artificis, & filius in potẽtia patris; vel in cauſa paſſiua, & materiali, vt paries in potentia ad recipiẽdam albedinem. Quod autem eſt in materia, tãquam in cauſa, neceſſariò dependet ab ea, in ſuo eſſe, in genere cauſæ materialis; quia omnis effectus dependet à ſua cauſa in genere talis cauſæ. Ex quo euidenter cõſequitur, aliquam formam dependere in ſuo eſse à materia, prouenire ex hoc, quòd illa forma prius erat in potentia illius materiæ, & poſtea facta eſt actu. Ideoq; pendet in eſse, tanquam effectus à ſua cauſa in genere cauſæ materialis; & ex hoc eodem capite pendet in fieri, & conſeruari, quia vnumquodque ſicut habet eſse, ita & fieri, & conſeruari. Hinc liquidò conſpicitur, primam, & germanam cauſam eductionis formæ de potentia materiæ, eſſe, quod ea, vt inquit S. Doctor, prius ſit in potentia materiæ, & poſtea fiat actu. Illos verò qui dicunt, formam educi, eſſe eam pendere à materia, in eſſe, fieri, & conſeruari, non afferre primatem cauſam, ſed proximam, & veluti conditionem.

Fit autem forma actu, quæ prius erat in potentia, & confusè continebatur in materia, ex eo, quod materia tranſmutatur, tranſmutatione ſufficiẽti; ita, vt ex vi diſpoſitionum, quæ ab agente vltimatè applicantur, reſultet in materia ſubſequens forma. Enimuerò, etſi in materia confusè continentur omnes formæ, nihilominus talis, aut talis tranſmutatio, applicata materiæ, continuò appropriat illam ſibi, & deſtinat ad hanc numero formam: adeò, vt completa tranſmutatione, vltimaque diſpoſitione, qua præcedens compoſitum tranſmutabatur in aliud, verbi cauſa, qua lignum diſponebatur à calore ad ignem, illico in materia ita diſpoſita, atque inſtructa reſultat forma ignis. Et hoc eſt, fieri actu, id quod prius erat in potentia. Quare non incommodè Ferrarienſis ſuper ſecundum librum S. Thomæ cont. Gent. cap. 68. dùm hanc rem explicat, inquit, formam educi de potentia materiæ, nihil eſſe aliud, quàm materiam, educi de potentia, in actum illius formæ. Quæ doctrina eſt etiam S. Thomæ in eodem lib. cap. 86. ratione 2. vbi ait, quod *tranſmutatio materiæ, reducit eam de potentia in actum, & ſic determinatur ad eſſe actu materia, quod eſt per vnionem formæ.*

Ex hac ipſa radice conſequuntur quinque illæ proprietates, ſeu conditiones, quibus aliqui, maximè verò Bened. Pererius in Phyſic. lib. 5. cap. 22. putant, ſe aptiſsimè explicuiſſe, quid ſit, formam educi de poteſtate materiæ. Prima eſt, quod huiuſmodi formæ materiales, eductæq; ex materia, producuntur ab agentibus materialibus, per actiones, ac diſpoſitiones materiales. Secunda, quod tales formæ, pẽdent in fieri à materia; hoc eſt, non poſſunt gigni, niſi intra materiam. Tertia, quod pendent à materia, in eſſe. Nam extra eam materiam, in qua ab initio productæ ſunt, ne puncto quidẽ temporis poſsunt conſeruari; ſed planè idem eſt, eas ſeparari à ſua materia, quod penitus interire. Quarta, quod pendent à materia, in operationibus. Quinta denique, quod pendent à materia quidditatiuè; quo fit, vt ſi-

ne ea, nec definiri, nec perfectè intelligi poſſint. & ideò præfatus auctor, ita concludit. *Eas igitur formas materiales, eductasq; ex potentia materię appellare oportet, in quibus inerunt prędicta quinq; proprietates.* Rectè; ſed tamen hæc omnia non afferunt cauſam, cur iſtæ formæ educantur ex materia; ſed potius ſunt quædam notæ, ac ſigna, quibus educta forma, dignoſcitur; & ſunt effectus illius cauſæ, quam ſuperius cũ S. Thoma aſſignauimus. Quàm autem ex vero loquamur, hinc perpende. Nam quòd eiuſmodi formæ producantur ab agentibus materialibus, per actiones, & diſpoſitiones materiales, vt prima indicat proprietas; fluit ex hoc fonte, quia hæc forma, inerat prius in potentia materiæ. Cum enim omne, quod eſt in potentia alicuius, debeat reduci in actum, per actionem ſibi, & ſubiecto, in quo eſt, proportionatam, atque illa forma ſit materialis, & in materia, congruũ eſt, vt per actionem materialem, debeat etiam euocari ad actum. Ex eodem itidem manat altera, quòd talis forma pendeat in fieri à materia. Si enim eſt in materia, tanquam in cauſa materiali, vt explicuimus, neceſsariò pendebit ab ea in fieri, & eſſe: cum omnis effectus pẽdeat à ſua cauſa in fieri, & eſſe, in ſuo genere cauſæ. Et ſi pendet in eſſe, pendet vtique etiã in operatione, cum modus operandi, ſequatur modum eſſendi. Vltima quoque proprietas, quod huiuſmodi formæ, pendeant à materia quidditatiuè pęnè in alias refunditur. Ex quibus omnibus vides, quàm germanè ait S. Thomas *educi de potentia materię, nihil eſſe aliud, quàm aliquid fieri actu, quod prius erat in potẽtia.* & quomodo etiam totum negotium hoc celebretur.

SECTIO TERTIA.

Phyſicis rationibus oſtenditur, animam intellectus participem, non educi de poteſtate materiæ, ſed forinſecus aduenire.

HIS ita conſtitutis, probemus nunc, animam ratione prædictam, non educi de poteſtate materiæ. Primò, vt aliqua forma educatur de potentia materiæ, oportet, eam prius potentia contineri in illa, tanquam in cauſa materiali. Impoſſibile autem eſt, animam rationalem contineri ſecundũ eſſe, in materia, velut in cauſa materiali. Quod ſic oſtendo, forma, cuius operatio non comprehẽditur à materia, ſed eam excedit; ipſa quoque neutiquam comprehenditur ſecundùm eſſe ab eadem materia, ſed eam tranſcendit; propterea, quia vnumquodque, agit ſecundùm quòd eſt: ita, vt ſi eſt à materia comprehenſum, ſecundùm eſſe comprehendatur quoque ab eadẽ ſecundùm operationem; & ſi in operando trãſcendit materiam, tranſcendat etiam in eſſendo. Atqui operatio animæ intellectiuæ, non comprehenditur à materia, ſed omnẽ eius conditionem excedit: celebratur enim ſine vllo organo corporeo, vt probatur à Philoſ. in 3. de anima, & in 2. de generat. animal. capit. 3. de operatione animæ intellectiuæ, dicebat, *nihil cum eius actione, communicat actio corporalis.* ergo anima rationalis non continetur ſecundùm eſſe, in potentia materiæ, atque adeò non educitur de eius potentia.

Quod vt penitius comprehendas, contemplare mecum admirabilẽ huius vniuerſi in ſubſtantialibus formis ordinem; in forma nimirũ elementi, mixti, plantæ, bruti, & hominis. In quibus hoc reperies, vt quò nobilior eſt aliqua forma, eò magis excedat materiam, ac minus ab ea comprehendatur; eique, vt loquitur S. Thomas 2. cont. Gent. cap. 68. minus immergitur. Id nobis operationes earũ, ex quibus in cognitionem eſſentiæ deuenimus, abundè teſtantur. Videmus quippè aliquas infimas formas, cuiuſmodi ſunt formæ elementorum, ad illas duntaxat operationes extendi, ad quas primæ ſolummodò qualitates, quæ ſunt diſpoſitiones materiæ extenduntur, vt caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas. Nec enim vllas alias operationes edunt elementa. Iccirco horum formæ, omnino materiales, penitusq; immerſæ materiæ appellantur. Sunt rurſus aliæ hiſce perfectiores, formæ inquã mixtorum, in quibus virtus aliqua cernitur, quę ad opus aliquod prouehitur, quod nulla vnquam qualitatum, ex quibus conſtat, contingere poteſt; vt magnes, attrahit ferrum; Et quia hæc actio, minus ſequitur materiam, aut qualitates elementorum: nõ enim huiuſmodi actionem edere poſſunt elementa, ideò forma huius mixti, minus immergitur materiæ, quàm formæ elementorum.

Præterea, inuenimus alias formas, hiſce adhuc præſtantiores, cuiuſmodi ſunt plantarum; quæ pertingunt ad aliqua opera, nimirũ vitæ, ad quę nulla quoq; qualitatum formaliter extẽdi poteſt; quãuis tamen qualitates refractę, deſeruiant prędictis formis ad huiuſmodi opera. Cum plantæ viuant medio calore, & humido,

Poſtremò, dantur aliæ formæ, hiſce perfectiores, vt ſunt brutorum animalium, quæ ſortiuntur excellentem quampiam virtutem, vt poſſint producere operationes, ad quas formaliter nulla qualitas requiritur etiam refracta; ſicut eſt ſentire, & imaginari: ſiquidem ſentire, & imaginari in brutis, non celebratur calefactione, aut frigefactione, aut vlla alia qualitate; quia tamen dictæ operationes efficiuntur medio aliquo organo corporeo, fit, vt qualitates quæpiam requirantur ad conſtitutionē talis organi; & eiuſmodi formæ magis in operando eleuantur à materia, & minus, quàm ſuperiores, ſunt in eadem immerſæ. Tandem, accedit præſtantiſſima, ac nobiliſſima forma intellectiua, quæ, quia producit aliquod opus, ad quod nec qualitas vlla, nec vllum organū, nec corporeum quicquam pertingere poteſt, talis eſt intellectio, ideò hæc nullo modo immergitur in materia, nec vlla ratione ſecundùm eſſe ab ea comprehenditur; ſed omnē eius cōditionē tranſcendit. Ex quo fit, vt impoſsibile ſit, eam, in potentia materiæ contineri. Secus effectus longo interuallo excederet ſuā cauſam.

Secundò probatur ex proprietatibus illis, ac notis, quibus forma materialis, eductaque de ſinu materiæ, diſcriminatur ab ea, quæ non educitur. Quod nimirum illa pendeat à materia, in eſſe, fieri, conſeruari, & operari. Atqui anima intellectiua, nec in eſſe, nec fieri, nec denique quò ad operationem, à materia pendet; Quod oſtenditur iidem ab eius operatione, quæ ſine vllo corpore, vllaue corporis parte, exercetur, vt dicebamus, hoc pacto. Omnis forma, quæ eſt in aliquo ſubiecto, à quo pendet in eſſe, & conſeruari non agit, neque patitur, niſi actione, aut paſſione eius compoſiti, cuius eſt pars, & a quo dependet in eſſe, & conſeruari: Vel actione, aut paſſione alicuius particulæ, eiuſdem compoſiti. Quodquidem effatum, non modò ratione conſtat, ſed ſenſu etiam commonſtratur: Cum nullam vnquam videamus eiuſmodi formam, cuius actio non ſit compoſiti, aut particulæ compoſiti. ergo ab oppoſito conſequentis, ſi anima rationalis, neque agit ſecundùm omnem ſuam actionem cum corpore, quia intelligit ſine corpore, neque patitur cum corpore, ſiquidem afficitur aliquo mœrore non corporeo; profectò euidenter ſequitur, eam non pendere in eſſe, & conſeruari à corpore. Atque adeò nec extrahi de poteſtate materiæ. Idem argumentum ſtrui poteſt ex actibus liberis hominis: Cęterùm, quomodo anima intellectiua habeat propriam operationem, in qua non communicat corpus, & quomodo actus voluntatis liberi, non coarceantur à corpore, vberius explicabimus, cum de eiuſdem animæ immortalitate agemus.

Tertiò, ſi anima rationalis propagatur ex ſemine; id altero ex his duobus modis, contingat oportet: Vel ita, vt ea intelligatur eſſe in ſemine actu, quaſi aliquid deciſum ab anima generantis, ſicut ipſum ſemen eſt aliquid deciſum à corpore eiuſdem generantis. Ita poſuit Apollinaris, inquiens, animam intellectiuam, quæ potentia erat vna cum anima generantis, incipere eſſe actu in genito, per ſolam ſeparationem ſeminis ab eodem generante; quemadmodum videmus in animalibus annuloſis; quæ deciſa viuunt; nam anima, quæ in ijs eſt vna actu, multiplex autem potentia, per ſolam animalis ſectionem in diuerſas partes viuentes, incipit eſſe actu in partibus illis diuiſis. Sic anima intellectiua, per ſolam ſeminis deciſionem, incipiat eſſe in genito actu, quæ prius cōtinebatur potentia in anima generantis. Vel ita, vt ipſa non ſit in ſemine actu, ſed ſolūmodo virtute, quod nimirum ſemen contineat virtutem, producendi animam intellectiuam.

Primū horū eſt impoſſibile, tū quia aīa eſt actus primus corporis organici: at ſemen nō eſt organicum. Tùm etiā, quia ſi animę perfectorū animalium, rationis expertium, non multiplicantur, per diuiſionem, nec enim forma equi, V.G. Seruatur in partibus equi diuiſis, irrationabile erit, aſſerere, animam intellectiuam, quę eſt omnium formarū perfectiſſima, maximęque virtutis, & ad operandum exigit multiplicē organorum diuerſitatē, incubare in ipſo ſemine, tā ſimplici, & homogeneo corpuſculo. Et profectò, cū intellectus, qui eſt propria pręcipuaq; animæ intellectiuę facultas, nullius corporis ſit actus, ad nullius etiam corporis ſectionem ſeruari poteſt. Quamobrē nugę ſunt, quod anima rationis particeps actu ſit in ſemine, & ſuſcitetur in genito, p ſolā eius à generāte deciſionē.

Nec minus impoſſibile eſt alterum, nam ſi anima intellectiua virtute contineretur in ſemine, penderet vtiq; ſecundùm eſſe à materia; quia virtus, quæ eſt in ſemine, agit ad generationē animalis, ſolū tranſmutando materiā, & ita producit formā. Sed forma, quæ producitur per tranſmutationem materiæ, pendet à materia, in eſſe, & conſeruari; & hac ratione

omnes

omnes formæ, quæ virtute comprehenduntur in ſemine, pendent à materia in eſſe, & conſeruari: vt etiam docet Ariſt. lib. 2. de generatione animal. cap. 3. Oſtenſum autem eſt, animã intellectiuam non pendere à materia ſecundũ eſſe; non igitur continetur in ſemine etiam virtute. Ad hæc, quia, vt arguit S. Thomas in prima parte, quæſt. 118. art. 2. impoſſibile eſt, virtutem actiuam, quæ eſt in materia, extendere ſuam actionem, ad producendum immaterialem effectum. Anima autem intellectiua tranſcendit omnem materiam, quod ex eius actione, in qua non communicat corpus, probatum eſt, & idcò fieri nequit, vt virtus, quæ eſt in ſemine, ſit productiua principij intellectiui. Similiter, quia cum hæc ipſa anima habeat operationem vitæ ſine corpore, eſt hoc aliquid ſubſiſtens, vt oſtendit idem S. Doctor, quæſt. 75. art. 2. eiuſdem primæ partis, & nos intra latè oſtendemus; eoq; debetur illi eſſe, & fieri, præter corpus: quare nulla ratione in ſemine vnquam virtute contineri poteſt.

Quod ſi obijcias, ſi anima intellectiua non educitur de potentia materiæ, nec in eſſe depẽdet ab ea, ſed habet ſuum eſſe independens, atque adeò ſubſiſtens; Quomodo conueniet in vnico eſſe cum materia; ita, vt ex ea, & materia, coaleſcat vnum per ſe, quod eſt homo? id enim videtur fieri non poſſe, quia quod eſt in ſe, ac ſubſiſtens, nequit eſſe forma alicuius, & pars alterius ſpeciei; vt oſtẽdit Philoſophus in 7. Metaphyſ. tex. 17. Tùm etiã quia ſi eſt aliquid immateriale, erit diuerſum ſecundùm genus à materia: Eorum autem, quæ genere ſunt diuerſa, eſt diuerſus eſſendi modus; quare anima intellectiua, & materia, nec in vno eſſendi modo, nec in vno eſſe, poterunt conuenire, ſi illa non traducitur cum ſemine.

Dicendum tamẽ eſt, animam intellectiuam, & ſi non euocatur de ſinu materiæ, ſed deforis accedit, habeatq; ſubſiſtentiam à materia independentem, optimè tamen poſſe, & de facto conſtitui, formam ſubſtantialem materiæ. Et ex vtraque coaleſcere vnum per ſe, quod eſt homo. Pro cuius intelligentia, aduerte primò, vt aliquid ſit forma ſubſtantialis alicuius, duo hæc requiri, atque ſufficere. Primum, vt ſit principium eſſendi ſubſtantialiter ei, cuius ſtatuitur forma, principium, inquam, formale, quo illud ſit, ac denominetur tale ens. Apparet hoc in forma, verbi gratia, equi, quę eſt principium ſubſtantialiter eſſendi equo, à qua ille, & conſtituitur, & nuncupatur equus. Alterum, quod ex hoc ipſo conſequitur, eſt, vt illud principium, & materia, cõueniant in vnico eſſe, per quod quidem eſſe ſubſiſtat totum compoſitũ.

Aduerte ſecundò, aliquid eſſe ſubſiſtens, gemino modo in Scholis, vſurpari; vno quidẽ pro eo, quod eſt completum in ſua ſpecie; huiuſmodi ſunt in rebus quidem materialibus, indiuidua per ſe exiſtentia, vt Petrus. In rebus autem materia carentibus, intelligentiæ; quæ omnia ſunt vſquequaque tota, & vltimatè cõpleta. Alio modo, pro eo, quod incompletè ſubſiſtit, & ſcholaſtico nomine, ſemiperſona, appellatur, & quod hoc pacto ſubſiſtit, quia excludit inhærentiam in ſubiecto, quam habẽt accidentia, & conditionem formæ materialis, iccirco dicitur habere ſuum eſſe independens à ſubiecto.

Aduerte tertiò, id quod eſt primo modo ſubſiſtẽs, per ſe nimirum, & completum in ſua ſpecie, non poſſe fieri principium formale alicuius; nec formam ſubſtantialem cuiuſquam. & hoc probat Ariſt. in ſeptimo illo Metaphyſ. bene autem id, quod poſteriore modo ſubſiſtere diximus, poteſt conſtitui forma ſubſtantialis alicuius corporis. Quod ita fit manifeſtũ. Cum in vno compoſito ſubſtantiali, ſit tãtummodo vnum eſſe, non inconuenit, vt illud eſse communicetur materiæ, & toti compoſito ab ipſa forma ſubſiſtente; præſertim cum illa incompletè ſubſiſtat, & ſuam ipſam ſubſiſtentiã acquirat cum ordine ad hanc numero materiã; ita contingit in homine, in quo eſt vnum, duntaxat eſſe, idq; animæ intellectiuæ, per quod completè ſubſiſtit totus homo. Oppoſitum euenit in formis brutorum animalium, quę, quia non ſunt ſubſiſtentes, mendicant vſquequaq; ſubſiſtentiã à toto compoſito. Quando igitur id, quod incompletè ſubſiſtit, communicat ſuũ eſse materiæ, fit eius forma, hoc enim eſt, eſse formam alicuius.

Prætereà, ita natura comparatum eſt, vt infimum ſuperioris ordinis, attingat ſemper ſupremum ordinis inferioris. Quod docuit Dionyſius cap. 7. de diuin. nom. Et ipſi etiam videmus, quędam infima in genere animaliũ, propè ad plantas deſcendere, cuiuſmodi ſunt oſtrea, quæ tactu ſolummodo ſunt prædita, & immobilia, ac terræ, plantarum in modum, affixa viuunt. Ex alia parte, conſpicimus aliqua animantia, ita perfecta, vt ad hominis ferme ingenium accedere videantur. Nunc ad rem, id,

Digitized by Google

quod incompletè ſubſiſtit, cuiuſmodi eſt anima intellectiua, vtique eſt infimum in ordine ſubſtantiarum immaterialium, & incorporearum, quia reliquę ſubſtãtiæ immateriales, ſunt in ſpecie completę; ergo datur in ordine corporum aliquod, ita perfectum, corpus nimirum humanum, æqualiter temperatum, quod accedat ad animam intellectiuam, eamq; attingat, tanquam formarum, ſuam formam. Et hoc eſt in cauſa, cur in libro de Cauſis, anima rationalis, appellatur orizon, & confinium corporeorum, & incorporeorum; in quantum ſcilicet, eſt forma incorporea, ſed tamen eſt corporis forma.

His ita iactis, facilè eſt ad argumenta nuper conſtructa, reſpondere, dicimus enim quod, & ſi anima intellectiua, ſit ſubſtantia quædam incompletè ſubſiſtens, optimè tamen humani corporis forma conſtitui poteſt: nec huic poſitioni aduerſatur Philoſoph. quia in illo ſeptimo primæ Philoſophiæ, loquitur de eo, quod perfectè ſubſiſtit, & eſt in ſpecie completum; & meritò aſſerit, hoc nec formam cuiuſquã, nec partem conſtitui poſſe. Anima autem intellectiua non eſt huiuſmodi, vt expoſuimus. Cum verò ſubnectitur, ſi anima eſt aliquid immateriale, oportere eam habere diuerſum eſsendi modum, atque adeò diuerſum eſſe à materia; Huic inſtãtiæ, abundè ſatisfactũ eſt à S. Thoma, cùm alibi, tùm maxime 2. cont. Gent. capit. 69. & in quæſt. de ſpiritualibus creaturis art. 2. ad 16. & quæſt. de anima art. 1. ad 13. quibus in locis aſſerit, ſubſtantiam ſpiritualem, & corpus, duobus modis accipi poſſe. Vno quidem, ita, vt vnumquodque ſumatur ſeorſim, vt ſunt quædam entia per ſe. Alio verò quatenus vtrumque ſimul concurrit ad vnionem; ſiue vt ſunt coniuncta. Si primo modo ſumantur, ſunt veluti duæ ſpecies, & genere quoque diuerſa: quo pacto intelligitur illud Ariſt. 10. Metaph. tex. vltimo, *Corruptibile, & incorruptibile differre genere*. & ſecundùm hanc rationem, habent vtique diuerſum eſsendi modum; nec in vno vnquam eſſe conueniunt. Si verò capiantur poſteriori modo, qua vniuntur, quaq; ſunt principia, & partes humanæ naturæ, non ſunt in aliqua ſpecie, aut genere; quia hoc pacto ſumpta, non dicunt aliquid completum, ſed ſolum compoſitum ex his directè collocatur in ſpecie; ad quamquidem compoſiti ſpeciem, reducuntur quoque præfatæ partes, & principia, nẽpè anima intellectiua, & corpus hominis, quæ totum illud componunt. Quapropter, vt hæc vniuntur, fiunt vnius ſpeciei, & generis reductiuè; & bene etiam habent eundem eſſendi modum, & idem eſse.

Ex his, quæ hucuſque ediſseruimus, collige, rationalem hominis formam, hinc quidem cõuenire, cum formis brutorum animãtium, hinc verò ab iiſdem magno interuallo differre. Differt primò, quia formæ brutorum animalium, nõ ſubſiſtunt per proprium eſse, ſed quia ſunt à materia comprehenſæ, ex eiuſque potentia euocatæ, habent eſse, quod penitus ab illa dependet. Anima autem intellectiua, per propriũ eſse ſubſiſtit; quod quidem cum non extrahatur à materia, erit vtique ab ea independens, quamuis à principio non niſi in materia accipiat eſse: Cum ſit actus materiæ, *vniuscuiuſque autem actus, in eo, quod potentia exiſtit, & in propria materia, aptus natura eſt, fieri*; vt dicitur in 2. de anima, tex. 26. Secundò, quia eſſe, quod formæ illæ impertiuntur (forma enim dat eſse rei) cũ ſit aliquid materiae, quemadmodum, & ipſæ, primò, ac per ſe conuenit toti, ex materia, & forma conflato, tanquam ei, quod exiſtit, & operatur; ſecundariò verò conuenit formæ, veluti parti illius compoſiti, eique, quo compoſitum, exiſtit. Eſse autem, quod anima intellectiua largitur, primò ac per ſe conuenit ipſi animæ, ſecundariò autem compoſito ex ipſa, & materia. Tertiò, quia eſſe, quod tribuunt formæ materiales, cum primò àc per ſe conueniat compoſito, eò diſsoluto, illud quoque eſse euaneſcit. At verò eſse, quod homini impertit anima intellectiua, cum ſit primariò ipſius animæ, corrupto homine, nõ deſinit eſse, ſed quaſi retrahitur ad ipſam animam.

Conuenit autem cum iiſdem cæterorũ animantium formis, itidem in tribus. Primò, quia ſicut ex vnione illarum, cum materia reſultat vnum aliquod compoſitum, & ſpecie completum, atque perfectum; ſic ex vnione huius, cum materia, coaleſcit vnum per ſe, perfectum, completumque in ſpecie, quod eſt homo. Secundò, quemadmodum illæ dant eſse materiæ, & compoſito, tùm quia eſse dimanat à formã, tãquam effectus eius ſubſtantialis, tùm quia materia ſecundùm ſe nullum habet eſse actuale; ita de forma hominis intellectiua erit ratiocinandum. Tertiò, ſicut per vnum eſse exiſtit compoſitum, materia, & forma materialis, exẽpli gratia, in equo; Cum in vna re ſubſtantiali, vna ſit forma, à qua etiam vnicum fluit eſse ſita

per

per vnum eſſe exiſtit homo, eius materia, & forma. Optimè Angelicus Doct. cùm ſæpe alibi, tùm maximè in prima parte, quęſt. 76. art. 1. ad 5. ad hæc omninò ſcribit. *Dicendum, quod anima illud eſſe, in quo ſubſiſtit, communicat materiæ corporali, ex qua, & anima intellectiua, fit Vnum; ita, quod illud eſſe, quod eſt totius compoſiti, eſt etiam ipſius animæ, quod non accidit in alijs formis, quæ non ſunt ſubſiſtentes.* Hæc omnia in quibus forma hominis intellectiua, tùm conuenit cum cæteris formis, tùm ab ijſdem diſcriminatur, partim habes ex ſupradictis probata, partim inferius, ſuis quæque in ſedibus vberius proſequemur.

SECTIO QVARTA.

Animam hominis intellectiuam, ad aures Ariſtotelis, non educi de potentia materiæ, sed deforis accedere.

TRIA potiſſimùm Philoſophi teſtimonia mihi occurrũt, quæ rem præſentem commodè videntur dilucidare. Primum iacet in tertio capite, ſecundi libri de generatione animalium, vbi Stagirites docet, animam vegetantem, & ſentientem, oriri ex ſpumoſo, craſſoq; ſemine; quod eſt, eam educi de poteſtate materiæ: Secus autem animam intellectiuam, de qua ita concludit. *Reſtat igitur, vt mens ſola extrinſecus accedat, eaque ſola diuina ſit.* & huius tam ſinceræ diuinæque concluſionis rationem ſubnectit. *non enim cum eius actione, communicat actio corporalis.*

Verùm, quoniam in huius loci explicatione, aliqui interpretes, abſona quædam, & à Philoſophi mente penitùs aliena, comenti ſunt; eaq; hominibus perſuadere conati, opus eſt, vt germana huius loci ſententia, cunctis appareat, aliquantò vberius hunc locum diſcutiamus. Principiò, dicunt aliqui, nullum hic ſermonẽ haberi ab Ariſtotele, de anima intellectiua; ſed ſolùm de intellectu, ſeu de mẽte; quam ſolam, ait, forinſecus aduenire, eſſeq; diuinam. Nomine autem mentis, haud vnquam intelligit animam rationalem, ſed intellectum agẽtem, qui eſt an Deus, an ſubſtantia aliqua ſeparata, & quadam irradiatione ſua, dum intelligimus, nobis accedit, quẽ ſimplici nomine, Ariſtoteles appellare conſueuit, *νοῦν*, intellectum, ſeu mentem, quare temerè hic locus adducitur, aiunt, quò probetur, animam hominis intellectiuam, non educi de ſinu materiæ.

Sed hęc longè abſunt à mente Philoſophi, nam clarè in ipſo contextu apparet, Ariſtotelẽ hic, nomine *mentis*, intelligere animam hominis intellectiuam. Primò, quia quod in præfatis verbis appellat *mentem*, paulo antea conceptis verbis vocat, animam intellectiuam; & de ea quoque proponit inueſtigare. *de anima quoq; ait, ſenſuali, pari modo dicendum eſt, atque etiam intellectuali.* audin? de anima etiam intellectuali. & rurſus. *Senſualem etiam qua animal eſt, tempore precedente recipi, & rationalem, qua homo eſt, certum eſt.* Hanc igitur animam intellectiuam, & rationalem, de qua ſibi dicendum proponit, & de qua ibi tractauit, tandem concludens, appellat, mẽtem, *Reſtat igitur vt mens ſola extrinſecus accedat.*

Quod quidem vt adhuc pateat, lubet hic textus ſeriem, & ipſum Philoſophi cõſilium proponere. Conſilium Ariſtotelis in eo tertio capite eſt, hæc duo declarandi. Alterum, quonã abeat corpus genituræ, quando iam effectum eſt animal? quippè ſuperius oſtenderat, corpus genituræ, non tranſire in corpus animalis. Alterum, quod determinãdum, proponit eſt, quo pacto fiant animæ in animali gignendo? Incipit verò à ſecundo, inquiens. *Quod itaque vegetabilem animam habent, palam eſt; ſenſualem etiam, qua animal eſt, tempore pręcedente recipi, & intellectualem, qua homo certum eſt, non enim ſimul, & animal fit, & homo; nec animal, & equus. eademque in cęteris animalibus ratio eſt. Finis enim poſtea contingit: proprium autem, finis cuiuſque generationis. Quamobrem de mente etiam quonam tempore, & quomodo, & vnde eam recipiant, quę principium hoc participant, plurimum dubitatur. Sed enitendum pro viribus &c.* Vides, quomodo auctor inſtituit, agere de animabus, vegetatiua, ſenſitiua, & intellectuali? qua igitur fronte obijcitur, quo ore pronunciatur, nullam in pręſentia mentionem fieri, de anima intellectiua?

Immo verò, hic nõ ſolum mens capitur pro anima intellectiua, verum etiam non obſcurè innuitur, eam, (quod ſit obiter dictum) eſſe veram hominis formam, dum ita infertur. *Finis poſtea contingit, proprium autem, eſt finis cuiuſcumque generationis, quamobrem de mente etiam dicendum:* vbi neceſſariò ſubintelligi debet, mentem eſſe finem generationis hominis. Quod ſic oſtenditur: quia ſi hoc Ariſtotelis enthymema (proprium eſt finis cuiuſcumq; generationis: ergo de mente etiam eſt dicendum) ſoluas in integrum Syllogiſmum, erit vtique. Quia finis eſt proprium cuiuſcumque generationis: di-

cimus

Digitized by Google

cimus de illo, ſed mens eſt etiam finis generationis hominis, ergo de mente etiam eſt dicendum. Quippè niſi minorem hanc ſubintelligas, abſurda planè fuerit Stagiritæ illatio; *ergo de mente etiam erit dicendum*. Vel alio pacto formetur. Proprium cuiuſcumque rei genitæ, eſt finis generationis eiuſdem. quid ita? quia natura in quacunque generatione intendit vltimatè perfectum, Vltima autem perfectio rei, eſt id, quod eſt ibi proprium, & per quod diſtinguitur ab alijs; & hoc iure meritò poſt omnia alia, quæ ſunt in illa re, contingit: Vide hoc in exemplo hic ab Ariſtotele allato, nam quia proprium animalis, & vltima eius perfectio eſt anima ſenſitiua, iccirco hæc eſt finis in generatione animalis, & poſtea contingit. Siquidem animal prius vixit vitam vegetatiuam, poſtea ſentientem. Hic ſubnecto minorem; ſed proprium hominis eſt mens: ergo mens eſt finis eius generationis. Et propterea homo primò viuit vitam vegetatiuam, poſtea ſenſitiuam, tandem intellectiuam. Finis autem generationis eſt forma rei genitæ, vt auctor eſt idē Philoſ. 2. Phyſicorum; ergo conſequitur, mentem etiam eſſe veram hominis formam. Vt mirum ſit, aliquos eò vſque perfricuiſſe frontem, vt aſſerant, hic voce mentis, intelligi, intellectum, quendam agentem, ac Deum.

Quid? nonne Philoſ. de hac mente, plurimū dubitari ait, quonam tempore, & quomodo, & vnde eam recipiamus? at quæ, obſecro, difficultas, ſi de Deo ſermo? dubitatur fortaſſe, cum eſſe aliquid à nobis abiunctum? vnico ſe expediret verbo: nunc, quia de anima noſtra loquitur, ſummus labor, vnde hæc originem trahat, quando, & quomodo nobis innaſcatur: quocirca auctor meritò, atque optimo iure, animos quoque ſibi facit, ſeque pro viribus modeſtè dicturum pollicetur: dum ait, *enitendum pro viribus, & quod fieri poteſt, accepiſſe operæpretium eſt*. Adde, quod ipſa inſcriptio horum librorum, conuincit aduerſariorum imaginationē. Quippè, cum præſens opus inſcribatur, de generatione animalium, hic profectò de ijs ſolummodo agitur, quæ in animalium generatione contingunt. Atqui Deus, vel intellectus agēs, quo pacto ab illis intruditur, neque fit, neque generatur in hominis generatione: nunquam igitur in Ariſtotelis mentem incidit, hic nomine mētis, intelligere Deum, vel extrinſecum aliquem intellectum agentem: de quo tamen vide infra, Diſput. 8. ſed intelligit animam rationalē, de qua iam propoſuerat tractare.

Quæ omnia, vt clariora fiant, ſcito, vocem *mens, & intellectus*, quæ vnico vocabulo græcè dicitur, *νοῦς*, variè vſurpari; ſed quantùm ad præſens attinet, bifariam accipi cōſueſſe, cùm apud Ariſtotelem, tùm in communi Philoſophorum ſchola. Primòquidem pro animæ intellectiuæ facultate; quo ſenſu capitur in 3. de anima, tex. 5. cum dicitur, *qui igitur vocatur animæ intellectus, dico autem intellectum, quo intelligit, & exiſtimat anima.* & in 2. eiuſdē operis, tex. 27. enumerans Ariſt. animæ partes, ſeu potentias, inquit; *Potentias autem dicimus vegetatiuum, ſenſitiuū, appetitiuum, motiuum ſecundùm locum, & intellectiuum.* Quod ſæpenumerò alibi facit. In qua ſignificatione, intellectus, ſi rectè cum S. Thoma prima parte, quæſt. 77. artic. 1. ſentire velis, eſt re diſtinctus ab eſſentia animæ: & eſt accidens proprium eius. Secundo modo ſumitur intellectus, ac mens, pro ipſa ſubſtantia animæ intellectiuæ: vt idem omninò ſit mens, & intellectus, quod anima hominis intellectiua. In qua quidem acceptione intellectus vocatur ab Ariſtor. ſubſtantia; vt in primo de anima, tex. 65. *intellectus videtur innaſci, cum ſit quædam ſubſtantia.* & in eodem lib. tex. 13. & ſæpè alibi. Hoc autē fit denominatiuè, vt optimè adnotauit S. Thomas prima parte, quæſt. 79. art. 1. ad primum; quia anima intellectiua, ita denominatur à principaliori ſua virtute, ſcilicet intellectu: Quemadmodū etiam ſenſus, quandoq; capitur pro potentia animæ ſenſitiuæ; aliquando verò pro ipſa anima ſenſitiua: quia nimirum anima ſenſitiua, denominatur nomine principalioris ſuæ potentiæ, quæ eſt ſenſus; & in loco quem præ manibus habemus poſteriore ſenſu capitur ab Ariſt. mens, & intellectus. Quæquidem *intellectus, ac mentis*, diuerſa ſignificatio, adeò eſt neceſſaria, vt ni eam accuratè animaduertas, multis, & clariſſimis Philoſ. locis, denſiſſimas tenebras offendes.

Sed nunc videndum eſt, quo pacto Philoſophus probat, animas vegetatiuam quidem, & ſenſitiuam, educi de potentia materiæ; intellectiuam verò nequaquam. Iacto hoc fundamento, omnes haſce animas, priùs debere eſſe in potentia, quàm actu, ſic argumentatur: Si præfatæ animæ fiunt in genito actu, neceſſe eſt, aut omnes contingere, ac fieri, cum ante non fuerint, aut omnes, cum ante fuerint, aut partim, cum ante fuerint, partim cum non fuerint: Sed omnes ante eſſe, impoſſibile eſt:

relin-

relinquitur concluſio, ergo aliquæ earum fuerunt ante, aliquæ verò non. minor propoſitio, & eius confirmatio, ſic iacet in textu. *Cætorũ omnes ante eſſe, impoſſibile his rationibus eſſe oſtenditur: quorum.n. principiorum actio eſt corporalis, hæc ſine corpore ineſſe non poſſe, certũ eſt, vt ambulare ſine pedibus.*

Ita ſtruo. formæ, atque principia, quorum operationes nõ poſſunt exerceri ſine corpore, ea non poſſunt etiam incipere eſſe ſine corpore, ſed neceſſariò vnà cum corpore fiunt; quia ſic res habet fieri, & eſſe, ſicut operatur; verbi gratia, principium, & potentia ambulãdi, quia ambulare non exercetur ſine corpore, nõ producitur, niſi cum corpore. Et etiam quia operatio animæ nutritiuæ, nequit eſſe ſine corpore, ideò nutritionis principium, hoc eſt anima nutritiua, non fit, niſi cum corpore. Atqui operationes animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, non p ſ ſunt exerceri ſine corpore; quare concludit hãc partem Ariſt. *Itaque extrinſecus ea venire impoſſibile eſt: neque enim ipſa per ſe accedere poſſunt, cum inſeparabilia ſint, neq; cum corpore ſeminis,* ſed educũtur nimirũ de potentia materię. Rurſus repete, formæ, atq; principia, quorũ operationes exercentur ſine corpore, ea quoque non fiunt cum corpore; ſed operationes mentis, ſeu animæ intellectiuæ, exercentur ſine corpore, ergo mens, ſeu anima intellectiua, non fit cum corpore. Et hęc eſt concluſio, quam intulit Philoſ. *Reſtat igitur, vt mens ſola extrinſecus accedat.* & ideò, vbi hanc partem concluſit, ſtatim ſubiuit eundem mediũ terminum, *quia nihil cum huius actionẽ, communicat actio corporalis.* medius quippè terminus, quo probabat, animam vegetatiuam, & ſenſitiuam, gigni cum corpore, educiq; de ſinu materiæ, erat, quia harum operationes, non exercentur ſine corpore. Eodem termino probat, hanc partem, animam intellectiuam non fieri cum corpore, quia operatio animæ intellectiuæ; ſcilicet intelligere, non celebratur cum corpore: neque igitur anima intellectiua, quæ eſt huius operationis principium, fit cum corpore, educiturue de potentia materiæ; ſed forinſecus aduenit. Et ita clarè determinat Ariſt. id, quòd ſecundo loco quæſierat, quo pacto fiant animę in animali gignendo? primoquidem ait, produci animam vegetatiuam, mox ſenſitiuam, & vtramque traduci cum ſemine; tandem eſſe intellectiuam in homine, quæ ſola non euocatur de poteſtate materiæ, ſed extrinſecus accedit.

Quod ſi obijcias, ergo Stagirites iuxta hanc explicationem, in ea fuit ſentẽtia; quod anima præextiterit ante corpus; atque adeò iuit in metempſychoſim, & tranſanimationem, quã tamen perpetuus, veluti figmentum aliquod, reprobauit. Quocirca, in primo de anima, tex. 53. appellat fabuloſam: *quaſi poſſibile ſit, ſecundũ Pythagoricas fabulas, quamlibet animam, in quodlibet corpus ingredi.*

Reſpondeo, non defuiſſe viros, & doctrina, & dignitate conſpicuos, qui dixerunt, Ariſtotelem in hanc tranſanimationem, & animorũ in diuerſa humana corpora regreſſum, quæ erat etiam Platonis ſententia, deſcendiſſe: qua de re plura in Diſput. ſequenti: nunc dico, ex ijs, quæ hucuſque cum Ariſt. diximus, nullo pacto ſequi, animã præexiſtere ad corpus. Nam cum Philoſ. aſſerit, animam intellectus participem, forinſecus aduenire, & præeſſe, non ita capit, vt anima Socratis duratione quapiã præfuerit antequam Socrates conciperetur; Sed hoc ſolum contendit, eam non extrahi de poteſtate materiæ, ſed extrinſecus accedere; hoc eſt, originem ſuam, non ex vi ſeminis, ſed extrinſecus habere. (quomodo autem hoc fieri arbitratur, mox patebit.) & hac ratione eam præintelligi quoquo pacto eſſe. Quia tamen eſt forma corporis, forma autem eſt apta nata fieri in ſua materia, ideò etiam ipſa fit in materia, vltimatè ad hominem generandum, diſpoſita. & ſic aliud eſt, fieri in materia, aliud fieri ex materia: ſiue ex huius potẽtia; ſicut aliud eſt, eſſe formam materialem, aliud formam materiæ: anima quippè rationalis, fit in materia, & eſt forma materiæ; ſed tamen neque ex materia fit, nec eſt forma materialis.

Alterum teſtimonium iacet in primo de anima, tex. 65. vbi Philoſ. pari modo poſtquàm de motibus, ſeu operationibus animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ tractauit, haud immemor intellectiuæ ſubdit, *Intellectus autem videtur innaſci, cum ſit ſubſtantia quadam, & non corrumpi, &c.* in quemquidem locum, quoniam multa diximus Diſputat. 5. vbi ex Philoſophi teſtimonijs, animorum immortalitatem probamus, ne eadem bis repetantur, ſat in præſentia duo hæc adnotaſse. Alterum, quod in hoc quoq; loco, Ariſt. nòmine intellectus, intelligit animam intellectiuam, quod in ipſo contextu apparet, cum idem ipſe Intellectus, ibidem appelletur etiam anima; & ideò vocatur quoq; ſubſtantia. Adnotauerunt hoc etiam præſtantiſſimi Ariſtotelis interpretes, Simplicius, & Philoponus. Hic quidem ad hæc verba. Et nota, quod quem intelle-

tellectum dixit incorruptibilem eſſe, & de foris aduenire corpori, hunc ipſum ſtatim vocauit, animam, vt intelligeres, quod non alium aliquem dixit eſſe intellectum, præter animam rationalem, extrinſecus nobis aduenientem. Simplicius verò in hunc eundem locũ, ita ſcribit: humanam animam, quam intellectum appellat, adeſſe corpori dicit, ſed aliquando, & tanquam ſeparabilem, quod aliunde quoque accedentem alibi dixit. Et rurſus: anima verò, quæ ſeparabiles habet operationes, quam mentem appellare Ariſt. conſueuit, vt nauta à naui, non quatenus nauta, ſed quatenus homo, ſeparatur; ita huiuſmodi anima ſeiuncta ab inſtrumento ſubſiſtet. hæc ille. Sic etiam intellexere cùm hic, tùm ſæpè alibi, vocem *intellectus*, & *mens* pleriq; omnes interpretes, qui Ariſtotelici fontis aquas, non veluti elephantes quippiam conturbare nituntur.

Alterum quod adnotare oportet eſt, quod Philoſ. hunc intellectum, ſeu animam intellectiuam, quam ſtatuit eſſe ab omni corruptione immunem, aſſerit innaſci, atq; ingenerari in nobis; quod eſt, eam non euocari de ſinu materiæ, ſed forinſecus accedentem, intus in ipſo humano corpore produci. Hinc Philoponus, conſidera, inquit, dictionem ipſam; nam dicẽdo, *innaſci videtur*, maximè quidem ſignificat, eum non ex corporis, aut materiæ complexione germinare: ſed extrinſecus aduenire, quemadmodum in his, quæ ſequuntur ait. hæc ille. Verùm hunc locum, multis, vt dixi, diſcuſſimus Diſputatione illa quinta, quare non eſt, quòd in eo diutius immoremur.

Tertius locus iacet in duodecimo Metaphyſ. tex. 16. quo loci Philoſophus in vniuerſùm aſſerit, nullam vnquam formam anteuertere id, cuius eſt forma; nihil autem prohibere, quin aliqua poſt corporis diſſolutionem remanere poſſit, eius hæc ſunt verba. *Si autem aliquid poſterius permanet, conſiderandum eſt: in quibuſdam enim nihil prohibet, veluti ſi anima talis ſit, non omnis, ſed intellectus; omnem namq; fortaſſis impoſſibile eſt.* Quod ſi anima rationis, conſiliique compos eſt vera humani corporis forma, quod à nobis in Diſputatione 4. oſtenſum eſt; id planè conſequitur, eam neutiquã euocari de poteſtate materiæ. Secus enim maximè prohiberetur, diſſoluto corpore, remanere poſſe, cum omnia, quę cum corpore, ex eiuſq; potentia generantur, vna cum eo quoque intereant. Sed hunc etiam locum pluribus proſecuti ſumus in illa Diſputatione Quinta, ſect. 5. quocirca de huius expoſitione hic:

Deſino plura loqui, iam quod nunc inſtat agamus.

SECTIO QVINTA.

Dilutio argumentorum primæ ſectionis.

AGE nunc argumenta, initio Diſputationis propoſita, diluamus. Ad primum, dicendum eſt, verum eſſe, in materia reperiri potentiam paſſiuam naturalem, ad recipiendam animã intellectiuam: & illi reſpondere aliam actiuã naturalem, quę à parentibus deriuata, virtute continetur in ſemine. Cęterùm hæc parentum potentia, non producit animam hominis intellectiuam, ſed ſua vi ſolùm attingit nexum, & vnionem eius, cum materia. Quia nimirum, ita perfectè diſponit, præparatq; materiam, ad animam rationalem; vt iuxta naturæ leges, incumbat neceſſitas, producendi, in tali materia, ita pręparata, formam illam, ad quam materia, toto tempore pręcedenti diſponebatur. Anima autem ipſa intellectrix producitur ab agente ſuperioris, perfectiorisque virtutis, quippè cũ ſit materię expers, & eminẽtioris ordinis, quã ſit materia, quod ex parte oſtenſum eſt, & infra vberius oſtendetur, ob hanc ipſam perfectionem, nequit à virtute ſeminis attingi. Vt autẽ veritas illius axiomatis aſtruatur, nimirum, *cuilibet potentię paſſiuę naturali, debere correſpondere aliam actiuam naturalem*, ſatis eſt, vt detur in parentibus eiuſmodi potentia actiua naturalis, quæ diſponat materiam, ad illam formam, ad quam eſt potentia paſſiua; attingatq; illius formę, cum materia vnionem; in qua quidem vnione formaliter conſiſtit generatio, vt mox dicemus.

Cum verò ſubijcitur, hominem, principem obtinere locum inter omnia animantia, & ſi reliqua excitant ſuæ ſoboli formas, e poteſtate materiæ, id multò magis effici ab eo. Profectò ob hanc ipſam rationem, id efficere nequit, quia eius forma, qua cęteris pręſtat, eſt omniũ perfectiſſima. Quod itaq; homo non edat formam hominis geniti, non oritur ex eius imperfectione, ſed ob maximam formę dignitatem: Cuius nulla in terris origo. Nec in vniuerſùm valet, quidquid conceditur alicui imperfectiori, id oportere aſcribi quoque perfectiori, nam intel-

Digitized by Google

intelligentiæ ſunt perfectioris notę, quàm cuncta hæc ſublunaria, nec tamen ſentiunt, nec nutriuntur, nec edunt ſibi ſimilia. Et licet facultas generatiua hominis perfectior ſit, quàm cuiuſuis alterius animantis, maior que reperiatur cõuenientia inter hominẽ, & hominem, quàm inter brutum, & brutum, vt in eodem argumento annectebatur, ex hoc nõ colligitur, virtutem hominis, attingere animæ intellectiuæ productionem; cum eius cauſalitas, quãtumuis perfecta, iaceat nihilominus intra corporeorum cancellos; eoque nequit pertingere ad incorporei alicuius productionem, cuiuſmodi ſtatuitur anima intellectiua; in cuius actione non communicat corpus.

Ad ſecundum, diſtinguendum erit effatum illud, agens quod in materia edit vltimam diſpoſitionem ad aliquam formam, edit & formam: verum eſt, ſi forma ſit eiuſdem notæ, ac ordinis, cum diſpoſitionibus: Secus autem ſi fuerit alterius conditionis, vt in re propoſita accidit. Et quamuis forma rationalis ſit humanæ generationis finis, vt quo, quia tamen finis pręcipuus, & vt quod, eſt compoſitum, ſiue homo, qui generatur, ad quem generandum, homo generans applicat diſpoſitiones, & media, ob id eo habito haud dicitur fruſtrari hominis generantis intentio; Sed quemadmodum applicat media ad illum finem, ſcilicet hominẽ acquirendum; ſic verè eum acquirit. Hominẽ quippè intendit generare, & hominẽ generat.

Quòd autem finis præcipuus, & terminus, vt quod, humanæ generationis, ſit ipſum compoſitum, hinc diſpice; quia generans præcipuè intendit id, quod eſt perfectius, & cuius gratia reliqua expetuntur; cum natura intendat perfectum. Huiuſmodi autem eſt compoſitum in generatione. Et etiam quia id primò, & per ſe intenditur in generatione, quod eſt primò ſimile generanti; cum omne generans, apprimè intendat edere ſibi ſimile. Atqui eiuſmodi eſt compoſitum. Quod ad ſenſum quoque apparet, nam cum ignis, exempli cauſa, producit ignem, id, quod propriè eſt ſimile igni generanti, haud eſt forma ignis, vel aliquid aliud, ſed ignis ipſe genitus, quare &c. Nec ob id equus, & ignis producunt formas ſimiles ſibi in ſpecie, quia habent principia ſimilia formis producendis; vt in eodem argumento addebatur, ſed quia illæ formæ, ſunt corporeæ, materiales: Intellectrix autem anima eſt alterius notæ. Eoque licet homo generans habeat animã rationalem, quæ eſt ſimilis animæ hominis generandi, nequit tamen eius productionem attingere. Quia id repugnat ex parte termini.

Sed quomodo homo dicatur generare hominem, ſi non edit illam formã, qua eſt homo?

Vt hoc exactè intelligas, ſcito, ad hoc vt aliquid dicatur effectiuè producere, & generare aliquod compoſitum, non exigi, vt efficiat omnes illius compoſiti partes; nec vt efficiat vllam eius partẽ, verùm ſufficit, vt effectiuè cauſet vnionem partium; ex qua ſtatim reſultat compoſitum; quod nihil aliud eſt, quàm partes ſimul ſumptæ. Quod quidem non requiratur, vt efficiat omnes geniti partes, liquet; nam alioquin nullum agens naturale produceret aliqđ compoſitum, cum non producat eius materiã. Quòd verò nec ſit neceſſe, vt alteram ſaltem compoſiti partem præſtet, hinc cognoſce, quia alias, qui albefacit parietem, non diceretur facere parietem album; cum nec parietem, nec albedinem producat; ſed illam ſolùm applicat huic. Et ſi formæ præexiſterent per ſe ante corpora, quorum nunc ſunt formę, vt Platonici, & Pythagoræi ſunt opinati, nihilominus agens, quod aliquam illarum coniungeret materiæ, verè diceretur cauſa effectiua illius compoſiti, & verè illud generaret; quamuis nec materiã eius, nec formam produceret. Ex quo liquidò apparet, illum verè dici generare, qui vnit compoſiti partes. Ille autem vnit, qui materiam vltimatè diſponit ad formam; diſponit verò mediante virtute ſeminis, quod, cum ſit inſtrumẽtum generantis, præparat materiam ad formã ſimilem ei, in cuius virtute operatur; atque ideò ſemen ab homine deciſum, diſponit vltimatè materiam ad formam hominis: qua ita diſpoſita, neceſſe eſt, in ea produci formam intellectiuam. Et ſic homo generans, attingit animæ cum materia vnionem, & dicitur verè generare hominem. Hoc eſt, quod ait S. Thomas in prima parte, quæſt. 118. art. 2. ad 4. *quod homo generat ſibi ſimile, in quantum per virtutem ſeminis eius, diſponitur materia ad ſuſceptionem talis formæ.* Latius idipſum explicat S. Doctor, quæſt. 3. de potentia art. 9. & in 2. cont. Gent. cap. 89.

Ad tertium, diſtinguenda eſt illa propoſitio, in qua ſita eſt vis argumenti. Diuerſorum agentium actiones, non poſſe terminari ad vnum, & idem eſſe; ſi agentia illa non ſint, ſubordinata verum eſt, ſecus autem ſi alterum alteri ſubordinatur; tunc vtrumque concurrat oportet ad eundem numero effectum: quia inferius,

ſecius reſpectu ſuperioris, comparatur veluti inſtrumētum; & ideò Philoſ.8. Phyſic. tex.33. de prima,& ſecunda cauſa,aiebat: *Vtraque igitur mouerè dicimus,& primum,& vltimum mouentium,ſed magis primum, illud enim mouet vltimum, ſed non hoc primum,& ſine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem ſine hoc; vt baculus non mouebit,non mouente homine.* Et in libro de cauſis habetur, quod cauſa prima operatur,operatum cauſæ ſecundæ,& adiuuat cauſam ſecundam, & influit virtutem ſuam ſuper illam. Falſum autem eſt,actionem, quæ non profert in lucem totam rem, eſſe imperfectam, vt ibidem obijcitur; alias cuiuſcumque agentis naturalis actio, eſſet imperfecta,etiam quando generat ſibi ſimile; cum in illa generatione,non niſi alteram partē rei genitæ producat,nimirum formam.

Ad quartum reſpondeo,in homine vegetatricem,ſentientem,& rationalem animam, eſſe vnam,& eandem ſubſtantiam,quæ eſt ſubſtantia animæ rationalis:cum enim homo ſit vnum aliquod compoſitum ſubſtātiale,vna in eo ſtatuenda eſt forma: quæ vtique eſt rationalis, à qua homo,& perfectionem ſortitur, & ſpeciē: in qua tamen ita vegetatiua, & ſenſitiua continetur,ſicut in ternario dualitas,& vnitas; & in tetragono trigonum: vt docet Ariſt. 2. de anima,tex.31.& S.Thomas in prima parte,quęſt. 76.art.3.& 4. Sed quomodo non ſimul ſit animal,& homo,ſed materia fętus, primùm informetur anima vegetatiua, deinde ſenſitiua, poſtremò intellectiua, & quid de anterioribus illis formis fiat accedente rationali, magna eſt inter auctores diſſenſio.

Dixerunt aliqui, embryonē eſſe animæ expertem,opera autem vitæ,quæ in eo apparent, non eſſe ab anima eius, ſed ab anima matris, vel à virtute formatrice, quæ eſt in ſemine. Quæquidem aſſertio,præter quam quod Ariſt. eodem in loco, conceptis verbis dicat, fœtum eſſe animatum,hinc facilè refellitur, quia opera vitæ, nequeunt eſſe à principio extrinſeco; ſicuti ſentire,nutriri,& augeri, impoſſibile eſt, vt proueniant in aliquo,à principio quoquam extrinſeco. Hanc opinionem, multis agitat S. Thomas in 2.cont. Gent. cap. 89. & in prima parte,quæſt. 108.art.2.in reſponſione ad 2. argumentum.

Alij dicunt,in embryone, ſuper animam vegetatiuam,quæ in eo primùm apparet,aduenire ſenſitiuam,ſuper hanc, accedere rationalē; ita,vt omnes tres,vegetatiua,ſenſitiua, & intellectiua,re,& ſubſtantia diſtinctæ, ſimul in homine,de facto permaneant; quemadmodum in alijs animalibus eſſe vegetatiuam ſolùm, & ſenſitiuam,re itidem inuicem abiunctas. Sed hoc,vt dudum diximus, aduerſatur Philoſopho,qui in vno viuente, vnicam ſtatuit formā ſubſtantialem. Opinati ſunt alij, illam animā, quæ primo fuit vegetatiua, perduci ad hoc, virtute ſeminis,vt ea ipſa fiat ſenſitiua,& poſtea, eandem numero ſenſitiuam prouehi ad hoc, vt euadat intellectiua; non quidem virtute actiua ſeminis, ſed virtute ſuperioris agentis, Dei,extrinſecus illuſtrantis. Quæquidem poſitio,tametſi in fronte probabile quippiam videatur polliceri, multum tamen difficultatis habet in receſſu: In eam S. Doctor, loco ſuperius citato,acriter inuehitur.

His itaque omiſſis,dicendum breuiter, cum generatio vnius, perpetuò ſit corruptio alterius,fit,vt tam in homine,quam cęteris animātibus,adueniente forma poſteriori, ac perfectiori,per quam generatur aliquod ſpecie diſtinctum,corrumpatur forma prior,ac imperfectior; ita tamen vt ſubſequens forma, habeat quidquid priori inerat, & eò amplius; quemadmodum in numeris, adiecta vnitate, ceſſat forma prioris numeri, & reſultat alia ſpecies; vt explicat Ariſtot.8.Metaphyſ.tex.10. Adueniente itaque in embryone anima ſentiente, corrumpitur vegetans, quę ibi inerat, & accedente intellectrice,interit ſenſitiua; & ſic per multas generationes,& corruptiones,peruenitur ad vltimam formam ſubſtantialem, tàm in homine,quàm in alijs animantibus. Quod exemplo quorumdam animantium, quę ex putri materia oriuntur,facilè oſtendi poteſt, vbi primò apparet aliquod imperfectius viuens; immò vix viuens; deinde aliud, nempè perfectum animal emergit. Quod ſi hoc in animalculis,adeò imperfectis cernitur, quantò maiori cum ratione, idem animalibus pręſtantioris naturę conueniet? & potiſſimùm homini, cuius nobiliſſimam formam non decet ſine vllo apparatu,in rudem,ac indigeſtam materię molem, intrudi; ſed vt priores aliquę formę, veluti ancillę huic famulentur,& hoſpicium prębeāt.

Sed hic inſignis emergit difficultas, non enim apparet ratio,quare corrumpi debeat anima vegetatiua,dum aduenit ſenſitiua: Siquidē hęc non eſt contraria vegetatrici, cum vtraq; ſit ſubſtantia, cui nihil eſt contrarium, vt habetur in cap.de ſubſtantia. Omne autē quod cor

rum-

rumpitur, corrumpi debeat ab aliquo contrario, vt vel ex ipſis Philoſophię rudimentis conſtat. Et maior difficultas eſt, de ſenſitiua in aduentu rationalis, tùm ex hac ipſa ratione, quia vtraque eſt ſubſtantia: tùm maximè, quia nullum vnquam agens naturale, corrumpit aliquā formam in aliquo, niſi introducēdo aliam. Inductiuè hoc patet in omnibus: quippè non corrumpitur lignum, niſi introductione formę, an ignis, an alicuius altérius rei: immò verò nihil intendit corruptionem vllius, niſi ob generationem. Et etiam quia alias, rēmaneret materia ſine vlla forma. Atqui agens naturale, nimirum ſemen, in generatione hominis, non introducit formam rationalem: non enim producit illam: ergo non valet expellērē formam ſenſitiuam, ibi præexiſtentem. Quare &c.

Reſpondeo, vegetatiuam quidem corrumpi, adueniente ſenſitiua, duplici de cauſa. Primò, propter earum incompoſſibilitatem in eodem ſubiecto: quia enim anima ſenſitiua dat eſſe ſubſtantiale, & facit ens ſimpliciter actu, ſicut, & quæcumque alia forma ſubſtantialis, idcirco nō compatitur ſecum aliàm formam ſubſtantialem, in eadem materia; ſic enim aduenirct enti in actu: ac per conſequens, fieret vnū ex aggregatione; quare cum ipſa aduenit materiæ, neceſſe eſt, vt præcedens corrumpatur. Deinde, quia anima vegetatiua eſt via, ac præparatio ad ſenſitiuam, & hæc, ad rationalem; ergo vbi acceſſit perfectio, & terminus, in eodem inſtanti deſinant illæ, neceſſe eſt: ita, vt idem inſtans ſit primum non eſſe animæ vegetatiuę, & primum eſſe animæ ſenſitiuæ. Et idem momentum ſit primum non eſſe animæ ſenſitiuæ, & primum eſſe intellectiuæ. Cum autem additur, nullum agens naturale, corrumpere aliquā formam, niſi introducendo aliam; fateor; ſed nego, virtutem naturalem, quæ eſt in ſemine, non producere animam intellectiuam, nō quidem formaliter, ſed diſpoſitiuè: quia, cum illa vis agat in virtute hominis generantis, diſponit ad formam, ſimilem ſui principalis agentis; Et etiam quia producit diſpoſitiones in inſtanti introductionis ipſius animæ intellectricis, quæ ſimul, cùm ipſa anima intellectiua remanent. Quare, vt tandem concludam, fætus manet aliquot diebus ſub forma vegetatrice, mox ſuccedente ſenſitiua, illa interit: tandem, vbi corpus lineamentis, & organis humanæ ptoli conuenientibus, fuerit diſtinctum, accedit intellectiua, & ſenſitiua præexiſtēs corrumpitur. Quot verò diebus, id in maribus, quot in fæminis abſoluatur, explicat Ariſt. in 7. de Hiſtoria animalium, cap. 3. & Fernelius in libro de hominis procreatione.

Ad quintū dico, vero verius eſſe, in ſemine rerū naturalium, virtute ea omnia contineri, quæ vim corpoream non excedunt. Talia ſunt in tritico, fænum, culmus, internodia, & fructus. Et in ſemine brutorum etiam eorumdem formæ. Secus autem eſt in ijs, quæ vim corporeā trāſcendunt: cuiuſmodi eſt anima intellectrix, vt ex eius operatione oſtendimus. Erratum autem illud, quod in eodem argumento ſubnectitur, animam eſſe cauſam efficientem viuentis corporis, eòque, ſi corpus humanum contineatur virtute in ſemine, animam quoque intellectiuam, eodem comprehendi: gemino modo intelligi poteſt. Vno quidem de anima generantis: quia cum ſemen deciſum, operetur vt inſtrumentum, in virtute hominis generantis, ipſa generantis anima, dicetur veluti cauſa efficiens corporis geniti: ex quo fit, vt ſæpenumerò filij, & quoad corporis delineamenta, & quoad animi affectus, parentibus ſuis aſſimilētur. Sed hinc non ſequitur, animam intellectus participem, contineri in ſemine, vbi continetur geniti corpus. Alio pacto intelligi poteſt, de anima geniti, eam eſſe cauſam efficientē viuentis corporis geniti, quo intellectu acceptū, falſum eſt: fieri quippè nequit, vt ex actione animæ geniti, formetur, & configuretur materia geniti.

Sexti argumenti ſolutio patebit ex ijs, quæ Diſputatione ſequenti ediſſeremus. Interim dico, productionem animæ intellectiuæ, & ſi ſecundùm veritatem, fit ex nullo præiacente ſubiecto, eoque vera creatio; ad aures tamen Philoſophi, non ita propriè dici, ex nullo præſuppoſito ſubiecto: ſeu creari. Tùm quia creatio, eſt totius entis integrè, perfectèque ſubſiſtentis productio. Anima autem non eſt huiuſmodi; cum ſit altera pars rei perfectè ſubſiſtētis. Tùm quia non fit ex nullo independenter ſubiecto, ſed fit in materia; ſicut actus fit in propria mtaeria. Quod Ariſt. exiſtimauit ſufficere, vt hominis anima intellectiua, neque dicatur educi de poteſtate materiæ, quia deforis accedit, neque produci ex nihilo, ſeu creari; ſed ptoduci in materia. Loca autem in argumento adducta, pugnant aduerſus productionem ex nullo penitus præiacente ſubiecto, & rei integrè, perfectèque ſubſiſtentis.

Ad Philoſophi auctoritates : Illam ex 3. de cęlo, omnem ſubſtantiam naturalem, aut eſſe corpus, aut cum corpore generari; communiter auctores exponunt, ita eſse, vt in pluribus, nõ autem in omnibus. Omnis enim ſubſtantia, quæ non eſt corpus, ſed forma rei corporeæ, caduca tamen ad diſſolubilis, vtique cũ corpore generatur. Anima autem intellectrix non generatur cum corpore, ſed forinſecus accedit; vt idem Philoſ. docuit. Cęterùm ex gręco fonte adnoto, in quo habetur *αἱ φυσικαὶ οὐσίαι ἢ σώματα, ἢ κατὰ σωμάτων γίγνονται, καὶ μεγεθῶν*. Quæ vero, naturales ſubſtantiæ, aut corpora ſunt, aut ſecundùm corpora fiunt, & magnitudines. Seu fiunt in corporibus, & magnitudinibus; id enim pollet particula illa *κατὰ*. Parum itaque accommodatè translatum eſt, *ſubſtantias naturales, aut eſſe corpora, aut fieri cum corporibus*. Senſus igitur Philoſophi eſt, omnem ſubſtantiam naturalem, vel eſſe corpus, vel fieri ſecundùm corpus, ſeu in corpore; Et quia anima intellectiua, fit in corpore, tanquam actus in propria materia, licet non euocetur ex eius potentia, etiam de illa verificatur dictum Stagiritæ. Vel dic, animam quoque rationalem, fieri, ac generari, cum corpore: tunc nimirum fieri, quando fit & corpus, ſed non ex materia.

Eodem fermè pacto reſpondent ad illa ex 2. de generatione animaliũ. Ariſt. eò loci loqui, vt contingit in pluribus, non in omnibus; Addo, ibi ſermonem haberi, de anima vegetatiua ſolùm, & ſenſitiua; nec vllo vnquam modo flecti orationem ad formam hominis intellectiuam. Quod ex eo euidenter apparet, quia in cap. 3. eiuſdem libri proponit tractare de anima hominis intellectiua, dum ait, *de mente etiam quonam tempore, & quomodo, & vnde eam recipiant, quę principium id participant, enitendum pro viribus, & quod fieri poteſt, accepiſſe*: ergo ante hoc, nimirum in primo illo capite eiuſdem libri, non erat ſermo de forma hominis intellectiua, ſed ſolùm de vegetante, ac ſentiente: easque meritò, inquit, præberi à Mare; & haberi in ſemine. Quando verò in 3. capite ſecundi libri eiuſdem operis, ait, omnes animas, atque adeò etiam intellectiuã, prius haberi in potentia, quàm actu, verum eſt. At non ait, omnes haſce haberi prius in potentia materiæ, poſtea euocari ad actum. Sed ſolum eas eſſe in potentia, ſiue hoc, ſiue illo modo. Vegetatiua quidem, & ſenſitiua in potentia materiæ: intellectiua autem in potentia, vt fiat actu; ſiquidem antea non erat, & modo fit ab aliquo alio, *& extrinſecus accedit*.

Finis Diſputationis Secundæ.

DI-

DISPVTATIO TERTIA

DE PRODVCTIONE ANIMAE RATIONALIS.

INTRODVCTIO.

Proponitur dicendorum ordo.

SI anima intellectiua, quod hucuſque tam ex vero, quam ex Ariſt. vidimus, non educitur de poteſtate materiæ, ſed corpori forinſecus aduenit, ſolaque diuina eſt: acturum, & meritò quæreret aliquis; vnde igitur illa aduenit? Aduenit ne ita, vt antea in ſemet fuerit, & dum corpus hominis formatur, in illud accedit? & ſi ita præexiſtit, fuit ne a quoquam aliquando producta? & quando? Si autem antea non extitit, ſed eo temporis momento in materia producitur, quo illa eſt perfectè inſtructa, atque diſpoſita: rurſus efflagitabit, à quonam agente producitur? ſi non opera naturalis agentis, quod non niſi, ex ſinu, gremioq; materiæ valet elicere formas: a primo ne? nimirum Deo; an ob aliquo alio? & quomodo? Hæc nobis, quæ adeò retruſa, & a ſenſu hominum tam remotiſſimè diſiecta ſunt, in hac diſputatione, pro tenuitate ingenij noſtri, determinanda veniunt.

SECTIO PRIMA.

Opinio eorum, qui animas rationis participes præextitiſſe ante corpora, & certis temporum ſpatijs ad ea demitti, ſunt arbitrati.

VETVS fuit opinio, iam vſque a Chaldæorum ducta antiquitate, eaque multorum, & in Ægypto, & in Græcia firmata conſenſu, animas rationis, conſilijque participes, antiquiores eſſe corporibus: & certis temporum interuallis, per quandam μετεμψύχωσιν, & tranſanimationem, modò ad hoc, modò ad illud corpus demitti. De Chaldæis refert Auguſt. Steuchus Eugubinus lib. 9. de perenni Philoſ. cap. 4. Et vetus illud a Chaldæis profectum oraculum atteſtatur: quo iubemur, accelerare ad Deũ, vnde nobis anima, multa circũueſtita mẽſe, ſit Miſſa: carmẽ græcè ſic effertur:

χρή σε σπεύδειν πρὸς τὸ φάος, καὶ πατρὸς αὐγάς,
ἔνθεν ἐπέμφθη σοὶ ψυχὴ πολὺν ἑσσαμένη νοῦν.

id eſt:

Accelerare opus eſt te ad lucem, & patris ſplendorem,
Vnde eſt tibi anima miſſa, multa induta mente.

De Aegyptijs, auctor eſt Herodotus, qui in Euterpe ſcribit errorem de trãſmigratione animarum, ab Aegyptijs ad Græcos manaſſe. Hinc Mercurius ille termaximus, qui numinis inſtar apud Aegyptios fuit cultus, vt adnotauit Gilbertus Genebrard. in ſua Chronographia ad annum mundi 2670. animorum in diuerſa cor

pora tranſitum multis in locis ſuorum operum inſeruit, præcipuè in eo, qui inſcribitur Pœmander, de hoc ita edisſerit. *Humana anima pia, poſt quàm e corporis carcere exempta eſt, aut mens, aut Deus efficitur, impia verò in propria natura remanet, ac ſeipſam cruciat, corpusque quærit, quod ingrediatur.* In Græcia fauctores habuit non infimæ notæ, Pythagoram, (nã hæc opinio ex Orpheo, ac Pythagora, in ea regione creditur ſeminata) qui Aegyptum, vt Theologiam cognoſceret, luſtrauit; apud quos viginti duos annos moratus, vt refert Iamblichus, & in quorum adytis admisſus, multa de Dijs, alijsque myſterijs arcana, *ἐν ἀποῤῥήτοις*, vt Laertius loquitur in eius vita, accepit: Adijt Perſarũ magos, & Babylonem, vt Chaldaica, magicaque imbueretur doctrina. Adijt Cretam, Spartam, & alias, quotquot ea tempeſtate florebant Vrbes; non modò vt mores hominum multorum videret, & Vrbes, verùm vt etiam ex his omnibus, veluti apicula quædam delibans, omnigena doctrina animũ ſuum ornaret: in quem Ouid. 15. Metamorph. celebre extulit elogium.

Mente Deos adijt, & quæ natura negauit
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

Hic ergo tantus vir, adeò animorum in diuerſa corpora reditum amplexatus eſt, vt ſe ipſe meminiſſe diceret, antea quàm in Pythagoræ corpus migraſſet, in multis alijs extitiſſe: Aiebat quippè ſe olim Aethalidẽ fuiſſe, Mercurij filium appellatum, ab eoque petijſſe, vt memoriam, cùm rerum earum, quas in hac vita didiciſſet, tùm illarum, quas in alia, an ageret, an pateretur, præter communem animarum legem, conſeruaret, & accepiſſe. Peracto poſtea aliquo tempore, in Euphorbum veniſſe.

Cui pectore quondam
Hæſit in aduerſo grauis haſta minoris Atridæ.

Narrabat hic, ſe quõdam fuiſſe Aethalidem, in quot præterea animantibus, plantis, piſcibus anima eius fuerit hoſpitata; quæque in inferis paſſa. Defuncto Euphorbo illius animũ in Hermotimum tranſijſſe: Qui huius rei fidem ſtruere cupiens, Ilium petijt: & in Apollinis tẽplo, Brãchide dicto, monſtrauit clypeum, Deo tot ante annos a Menelao ſacratum. Hermotimi deinde animam, in Pyrrhum Delium piſcatorem veniſſe; qui pleno itidem ore hæc eadẽ percenſebat: poſtremò Pyrrhi animam, in Pythagoram acceſſiſſe; qui ſe primò Aethalidẽ, poſtea Euphorbum, deinde Hermotimum, ad hæc Pyrrhũ, poſtremò eſſe Pythagorã, audaci quadã, ſed plena dignitatis oratione, pſequebatur.

Quòd verò memoriam harum rerum teneret animo, id loco muneris, vt dictum eſt, accepiſſe: reliquas autem animas, cum e corporis carcere euolauerint, quæ inter homines didiciſsent, eorum memoriam exui: quemadmodum cum in corpus aliquod detruduntur, illa oĩa ex memoria excidunt, quæ in alia vita vidiſsent. Vnde Plato in Timæo. *Quas*, ait, *ob res ab initio anima, cũ mortalis corporis vinculis includitur, amens efficitur.* Olympiodori verba ſunt de hac eadem re, quæ ſequuntur. *παλαιὸς λόγος ὀρφικός τε καὶ πυθαγόρειος, ὁ πάλιν ἄγων τὰς ψυχὰς εἰς τὸ σῶμα, καὶ πάλιν ἀπὸ τοῦ σώματος ἀνάγων, καὶ τοῦτο κύκλῳ πολλάκις.* hoc eſt, *Vetus fama eſt, orphica, et Pythagorica, quæ ducit animas in alia vita exiſtẽtes ad corpus, iterũque a corporibus educit, & hoc in circuitum ſæpè.* Huic ſententiæ, vel, vt ego ex ſententia loquar, huic fabulæ, tota Pythagoræorum familia, ceu iurata ſubſcripſit. Archytas Tarentinus, Philolaus, Apollonius Tianæus, in cuius vita mira aliqua de hoc argumento, refert Philoſtratus: Empedocles ita canebat.

ὡς κἀγὼ εἰμι φυγὰς θεόθεν, καὶ ἀλήτης,
νείκεϊ μαινομένῳ πίσυνος.

Vt etiam ego deſcendo profugus a Deo, & erro;
Inſanæ liti obediens.

Sed neſcio, quonam malo ſuo fato, diuinus alioquin Plato in hanc ipſam deſcendit abſurditatem: tamque religioſè, aut ſuperſtitioſè animorum regreſsum excepit, vt eum, quaſi ſolidum aliquod fundamentum, multarum iecerit aſſertionum. Hæc in Menone, ſeu Dialogo de Virtute, ex antiquorum opinione, quos diuinos appellat, attentè refert. *Ferunt hominis animũ immortalem eſſe, eamque tùm decedere, quodquidẽ mori vocant, tùm iterum redire; interire verò nunquam.* Et poſt pauca ex hoc fonte, reminiſcentiam colligit. *Cum ergo*, inquit, *animus immortalis ſit, ac ſæpius in hanc vitam redierit, videritque perſæpè, & quæ in hac, & quæ in alia vita ſunt, omniaque perceperit; nihil vtiq; reſtat, quin ipſe didicerit, &c.* Et in Phædone, ſeu de anima, his omnnmò loquitur Socrates. *Vetus quidem hic extat ſermo, cuius memores ſumus; abire quidem illuc animas defunctorum, rurſusq; huc reuerti, fieriq; ex mortuis.* Cape & modum, & viam, quaquidẽ anima, & ad inferos it, & inde reuertitur, *Ferũt quemlibet hinc illuc emigrantem, ab eo dæmone, quem viuus ſortitus fuerat, in locum quendam duci, vbi oporteat omnes vnà collectos iudicari, ac deinde ad inferos proficiſci eo duce, cui mandatũ erat, vt hinc decedentes ad illa loca traducat. Sortitos verò illic, quæ oportebat ſortiri, tẽpusq; debitum commoratos, ab alio quodã duce, rurſus huc reduci*

poſt multos temporis longosq; circuitus. Viſne etiam animarum iter ex huius ipſius ſententia edi- ſcere? *Eſt autem,* inquit, *iter non tale, quale ait Telephus apud Aeſchylum:, Ille ſiquidem ſimplicem dicit viam ad inferos ferre. Ego verò neque ſimplicem, neque vnam eſſe puto. Alioquin nullis ducibus opus eſſet. Quippe cum vnica via aberrare poſſit nemo; quinimò multos tramites, multosq; anfractus habere. Quod quidem ex ſacrificijs, & ritibus coniectare licet. Animus ergo moderatus, & prudens ducem ſponte ſequitur, neque ignorat præſentia: ſed qui cupiditate corporis eſt infectus, per multum tempus ad ipſum ardenter afficitur: & circa locum viſibilem multis reluctatus modis, multaq; perpeſſus, vix tandem ab eo adducitur dæmone, cui eius cura erat iniuncta,* Et quæ ibi ſequuntur.

Audi etiam quàm acriter inuehatur lib. 12. de legib. in eos, qui animam non faciunt corpore vetuſtiorem. *Sed ijdem ipſi neſcientes animę naturam antiquiorem eſſe corporibus, omnia rurſus, vt ita dixerim, immò verò ſe ipſos euertunt, cum iuniorem putarent:* & paullò poſt ad hæc omninò. *Nunquam mortalis quiſpiam poterit Deum firmiter colere, qui hęc duo antea non acceperit. Primum, quòd rerum omnium, quæ generationis participes ſunt, antiquiſſima anima eſt, atque etiam immortalis. Deinde, veram eſſe mentem in aſtris non ignorat.*

Quiduerò? in eo opere, quod inſcribitur Epimenis, ſeu Philoſophus, oppoſitam huic ſententiam appellat impiam. *Vt ſuperiorem,* ait, *aduerſus impios diſputationem, à nobis habitam, reſumamus; qua aſſeritur eſſe Deos, rerumq; omnium maximarum ſimul, & minimarum curam habere, nec precibus vllis muneribusq; præter iuſtum placari. Omnium verò maximum illud habitum, antiquiorem omni corpore omnem animam eſſe.* Viden' qua animi ſolicitudine, ait, omnium verò maximũ illud haberi, vt omnis anima, omni corpore antiquior ſit? Huius rei eã annectit rationem. *Quod enim melius, id & antiquius, & quod diuinius eſt, id inferiore, ac viliore prius eſt:* Atque hæc ipſa habet ſexcentis alijs in locis. Quæ deinde omnes Academici velut ex tripode delata per manus poſteris tradiderunt.

Ex his, quæ hucuſque edisſeruimus habes, omnes hoſce auctores, animam rationis participem, vetuſtiorem corpore cenſuiſſe, & nunc quidem huic corpori, nunc illi aptaſſe: Verùm non eodem modo omnes, Pythagoręorum ſecta, cum ſuo principe, in belluina, quoque corpora, in plantas, in legumina animam rationalem detruſit; extat de Pythagora epigramma lib. primo, Epigram. Græc. cap. 89. qui in cane, quem quiſpiam percuſſerat, ait, ſe animam cuiuſdam amici cognouiſſe: en epigramma.

Ἡνίκα Πυθαγόρης τὸ περικλεὲς εὕρατο γράμμα
κεῖν' ἐφ' ὅτῳ κλεινὴν ἤγαγε βουθυσίην,
εἶδέ ποτε μὲν στυφελιζομένου σκύλακος παριόντα
φασὶν ἐποικτεῖραι, καὶ τόδε φάσθαι ἔπος.
παῦσαι, μηδὲ ῥάπιζε, ἐπεὶ φίλου ἀνέρος ἐστὶ
ψυχὴ, τὴν ἔγνων, φθεγξαμένης ἀΐων.

Quodquidem, & ſi multa, eaque pręclara ingenia tranſtulerunt, nos ita latinitati donare tentauimus.

Dum Samius libat ſuperis in ſacra iuuencum,
Quòd celebre in Matheſi ſchema, nouumque capit;
Aſpicit, & quendam duro lacerare catellum
Verbere, commotus, talia verba dedit.
Heu ceſſa, ne cęde: animus nam dulcis amici:
Hic ſedet: eius vocem excipio, atque ſonum.

Beſtias quoque docebat, tam feras, quàm cicures. Teſtis vrſa illa Daunia, bos, qui Tarenti in Iunonis fano ſacer eſt habitus, idque genus innumera alia. Vnde ortum etiam habuit dogma illud Pythagoræorum, qui magnũ ſcelus eſſe prædicabant, pecorum carnibus veſci: ne, vt Tertullianus in Apologetico contra gentes, capit. 48. ait, bullam de aliquo proauo quiſquam obſonaret. Et ſymbola illa Pythagorica *à fabis, à piſcibus, abſtineto.* Quiduerò? narrãt aliqui; Pythagoram aliquando empto retium iactu, piſces captos emiſse, & tanquam amicis, & captiuis iam factis pepercisſe, perſoluto illorum nomine precio. Sophoclis gloſſematarius haud reticuit, quanam vafritia Pythagoras vſus ſit, vt Palingeneſiã hominibus ſuaderet, dum ait, *Πυθαγόρας κατείρξας ἑαυτὸν ἐν ὑπογείῳ λογοποιεῖν ἐκέλευσε τὴν μητέρα, ὡς τεθνηκὼς εἴη, καὶ μετὰ ταῦτα ἐπιφανὴς, περὶ παλιγγενεσίας, καὶ τῶν καθ' ᾅδου τινὰ ἐτερατεύετο.* hoc eſt, Pythagoras ſe ipſum in ſubterraneo loco depoſuit, matremque iuſſit, vt verba fereret, quaſi ille fuerit mortuus: poſtea egreſſus, de reditu animarum, & de quibuſdam rebus inferni prodigioſe cõminiſcebatur. Huius diſciplinas ſecutus Empedocles, ſe etiam aliquãdo piſcem, alitem, & virgultum fuiſſe, ſuis carminibus cecinit. De quo elegans iacet epigrãma in primo libro Græcor. Epigram. capit. 89. in Philoſophos, quod eſt huiuſmodi:

ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ γενόμην κοῦρός τε, κόρη τε,
θάμνος τ', οἰωνός τε, καὶ ἐξ ἁλὸς ἔμπυρος
ἰχθύς.

Ita transfero.

Iam pupus, iam Virgo fui olim, & ſquamea proles,
Siluarumque frutex, aliuumque genus.

Num verò Plato reuera tranſmigrationem animarum in corpora etiam belluina poſuerit, an in humana duntaxat, diſſidium eſt inter auctores. Affirmant Plutarchus lib. 5. de placitis Philoſoph. cap. 20. & Plotinus Enn. 3. lib. 4. cap. 2. & videtur aſſeri à Platone, cùm ſæpè alibi, tùm maximè in Timæo, illis verbis. *Contra verò agentem*, qui nimirum malè hanc vitam exegerit, *cogi in ortu ſecundo, ſexu mutato, fieri mulierem, & qui ne tum quidem finem peccandi fecerit, quatenus deprauatur, eatenus in brutorum naturam ſuis moribus ſimilem permutari: nec prius &c.* in Phædro: *Hic, ait, & in beſtię vitam humana anima tranſit, & ex beſtia rurſus in hominem, ſi modò anima quandoque prius fuerit hominis.* Negant verò Iamblichus, Proclus, Porphyrius, & alij, aientes, id ſolũ ſecundùm analogiam dici à Platone. Hinc Marſilius Ficinus in Platonicis rebus haud vulgariter inſtructus, in argumento ſuper 9. librũ de Republica hæc ſcribit: *accipe etiam formulam, qua poſſis tranſitum animarum in beſtias, ita interpretari, vt in beſtiarum affectus, & habitus potius, quàm in corpora migrare videantur.* Colligunt hoc ex Cratylo, Theæteto, Phędone, & Epiſtolis ad Dionyſium.

Nunc, ſi anima humana antiquior eſt ipſo corpore, & viam ex hac in aliam vitam, tùm ex illa in hanc, itque reditq; toties, fuit ne, iuxta eorum decreta, à quoquàm aliquando producta, an æterna? Profectò omnem animam conditam à Deo, mundi opifice, initio productionis rerũ, Plato acerrimus huius ſectæ propugnator pro vniuerſa hac ſecta, tũ ſæpè alibi, maximè verò in Timęo propalam conteſtatur. Verùm vt hoc penitus intelligas, paullò altius rem deducam.

Principio ergo ait Plato, Deum condidiſſe mundum, (quamuis ex inordinato illo, ac temerè agitato ente) hac ratione permotum: *Bonus erat, bonus autem nulla vnquam aliqua de re inuidia tangitur, ergo cum liuor ab eo alieniſſimus eſſet, omnia ſibi, quantum fieri poterant, ſimillima fieri voluit. Si quis hanc gignendi mundi cauſam pręcipuam à prudentibus viris acceperit, rectiſſimè profectò accipiet.* Sic res habet, diuine Plato: quia princeps huius vniuerſitatis, ac rector Deus, bonus erat, ſe, quoad fieri potuit voluit creaturæ cõmunicare: rectiſſimè vſquequaque ſenſiſſes, niſi inordinatè inordinatum illud ens tuũ intruſiſſes. Rurſus. *Cum hęc igitur Deus ille, qui ſemper eſt, de aliquando futuro Deo*, hoc eſt de mundo, *cogitaret, lenem eum effecit, æqualemque, & à medio ad ſummum vndique parẽ, &c.* Huic mundo, ſic exornato, idem opifex Deus, animam quoque creauit, indiditque, *in medio eius, perque totum tetendit.* Cuius creationem ſic explicare orditur; *Ille verò*, nimirũ Deus. *tam generatione, quàm virtute priorem, antiquioremque animam corpore conſtituit, ex his videlicet, atque hoc pacto: ex ea ſubſtantia, quę indiuidua, & ſemper eadem ſimiliſque eſt*, Hic intelligo actum, *& ex ea rurſus, quę circa corpora diuidua fit*, Intelligo potentiam, *tertiam ſubſtantię ſpeciem commiſcuit mediam*; ita, vt anima mundi condita ſit ex actu, & potentia, ſitque media inter Deum, & creaturam corpoream. Verùm vt hoc diligentius, ſcitiusq; aperiat, in Pythagoræorũ numeros delabitur, quod proſequi non eſt præſentis inſtituti. Multa de anima mundi, eiuſque molitione, Platonici: Proclus lib. 3. in Timæum, Iamblichus, Plotinus, Porphyrius, Plutarchus integrum elaborauit opus περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας. De ea, quæ in Timæo fit, animæ generatione. Marſilius Ficinus in commentario ſuper Timęum cap. 16. & ſequentib. Macrobius lib. 1. in ſomnium Scipionis cap. 6. & 12. & lib. 2. cap. 2. Nobis in pręſentia id habuiſſe ſatis, animam mundi conditam eſſe à Deo. Quare Plato Vniuerſum conſtituit ex ſubſtãtia viſibili, & anima intellectiua animatum. Quod ſic tandem concludit. *Quocirca, ſicut ratio nobis hęc probabilis perſuadet, dicendum eſt, hunc mundum animal eſſe, idque intelligens, reuera diuina prouidentia conſtitutum.*

Ad mũdi itaque, qui μακροκόσμος, magnus mundus dicitur, exemplar, ac ſimilitudinem ab eodem opifice conditum eſſe hominem, μικρόκοσμον, breuem mundum. *In eodem rurſus*, inquit, *cratere, in quo mundi totius animam permiſcens temperauerat, ſuperioris temperationis reliquias miſcendo, perfudit, modo quodam eodem; non tamen perfectas ſimiliter: ſed, & ſecundo, & tertio gradu à primis deficientes.* Crater hic ſignificat vitæ rationalis ideam, vt Platonici interpretantur: quocirca hominis animam ait à Deo conflatam in eodem cratere, nimirum ad eandem vitæ, & gradus rationalis ideam, qua animam mundi conflauerat; quòd vtraque foret conditionis, graduſq; intellectualis: quamuis humana, longè inferior ſit, quam anima mundi.

Docuerat hoc olim Mercurius Triſmegiſtus, celebri hoc effato. ὁ δὲ πάντων πατὴρ ὁ νοῦς, ὢν ζωὴ, καὶ φῦσις, ἀπεκύησε τὸν ἄνθρωπον αὐτῷ ἴσον, οὗ ἠράσθη ὡς ἰδίου τόκου. *omnium pater, genitrixque mens, cum ſit vita, et natura, peperit hominem ſibi ſimilem, quem tamquam propriam prolem dilexit.* animam, hominem appellat, eamque ad ſimilitudinem Dei, ab eodem eſſe conditam: quò

etiam

etiam ſpectat illud Chaldæorum oraculum à Platonicis ſæpè prolatum: *ταῦτα πατὴρ ἐνόησε, βροτὸς δ' οἱ ἐψύχωτο*.. ideſt: *hæc pater cogitauit, mortalis autem ab eo animatus eſt*, quod Diſput. 7. explicuimus. Plutarchus lib. 4. de placitis Philoſoph. cap. 7. Pythagoras, inquit, & Plato partem rationalem interitus expertem fecerunt: etenim animam non Deum, ſed opus ſempiterni Dei eſſe dixerunt. Nec neſcio à Platone in Phædro animã appellari *ἀγέννητον*, ingenitam, ex quo temerè aliqui ſuſpicati ſunt, eam non eſſe à Deo conditam; qua de re adi, ſi vacat, Platonicos; loca quippè nuper à nobis adducta, rem noſtram ſatis aperiunt.

Immò verò conditionis initio tot à Deo animas eſſe factas opinati ſunt, quot ſunt in cœlis aſtra, & ſingulas, ſingulis aſtris accommodatas. *Denique cum vniuerſum*, inquit Plato, *conſtituiſſet, aſtris parem numerum diſtribuit animarum; ſingulas ſingulis adhibens*. ob id Heraclitus Phyſicus, animam vocabat, *ſcintillam ſtellaris eſſentiæ*. Huc quoque ſpectauit M. Tullius in ſomnio Scipionis, dum Africanus, oſtenſis P. Cornelio Scipioni de cęlo hominibus, ait: *his animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſydera, & ſtellas vocatis*. Quinimò priſci, animam *ψυχὴν* gręcè, *παρὰ τοῦ ψύχεσθαι*, quod eſt, frigeſcere, ſeu *παρὰ τῆς ψύξεως*, à frigiditate, ideo dictã voluerunt, quod ea, dum è luciđiſſimis illis globis, ac ſempiternis ignibus in caduca hæc, & terrena proficiſcitur, quaſi illius caloris vi exuta frigeſcat: vt adnotauit Cęlius Rhodig. lib. 2. cap. 17.

Quod ſi omnes hominum animæ, in cęlis, ac ſplendidiſſimis ſtellarum globis conditæ, & inſertæ ſunt; quod vnquam malum ad terrena hæc, & caduca eas detraxit? nonne ſatius foret, vt in ſuprema, ac diuina illa regione omni mutatione, & cura vacuæ, ęuo ſempiterno fruerentur? Peccarunt, inquiunt, ibi: vtque commiſſi ſceleris pęnas luant, in corpora depelluntur. Philolaus, qui præcipuus e Pythagoræis fuit, hæc refert. *μαρτυρέονται καὶ οἱ παλαιοὶ θεολόγοι, καὶ μάντεις, ὡς διά τινας τιμωρίας ἡ ψυχὴ τῷ σώματι συνέζευκται καὶ καθάπερ ἐν σήματι τούτῳ τέθαπται*. hoc eſt: *Teſtantur veteres Theologi, atque vates, quod anima propter quędam ſupplicia coniuncta ſit corpori, & veluti in ſepulchro hoc ſepulta ſit*. Pythagorę eſt, quod ſequitur, referente Rhodig. lib. 6. cap. 10. *πρώτη συμφορὰ τῇ ψυχῇ, ἐστὶ τὸ σῶμα*, nimirum *prima calamitas animę, eſt ipſum corpus*. Hinc Plato in Cratylo, ſiue de recta nominũ ratione, ex Orphei ſententia ait, corpus græcè dici, *σῶμα*, quaſi *σῆμα*; hoc eſt, ſepulchrum in quo anima ceu ſepeliatur, ac pęnas luat, ſceleribus, quæ extra illud commiſerat dignas. eius hæc ſunt verba. *Quod verò poſt hoc ſequitur, corpus, nonne σῶμα nuncupas? nempè corpus hoc, animæ σῆμα ſepulchrum quidam eſſe tradunt; quaſi ipſa in pręſenti tempore ſit ſepulta. Videntur mihi præterea Orphei ſectatores nomẽ hoc ob id potiſſimùm poſuiſſe, quòd anima in corpore hoc delictorum det pœnas; & hoc circumſepto, valloque claudatur, veluti in carcere quodam*.

Quod ſi vlterius quæras, quod vnquam, & cuiuſmodi peccatum commiſerant animę, antea quàm in corpora mitterentur? Paucis hoc ex multis Platonicis, ita reſtrinxit Marſilius Ficinus in commentario ſuper Platonis Conuiuium, oratione quarta, cap. 4. Anima gemino lumine ornata, à Deo condita eſt, naturali altero ſeu ingenito, diuino altero, & infuſo; quibus vnà coniunctis, ceu duabus alis per ſublimem peruolare valeat regionem: ac ſi diuino illo ſemper vteretur, ſemper diuinis hæreret, terra rationalibus eſſet animalibus vacua. Cęterùm diuina prouidentia decretum eſt, vt anima ſui ipſius ſit domina, poſsitque tùm vtroq; ſimul lumine vti, tùm altero. Hinc fit, vt anima, natura duce, ad proprium ſui lumen conuerſa, prætermiſso diuino, ſe ipſam vireſque ſuas, quæ ad fabricam corporis ſpectant, animaduertat; cupiatque vires huiuſmodi in fabricandis corporibus exequi. Hac itaque cupiditate grauata deſcendit in corpus: cecidit ergo animus noſter in corpus, cum prætermiſso diuino, ſolo ſuo eſt vſus lumine; ac ſe ipſo cæpit eſſe contentus. Hæc Marſilius, & hoc eſt animatum peccatum.

Hinc animas aiunt, quæ præſentis vitę curriculũ rectè, ſanctèq; cõfeciſſent, e corpore relaxatas, ad illa eadẽ aſtra, quibus initio fuerant accommodatæ, & ex quibus ceciderant, reuerſas, lætam, ac beatam vitam agere; Quæ verò turpibus voluptatum illecebris irretitæ, ſecus vixiſſent, eas ad diuerſa, ac deteriora corpora cogi; donec multis mutationibus, ac laboribus purgatæ, tandem in cęleſtem ſedem, eæ quoq; recipiantur: *neceſſe enim eſt, omnem animam ad originis ſuæ ſedem reuerti*: inquit Hermagoras Platonicus, qui, auctore Macrobio cap. vltimo cõmentariorum in ſomnium Scipionis, hoc argumentum copioſiſsimè executus eſt: innumera ſæcula dinumerans, quibus nocentum animæ

in

Digitized by Google

in diuerſas pœnas reuolutæ, tandem ad naturæ ſuæ principia, hoc eſt, cęlum, impetrata purgatione, remeant. Tullius quoque in eodē opere, *qui iam vixerunt, inquit, illum incolunt locum, quem vides, (erat autem is ſplendidiſſimo candore inter flammas circulus elucens) quem vos, vt à Græcis accepiſtis, orbem lacteum nuncupatis.* Et rurſus, oſtenſo orbe lacteo, de ijſdem beatorum animis, ait. *Hinc profecti, huc reuertuntur.*

Huic animarum periodo veteres Pythagoræi, ac Platonici, duas in cęlo finxere portas. Cancrum alteram, alteram Capricornum, per quas animæ de cęlo in terras meare, & de terris in cęlum remeare credebantur. Proinde vna hominum, altera Deorum vocata eſt: Hominum Cācer, quia per hunc fiat ad ima deſcēſus: Deorum Capricornus, quia per illum animæ cęleſtibus ſedibus reſtituantur. Multis hoc explicat Macrobius lib. 1. in ſomni. Scipi. cap. 12. & Cęlius Rhodig. lib. 15. cap. 23. Arcanum harum portarum, hoc eſſe arbitrantur viri docti, quòd Luna, quæ eſt humorum domina, eſt etiā domina Cancri: origo autem atque fons vitæ, humores ſunt. Capricornus verò ſignum terreum, cuius dominus conſtituitur Saturnus, vitæ præcipuus oppugnator, eſt ſiccus, & frigidus; morti, exanimatiſque corporibus ſimilis. Per has itaque portas animæ de cęlo in terras deſcendere, & hinc rurſus cęleſtia repetere hac lege conſtituebantur, vt inde profectæ, diuinarum rerum, quarum in cęlo erant conſciæ, veluti ebrietate quadam obrutæ, obliuiſcerentur, Rurſus eas, cū e corporis cuſtodia liberatæ, cęlum repeterent, omnium pariter, quæ hic didiciſſent, obliuio caperet. Sed quoniam animæ, ſeu cito, ſi rectè vixerint, ſiue tarde, ſi ſecus, in cęlum omnes excipiebātur, deficeret aliquando hominum genus in terris.

Ea propter ſanxerunt adhuc; vt quamuis eæ in priſtinam cęleſtem, ac beatam ſedem remearent, inde tamen peractis aliquot annorum ſpatijs, *annis decem millibus*, vt inquit Plato in Phędro, ad eaſdem res reuerterentur; vt per quandam rerum omnium viciſſitudinem, & circulationem, pulcherrima hæc rerum Vniuerſitas, mundus, ęterneetur. Hæc ſunt quæ breuiter, ſtrictimque dicere volui, vt tam vetus, & abſtruſa opinio penitius intelligeretur.

Quare, vt compendio dicam, præfati auctores in ea verſati ſunt opinione, quod animæ multò ſint antiquiores corporibus: quod in diuerſa corpora migrent: quod non æternæ, ſed aliquando a Deo mundi opifice, omnes ſimul, & tot numero, quot in cęlis ſunt aſtra, conditæ: quod peccarint, & propterea in corpora depellantur: & denique ſi in hac vita vitijs ſe polluerint, in alia, ac deteriora corpora cogantur; vt multis mutationibus, & laboribus purgentur; *ſi verò rectè curriculum viuendi a natura datum confecerint, ad illud aſtrum, cui accommodatæ fuerint, reuerſæ, lætam, ac beatam vitam agant.* vt loquitur Plato in Timæo. Vnde tamen poſtea ſtatis temporum interuallis ad eadem reuertantur, vt ſua præſentia terram, infimam mundi ſedem exornent; & perpetuent hominum genus. Hinc Chryſippus. *τούτου δὲ οὕτως ἔχοντος, δῆλον, ὡς οὐδὲν ἀδύνατον, καὶ ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι, πάλιν περιόδων τινῶν εἰλημμένων χρόνου, εἰς ὃ νῦν ἐσμὲν καταστήσεσθαι σχῆμα*: videlicet. *Hæc cum hoc modo habeant, perſpicuum eſt, non eſſe impoſſibile, nos quoque poſt mortem, certis temporum reuolutionibus peractis, in eum, quo nunc ſumus, ſtatum, reſtitutum iri.*

Porrò veteres Theologi, vt inquit Marſilius Ficinus in comment. ſuper Platonis Conuiuiū oratione ſecunda capit. 3. bonitatem in centro; pulchritudinem in circulo poſuerũt; bonitatem in centro vno; pulchritudinem in quatuor circulis. Centrum omnium vnum; Deus eſt: circuli quatuor circa id aſſiduè reuoluti, ſunt, Mens, Anima, Natura, & Materia. Mens ſtabilis circulus, Anima per ſe mobilis, Natura mobilis in alio, non ab alio, Materia ab alio, & in alio. Quorum omniū explicationem vide apud eundem auctorem.

Verùm non equidem deſinam, quin te cum Auguſtino Eugubino libro 9. de perenni Philoſophia cap. 1. prius admoneam; palliatam hanc de anima e cęlo in terras depulſā, narrationem, ex Paradiſo illo Moſaico anſam traxiſſe: quem Chaldæi, Aegyptij, totuſque oriens, tùm in libris Moſis legerunt, tùm per ſucceſſionem naſcentis ab origine mundi doctrinæ, audierunt: Paradiſum itaq; illum ſuſpicari ſunt eſſe cęlum: atque Adam de illo fugatum, & in pęnam pellicea veſte circundatum, interpretati ſunt, animam de cęlo fugari, corporiq; ad pēdendas quorumdam ſcelerum pęnas, includi: præſertim verò cum illi ex ſententia, hominem ſolam eſſe animam dixerint, & corpus non ſecus animæ, atque indumentum corpori adiacere. An te latent innumera poeticarum fabularum commenta ex ſacris paginis detorta? eluuionem Noe vocarunt Deucalionis. Turrim à Nembrot ædificatam, Gigantum conatum, &

con-

Digitized by Google

congeſtos montibus montes, idque genus ſexcenta alia. Verùm propiùs accedamus.

Origenes opinatus eſt, quod Deus, ante mū di viſibilis conſtitutionem, crearit ſimul omnes ſubſtantias ſpirituales, & eas quidem æquales ſecundùm naturæ conditionem: in quibus exorta eſt inæqualitas ex libero arbitrio, quòd earum quædam cōuerſæ ſint ſecundùm magis, & minus ad Deum: quædam verò ab eodem ſecundùm magis, & minus auerſæ. Illas igitur rationales creaturas, quæ ad Deum per liberū arbitrium conuerſæ ſunt, euectas aiebat eſſe ad diuerſos ordines Angelorum, pro meritorum diuerſitate. Eas verò, quæ a Deo fuerant auerſæ, eſse ſecundùm diuerſitatem peccati, diuerſis corporibus alligatas: has quidem corporibus cęleſtibus, has verò humanis, quæ ſunt animæ rationales. Atq: adeò hominū animas, & Angelos, eſse eiuſdem naturæ; & ſolummodò merito diſſidere. Ex quo ſequitur humanas animas, multo eſse antiquiores corporibus; & eas propter peccatum extra corpus commiſsū, in corpora depelli, quamuis non migrent ex vno in aliud corpus. Hanc Origenis ſententiam refert S. Thomas in prima parte, quæſt. 47. art. 2. & quæſt. 90. art. 4. & lib. 2. cont. Gent. capit. 83. & ſuper epiſt. ad Roman. lect. 2. Iacet apud Orig. lib. 1. Periarchon cap. 7. & 8. & lib. 2. cap. 8. & ſuper Epiſtolam ad Epheſios, cap. 1. in illa verba, *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*. In hanc ſententiam citantur etiam nonnulli ex Sanctis Patribus, præſertim Græcis, quibus olim Platonica magis, quàm Stagiritęa placita arriſerant. Referuntur & alij, quos hic referre, parum refert. Videamus nos aliqua argumenta, quæ pro hac animarum poſitione poſſint adduci.

SECTIO SECVNDA.

Argumenta, quòd hominum animę, omnes ſimul in aliquo certo numerò fuerint ex æternitate: Aut initio creationis rerum, condita: & ſtatis vicibus in diuerſa corpora immigrent: aut etiam commigrent.

PRobabimus primùm animas extitiſſe ab æterno. Deinde, ſi ſunt productæ, eas ſimul omnes, aut ante viſibilis mundi cōſtitutionem, aut vna cum vniuerſo eſſe procreatas.

Primò, ſi anima non fuit æterna, ſed aliquā do a quoquam producta, maximè verò omniū a Deo. Vel ergo Deus erat ab æterno actu cauſa efficiens animæ, vel erat potentia efficiens, & poſtea effectus eſt actu efficiens. Si prius, ergo etiam anima fuit illi coæterna: quia cauſa actu efficiens, infert actu effectum: quemadmodum ignis actu calefaciens, infert actu calefactum: Et actu ædificans, actu ædificatum. Sin autem poſterius aſſerueris, aſseras quoq: oportebit, Deum aliquando fuiſse in potentia, ad hunc effectum, & poſtea promotum ad actum. Hoc autem eſt impoſſibile: Tum quia omne, quod eſt in potentia, cum reducatur ad actum, ab eo, quod eſt actu; vt calidum potentia, à calido actu, fit, quod ſi Deus aliquando fuiſset in potētia, ad producendam animam, deberet ad actum productionis, ab aliquo alio promoueri, quod eſset actu. Hoc autem primo enti repugnat: quippè cum omnis potentia dicat imperfectionem, repugnat Deo. Dicendum igitur eſt, animas ex omni æternitate fuiſse.

Secundò, quando aliquid nunc eſt, quod nō ſemper fuit, id fit, aut propter efficiens, quod non ſemper idoneum eſt ad efficiendum: aut propter materiam, & ſubiectum, quod non eſt ſemper habile: aut certè propter vtrumque. Si igitur anima intellectiua, aliquando non fuit; id accidit ei, vel propter materiam, vel propter ipſius animæ effectorem. Atqui materia ad animæ intellectricis procreationē nulla eſt opus, cum ea ſit omnis materiæ expers. Deus autem ad eam efficiendam ſemper eſt ſatis idoneus; cum ipſe idem ſemper permaneat, nec vllo modo immutetur: ita, vt ſi nunc eſt idoneus, & ex æternitate fuerit: & ſi ex æternitate non fuit, nec nunc quidem ſit idoneus: Quare &c.

Tertiò, ſi quando animæ intellectrices non fuerunt, & aliquando factæ ſunt, aut fiunt a Deo; Deus igitur ex non faciente, fit faciens; Quod autem hoc pacto fit, mutatur, cum aliter nunc, ac prius ſe habeat. Atqui a Deo omnis mutatio, & motus procul eſt abigendus. Quare ne hanc in Deo dare cogamur, fateamur oportet, eum, vel nūquam produxiſſe animas; vel ſaltem ex æternitate produxiſſe. Huc facit pertritum illud effatum; quod idem, manens idem, ſemper idem, & eodem modo operatur. Si igitur Deus ſemper idem, eodemque modo permanet, vt verè permanet: quomodo alio, atque alio modo ponitur operari?

Quartò, animæ interire non poſſunt: ergo

nec

nec aliquando fuerunt factæ: Antecedens vel hinc eſt conſpicuum; quia omne quod interit, incurſu alicuius contrarij interit: Animæ autē cuiuſcumque contrarij ſunt expertes. Conſecutio verò ſic oſtenditur. Quidquid eſt factum, id aliquando interire poteſt; & quidquid caret ortu, caret etiam interitu: Quæ duo pronunciata Ariſtoteles fusè proſequitur in primo libro de Cęlo, & Plato tùm in libris de Republica, tùm in Phædro: vbi Socrates, muſarum perſonam referens, ait: *Verùm id omne, quod natum eſt, manet interitus: & quod generatum non eſt, interitu carere eſt neceſſe.* Ergo ex oppoſito conſequentis; quod aliquando interiturum eſt, id etiam aliquando eſt ortum: & quod nunquam interiturum eſt, id nunquam eſt ortum. Cum igitur animæ nūquam ſint interituræ, nunquam profectò ſunt ortæ. Adde, id quod non fuit, & potuit eſſe, cū eſt, poterit etiam non eſſe. Quia aliquando nō fuiſse, & aliquando non fore, ita ſe habent, vt, ſi alterum de aliquo verificari, & alterum poſſit. Si igitur animæ aliquādo non fuiſſent, poſſent autem eſse, ſecus enim nunc non eſsent: modo cum ſunt, poſsent aliquando non eſse. Quod cum ſit falſum, quia ipſæ ſemper erunt: ſequitur illas ſemper etiam fuiſse.

Quartò, impoſſibile eſt, vt alicui de nouo adueniat realis quæpiam denominatio, abſque eius mutatione: cum omnis denominatio proficiſcatur ab aliqua forma, quæ ſine mutatione ſubiecti accidere nequit: Si igitur animæ de nouo a Deo eſsent factæ, opificis animarum denominatio, de nouo contingeret Deo; quæ vtique realis eſt: perinde ac eſſe factorem ædium, realis eſt denominatio. Repugnat autē addi de nouo quicquam reale ipſi Deo, cum ipſe ſit infinita realitas: repugnabit igitur etiā animas aliquando eſse ab eo factas.

Quintò, nulla afferri poteſt repugnantia, aut apparens ratio, quare animæ ex æternitate non fuerint, etiam ſi ponantur a Deo factæ: ergo fuerunt. Patet conſecutio; quia turpe eſt viro Philoſopho, ſine vlla, vel apparenti ratione, quicquam aſseueranter affirmare. Antecedens autem ſic oſtenditur. Vel repugnantia, & impoſſibilitas proueniret ex parte Dei, vel ex parte effectus: Si ex parte Dei, adhuc dupliciter: vel ratione ipſius Dei, vel ratione actionis, & creationis, qua Deus effectum, hoc eſt, animam produceret: Quantum attinet ad Deum: Vel repugnat, quia omne productum debeat eſse poſterius ſuo principio, ſicut omnis effectus eſt poſterior ſua cauſa: Vel quia Deus, cū agat ex electione, (hoc in præſentia ſupponimus) præceſſiſſe debet aliqua duratione effectum: Vel denique, quia effectus non dependeret in eſſe, nec eſſet inferior ſaltem in duratione, quàm eius effector. Sed nullum horum repugnat æternitati animarum, ergo.

Non primum, quia non ſemper neceſſe eſt, vt effectus ſit poſterior ſua cauſa, cum permulti effectus ſint ſimul cum ſuis cauſis efficientibus, etiam in rebus naturalibus. Cernimus hoc in corporibus opacis conſtitutis in lumine. Illa enim ſunt ſimul cum ea vmbra, cuius cauſa ſunt. Sol etiam efficit lumē, cum quo ſimul eſt. Immò verò Auguſt. 6. de Trinit. cap. 1. volens oſtendere hæc duo inuicem haud repugnare: eſſe quicpiam ab aliquo productum. Et tamen eſſe illi coæternum, declarat hoc exemplo: Splendor, inquit, qui gignitur ab igne; atq; diffunditur, coæuus eſt igni: & eſſet ei coæternus, ſi ignis eſſet æternus: quid verò? ſi pes gigantis, ab æterno arenam calcaret, nonne veſtigiū ab eo cauſatum, foret illi coæternum? non igitur repugnat animas eſſe à Deo, tanquam à cauſa efficienti, & eſſe ab æterno.

Nihil plus vetat, quòd altero loco ſubijcitur: quia nimirum Deus agit ex electione, debere præire effectum. Nam Ariſtóteles, cuius doctrinam nunc profitemur, Deum fecit agēs naturale, & neceſſarium: vt multi magno eius initi fundamento tuentur, ex quo potius colligitur, cum omnes animas ſimul procreauiſſe ab æterno. Veruntamen, etſi conſtituatur agēs liberum, vt reuera eſt; non idcirco eſt neceſſarium, quòd duratione quapiam antegrediatur effectum. Siquidem tunc ſolum agens liberū, & ex electione præcedit effectum, cum electio non eſt actus voluntatis ſimplex, & totus ſimul; ſed eſt ſucceſſiuus, prærequirens diſcurſum, & alios actus præcedentes electionem, ſicut contingit in nobis; qui prius apprehendimus; mox diſcurrimus, conſultamus, tandem eligimus. Immò verò S. Thomas in prima ſecundæ quęſt. 13. & 14. enumerans duodecim actus intellectus, & voluntatis in nobis, ponit electionem octauo loco: Qui itaque hoc pacto operatur ex electione, neceſsariò anteit effectum. Cæterùm electio Dei, non ſecus atque eius intellectio, eſt actus voluntatis diuinæ ſimpliciſſimus, totus ſimul, Deoque coæternus. Quare benè poteſt effectus eſſe coæternus Deo, etiamſi hic agat ex electione.

Nec

Nec verò illùd verè dici poteſt: quòd ſi animæ eſſent æternæ, non dependerent in eſſe à Deo, aut in duratione forent illi æquales, cum eæ adhuc verè acciperent eſſe ab alio, & hac ratione penderent ab illo. Immò verò æternitatis duratio, Deo quidem per ſe, animis autem per participationem competeret.

Quod autem ſpectat ad creationem, ſiue actionem, qua Deus animas efficeret, ea potiſſimùm ratione videtur tolli animarum æternitas, quia creatio, cum ſit productio totius entis ex nihilo, debet ipſum nihil anteire. Quo fit, vt res producta neceſſariò ſortiatur eſſe, poſt non eſse: id quod rei æternę repugnat. Sed hoc non obſtat: nam cum creatio dicitur fieri ex nihilo, non ſignificatur ordo aliquis ipſius eſse, poſt non eſſe; aut tranſitus de non eſſe, ad eſſe: ita, vt aliquando fuerit nihil, & poſtea ſit res creata. Sed ſolùm importatur negatio materiæ, ſeu ſubiecti. Quod alij dicunt, creationē, eſse ex nihilo negatiuè: non autem ex nihilo poſitiuè. Itaque fieri ex nihilo, nihil eſt aliud, quàm non fieri ex aliquo ſubiecto. Quapropter, quod attinet, tùm ad Deum ipſum, tùm ad eius actionem, nihil prohibet, quominus animæ potuerint eſse ab æterno.

Ex parte verò effectus, ideò fortaſſe videretur obſtare, quia quæcumque res præter Deū, dicitur habere eſſe participatum, & acquiſitum à primo ente, Deo: quandoquidem, quod eſt per accidens tale, id omne eſt ab eo, quod eſt per eſſentiam tale. Eſſe autem competit Deo per eſſentiam, alijs verò ex participatione. At ſi animæ fuiſsent ab æterno, ſemper habuiſsēt eſse, neque aſſignari poſset in illa æternitate, quando illud eſſe acquiſiuiſſent, accepiſſentq; a Deo. Sed hæ ratio parum momenti habet, ad euertendam animarum æternitatem. Quia quamuis eæ fuiſsent ex ęternitate, nihilominus verè adhuc affirmari poſset, illas non habere eſſe a ſeipſis, ſed a primo ente: a quo etiam verè penderent in eſſe, & conſeruari: perinde atque lumen Solis; quod etſi Soli coæuum, & ſimultaneum eſt, ab eo tamen eſse accipit; & in eſse, & conſeruari dependet. Quid verò? ita de facto iuxta Philoſophi mentem res habuit: nā mundus, ſi Ariſt. audias; & intelligentiæ, ſunt vſquequaq; æternæ: & tamē a primo ente dependent. *Nam a tali principio*, ſcilicet Deo, *tùm cælum, tùm natura dependet*. vt dicitur 12. Metaph. tex. 38. ergo, vt tandem concludam, neque ex parte Dei, neque ex parte effectus repugnantia vlla, vel ratio afferri poteſt, cur animæ ab æterno non fuerint: ergo fuerunt.

Nunc eſt probanda altera pars, nempè animas, ſiue ante viſibilis mundi conſtitutionem, ſeu vnà cum eo, omnes ſimul in certo aliquo numero fuiſse factas: quæ erat ſententia, vt nos expoſuimus, Platonis, & Origenis: quare arguitur.

Septimò, quæ ſunt naturæ ſpiritualis, creatæ; cuiuſmodi eſt Angelus, & anima intellectrix, ſunt media in perfectione inter diuinam naturam, & corpoream. Illa enim ab omni potentialitate ſemota, in ſe purus ac perpetuus actus æternatur. Hæc verò, quia concernit materiam, originem omnium imperfectionum, in al[i]e[r]um cadit extremum. Angelus, & anima, quà materia carent, accedunt ad actualitatem diuinam: quà verò conſtant ex actu, & potentia, deflectuntur ad limites rerum corporalium: ita, vt ſint veluti orizon, & confinium vtriuſq;. Ergo oportet etiam, vt ſint media in duratione, quæ rei perfectioni reſpondet: vt quemadmodum Deus ſua æternitate anteit omnē creaturam corpoream, corporiſque expertem: ita ſpiritualis natura, ſuo æuo corpoream antecedat. Quare animæ humanæ conditæ ſunt vna cum Angelis ante viſibilis mundi conſtitutionem.

Octauò, ſapientis eſt ordinatè ſuum effectū producere: ita, vt quæ nobilitate præcellunt, ea ordine etiam productionis præcedant. Natura autem ſpiritualis Angeli, & animæ, nobilitatem rerum corporearum longo interuallo poſt ſe relinquit. Ergo a ſapientiſſimo opifice, Deo, ſpiritualis natura, ante viſibilem corporeamq; debuit produci. Huc ſpectat, quòd qui ordinatè, & efficaciter vult aliquem finē, prius, & magis vult ea media, quæ ſunt fini propinquiore, quàm ea, quæ magis ab eodem fine diſtant. Atqui creatura ſpiritualis, cum ſit perfectior corporali, propinquior eſt ipſi rerum omnium fini, Deo. Ergo Deus in rebus condendis, prius voluit naturam ſpiritualem, quàm corpoream. Et cum effectio Dei, reſpondeat eius volitioni; ſequitur, vt hic prius res corporis ac molis expertes, Angelum, inquam, & animam, quàm corporeas produxerit.

Nonò, cum de natura boni ſit, ſeipſum cum alijs communicare, ſuamque bonitatem rebus alijs, quantum fieri poteſt, impertiri; id maximè conuenit ſummo bono, qui Deus eſt: qui vt Plato ait, *quia bonus erat, omnia ſibi quantùm fieri poterant,*

tia terant,

terant,ſimillima fieri voluit: Bonitatis autem diuinæ,alio,atque alio pacto res ſunt capaces: hæ quidem magis,& clarius,hę verò minus, & obſcurius. Atqui Angeli, & animæ intellectrices magis ſunt bonitatis diuinæ capaces,quã quęcunque res corporea: quare magis, & prius illam participarunt: Maximè verò, quia maior duratio,dignitas quædam eſt. ergo prius anima eſt facta,quàm huius mundi viſibilis conſtitutio. Huc etiam facit,quod amplioris munificentiæ eſt,quoduis donum citius, quàm ſerius elargiri; Et quod tarda gratia ingratum facit: decet ergo diuinam munificentiam, ex omni æternitate rebus impertiri eſse,& viuere. Quare, &c.

Decimò, Deus opt. max. tam admirabili ſcientia mundum hunc,qui *eſt quaſi cõmunis deorum,atque hominum domus, aut Vrbs vtrorumque*, vt Tullius loquitur,exędificauit,vt is,omnes in ſe numeros perfectionis, & veritatis contineat. Enimuerò *fas neque erat,neque eſt,quicquam,niſi pulcherrimũ facere eum*, ſcilicet Deum, *qui eſt optimus*. inquit diuinus Plato in Timæo. vt meritò a Græcis mundus veniat appellatus *κοσμος*, hoc eſt,ornamentum. Non eſset autem ex omni parte perfectus,ſi ab initio non fuiſſent omnes animæ intellectrices ſimul concreatæ. Siquidem illud non eſt vſquequaque perfectũ, cui plurimæ ſuarum partium principalium deſunt: ſed intellectuales ſubſtantiæ, in quarum numero humanæ animæ ponuntur, ſunt principales Vniuerſi partes: Si igitur hæ non fuiſsẽt ab exordio,ſed quotidie,dum naſcuntur homines,procrearentur, magna quotidie perfectionis acceſſio fieret Vniuerſo: ac per conſequens a principio ſuæ conditionis,non fuiſſet perfectum,quod non eſt dicendum.

Vndecimò,nobiliſſimũ ens, produci debet in loco nobiliſſimo: quia locus congruus eſſe debet ijs,quæ in loco ſunt. Vnde Ariſt. lib. 1. de Cęlo,tex. 22. ait, omnes gentes facere cęlũ, locum ſedem,atque domicilium deorum. *Tanquam videlicet immortali, immortale coaptatum ſit: impoſſibile enim aliter*. Atqui anima rationis,conſilijque compos,quia immaterialis,& interitus expers,eſt nobiliſſima: non igitur in corpore materiali,atque caduco; ſed in cęlo, loco nobili produci debuit. Quid verò? ſenſu percipimus, quò ſubſtantia aliqua nobilior eſt, eò illi ſublimiorem deberi locum, in quo naturaliter cõquieſcat. Ignis locus altio eſt, quàm aeris, aut aquæ; quia ille purior,perfectiorque eſt aere, aut aqua. At verò anima intellectrix longa intercapedine purior,ſimpliciorq; eſt, quàm corpus quodcumque; produci igitur debuit nõ in corpore,ſed ſupra omnia corpora. Adde, ꝙ vnitas loci atteſtatur vnitati naturæ,quæ eſt in loco. Hinc corporibus ſecundùm naturam diuerſis,igni,aeri, &c. diuerſa quoque loca attributa ſunt. Angeli autem, & animæ humanæ conueniunt in natura; quòd ambo ſint intellectualis naturæ. Quare in eodem loco productæ ſunt animæ,in quo Angeli: nimirum in cęlo,& non in corporibus.

Duodecimò,quorum eſt diſpar conditio,& natura, ea non benè vna productione fiunt: quia cum vnius rei, vna ſit productio, nequeũt vna produci res diuerſæ, ac diſparatæ naturæ. Anima autem intellectiua,& corpus, huiuſmodi ſunt. Illa quippè eſt actus immaterialis; hoc materia craſſa. Illa mutationis,& interitus expers; hoc omni mutationi ſubiectum, & caducum. Illa potis eſt æuo ſempiterno durare; hoc vel exiguo tempore carpitur, & labefactatur. Illa ſoluta,libera,ac diuina; hoc impeditum, concretum,& miſerabile. Hæc ne igitur tàm longè latèque diſſita,atque diſiecta, vna productione edi? Deinde,quorum vnum impedimẽto eſt alteri,ea naturaliter nec vniri, nec vna produci poſſunt: quia natura facit opera ſua cõpleta,& expedita. Animæ autem intellectrici, in eius operatione impedimento eſt corpus: & eam nimium ſæpè de ſua actione deturbat: quamobrem anima rationalis, nec vna cũ corpore producitur,nec ei naturaliter vnitur: ſed prius eſt non vnita corpori, quàm vnita.

Decimotertiò: Iacio prius duplex fundamẽtum. Alterum,quod æuum, quamuis apud ſcriptores diuerſas habeat ſignificationes; ſumitur enim primò, pro quacumque duratione cuiuſuis rei,ſiue ea ſit æterna, ſiue æuiterna,ſiue temporalis. Sic docet Ariſtoteles primó libro de Cęlo,tex. 100. vnde manarunt illa vocabula,primæuus,coæuus, longæuus, æquęuus &c. Sumitur etiam pro ipſa æternitate: quo intellectu vſurpat nomen æui Philoſophus in eo ipſo tex. 100. & in 12. Metaph. tex. 39. Et certè id ipſum præſeferre videtur nomen æui, ꝙ ex græco *αἰὼν* formatur, adiecta u. *αἰὼν* autem eſt *ἀεὶ ὢν*. quaſi ſemper exiſtens, atque æternum. Nihilominus in ſcholis communi vſu receptum eſt,vt æuum (quę ſignificatio, ignota fuit veteribus Peripateticis) capiatur pro duratione rei,cuius eſt quidem initium; ſed nullus finis.

finis. Quocirca æuum hoc pacto, eſt quædam durationis ſpecies, media inter æternitatem, & tempus, totum ſimul, nec vllam in eſſentia admittit ſucceſſionē. Ita S. Doct. in prima parte quæſt. 10. art. 5. & communis Doctorum aſſenſus. Alterum, quod iacio eſt, animam intellectiuam menſurari æuo: cum enim eius ſubſtātia ſit inuariabilis, nequit menſurari tempore, quod eſt menſura ſucceſſiua, rerumque vſquequaque variabilium. Hinc in libro de Cauſis aſſeritur: animam eſſe ſupra tempus. Nec etiā menſurari poteſt æternitate; quòd hæc ſolius eſt Dei; quocirca in eodem libro de Cauſis adijcitur, animam eſſe infra æternitatem. Quam ēt ob cauſam Trimegiſtus in Aſclepio ait, animū eſſe veluti otizontē æternitatis, ac tēporis.

Quibus poſitis, ſic arguitur. Si animę intellectiuæ non eſſent omnes ſimul in initio rerum productæ; ſed eo temporis articulo, quo corpus inſtruitur, procrearentur: ſequeretur, in æuo ponendam eſſe veram, ac realem ſucceſſionem ſecundum prius, & poſterius. Conſequēs aduerſatur primo fundamento, ergo &c. Aſſūptum ſic oſtenditur: In æuo, quod ex altero fundamento eſt menſura animarum, eſſet lōgum, & breue, prius, & poſterius: ſiquidem anima in exordio mundi producta maioris, ac longioris durationis eſſet, quàm anima hodie procreata. Et hæc prior, quàm anima centum ab hinc annis edenda. Cum itaque longum, & breue, prius, ac poſterius, ſint veræ ſucceſſionis proprietates, (non enim alia ratione tempus admittit ſucceſſionem, niſi quia res in eo fiunt ſecundùm prius, & poſterius) liquidò conſequitur, in æuo veram, ac realem admittendam eſſe ſucceſſionem: ſi &c.

Decimo quartò, Origenes in confirmationē ſui dogmatis, aliqua ſacrarum ſcripturarum loca interpretatus eſt: ex quibus nō nihil in pręſens attingere, haud ab re fore Chriſtiano Philoſopho iudicaui. Itaque ſapientiæ 8. dicitur, *ſortitus ſum animam bonam, & cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatū.* Quibus verbis apertè videtur ſignificari, ànimam extitiſſe quidem multò antea, & poſtea acceſſiſſe ad corpus, & quia per meritum melior erat, veniſſe ad corpus incoinquinatum, ac purum. Rurſus Pſalm. 118. *prius quàm humiliarer, ego deliqui.* Cuius effati, is eſt intellectus: prius quàm anima humiliaretur per corporis alligationem, in quo, ceu in carcere detruditur; peccauit. Et Pſalm. 119. anima grauiter ingemiſcit, quòd in hoc corporis ergaſtulo, diutius detineatur. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.* Item Iob. 40. dicitur. *Ecce Behemòth, quem feci tecum, fęnum quaſi bos comedit.* Quo loci nomine Behemòth, vt communis eſt Patrum expoſitio, intelligitur humani generis hoſtis, Diabolus. Hic autem, vel ante viſibilis mundi conſtitutionem, vel ſaltim in primo die creatus eſt. Si itaque Behemòth aſſeritur factus vnà cum anima Iob, hæc profectò facta eſt, vel ante mundi conditionē, vel in principio eius: atque adeò ante corpus. Quid verò? Ioannis primo, homines dicuntur ex alio mundo in hunc accedere, & accedentes illuminari a Chriſto? *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sicut itaque nemo dicetur venire Romam, qui non prius extra Vrbem extiterit; ſic nemo diceretur in hunc mundum venire, niſi prius in alio extitiſſet.

Denique, anima Adæ producta fuit vnà cū Angelis, ante corporis illius formationem: ergo, & noſtræ. Cōſecutio patet; quia quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, cuiuſmodi ſunt animæ noſtrę, & Adæ, habent eundem modum prodeundi in eſſe. Antecedens autem haberi videtur in ſacra Hiſtoria Geneſ. primo, cum Deus produxit animam Adæ, ait, *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* poſtea verò, capit. 2. die ſexto creationis, formauit illius corpus, in qđ animam introduxit; eoque dicitur, *formauit igitur Dominus Deus hominem*, hoc eſt corpus, *de limo terræ, & ſpirauit in eum ſpiraculum vitæ.* hoc eſt animam, iam præexiſtentem, *& factus eſt homo in animam viuentem.* & ideò ibidem ſubijcitur, *Deum requieuiſſe ab omni opere, quod patrarat.* Quì autem requieuiſſet; ſi in dies animos hominum procrearet? Denique in libro, qui inſcribitur Ioſeph, ſeu Diſputatio, ſiue oratio Ioſeph, vt appellat Origenes to. 2. explicationis in Ioannē, ſic dixiſſe refertur Iacob. Ego qui vobiſcum loquor Iacob, & Iſrael, Dei ſum Angelus; & ſpiritus principalis: Abraham, & Iſaac ante omne opus creati ſunt. Hæc pro hiſce opinionibus adduxiſſe ſatis. Quibus tamen nihil officientibus, quò veritas appareat, ſit.

SECTIO TERTIA.

Quid Ariſtoteles in re propoſita ſenſerit?

MAGNVS ille Beſſarion, & Cõtarenus, ambo ſacra purpura, doctrina, & pietate inſignes, in ea verſati ſunt opinione; quod Ariſtoteles hac in parte, in Platonis ſententiam ierit: ex animoque tenuerit, animã intellectricem, & extitiſſe ante corpus, & ſtatis vicibus in diuerſa (humana tantum) corpora immigrare. Et quidẽ Beſſarion ſic affirmat in lib. 2. contra Calumniatorem Platonis, cap. 7. Contarenus autem in lib. 2. de immortalitate animæ aduerſus Pomponatium. Quod multò antea ſenſerat Phletho cap. 9. lib. quẽ ſcripſit de ijs, in quibus Ariſtoteles a Platone diſſentit, quo loci, ait, Ariſtotelem antegreſſionem animarum, cum Platone, præceptore ſuo non negaſſe.

Huic verò ſententiæ adhæſiſſe Stagiritem faciunt hæc argumenta. Primũ, nam hic in primo libro de anima tex. 82. cum de anima intellectrice, ſeu de intellectu loquitur, eodem dicẽdi modo, immò & vocabulo vtitur, quo & Plato, dum hac ipſa de re verba facit. Vocat eum antiquiſſimum, & diuinum, ſecundum naturã: *rationabiliſſimum enim, inquit, intellectum eſſe antiquiſſimum, & diuinum ſecundum naturam.* Plato etiam tùm ſæpè alibi, tùm lib. 12. de legibus, hęc ſcribit. *Nunquam mortalis quiſpiam poterit Deum firmiter colere, qui hęc duo antea non acceperit. Primum, quod rerum omnium, quę generationis participes ſunt, antiquiſſima anima eſt.* Quod ſi vterque eodem pacto animam, & intellectum vocitat antiquiſſimũ, eodem vterque modo eadem de re ſenſit.

Secundum, id ſatis apertè colligi videtur ex illa Philoſophi ratione, qua in libro 2. de generat. animal. cap. 2. probabat, vt Diſputatione proximè præcedenti vidimus: animam vegetatiuam, & ſenſitiuam oriri ex ſemine: intellectiuam verò nequaquam: ſed forinſecus aduenire. Quippè argumentabatur, Si animæ fiunt in genito actu, neceſſe eſt, aut omnes cõtingere, ac fieri, cum antea non fuerint, aut omnes cum antea fuerint, aut partim, cum antea fuerint, partim cum non fuerint. *Atqui omnes animas ante corpora eſſe, impoſſibile eſt.* Ex qua quidẽ minori, hæc conſequentia haud obſcurè inſinuatur: ergo aliquas animas fuiſſe ante, eſt poſſibile. Perinde ac ſi dixiſses, omne corpus eſſe viuens, eſt impoſſibile, ergo aliquod corpus eſſe viuens, eſt poſſibile. Quare meritò Ariſtot. de hac anima intellectiua, ſeu intellectu, quem præexiſtere arbitrabatur, intulit. *Reſtat igitur, vt mens ſola extrinſecus accedat, eaque ſola diuina ſit.* Hic etiam grauiter illud pugnat, quod cum reuera Stagirites non cognouerit productionem cuiuſquam ex nihilo, & creationem, & tamen firmiter, conſtanterque aſſeueret, animam intellectricem non extrahi de poteſtate materiæ, ſed forinſecus aduenire; non poteſt intelligi, quod alio pacto accedat ad corpus, niſi quia præextitit.

Tertiũ, quiduerò? in ijs locis, in quibus Philoſophus animorum regreſſum improbare videtur; in his ipſis eum approbat. Improbat ille quidem Pythagoræorum deliramenta, & fabulas, qui animas, nimirum humanas, vt a nobis ſuperius oſtenſum eſt, ſine vllo diſcrimine in corpora etiã belluina; immò ſenſus quoque expertia, deturbabant: non autem reijcit Platonis opinionem, quæ ſtatuit animam humanam, migrare quidem de corpore in corpus, ſed ſolum de humano, in humanum; intraque humanæ ſpeciei indiuidua coarctari. Perpendamus Philoſophi verba; qui in primo de Anima tex. 53. hæc ſcribit. *Hi autem ſolum conantur dicere, quale quid ſit anima, de ſuſceptiuo autem corpore, nihil amplius determinant: tanquam poſſibile ſit, ſecundũ Pythagoricas fabulas, quamlibet animam, quodlibet corpus ingredi: ſimiliter itaque dicunt, atque ſi quis dicat, tectonicam, in fiſtulas ingredi. Oportet artem quidem vti inſtrumentis, animum autem corpore: videtur enim vnũquodque propriam habere ſpeciem, & formam.*

Hic perpende primò, quod Ariſtoteles reprehendit hoc, *quaſi verò poſſibile ſit, quamlibet animam, in quodlibet corpus ingredi.* Sic ſtatuerat Pythagoræorum imaginatio, qui animam humanam in canes, equos, Leones, piſces, fabas, prodigialiter intrudebat. Qui igitur animam, non abſque delectu in quoduis corpus immigrare aſſerit; ſed in humanum duntaxat, is minimè a Philoſopho carperetur: quinimò ei aſſentiret, non quamlibet animam, in quodlibet corpus ingredi.

Deinde, expende eius exemplum, *ſimiliter dicunt, ac ſi quis dicat, tectonicam in fiſtulas ingredi.* Tectonica, ars fabrilis, diuerſæ rationis, ac

ſpeciei

ſpeciei a fiſtulis eſt; non ſecus, atque corpus equinum ab humano. Qui itaque animã hominis in equinum corpus, verbi gr. immittit, idẽ facit, ac ſi tectonicam artem in fiſtulas introferre conaretur: qui verò animam humanam de humano in humanum corpus transferret, quæ corpora eiuſdem ſunt ſpeciei, incommodum hoc non incurreret.

Præterea, clarius id elicitur ex eo, quod ſubnectit, *artem quidem vti inſtrumentis, animum autem corpore.* Ac ſi dixiſſet, quemadmodum cuiuſcumque artis ſunt certa quæpiam propriaq; inſtrumenta, quibus illa vti debeat; ita corpus humanum eſt veluti proprium animi inſtrumẽtum: Quocirca vt ars, exempli gratia, ferraria, vti quidem hoc, illoue inſtrumento poteſt, ſuo tamen, ac proprio; minimè verò pingendi artis, vel ſutoriæ inſtrumentis; ſic animus potis eſt quidem hoc, illoue corpore, ceu inſtrumento vti, ſed tamen corpore humano: quòd cætera animantium corpora, nõ ſint idonea ad eius operationes exercendas: perinde, ac inſtrumẽta artis ſutoriæ minimè ſunt apta, vt ars ferraria quicquam efficiat.

Ad extremum, idem colligitur ex eo, quod ait. *videtur enim vnumquodque propriam habere ſpeciẽ, & formam.* Ecquid aliud hic ſibi vult, niſi quod anima ſortita ſit erga corpora, propriam ſpeciem, & formam? hoc eſt quod coarctetur intra vnius ſpeciei corpora: nec verò per alia, atque alia cuiuſuis conditionis, & ſpeciei inordinatè vagetur. Ex quibus omnibus liquidò conſtat, Philoſophum multi quidem in eam opinionem, quæ ſine vllo delectu, atque diſcrimine, animas in diuerſa, diuerſarum ſpecierum corpora depellebat; non autem improbare, immò verò approbare eam, in qua, etſi anima de corpore in corpus defertur, tamen non niſi de corpore humano, in corpus humanum; & intra eandem ſpeciem continetur.

Quartò, in textu etiam vigeſimoſexto ſecundi libri de Anima, videtur quidem Veteres hac ipſa de re ſugillare, cum tamen nõ niſi illos carpat, qui animã, vt aiebam, ad diuerſa, diuerſarum ſpecierum corpora ſine vllo diſcrimine aptabant. *Et propter hoc*, inquit Ariſtoteles, *anima in corpore ineſt, & in corpore huiuſmodi, & non ſicut priores ad corpus aptabant ipſam, nihil vlterius definientes, in quo, & quali: quamuis non videatur quodlibet recipere quodlibet.*

Examina primò diligenter, cum dicitur *animam ineſſe in corpore, & in corpore huiuſmodi*, quid obſecro eſt, *corpus huiuſmodi?* nimirum humanum; quod ſolum eſt aptum, & idoneum veluti inſtrumentum, ad animi operationes eliciendas, id quod illi minimè determinarunt Veteres: cum animam intellectiuam indiſtinctè in quoduis corpus etiam variæ diſſimiliſque conditionis, ac ſpeciei aptabant: *nihil definientes in quo, & quali*, ob id in præſentia reprehenduntur. Qui igitur animam rationis participem ad huiuſmodi corpus, nimirum humanum duntaxat aptaret; is non modò ab Stagirite non reprehenderetur, ſed illi apprimè conſentiret. Ad hæc, nam quod adijcitur, *quamuis non videatur quodlibet recipere quodlibet*, (græca lectio planiorem dat ſenſum, *καίπερ οὐδὲ φαινομένου τοῦ τυχόντος δέχεσθαι τὸ τυχόν*, ſic verto. Quamuis appareat, non quodlibet recipere quodlibet) eſt ratio qua ſugillet Veteres. Hoc pacto, etſi apparet non quodcumque recipere quodcumque, ſed vniuſcuiuſque actus fiat in eo, quod potentia exiſtit, & in propria materia; tamen illi, quamcumque animam temerè, atque inconſultò a quouis corpore recipi opinati ſunt. Qui itaque ſentiret, animam intellectricem non in quouis corpore, ſed in humano duntaxat eſse recipiendam, quod ſic eſt in potentia ad animum, ſicut inſtrumentum ad ſuã artem, is vtique cum Ariſtotele conſentiret.

Quintò, ſuppetit locus ex tertio de Anima, qui ſi legitimè, ac ſyncerè enucleetur, omnem hic tibi adimet ſcrupulum. In tex. 20. cum Stagirites affirmaſſet, particulam illam, qua, & cognoſcit anima, & ſapit, id eſt, animam intellectricem, vt Diſput. 6. multis a nobis expoſitum eſt, ſolam eſſe immortalem, atq; perpetuam: cumque fuerit a corpore ſeparata, *eſſe ſolum hoc quod quidem eſt*; ſtatim adiungit. *Non reminiſcimur autem, quia hoc quidem impaſſibile eſt, paſſiuus verò intellectus, corruptibilis eſt, & ſine hoc nihil intelligit.* Quæ quidem ſententia, niſi animorum regreſſum in diuerſa corpora ſupponas, commodè nequit exponi, aut intelligi. Nã abſonus omninò videtur ſenſus, quem aliqui huic ſententiæ tradunt: nimirum *non reminiſcimur autem.* hoc eſt, poſt mortem. Abſonus inquam; Tùm quia, aut hoc reminiſci refertur ad compoſitum, & hoc impoſſibile eſt, cum id per mortem intereat: aut refertur ad animam, & hoc nihil minus eſt impoſſibile; quia reminiſci eſt, cum ſenſu, & imaginatiua, quæ

in anima iam corpore exuta, non remanent. Tùm etiam, quia Philoſophus clariſſimè ait, nõ reminiſcimur, hoc eſt nos, qui in hac vita degimus, & inter homines agimus.

Et profectò exſibilãdus eſſet Stagirites, ſi de reminiſcentia poſt mortem, verba quateret. Vnde is ſciuerat, reminiſcitur ne anima poſt interitum animalis, nec ne? Germanus itaque huius effati intellectus eſt, quòd Philoſophus Præfatis verbis *non reminiſcimur, &c.* tacitam quandam diluit obiectionem: poſſet ei quiſpiã objicere: Si animi noſtri, vt tu ſtatuis Ariſtoteles immortales, ac perpetui ſunt, conſequẽs eſt, vt priuſquàm ij nobis acceſſerint, in alijs atq; alijs corporibus fuerint. Cur igitur non reminiſcimur eorum, quæ in illis corporibus geſſimus? enimuerò id videtur rationi maximè cõſentaneum: non ſecus atq; ego dum migro Bononia Romam, quæ Bononiæ geſſi, eorum optimè reminiſcor: ita, ſi anima, verbi gratia, tua immortalis, ac perpetua eſt, & prius quàm in te venerit, fuit in alio, ſac fuerit in Homero; quid eſt, quod eorum non reminiſcere, quæ in illo geſſiſti?

Immò verò Plato ex hoc ipſo capite, tùm ſępè alibi, tùm maximè in Ménone colligit reminiſcentiam, dum ita ſcribit. *Cum ergo animus immortalis ſit, ac ſæpius in hanc vitam redierit, viderítque perſæpè, & quæ in hac, & quæ in alia vita ſunt, omniaque perceperit, nihil vtique reſtat, quin ipſe didicerit: quamobrem nihil mirum eſt, ſi eorum, quæ ad veritatem, & ad alia pertinent, reminiſci poſſit.* Plato cohærentia dicit, tu verò pugnantia, Ariſtoteles, loqui videre; cum in præſentia, & rectè quidem animum facis immortalem, alibi verò pugnaciter, perfractèque impugnas reminiſcentiam; vt feciſti in primo libro Poſter. cap. 1. & 3. Quid verò? nonne paulo antè in hoc ipſo nimirum tertio libro de anima, tex. 14. affirmabas, hominis intellectum eſſe quaſi nudam tabulam, in qua nihil eſt expreſſum? vel igitur animum ſtatuas caducũ, & mortalem oportet; vel ſi eum expertẽ interitus facis, vt meritò facis, admittas etiam reminiſcentiam omninò neceſſe eſt. Ita Stagiritæ objicere poſset aliquis.

Tacitæ huic obiectioni reſpondet Philoſ. quòd quamuis anima ſit immortalis, ac perpetua, præfueritque in alio, atque alio corpore; propterea tamen rerum illarum non reminiſcimur, quia intellectus paſſiuus, hoc eſt imaginatiua, eſt corruptibilis; & ſine hoc, anima dum eſt in corpore nihil intelligit. Quamobrem, & ſi anima mea ea ipſa ſit, quæ fuit, ſac ita eſſe, in Homero, nihilominus, quia aliam habet phantaſiam diuerſa mihi miniſtrantem phantaſmata, ab illis, quæ ſubminiſtrabat in Homero exiſtens, iccircò nequeo reminiſci, quæ in illo animus meus geſſerat. Quare merum putum mendacium exiſtimaſſet Philoſophus, vanam illam Pythagorę recordationem, qui ſe primò iactabat Aethalidem, poſtea Euphorbum, deinde Hermotimũ, poſtremò Pyrrhum, denique fuiſſe Pythagoram: & eorum omnium, quæ in illis patrauerat, Mercurij munere, memoriam ſeruauiſſe. Hæc enim impoſſibilia ſunt etiam ſuppoſito animorum in diuerſa corpora regreſſu: vt dictum eſt. Quare, & tandem concludam, Stagirites partim quidem conſentit cum Platone, quantum ad animę immortalitatem, & eius in diuerſa humana corpora regreſſum, partim ab eo diſſentit, quantũ ad reminiſcentiam.

Quæ hucuſque ex Ariſtotele pro hac attuli opinione, cum apud neminem legiſſem, quod ſciam, ipſe in grat am præclarorum virorum, Beſſarionis, & Contareni exquiſiueram: ne duo hæc lumina temerè quicquam in Ariſtotelis doctrina viderentur affirmauiſſe. Verùm vbi hæc iam dudum a me elaborata fuere; ecce mihi hiſce diebus in manus venit opus de immortalitate animæ Iulij Cæſaris Lagallæ viri ſolidè docti, qui lib. 3. cap. 10. eandem huius vigeſimi textus expoſitionem interſerit: ex quo etiam hæc verba hic lubens exſcribo.

Neque obſtant contra hanc ſententiam importunę Pomponatij interrogationes: Scilicet, ſi animæ reuniuntur, vtrum ſtatim, vel poſt aliquod tempus: Et illo inter medio tempore, quid agant. Et, vtrum omnes animi maſculorũ vniantur maſculis, fęminarum fęminis, an promiſcuè: Et, vtrum animæ Gallorum vniantur Gallis, an potius Hiſpanis, vel Italis, & alia ſimilia nugamenta. Ad hæc enim cum pertineant ad animæ ſeparatæ ſtatum, qui naturali lumine, etiam ipſo confidente, cognoſci non poteſt, Philoſophus reſpondere non debet. Hæc Lagalla, & rectè: quamuis illud adiici poſſit, quod ſi Pomponatius Veterum monumenta, qui in hac opinione fuerunt, penitius excuſsiſset; non paucas offendiſſet ſuarum interrogationũ reſponſiones: quas equidem ex illorum operibus huc adduxiſſem, niſi

niſi ex animo tenerem, hanc aſſertionem, & falſam, & abſurdam eſſe. Sed ad Ariſtotelem revertamur. Itaque arguo.

Sextò, admiſſa hac μετεμψυχώσει, viciſſitudine, & migratione animarum, multa Ariſtotelicæ doctrinæ placita ſibi cohærent, & innumera incommoda, quæ in eius doctrina videntur, nullo negotio depelluntur, quæ abſque animorum reditu, omnes torquent, & tandem manet intorta. Inter quæ nimium vrget illud de animorum infinitate: quippè cū Philoſ. mundū fecerit ſempiternum, & animos immortales, ac numero diuerſos: ſi non ij certo aliquo numero comprehenderentur, vt quibuſdam temporum interuallis ad corpora denuo redirent: quis nō videat, nunc eſſe actu infinitam eorum multitudinem? Hoc argumento conuincitur Beſſarion, cuius verba præſtat hic adſcribere ex lib. contra calumniatorem Platonis cap. 7. vt ipſomet dicente, quæ ſit eius opinio, clarius, atque certius cognoſcatur. Qui mundum, inquit, ingenitum, atque incorruptibilem, & nihil actu infinitum ponit, hunc Platonis ſententiā probare, de tranſitione animarum, neceſſe eſt: Si animam hominis eſſe immortalem, fateatur. Nec Ariſtotelem hoc negaturum fuiſſe exiſtimo, modò (quod equidem reor) immortalem eſſe hominis animam cenſuerit: Quod niſi hūc teneat animationis modum, nefarium illū amplectatur neceſſe eſt, quem eius expoſitores, qui præſertim doctiores habiti ſunt, Alexander Aphrodiſienſis, & Auerroes manifeſtè tribuūt; vt vnus communisque ſit omnium hominum intellectus: hæc Beſſarion. Præterea, ſi aīa humana non præexiſteret, deberet vtiq; produci ex nihilo, & creari. Nihil autem eſt in doctrina Ariſtotelis, quod validius omnes eius artus, & neruos contundat, quam productio alicuius ex nihilo.

Septimò, non minores habet vires, quod nunc ſubijcio; Si Ariſtoteles in hanc Platonis tranſanimationem non iuiſset, confutaſſet eam alicubi: enimuerò hic eò maiorem ſibi gloriam fore arbitratus eſt, quò Platonis doctrinam impenſius impugnaſset. Quàm acriter inuehitur in eam Platonis opinionem, *quod anima ſit ex elementis?* Quàm flagranter impetit aliam, quod in animali *ſint animæ loco, & ſubiecto diſtinctæ?* quā pugnaciter contorquetur in Idearum poſitione? quo impetu, quo animi nixu penè ruit in generationem mundi? Hic ergo animorum regreſſum, quem in Platonis animo tam altè inſediſse intelligebat, tacitus præterijſſet? Id propterea non fecit, quia rem ita eſſe cenſebat: hæc pro iſta opinione attulimus.

Quibus tamen nihil officientibus determinatè dicendum eſt, Ariſtotelem neutiquam deſcendiſse in hanc, tam falſam, & abſurdam opinionem, ſed ex ſententia tenuiſse, animam intellectricem, actione ſuperioris agentis, vt alias expoſuimus, tunc in corpore produci, cum primùm corpus organis humanæ proli conuenientibus diſtinctum, ac perfectum eſt. Id qđ vel hac ratione commonſtratur. Anima intellectiua eſt vera, & informans hominis forma, vt Diſput. 4. oſtenſum eſt: Atqui forma informans cuiuſcumque rei, non eſt ante rem cuius eſt forma; vt auctor eſt Ariſt. 12. Metaph. tex. 16. *etenim quæ ſunt, vt ratio, ſimul ſunt: cum enim ſanus eſt homo, tunc etiam ſanitas eſt: & forma æneæ ſphæræ, ſimul atque ænea ſphæra*, ergo Ariſtot. conſtanter tenuit, animam intellectiuam non extitiſſe ante corpus. Maximè verò, quia hæc eſt veritas, ad quam celſum illius ingenium pertigiſse credendum eſt: vt tamen hoc magis appareat, ſit.

SECTIO QVARTA.

Phyſicis rationibus oſtenditur, animam intellectricem nullo pacto extitiſſe ante corpus, ſed eo temporis puncto in corpore procreari, quo corpus organis humanam prolem decentibus diſtinctum, ac perfectum fuerit.

DVO ſunt nobis pacto pari in præſentia rationibus communienda, & quoad fieri poſſunt, aperienda. Alterum, animas intellectus participes, non fuiſse ante corpora, ſiue ex æternitate, ſeu ab exordio rerum productas; alterū, eas ipſas, tùm, cū exactè diſpoſita sūt corpora, in ijs produci, & quomodo? primum hic oſtendemus, alterum in ea ſectione, quæ proximè huic ſuccedit.

Primò, nam, auctore Philoſopho in principio ſecundi libri de anima, anima neque materia eſt, neque compoſita ex materia, & forma: ſiquidem eo loci forma, tàm a materia, quàm à compoſito diſtinguitur: Quod in re noſtra, propius vrget: quandoquidem in confeſſo eſt

apud auctores, cum quibus nunc agimus, animam intellectiuam eſſe immortalem, atque adeò immaterialem. Atqui ea omnia, quæ materia carent, differunt inter ſe formaliter, ac ſpecificè: Tum, quia quæcumque diſtinctio numerica prouenit a materia, aut ab ordine ad illam: vnde Philoſophus permultis in locis, vt in primo libro de Cœlo tex. 92. Et 5. Metaphyſ. tex. 12. Et lib. 7. tex. 28. apertis verbis docet, vnitatem, ac diſtinctionem indiuiduorum, eſſe a materia. Quare in 12. Metaphyſ. tex. 49. abſolutè ait, ſi darentur duo prima principia, quæ ſolo numero differrent, illa debere conſtare ex materia: *quia quæcunque multa numero, materiam habent*. Tum etiam, quia intelligentiæ icicircò inter ſe ſpecie diuerſificantur, vt docet S. Thomas prima parte, quæſt. 50. art. 4. & communis conſenſus Philoſophorum, quia nec materiam, nec vllum ordinem ad eam habent: ergo ſi animæ humanæ exiſterent ante corpora, ſiue ab æterno, ſeu ab exordio rerum; cum illæ nec materiam habeant, nec vllum ordinē ad eam; neceſſariò inter ſe differrent ſpecie. Hoc autem, & abſurdum, & impoſſibile eſt: quia hoc pacto etiam homines, quorum illæ in tempore eſſent formæ, inter ſeſe differrent ſpecie; cum ſpecies rerum ſumatur a forma: ergo animæ non extiterunt ante corpora.

Huc facit, quod Themiſtius, Auerroes, & complures alij Philoſophi ob hanc potiſſimum cauſam, quia nimirū in ijs, quæ materia carent, numerica diſtinctio inueniri non poteſt, in eā delapſi ſunt opinionem, vt aſſererent; omniū hominum intellectum, vel, ſi mauis animam, eſſe vnam aliquam ſubſtantiam, & numero, & ſpecie eandem. Quare Auerr. in eo opere, qd inſcribitur Deſtructio deſtruct. in Diſput. prima, in ſolut. 7. dubij hæc habet, *Nos dicimus, quod ponere animas ſeparatas a materia plures in numero, eſt opinio inconceſſa ab omnibus Philoſophis*. Cuius etiam afferri, rationem annectit. *Cauſa enim pluralitatis, ſeu numeralitatis, eſt materia apud Philoſophos; & cauſa conuenientiæ in multitudine numerali, eſt forma*. Quare, &c.

Neque eſt eadem ratio de animis noſtris nunc, vt res habet, a corporibus ſeparatis, atque ſi ij ante corpora eſſent producti. Nam modo animi corporibus laxati, quamuis nullam habeant materiam, dicunt tamen ordinem intrinſecum, ac tranſcendentalem ad propria corpora, in quibus ab initio, vt actus in propria materia procreati ſunt, & quæ olim informauerunt: a quo quidem ordine commenſurantur, & diſtinguuntur numericè, vt eſt communis Philoſophorum ſententia, & explicat S. Thomas 2. contra Gent. cap. 81. & nos infra Diſput. ſexta in reſponſione ad 8. argumentum multa diximus. Cæterùm ſi animæ ante corpora eſſent productæ, nullum huiuſmodi ordinem dicere poſſent. Ecquem vnquam ordinem tranſcendentalem ad vnum aliquod corpus dicere poſſent, cum modo ad hoc, modo ad illud corpus eſſent aptandæ? quare nullo modo numericè diſtingui poſſent. Nec verò ἰδιοτρόπεια illa Plotini, modus inquam, & proprietas quædā, per quam aſſerit, animas productas etiam ante corpora numericè diſtingui, opem aliquā fert euadendi hoc argumentum. Nam illa idiotropia (de qua multa diximus loco quem dixi) reperitur etiam in Intelligentijs, modò non ſit aliquid materiale, vel ex materia ortum; quæ tamen inter ſe differunt ſpecie: quare eodem reuoluitur argumentum.

Secundò, naturale eſt cuicumque formæ vniri propriæ materiæ; ſecus enim ex materia, & forma non coaleſceret vnum aliquod naturale; ſed fieret aliquod præter, aut etiam contra naturam: atque adeò homo, exempli gratia, eſſet aliquid præter, aut contra naturam. Si igitur anima intellectiua eſt hominis forma, id quod Diſput. quarta oſtenſum eſt, erit vtiq; illi ſecundum naturam, vniri propriæ materiæ, & præter naturam, eſſe extra corpus. Qd autem conuenit alicui ſecundum naturam, id prius eſt eo, quod conuenit eidem præter naturam: ob id, quia quod conuenit ſecundum naturam, conuenit per ſe, quod verò attribuitur alicui præter naturam, id ex accidenti eſt: prius verò eſt eſſe per ſe, quàm eſſe per accidēs: ergo animæ humanæ prius conuenit eſſe vnitā corpori, quàm a corpore ſeparatam: atq; adeò non eſt extra corpus producta. Et profectò ſi animæ non eſſet naturale vniri, ac eſſe in corpore; violenter in eo detineretur: perinde atq; detinetur is (vt eorū exēplo vtar) qui eſt in carcerem detruſus. Quod ſi ita res habeat, quid eſt, Deum immortalem, quòd illa tam formidoloſè terretur, & perhorreſcit migrare de corpore? immò verò videmus res alias impetu quodam in id ferri, quod illis ſecundum naturam conuenit: & ſicubi fuerint vi detenta, eniti, ſi id efficere queant; vt inde elabantur, & ad naturalem ſibi locum properent. Ex quo conſequitur, quod anima noſtra potius lætabunda

e cor-

e corporis cōpedibus auolare, quàm in eo diutius manere eniti deberet, cum tamen oppoſitum rerum vſus, & experientia monſtret.

Verùm, quicumque poſuerunt animas extra corpora fuiſse antequam corporibus vnirentur, ij omnes exiſtimarunt, eas eſse naturas aliquas perfectas, & in ſe completas, Neque naturalē eſſe animarum perfectionem, illas vniri corporibus, Sed vniri illis ſolùm accidentaliter, ſicuti motor aliquis vnitur mobili, Et homo, indumento: ex quo aiebant hominem, non eſſe ex anima, & corpore, ſed animā vtentem corpore. Atque vt motor, relicto vno aliquo mobili, commodè ad aliud mouendum transſire poteſt; & homo exutus hac veſte, illa ſe induit; ſic anima intellectrix, relicto hoc corpore, accedit ad aliud, & exuta hoc, veſtitur illo.

Hęc tamen reſponſio multas inuoluit abſurditates, nec adhuc argumenti vires euitat. Principiò, abſurdum eſſe, animam intellectus participem, accidentaliter vniri corpori, & ceu motorē mobili, his rationibus fit conſpicuum. Mobile non ſortitur ſpeciem à ſuo motore: an verò quia ego, dum ſcribo moueo calamum, ob id calamus fit rationalis? Si igitur anima vnitur corpori meo, vt motor mobili, corpus, & partes meæ, non ſortiuntur ſpeciem ab anima mea: quare ea abeunte, corpus & partes meæ adhuc remanebunt eiuſdem ſpeciei, ac prius erant. Hoc autem nemo ſanæ mentis cōcederet. Tum quia nulli harum partium propria operatio adeſt, quę conſequitur ſpeciem. Tum etiam quia caro, os, manus, & huiuſmodi partes, poſt obitum, non niſi æquiuocè dicuntur. Deinde, mobile neque gignitur per applicationem motoris ad ipſum, neque interit per eiuſdem diſceſſum; cum mobile nō dependeat a motore ſecundum eſse, ſed duntaxat in motu. Si igitur anima vnitur corpori ſolum, vt motor, conſequens eſt, vt in vnione eius, cum corpore non fit aliqua generatio, neque in eiuſdē ſeiunctione a corpore, aliqua corruptio: atque adeò mors, quæ poſita eſt in ſeparatione animæ a corpore, non erit corruptio animalis: quod vel cogitare eſt abſurdum. Quiduerò? erit in poteſtate animæ relinquere corpus, iterumque illud aſſumere, ſi ita libuerit; cum motor, id optimè efficere queat. Vide S. Thomam 2. contra Gent. cap. 57. & in prima parte, quęſt. 75. art. 4. & Diſputationem noſtram. Quæ huic proximè ſuccedit.

Secundum etiam, nimirum præfatam reſpōſionem non effugere vim argumenti, patet: quia vnaquæque res, vnum ſibi à natura datū habet locum, in quo naturaliter conquieſcit, & extra illum vi detinetur; quod cernimus in omnibus rebus. Vel ergo corpus humanum eſt naturalis animæ locus, ita vt anima naturaliter in eo conquieſcat, vel non. *Si* prius, ergo vnitur etiam naturaliter corpori, quia ita res fit, ſicut eſt, & ſi anima naturaliter conquieſcit vnita, naturaliter etiam vnitur. Cum autem omne quod eſt alicui naturale, id eſt prius quocumq; alio, vt dudum dicebamus, redit argumentum, animam intellectiuam prius eſſe vnitam corpori, quàm ſeparatam. Si autem corpus non eſt naturalis animæ locus, ergo anima vi detinetur in eo; ſicut ignis in terra: quod ſi ita res eſt, cur non lubens hinc aufugit? cur tantopere formidat expoliari? vti dicebā. Deinde, homo nō modò non erit aliquod ens naturale, ſed erit violenter conflatus.

Neque ſatisfaciunt ij, qui aiunt animas, in quorundam ſcelerum pęnam detrudi in corpora. Nam hæc ipſa, quæ fecimus argumenta, hoc eſſe falſum conuincunt. Et prætera ſequeretur vnionem corporis & animæ, non eſſe bonum naturæ, ſed potius malum quidpiam; ſicut eſt omnis pęna; quod tamen eſt impoſſibile, cum nullum malum per ſe intendatur, & tamen natura vnionem animæ, & corporis, hominisque generationem per ſe intendat.

Tertiò, ſi animæ extra corpora productæ ſunt, & poſt aliqua ſæcula corporibus vniuntur, quæro, cur tandem, & quo pacto id in tempore fiat? Vel enim hoc ex parte animæ, vel ex parte alicuius extrinſeci agentis, proueniat omninò neceſſe eſt. Ex parte animæ, adhuc gemino modo, Aut per naturalem aliquem appetitum: Aut ſpontaneè, & per voluntatem, *Si* verò ab extrinſeco, aut fit per vim, aut ſuaui Dei diſpoſitione. Nullum autem horum eſt rationabile, ergo &c.

Non primum; Tùm, quia vnaquęque res naturaliter appetit ſuam perfectionem, forma autem eſt perfectio materiæ, non e conuerſo, ergo impoſſibile eſt, vt anima intellectrix, quæ comparatur ad corpus, ſicut forma ad materiam, appetat naturaliter, ſeu materiam, ſiue vnionem ad illā: ſed potius e contra, *materia appetit formam, ſicut fęmina marem*. Tùm etiam, quia appetitus naturalis cuiuſcumque rei, ſtatim exit in actum, niſi a quoquam impediatur; vt apparet in motu

tu

tu leuium, & grauium. ſi itaque animæ haberēt appetitum naturalem, ſeſe corporibus vniēdi, ſtatim vnirentur, vbi primum fuiſsent productæ;ſiue ex æternitate, ſeu ab exordio mundi: cum illis nullum adeſſe queat impedimentum; quia quidquid in re aliqua impedit executionē appetitus naturalis,id ei affert violentiam: cuius incapaces ſunt animæ, vt mox dicemus: quare animæ per appetitum naturalem nequirent vniri corporibus, ſi eſſent extra ea productæ.

Nec dici poteſt id qđ ab aliquibus ad rem præſentem dictum eſt, nimirum peractis quibuſdam temporum reuolutionibus naturalem appetitum ſuperuenire animæ, corpori adhærendi: aut ex operatione naturæ vnionem cauſari huiuſinodi. Non primum,quia,quæ ſecūdum naturam aliquo temporis ſpacio aguntur, ea ſubiacent cęlorum motibus,qui ſunt menſura,qua temporum ſpacia menſurantur. Atqui anima ſeparata nō ſubiacet cęlorum motibus; cum ea,vt dicitur in libro de Cauſis, ſit ſupra omne tempus. Non igitur varia temporum interualla poterunt nouum aliquid in ea cauſare,neque ei naturalem aliquem appetitum excitare, vt corpori vniatur. Quod etiam inde conſtat, quia innumera annorum ſpacia,nihil de nouo efficere poſſunt in intelligentijs,quòd eæ ſunt ſupra tempus; ergo pari ratione in anima ſeparata. Non ſecundum, nempè huiuſcemodi vnionem cauſari ab operatione naturæ, Quia operatio naturæ eſt vniformis, ſemperq; eadem; ergo ſemper idem, eodemque modo operatur. Quare nequit modo aliquid cauſare in anima,quod antea non cauſabat; maximè verò in ijs, quæ temporum viciſſitudini haud ſubiacent.

Multo minus vellet anima vniri corpori ſpōtè,& per voluntatem, tum, quia ſi per voluntatem ſeſe adiungeret corpori, poſset etiam per voluntatem,illud deferere;cum tamen rei ipſius vſus nos doceat, non eſse in animæ poteſtate deferere corpus,& ex eo abire, cum vult; tum etiam,quia nemo vult in ſtatum deterioris noſtræ venire, niſi fortaſſe deceptus. Atqui deterior eſt ſtatus animæ,dum eſt vnita corpori, in ſententia,quàm impugnamus: quia anima ex vnione,ſiunt,ad corpus,retardatur a veri pulchrique contemplatione. Et etiam,quia in corpus tamquam in carcerem conijcitur. Et denique,cum in corpus deijcitur, propter coniunctionem,cum hac terrena fæce,quaſi hauſto lethęo poculo, omnium rerum,quas in beato,ac fælici illo loco, in cęlo conſpexerat,memoriam amittit: quare fatuum eſt aſſerere, animam ſemet ſpontè,ac per voluntatem in corpus conijcere. Præterquamquod, non eſt maior ratio, quare ad hoc potius,quàm ad illud corpus deſcendat. Ex his liquidò conſtat,nulla ex parte animæ, aſſignari poſse cauſam,cur ea, ſi fuiſset extra corpus producta,deberet corpori vniri.

Longè minus aſſignari poteſt huius vnionis cauſa,ex parte agētis cuiuſpiam extrinſeci: an Dei,an alicuius alterius. Vel enim iſthuc vniret eam vi,& coactè, vel ſuaui quadā Vniuerſi diſpoſitione. Non prius, quia anima incapax eſt cuiuſuis violentiæ: nam ſi in corporibus cęleſtibus, nihil inuenitur violentum,vt Ariſtoteles lib. 2. de Cęlo oſtendit: vis ne in ſubſtantijs ſeparatis,in quarum numero reponitur anima intellectrix,quæ ſunt multò altioris ordinis, quam corpora cęleſtia, vlla vis, aut coactio reperiatur? Non poſterius,ſuaui nimirum Dei diſpoſitione, propter Vniuerſi pulchritudinem. Quia dedecet diuinæ ſapientiæ ordinem, vt inferiora nobilitet, magno cum detrimento ſuperiorum: immò verò contra, ima per media eleuare ad ſumma conſueuit. Infima in rerum ordine, ſunt corpora generabilia,& corruptibilia: Animæ autem ſeparatæ, annumerantur inter ſuprema: ergo inconuenienter ſumma Dei ſapientia, animas ad corpora,& ima rerum depelleret; cum hoc non abſque earum detrimento fiat, vt dictum eſt; quod tamen affirmandum non eſt. Quare &c.

SECTIO QVINTA.

Anima rationalis, eo temporis articulo producitur in corpore, quo illud perfectè, & vltimatè ad eam diſpoſitum eſt, & quomodo producatur.

QVOD itaque anima eo momento producatur: primò ex his, quæ hucuſque ediſseruimus, apertè colligitur. Nam ſi anima intellectrix,exempli gratia mea, non eſt ante corpus,incipit eſſe vna cum corpore meo. Deinde, illud,quod eſt primum principium omniū operationum alicuius compoſiti, fit vna cum eo compoſito, propterea quod eſt illius compoſiti

ti actus primus, ſubſtantialis, à quo prodit actus ſecundus, & operatio. Actus autem primus, ſeu forma alicuius rei, vnà cum ea re producitur. Atqui anima rationalis eſt primum principium omnium hominis operationum: Cum enim in homine non, niſi vna forma ſubſtantialis ponatur, & ea quidem eſt anima rationalis, vt alias ex Ariſtotele diximus; ab ea profectò tanquam a principio primo, proficiſcuntur omnes hominis operationes. Quare ea vnà cum corpore humano incipit eſse. Denique, quia anima intellectiua eſſentialiter fit vna numero ab hoc corpore; cum diſtinctio numerica ſumatur penes aliquod materiale: vt ſuperius expoſitum eſt: ergo neceſſariò incipit eſſe cum illo. Patet conſequentia, quia vnum, & ens conuertuntur; ergo ſi anima incipit eſſe vna, tunc incipit eſse ens: incipit verò eſse non ex materia, ſed aliunde, vt mox dicemus.

Verùm, inquies, fac hanc numero animam, vnà cum hoc corpore incipere; poterit ne hæc ipſa in aliud corpus humanum tranſire?

Minimè verò. Si enim poſset, iam hæc numero anima intellectrix, eſſet ante illud corpus, in quod immigrare deberet: neque vna cũ eo eſſe inciperet: quorum vtrumque à nobis confutatum eſt.

Quod ſi obijcias, forma non debet eſſe deterioris notæ, quàm ſit materia. Atqui materia ſucceſſiuè potis eſt multis ſubijci formis; igitur potiori iure forma poterit ſibi multas, ac varias materias ſubijcere, quod eſt eam poſſe de corpore in corpus commigrare.

Reſpõdeo, penitus repugnare, quòd aliqua forma, etiam intellectiua poſſit ſucceſſiuè in multis materijs eſſe. Tùm propter eas ipſas, quas innuimus rationes. Tùm, quia ſi forma ex vno ſubiecto migraret in aliud, quis eam transferret? aut quomodo transferret? aut talis migratio, ac tranſitio, quænam eſſet ſpecies motus? ad nullam enim referri poſse, clarum eſt perluſtranti omnes ſpecies motus. Quare tranſitus animarum de corpore in corpus omninò eſt impoſſibilis.

Poſtremò, exponendus eſt modus, quo anima intellectiua producatur in corpore. Id negotij celebratur hoc pacto: Virtus, quæ eſt in ſemine ab homine deciſo, diſponit materiam ad formam hominis recipiendam: propterea, quia cum ſemen agat, vt inſtrumentum in virtute hominis principaliter operantis, præparat, deſtinatque materiam ad formam ſimilem ei, in cuius virtute agit: quemadmodum calor ignis diſponit materiam ad formam ignis. Vbi verò ad vltimam diſpoſitionum metam peruentum eſt, tunc iuxta naturæ leges producitur in tali materia, ſic inſtructa, ac præparata, anima intellectiua; actione ſuperioris agentis, hoc eſt Dei; vt a nobis Diſput. proximè præcedenti in reſponſione ad ſecundum argumentum expoſitum eſt: & mox etiam audies. Et hoc pacto conſurgit totum hominis compoſitum, primario a natura intentum.

Tandẽ pro coronide huius rei, adnotanda eſt aurea illa doctrina; quã habet S. Tho. q. 3. de potent. art. 17. & libri 2. contra Gent. cap. 34. & in prima parte, quæſt. 49. art. 1. quod hoc intercedit diſcrimen inter productionem totius Vniuerſi, a Deo producti; & productionẽ alicuius rei particularis, quæ itidem a Deo immediatè proficiſcatur. Quod cum verba facimus de productione Vniuerſi, quia vlterius nõ eſt inuenire aliquod creatum, ex quo rationem aliquam eruamus, quare Vniuerſum ſit tale, aut tantum: & quia nec etiam ex parte diuinæ potentiæ, quæ eſt infinita: nec diuinæ bonitatis, quæ rebus non eget, ratio aliqua determinatæ diſpoſitionis ſumi poteſt; oportet totam eius rei rationem, ex ſimplici voluntate producentis eruere: vt ſi quæratur, cur tanta, & nõ maior ſit cęli quantitas; aut cur tunc, & non prius mundus fuerit productus? Huius rei nequit vlla alia reddi ratio, niſi mera producentis voluntas. Cæterum dum ſermo eſt de productione particularis cuiuſpiam rei, a Deo etiã per creationem productæ, commodè poteſt afferri ratio, quare res illa talis, aut eo tempore ſit: idque ex aliqua alia creatura, vel ſaltim ex ordine Vniuerſi, ad quem, quæcumque res particularis ordinatur, tamquam pars ad formam totius. Propterea, quod ad rem noſtram attinet, optimè aſſignari poteſt ratio, quod hucuſque fecimus, quare anima intellectrix, quamuis immediatè producatur a Deo, nihilominus tunc, & non antea produci debeat: quod vt penitus pernoſcas: ſit.

SECTIO SEXTA.

A quonam agente producatur anima intellectiua, a Deo ne, an ab aliqua intelligentia?

DEMONSTRATVM a nobis fuit, animam rationis participem non extitiſſe ante corpus; ſed eo temporis articulo produci in corpore, quo materia perfectè ad eam formam diſpoſita, inſtructaque eſt. Oſtenſum etiam eſt, eam cum ſemine, vi naturalis agentis non propagari: neceſſariò itaque ex nulla præiacente materia producitur, quod eſt creatur. Proximum eſt, vt a quonam agente in eſſe prodeat, & creetur, paucis videamus: nam aliqui Philoſophi, inter quos eſt Auicenna 4. Metaph. cap. 9. & Algazel, Simon etiam Magus; & Meriander illius diſcipulus, vt auctor eſt Epiphanius hæreſi. 21. & 27. Seleucus, & Hermes, vt conſtat ex lib. 7. Hiſtoriæ tripart. cap. 11. Et aliqui alij, in ea fuerunt opinione, quod animæ rationis participes creentur quidem, non tamen a Deo, ſed ab intelligentijs, ſeu potius ab vltima intelligentia. Quod etiam aſſeri videtur in libro de cauſis, vbi habetur, Deũ producere creaturas inferiores mediantibus ſuperioribus. Mouebantur verò, vt ita crederent, eo potiſſimùm fundamento; quia, vt inquit S. Thomas, quæſt. 3. de potent. art. 4. opinati ſunt, ab vno ſimplici, cuiuſmodi eſt Deus, non poſſe niſi vnum prouenire: mediatè autem ab illo vno, mediantibus alijs procedere rerum multitudinem. Ita vt a primo rerum omnium ente, Deo, proceſſerit prima intelligentia creata, ab hac prodierit alia inferior, ab iſta orta ſit alia, & ſic deinceps, vſque ad animas noſtras, quæ ſunt vltimę in ordine rerum intellectualium: quò fit vt eę, ſi hos audias, producantur ab vltima intelligentia. Immò verò Auicenna in vniuerſùm affirmat, ab hac ipſa vltima intelligentia, quæ huic inferiori mundo præſidet produci ex nihilo omnes formas, intelligibiles, ſenſibiles, & Phyſicas, & agentia particularia, tãtum diſponere materiam ad recipiendas huiuſmodi formas.

Pro hac ſententia pugnant hæc argumenta. Primũ, quia eo modo, & ordine res exeunt a primo principio, quo ordinantur ad vltimũ finem: cum idem ſit primum principium, & vltimus rerum finis. Atqui inferiores creaturæ ordinantur in Deum, tanquam in finem, mediantibus ſuperioribus creaturis: etenim *lex diuinitatis eſt, per prima, vltima ad ſe reducere.* Ergo etiam creaturæ inferiores prodeunt a Deo mediantibus ſuperioribus. Deinde, in libro de Cauſis dicitur, quod illa, quæ eſt intelligentia ſecunda, non recipit ex bonitatibus primis, quæ procedunt ex cauſa prima, niſi mediante intelligẽtia ſuperiori: De primis autem bonitatibus eſt ipſum eſſe, vt exponit S. Thomas quæſt. 3. de potent art. 4. ergo intelligentia ſecunda, non recipit eſſe a Deo, niſi mediante intelligentia prima. In eodem libro ſubijcitur, vnam intelligentiam ſcire quod ſub ſe eſt, per modum ſubſtantiæ ſuæ, in quantum eſt ei cauſa: Sed vna intelligentia cognoſcit aliam, quæ ſub ſe eſt, ergo eſt huius cauſa. Præterea, perfectum eſt, quod aliud ſimile ſibi producit, *& facit aliud quale ipſum*, vt ait Ariſtoteles lib. 2. de Anima, tex. 34. Sed immateriales ſubſtantiæ multò perfectiores ſunt, quàm corporeę: ergo cum hæ alias ſibi ſecundùm ſpeciem ſimiles efficiant, potiori iure poterunt intelligentiæ ſubſtãtiam aliquam incorpoream inferioris naturæ producere. Ad extremum, maior eſt, ac diuinior in rebus immaterialibus ordo, quam in rebus corporeis. Atqui inferiora corpora adminiſtrantur, ac fiunt poteſtate corporum ſuperiorum, ergo, & inferiores intelligentiæ efficientur per ſuperiores; atque adeò animæ intellectrices non procreantur immediatè a Deo, ſed ab vltima intelligentia.

Verùm, quo pręſens difficultas planius enodetur, ſcito, rem aliquam, ſeu creaturam poſſe aliquid creare, gemino modo capi. Vno quidẽ vt res illa, ſiue corporea, ſeu immaterialis, propria vi, & vt cauſa principalis ex nihilo aliquid traducat ad ens, & creet. Alio verò, vt id efficiat non quidem ſua vi, ſed tanquam adminiſtra primi entis, Dei, & inſtrumentum. Vtrouis modo omninò repugnat, quod creatura quæpiam qualisqualis illa fuerit, poſſit ad cuiuſquam creationem pertingere.

Non priori modo, nam vt aliquid poſſit tãquam principale agens quicquam creare, debet eſſe infinitæ virtutis. Infinita autem virtus in nullam creaturam conuenire poteſt, nec ergo creare cadere poteſt in aliquam creaturã, veluti in principale agens. Prima propoſitio oſtenditur, tùm, quia ad extrahendam aliquã formam ex aliqua potentia, requiritur in agẽte

te aliqua virtus, & quò potentia fuerit remotior a forma, eò maiori virtute opus eſt in agente: ſicut maioris virtutis eſt producere ex aqua ignem, quàm ex aere. Sed ipſum nihil in infinitum diſtat ab ente; cum inter ens, & nihil nulla ſit proportio: ſicut etiam argumentatur Ariſtoteles 4. Phyſic, tex. 71. ergo ad producendũ aliquid ex nulla potentia, ſeu ex nihilo, opus eſt in operante, infinita virtute. Deinde, ſicut inter ens, & nihilum, nulla eſt proportio, ſic inter virtutem actiuam, quæ producit aliquid ex ente, & eam, quæ producit aliquid ex nihilo nulla eſt proportio. Sed inter quælibet agentia finitæ virtutis, eſt aliqua proportio; ergo agens ex nihilo oportet eſſe infinitæ virtutis. Hæc facit, quod cum ipſum nihil ſit indeterminatum, ac infinitum, continens totum non eſſe, nulla res poteſt habere ius, & efficacitatem in ipſum nihil, niſi ea quoque ſit infinita, & continens in ſe excellenter totum eſſe. Quare, &c.

Propius ad idẽ arguitur, nam aut intelligentia, quæ ponitur creare, hoc facit per actionem quampiam tranſeuntem, aut per immanẽtem. Prius dici non poteſt, quia actio tranſiens neceſſariò eget ſubiecto; quod in creatione nullũ eſt. Non poſterius, quia actio immanens, qualis eſt intelligere, & velle intelligentiæ, nequit eſſe tantæ virtutis, & efficaciæ, vt ad arbitratũ intelligentiæ, ex nihilo res, quæ ſunt extra ipſam, ab eaque multùm diſſitæ, ac diſtantes, momento exiſtant: nullo igitur pacto fieri poteſt, vt aliqua intelligentia poſſit quippiam de nihilo transferre ad ens.

Si verò ea res, quæ ponitur creare, fuerit materialis, & corporea, multò euidentius idem conuincitur: quia nulla huiuſmodi res poteſt quicquam efficere, niſi per actionem tranſeuntem, & mutationem phyſicam; ad quam exercendã omninò opus eſt ſubiecto: quod in præſentia nullum eſt. Atque hæc aſſertionis noſtræ pars, omninò recepta eſt, maximè ſi D. Thomã audiamus in prima parte, quæſt. 45. art. 5. & quæſt. 3. de potentia art. 4. qui antiquos Philoſophos interpretatur, affirmauiſſe, res inferiores, creatas eſſe, & creari a ſuperioribus, non tanquam a cauſis principalibus, ſed vt a diuinæ virtutis adminiſtris, & inſtrumentis: (q̃uis alij ſecus ſentiant) quare *contingit*, inquit S. D. in illo 5. art. *quod aliquid participet actionem propriam alterius, non virtute propria, ſed inſtrumentaliter, in quantum agit in virtute alterius, ſicut aer per virtutem ignis habet calefacere, & ignire: & ſecundum hoc aliqui opinati ſunt, quod licet creatio ſit propria actio vniuerſalis cauſæ, tamen aliqua inferiorum cauſarum, in quantum agit in virtute primæ cauſæ, poteſt creare.* Iccircò maior eſt difficultas, num aliqua creatura poſſit eleuari a prima cauſa, vt inſtrumentum, quo creet. Pro qua tamen abſolutè dicendum eſt quod.

Nulla res creata, ſiue corporea, ac materialis, ſeu incorporea, atque immaterialis, poteſt tanquam primi entis adminiſtra, & inſtrumentum, quicquam creare. Hoc aſſertum, vel hac ratione conuinces: quia eſſentialis inſtrumenti ratio exigit, vt illud per aliquid ſibi accommodatum, ac proprium operetur: diſponendo ad actionem principalis agentis. Ita demonſtrat S. Doctor locis, quæ dixi: Tùm quia ſi inſtrumentum, nihil ad actionem principalis agentis confert, fruſtra aſſumitur, & temerè ad hunc, illumue effectum applicatur. Tùm, quia ad diuerſos effectus, diuerſa aſſumuntur inſtrumenta. Si autem inſtrumenta nihil ſua virtute operarentur diſpoſitiuè ad actionem principalis agentis, indifferenter quoduis inſtrumentum, ad quamuis operationem aſſumi poſset. Siquidem vnum nihil magis, quàm aliud conferret. Quod etiam tuiſmet oculis in ſecuri, Serra, malleo, atque alijs inſtrumentis conſpicis; quæ ideò a principali agente adhibentur, quia per ſuam propriam actionem, & per aliquid ſibi accommodatum, ac proprium, aliquomodo diſponunt ad productionem effectus, quem principale agens intendit. Atqui nulla res creata, poteſt vllo vnquam modo diſponere, aut præparare ad id, quod ex nihilo creatur: propterea, quod ad productionem illius, quod ex nihilo in inſtanti creatur, nulla præcedit diſpoſitio, neque præparatio vlla in ipſo nihilo recipi poteſt: ergo nulla res creata poteſt, vt inſtrumentum aſsumi a Deo, quò aliquid creetur. Deinde, cum inſtrumentum ſit motum mouens; ſic ex intrinſeca ſui ratione eſt medium inter cauſam principalem & cauſatũ, vt vtrumq; attingendo, deferat influxum principalis agentis ad cauſatum; hoc patet in baculo per quem mouetur lapis. Quare omninò neceſſe eſt, vt vbicumque applicatur aliquod inſtrumentum, ibi ſint duo; id, quod principaliter influit, & id, quod per inſtrumentum recipit principalis agentis influxum. Hoc autem creationi repugnat, in qua nihil præſupponitur, quod poſſit quippiam recipere. Quare cõtradictionem inuoluit, vt aliqua res creata at-

tol-

tollatur, ceu inſtrumentum ad creandum.

Ex quibus etiam conſtat, quomodo Magiſter ſent. in 4. diſtinct. 5. meritò cùm a S. Thoma, tùm communiter ab alijs hac in parte deſeritur, quòd aſſeruerit, nihil prohibere, quominus vim creandi, Deus communicare poſſit alicui creaturæ, tanquam adminiſtræ, & inſtrumento Dei. Et quamuis Magiſter aſſerat, Deū poſſe communicare alicui creaturæ, potentiam creandi; non vt propria auctoritate creet, ſed vt inſtrumentum primæ cauſæ; non propterea iuit in Auicennę, Veterumque Philoſophorum ſententiam. Tùm quia illi vim creandi tribuebant cauſis ſecundis, ſecundum proprias formas; & ex neceſſitate naturæ: quamuis dependenter a prima cauſa: Hic verò id non aſſerit. Tùm quia illi de facto, hic de poſſibili, & ſecundum potentiam, quam vocant, abſolutam Dei, locutus eſt. Verùm hac de re, quod nos ſentimus, & quod ſatis ad id, de quo agimus, iudicauimus, ita lubuit expoſuiſſe: adi, ſi lubet Doctores Scholaſticos, in 2. ſent. diſtin. 1. & ſuper primam partem S. Thomæ quæſt. 45. vbi ſubtiliter diſquiritur, quomodo *creare ſit propriū ſolius Dei*.

Ex his, quę hucuſq; ediſſeruimus, euidenter colligitur; ſi vis creandi in nulla re, præter Deum ineſt, neque tanquam in principali agente, neque vt in inſtrumento; animam intellectricem, a ſolo Deo, in eo inſtanti creari, in quo corpus, ad eam recipiendam, perfectè inſtructū eſt. Ita, vt Deus immediatè *creando eam infundat, & infundendo creet*.

Nec verò argumenta, initio ſectionis, aduerſus hāc determinationem adducta, quicquam negotij faceſſunt. Ad primum dicendum eſt, non eſſe eandem rationem de productione alicuius rei ex nihilo, ac de eiuſdem reductione ad vltimum finem. Quia in illa, nihil præſupponitur ad rem producendam, icircò nulla creatura eò pertingere poteſt. In iſta, iam res ipſæ in rerum natura exiſtunt: quas quidē per alias creaturas, Deo cooperantes ordinari, & reduci ad vltimum finem, nihil prohibet. Vnde licet *diuinitatis ſit lex, per prima, vltima ad ſe reducere*, non tamen per prima, creare vltima.

Ad ea autem omnia, quæ ex libro de Cauſis allata ſunt, reſpondet S. Thomas, quæſt. illa 3. de potentia art. 4. ad 10. *quod error iſte, expreſsè in libro de Cauſis inuenitur; quod creaturæ inferiores creatæ ſint a Deo, ſuperioribus mediantibus: Vnde in hoc auctoritas illius non eſt recipienda*.

Cum autem Ariſtoteles ait, perfectum eſſe, qđ aliud ſibi ſimile producit, *& facit aliud quale ipſum*. Id interpretandum eſt, de viuentibus corporeis; de quibus in libris de anima erat ſermo: non autem de illis, quæ a materiæ communione ſunt aliena. Quamobrem intelligentiæ, & ſi ſunt perfectæ, non ideò ſequitur, eas debere alias ſibi ſimiles procreare: maximè enim earum perfectio longè aliunde petenda ſit. Quēadmodum, licet maior ſit, ac diuinior ordo in rebus corpore vacantibus, quàm corpore præditis, non tamen ſequitur, illas mutuò ſe procreare debere; cum a ſolo Deo produci poſſint, vt dictum eſt. Perfectior autem ille ordo, attendendus eſt, quoad admirabilem earum diſpoſitionem, & Hierarchias, quoad munium adminiſtrationem, & quoad huiuſmodi alia: de quibus vberius agere, non eſt præſentis loci.

SECTIO VII.

Diluuntur ſex priora argumenta, in ſecunda ſectione conſtructa, quibus probabatur, animas eſſe æternas.

TANDEM, vt ſententia noſtra ab omnibus fallentium, falſorumque technis, & iniurijs vindicata compareat; ſoluenda ſunt nobis argumenta, quæ cōtra eam, in ſecunda Sectione huius Diſputationis, confecta ſunt. Primo itaque argumento, cum arguitur, aut Deus ex æternitate erat actu efficiens cauſa animarum, aut potentia, & poſtea effectus eſt actu; Si prius, ergo & animæ erant ab æterno: Si poſterius, ergo Deus de potentia mutatus eſt in actum: (conſimilē argumentationem ſtruxerat Proclus, vt mundi æternitatem, quam pugnaciter tutabatur, oſtēderet) vt exquiſitius reſpondeamus, animaduertendum eſt; nomen potentiæ, duplici modo apud Philoſophos vſurpari. Id, quod docet Ariſtoteles, tùm 2. de Anima, tex. 45. tùm libro 8. Phyſic. tex. 32. quo loci hæc habet. *Quod potentia eſt, multipliciter dicitur: eſt autē potentia aliter ſciens; qui diſcit, & qui habet iam, & non contemplatur. Semper autem cum ſimul actiuum, & paſſiuum ſint, ſit aliquando actu, quod eſt potentia, vt ipſum diſcens, & ex eo, quod potentia eſt, alterum ſit potentia. Qui enim habet ſcientiam, non autem contemplatur, potentia eſt ſciens quodammodo, ſed non vt & antea cum diſceret. Cum autem ſic ſe habet, ſi aliquid non prohibeat, operatur, & contemplatur.*

Ex

Ex quibus liquet, geminam eſſe potentiam: Alteram quidem, quæ ſit habilitas quædam naturalis, cuiuſmodi eſt in puero rudi, ad diſcēdam Grammaticam; quia nimitum is, ſuaptè natura, eſt aptus ad eam percipiendam. Alteram, quæ eſt habitus quidam acquiſitus, quo quiſpiam præditus, promptè, faciliterque operatur. Quare iſthæc tria, hoc ordine ſtatuuntur. Naturalis habilitas; quam dicimus primam potentiam: Habitus, quem ſecundam potentiam appellamus. Et denique actus ſecundus. Quia verò habitus, ſeu potentia ſecunda, hinc quidem reſpicit naturalem habilitatem, hinc verò actum ſecundum, fit, vt ſi comparetur ad præcedentem potentiam, dicitur actus, & quidem actus primus; ad differentiam actus ſecundi. Sin autem conferatur ad actum ſecundum, ſeu ad operationem, meritò, optimoq; iure nuncupatur potentia; & quidem potentia ſecunda, in diſcrimen primæ. Duplex itaque potentia, prima, & ſecunda: duplex itidem actus, primus, & ſecundus: quod Philoſophus loco citato, naturalibus etiam exemplis illuſtrat.

Cũ itaq; obijcitur, cauſa efficiens actu, infert effectum actu, verum eſt de actu ſecundo, non autem de primo: hoc eſt, cauſa efficiens, dum eſt in actu ſecundo, infert effectum: ſicut ad ignem, combuſtibili applicatum in actu ſecundo, conſequitur combuſtum. Et ad ædificatorem in actu ſecundo ædificandi, ædificatum. Secus autem, ſi cauſa efficiēs eſt in actu primo. Fit .n. optimè, vt ædificator habeat ædificandi habitū, quamuis actu nihil ædificet: nec quicquam actu ædificetur: vel quòd rebus alijs occupatus ſit, vel quia nolit. Quæ tamen doctrina in cauſis naturalibus locum non habet.

Sic ergo Deus optimus maximus ex omni æternitate fuit quidem actu cauſa efficiens animarum, imò & rerum omnium, in actu primo, ſeu in potentia ſecunda. Non quod in puriſſimo illo, ac ſempiterno actu, Deo, ſit aliquis habitus, aut potentia; apage id concipias animo; ſed vt res ad ſimilitudinem noſtram, planior fiat, ſic diuinam illam vim, ac poteſtatem, ex qua profecta ſunt omnia, appellamus, vt *balbutiendo, vt poſſumus, excelſa eius reſonemus*. Quare ſicut, verbi cauſa, is, qui pingendi ſcientiam tenet, cum ſibi libitū eſt, facilè promptèque pingit, quod vult; ita æternus rerum omnium pictor, vi illa præditus, eo temporis puncto, hanc, vel illam animam, producit: quo ſibi placuit ex æternitate. Pari ratione de Vniuerſo, & rebus alijs a Deo creatis, dicendum eſt.

Verùm, vt omnis ſcrupulus eximatur, ſcito, magnum diſcrimen intercedere inter actum primum, ſeu potentiam ſecundam, quæ reperitur in nobis, & eam, quam ad modum noſtrum, applicuimus Deo; quòd cum operationes noſtræ menſurentur tempore, quod vt dicitur 4. Phyſic. tex. 12. *eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius*, Sunt verè ſucceſſiuæ: ita, vt ex vero dicatur, nunc aliquid non eſſe, & poſtea fore. Sic pictor, prius non eſt in actu pingendi, & poſtea fit actu: idcòque potentia pingendi æquè cadit ſuper pictorem, atque ſuper effectum. In Deo autem longè aliter res habet: actio Dei, vt dicitur 12. Metaphyſ. textu 39. & inde, eſt eius eſſe, & menſuratur æternitate; in qua nulla vnquam ſucceſſio; nec quicquam prius, aut poſterius. Ideò non poteſt dici, quantum attinet ex parte Dei, nunc Deus non operatur hoc, & poſtea operabitur: aut nunc Deus non eſt in actu ſecundo productionis animarum, & poſtea erit: cum in eius actionibus non ſit prius, & poſterius. Sed tota ſucceſſio, & mutatio tenet ſe ex parte effectuum, in quibus, cum prodeant de non eſſe ad eſſe, & menſurentur tempore, eſt vera mutatio, & ſucceſſio. Quò fit, vt omnis potentialitas refundatur in ipſum effectum. Deus autem ex parte ſui, ſemper eſt in actu, & quidem puriſſimo, & ſemper eodem modo immutabilis, & æternus. *Stabiliſque manens, dat cuncta moueri.*

Et hoc eſt, qđ aliqui, dū de hac re ſermonē habent, aiunt, eſſe quidem in Deo actum primum, ſeu potentiam ſecundam ad producendum aliquid, *non ex parte ſubiecti, ſed ex parte obiecti*: hoc eſt, ex parte Dei nulla eſt potentialitas, ſed tota ſe tenet ex parte effectuum, qui dum in tempore producūtur, nihil perfectionis addunt Deo, ſed ſolum reſpectum rationis.

Deniq; pronunciatum illud, quod in eodem argumento aſſumitur, nempè, quod eſt in potentia tale, reducitur ad actum ab eo, quod eſt actu tale: verum eſt de eo, quod eſt in potentia prima. Lignum quippè quod eſt potentia calidū, fit actu calidum, ab eo, qđ eſt actu tale: nō autem habet locum in eo, quod eſt in ſecunda potētia. Etenim qui ſibi Philoſophię habitū cōparauit, ſi qñ nō operatur ex Philoſophia, & eſt

in potentia, ex huiuſmodi potentia non traducitur ad actum ab aliquo alio; ſed a ſe ipſo; cum vult. Aut ſi agens fuerit naturale, vt ignis, operatur, cum amotum fuerit impedimẽtum, quod eius actioni obſtabat. Quia igitur Deus, non eſt in potentia prima, vt expoſitum eſt, eſtque agens liberum, temerè infertur, eum, reducendum eſſe ad actum producendi, ab aliquo alio. Falſum etiam eſt, potentiam in vniuerſum dicere imperfectionem: paſſiua dicit; actiua autẽ maximam indicat perfectionem; & talis potentia eſt in Deo. Ex his omnibus abundè ſolutum manet primum argumentum.

Ad ſecundum dicendum eſt, nullam materiam requiri ad conſtitutionem animæ; cum ea ſit materiæ expers, ex nulloq; præiacente ſubiecto, a Deo, vti dixi, efficiatur.

At Deus, inquies, ſemper idem, & inuariabilis manet: oraculum ais. Ergo vel ſemper eã produxit, vel nunquam producit: negamus. Hęc enim variatio, quòd anima aliquando nõ ſit producta, & poſtea producatur, tota ſe ex parte effectus tenet; cum in Dei actionibus nulla vnquam prioritas, poſterioritas; aut variatio ſit; vt expoſui. Quod etiam Plato, & Ariſtoteles, pręclara Philoſophiæ lumina, pręclarè, vel caliginantibus naturæ oculis, inſpexerunt: ille in Timæo planè Theologicè hæc ſcribit. *Dies porrò, & noctes, & menſes, & annos, qui ante Cælum non erant, tunc naſcente mundo, naſci iuſſit;* hoc eſt Deus: *quæ omnia temporis partes ſunt. Atqui erat, & erit, quæ nati temporis ſpecies ſunt, non rectè æternæ ſubſtantiæ aſſignamus. Dicimus quidem de illa, eſt, erat, & erit, ſed illi reuera ſolum eſſe competit: fuiſſe verò, & fore deinceps, ad generationem tempore procedentẽ referre debemus.* Philoſophus autem in lib. 12. Metaphyſ. text. 39. ait, actionem Dei, eſſe eius ſubſtantiam; immò verò *intellectionem eius, eſſe intellectionis, intellectionem.* tex. 51. Atqui eſſe Dei inuariabile oĩnò cõſtitui, idem auctor ſexcẽtis in locis aſſeuerat: vnde in eo ipſo lib. 12. text. 41. ita concludit. *Quod itaque eſt quædam æterna, immobiliſq; ſubſtantia, & a ſenſibilibus ſeparata, cõſtat ex dictis, nec vllam magnitudinem poſſibile eſt, eam habere, verùm impartibilis, indiuiſibiliſque eſt.* Quare, etſi Deus ſemper idem, penituſque immutabilis manet, effectus tamen ab eo optimè prodire queunt: & aliter nunc, atque antea ſe habere. Ita contigit in Vniuerſi creatione, ita contingit in dies, dum animæ in humanis corporibus procreantur.

Ad tertium, Deus dicitur fieri ex non faciẽte, faciens; nón per nouam aliquam actionem, quæ in eo de nouo incipiat: agit enim per actionem æternam, & quæ eſt eius ſubſtantia; ſed per ſolam mutationem noui effectus. Argumentum verò illud tertium, habet locum in agente naturali, quod per nouam, & temporariam actionem, exit de potentia ad actum; vt ego dum hodie nihil facio, & cras determino aliquid facere, & actu facio; vtique mutor. Atqui Deus ab æterno, quid quoque momento temporis facturus ſit, immutabiliter determinauit: & ex æterna illa determinatione Voluntatis, cõſequitur ſtato tempore, nouus effectus; ratione cuius, Deus dicitur de nouo incipere aliquid agere: quia de nouo aliquid incipit eſſe a Deo.

Sed contra, impoſſibile eſt, vt a Voluntate, & determinatione antiqua, prodeat nouus effectus; quod ſic oſtendo. Sicut ſe habet Voluntas noua, ad effectum nouum; ita voluntas antiqua, ad effectum antiquum; ergo commutata proportione, ita ſe habebit Voluntas antiqua, ad effectum nouum; Sicut Voluntas noua, ad effectum antiquum: & contra: Ita Voluntas noua, ad effectum antiquum, ſicut Voluntas antiqua, ad effectum nouum. Atqui impoſſibile eſt, vt a Volũtate noua, prodeat effectus antiquus; ergo impoſſibile etiam erit, vt a Voluntate antiqua, prodeat effectus nouus: & ſic omninò fieri nequit, vt ab æterna Dei Voluntate, determinatione, & actione, prodeat in tempore nouus aliquis effectus: ſed ſi prodire debet, id erit per nouam actionem in Deo; atque adeò erit in illo mutatio.

Reſpondeo, benè a Voluntate, ac determinatione antiqua, prodire poſſe nouum aliquẽ effectum. Quod vt penitius capiatur, ſcire oportet; id eſſe diſcrimen inter agens naturale, & voluntarium, quòd quamuis vtrumque agat aliquid ſimile, nihilominus naturale producit ſimile ſibi in forma naturali, per quã operatur, & in qua aſſimilatur producto: vt ignis producit ignem. Agens autem per intellectum, & voluntatem, producit quidem ſimile, at non ſibi, ſed formæ, quam habet in intellectu, & ad quam reſpiciens operatur. Siquidem artifex non aſſimilat ſibi artificiatum, ſed illi formæ, ſeu ideæ, quam habet in intellectu, per quam illud artefactũ producit. Illa verò forma, ſeu idea, (q̃ appello deſcriptionẽ) præſcribitur

ab

ab intellectu, & determinatur a Voluntate. Intellectus autem, & Voluntas non modò ſubſtā tiam rei producendæ, verùm eius quoq; circunſtantias, locum, tempus, magnitudinem, idque genus alia, præſcribunt, determinantque. Etenim faber lignarius, per ſuam voluntatem nō modò determinat ſcamnum, verbi gratia, rotūda, aut quadrangulari forma producendum; ſed etiam tali magnitudine, tali loco, tempore &c. omnia ad arbitratum ſuum præſcribit, vt tandem artefactum illud, prodeat ab artifice ſecundum eius præſcriptionem, ac determinationem.

Cum igitur Deus in productione rerum ſit agens voluntarium (quod in præſens ſupponimus) fit, vt per ſuū diuinum intellectum, ac voluntatem, non modò res ipſas tali forma, & natura producendas, ſed earum etiam circunſtantias, tali tempore, tali loco, magnitudine, & cōditione, ex omni æternitate determinarit, ac diſpoſuerit: & ſic ex vi illius antiquæ diſpoſitionis, quæ eſt æterna voluntas, prodeunt in tēpore noui effectus, abſque vlla alia Dei determinatione. Eleganter Hugo Victorius in hanc ſententiam ſcribit, Voluntas, ait, æterna fuit, & opus voluntatis æternum non fuit: ſemper enim voluit, vt faceret; & nō voluit, vt ſemper faceret: ſed vt aliquando faceret, quod ſemper voluit, vt faceret aliquando. Itaque æterna bonitate ſemper voluit, & æterna ſapientia ſemper diſpoſuit, quod æterna poteſtate aliquando facit.

Adhibent aliqui exemplum, quo declarent a voluntate, ac determinatione antiqua, prodire nouum effectum. Si ego, inquiunt, nunc apud me ſtatuam, ab hinc duos annos Lauretum, ad ſacram illam Deiparæ Virginis ædem, religionis ergo proficiſci, illa peregrinatio, cum a me poſt duos annos, ſuſcipietur, procedit a voluntate antiqua, quæ id duobus annis ante determinauerat: ſic Deus ab æterno ſanxit, tali temporis puncto, hanc, illamue animam, vel aliam rem facere; quæ de nouo inciperet. Multo accommodatius exiſtimo hoc exemplum. Pronunciet die Solis in ſacro Cardinalium Cœtu, Summus Pontifex, Petrum v. gr. Cardinalem; verùm hac lege, vt is non prius Cardinalitia dignitate gaudeat, quàm hora decima inſtantis diei Iouis: vtique Petrus die Solis, Lunæ, Martis, Mercurij non eſſet actu Cardinalis; accedente verò hora decima diei Iouis, de nouo incipit eſſe Cardinalis, abſque vlla Pontificis mutatione, iterataue actione: ex vi nimirum antiquæ illius Voluntatis, ac pronunciationis, nouus hic, ſtato tempore effectus, & quidem realis procedit. Quòd ſi in rebus creatis id conſpicis, hæſitas ne ſummo illi, ac infinito enti, hoc concedere? Preſsè itaque ad argumentum dicimus, commutatam illam proportionem, nimirum a voluntate noua: nequit prodire antiquus effectus; ergo neque a Voluntate antiqua, nouus effectus, nihil valere: quia noua Voluntas, non habet potentiam ad antiquum effectum; cum ille prætererit, & ad præteritum, nulla ſit potentia. In antiqua verò Voluntate, benè eſt potentia ad nouum effectum, quia potentia eſt ad præſens, aut ad futurum: maximè verò ſi antiqua Voluntas, ac determinatio, non ſit reuocata, neq; deſierit; vt contingit in Deo, cuius determinatio, quæ fuit ex æternitate, eſt etiam nunc.

Hinc manet quoque ſolutum id, quod in eodem tertio argumento ſubijcitur, hoc eſt, idem, manens idem, ſemper idem, & eodem modo operatur, & Deus eſt ſemper idem. Nā etiamſi Deus, ciuſque diuina Voluntas ſemper ſit eadem, quia tamen effectus proficiſcuntur a Deo ſecundum diſpoſitionem Voluntatis diuinæ, non eſt neceſsè, vt ſemper ſint ijdē, & eodem modo: nam, vt optimè S. Thomas 2. cont. Gent. cap. 35. *Voluntas agit non ſecundum modum ſui eſſe, ſed ſecundum modum ſui propoſiti; & ideò ſicut effectus naturalis agentis, ſequitur eſſe agentis, ſi ſit ſufficiens; ita effectus agentis per voluntatem, ſequitur modum propoſiti*: modus autem, & propoſitū voluntatis diuinæ eſt, vt effectus non ſemper ſint; ſed pro tali temporis differentia, vt reuera eueniunt. Argumentum verò haberet vires, ſi Deus eſſet agens neceſſarium.

Ad quartum, bifariam poteſt aliquid incipere, aut deſinere eſſe. Vno quidem modo ab agente naturali, & per motum Phyſicum; Alio verò ab agente ſuperioris ordinis, ſcilicet Deo, per ſimplicem emanationem ſi eſſe incipiat: & per ſubtractionem conſeruationis, ſi eſſe deſinat. Hinc fit, vt quicquid ab agente naturali, & per motum phyſicum eſſe cœpit, id poteſt aliquando ab agente naturali, & per motum phyſicum eſſe deſinere; & quod poteſt aliquando ab agente naturali eſſe deſinere, & corrumpi; id etiam cœpit eſſe ab agente

naturali, & per motum phyſicum. Et contra, quod ab agente naturali diſſolui nequit, id nec etiam eſſe cœpit ab huiuſmodi agente; & quod eſſe non habuit ab agente naturali, id nec etiam interitum habere poteſt, a tali agente. Pari proportione quicquid productum eſt ab agente ſuperiotis ordinis, ſcilicet Deo, per ſimplicem emanationem, ſeu creationem, id, quamuis ab agente naturali, & per motum phyſicum diſſolui nequeat, tamen ab illo ipſo agente, a quo productum eſt, etiam dirimi poteſt, per ſubtractionem conſeruationis, ſeu annihilationem: & quod ab eo ſolo aliquando diſſolui poteſt, ab eo etiam ſolo produci potuit, & e contra. Vnde optimè ſibi hęc omnia reſpondent. Quicquid eſt generabile, id quoque eſt corruptibile: Et quicquid eſt corruptibile, id etiam generabile. Et quicquid caret ortu, caret quoque interitu. Et quicquid caret interitu, id etiam caret ortu: ſcilicet eo modo, quo cępit; & ab eodem agente, a quo pendet in eſſe. Nunc ad rem, quia anima noſtra incorruptibilis eſt ab agente naturali; ergo etiam ab eodem ingenerabilis. Et quia a ſupremo agente, Deo, diſſolui poteſt per annihilationē, ab eo etiam potuit produci: & ſic non eſſe æterna.

Quod verò aliquid ſecundum ſua principia interna, & ab agente naturali ſit incorruptibile, quod tamen a ſupremo agente, Deo, diſſolui poſſit; non modò communis eſt eorum omnium conſenſus, qui ſacram philoſophiam profitentur; ſed docuit etiam Plato, qui in Timæo, de mundo ſic ait. *Atque ita aptè cohæret, vt nequeat vllo modo diſſolui, niſi ab eo*, hoc eſt a Deo, *a quo eſt colligatus*. Mundus, inquit, nulla poteſt ratione deſtitui, a cauſa nimirum naturali, & per motum phyſicum; benè verò ab agente ſuperioris ordinis, a quo etiam compactus eſt. Cuius rei eam annectit rationem: *is enim rationem ſoluendi nodum tenet, qui fecit nodum*. Immò verò paulo inferius, condito iam Vniuerſo, tam quoad partes viſibiles, & corporeas, quàm quoad inuiſibiles, & incorporeas; inducit eius effectorem Deum, his omninò, Deos, hoc eſt, Angelos alloquentem. *Tùm ad eos, mundi genitor, ita fatur. Dij Deorum, quorum opifex ego, & pater ſum, hæc attendite: quæ à me facta ſunt, me ita volente, indiſſolubilia ſunt, omne ſiquidem, quod vinctum eſt, ſolui poteſt: ſed mali eſt, quod pulchrè compactum eſt, ſeque habet benè, velle diſſoluere. Quapropter, quia geniti eſtis, immortales quidem, & indiſſolubiles omninò non eſtis. Nec tamen vnquam diſſoluemini; nec mortis fatum ſubiicieris. Nam voluntas mea, maius, præſtantiuſque vobis eſt vinculum ad vitæ cuſtodiam, quàm nexus illi, quibus eſtis tunc, cum gignebamini, colligati.* Hæc Plato: quæ tu omnia, ſi accuratè perpendas, non modò id, quod hic intendimus, ſed multa quoq; alia, eaque præclara, multiſque materijs accommodata elicies. Sic etiam ſoluitur illud, quod in eodem quarto argumento adducitur: nempè, quod aliquando non fuit, & potuit eſſe, cum eſt, poterit etiam non eſſe. Hoc ita eſt verum; ab eodem agente, a quo potuit eſſe, cum nondum erat, poterit etiam non eſſe, cum eſt. Anima autem rationalis, cum non erat, potuit eſſe a ſolo Deo; ergo cum eſt, poterit etiam non eſſe a ſolo Deo.

Ad quintum dico, Deum, eſſe ac dici Dominum, effectorem, & conſeruatorem rerum, non per aliquid reale, quod in ſe ipſe formaliter, & intrinſecè recipiat: ſed propter creaturas ipſas, quæ antea erant in potentia, & poſteà factę ſunt actu: vnde reſultat relatio, non quidem mutua, ſed ex parte rerum productarum intrinſeca, ac realis; ex parte autē Dei terminatiuè, ac rationis: quemadmodum ſcientia fertur quidem ad ſcibile relatione reali: ſcibile verò ad ſcientiam, relatione rationis. Quare Deo, ex hoc, quod in tempore noui effectus prodeunt, & ille de nouo dicitur Dominus, nihil reale accedit, ſed ſolum habitudo rationis. Ecquod, obſecro, eſſe reale accedere, aut addi poteſt illi, qui eſt vſquequaque infinitus ſe- cundum eſſe? Addo, pronunciatum illud; *Cuicunque de nouo aduenit aliqua realis denominatio, id neceſſariò mutari*, verum eſſe in denominationibus abſolutis; non autem reſpectiuis. Ego quippè acquiro de nouo denominationem ſimilitudinis, & relationem realem, ad parietem, nunc albefactum; & tamen nulla fit in me mutatio: ſed ſolum in contermino.

Vltimum argumentum, pro hac parte, grauem, ac celebrem controuerſiam tangit. Potuit ne aliqua creatura ab æterno produci, vt eſſet coæterna ipſi Deo? Vbi non vt nunc res habuit, ſed vt habere potuerit, ſermo eſt. Qua quidem de re, quia potius ad Theologiam deflectit, vide S. Thomam in 1. parte quæſt. 46. art. 2. & ibi Caietan. & Bannes, qui refert quinq; in hac re diſcrepantes ſententias,

earum

Digitized by Google

earum auctores, & argumenta. Vide etiam Benedictum Pererium lib. 5. de Principijs capit. 12. qui non minori eloquentia, quàm doctrina, hac ipſa de re diſſeruit.

Equidem reſpondeo, res iuxta naturam ſuã incorruptibiles, (quicquid ſit de alijs) vt Angelus, procul dubio potuerunt eſſe æternæ. Hoc aſſertum, non alia ratione nunc probo, quàm eo ipſo argumento; in cuius examinatione verſamur. Quia id, neque ex parte Dei, neque ex parte effectus repugnat.

De aīa verò intellectiua, diſtinguendũ puto. Vel n. loquimur de ea abſolutè, vt eſt ſubſtãtia quædam per ſe exiſtens, molis, ac materiæ expers: Vel vt eſt forma hominis. Si priori modo, potuit etiam hæc, de abſoluta, vt aiunt, Dei potentia, extra corpus, vt natura Angelica ab æterno produci: quippè eadem vtriuſque videtur ratio. Si verò poſteriori modo de ea ſit ſermo, vt eſt forma huius, vel illius hominis, in particulari, impoſſibile arbitror, eam potuiſſe ex æternitate produci. Quia hoc pacto anima produci non poſſet, niſi produceretur hic, aut ille homo. Atqui homo nequit eſſe æternus, (loquor de homine relicto ſuæ naturæ, & conditioni mortali, qualis nunc eſt) ſi enim homo produceretur ab æterno, & relinqueretur ſuæ naturæ, cum ſit natura corruptibilis, impoſſibile eſt, vt durare poſſet tempore infinito: omne ſiquidem corruptibile, neceſſe eſt tandem aliquando, poſt certum ac definitum temporis interuallum, interire: non igitur eſſet ab æterno: nam non durare infinito tempore, pugnat cũ eo, quod eſt, fuiſſe ab æterno: & ſic anima intellectiua, quà hominis corrumpendi forma, non potuit eſſe ab æterno.

Quod ſi obijcias, Deus non denegat cuipiã rei, id, cuius illa eſt capax, vt etiã arguit S. Thomas, quæſt. 3. de potent. art. 17. ſi igitur res immateriales, vt Angelus, & anima ſaltem extra corpus potuerunt eſſe ex æternitate, quid eſt, quod ex æternitate, id illis non eſt conceſſum?

Non eſt illis ex æternitate conceſſum, cùm propter alia multa, tùm quia per hoc oſtenditur, nullam creaturã prodire a Deo ex debito; ſed ex beneficio. Deinde, quod Deus non agat ex neceſſitate naturæ; ſed liberè, & per electionem. De ratione autem agentis liberi eſt, vt, quamuis adſint omnes conditiones, quæ ad efficiendum requiruntur, poſſit non agere, ſi ita libuerit. Præterea, ex fine diuinæ voluntatis; nam finis diuinæ voluntatis in rerum productione, eſt eius bonitas, in quantum per ipſas res productas innoteſcit. Atqui maximè elucet diuina bonitas, atque virtus, ex eo quod, res aliæ præter ipſum, non ſemper fuerint: eo nimirùm indicatur, eas accepiſſe ab ipſo Deo, eſſe, viuere, & moueri. Adi S. Thomam lib. 2. contra Gent. capit. 38. Verùm de argumentis huius partis, quæ animorum æternitatem probabant, hæc dixiſſe ſatis; nunc ad alia properemus.

SECTIO VIII.

Dilutio argumentorum, quibus in eadem Sectione probabatur, animas intellectrices, & ſi non fuerunt ab æterno, eſſe tamen productas, vel ante mundi viſibilis conſtitutionem, vel vnà, cum Vniuerſo omnes ſimul.

QVI hominum animas fecerũt eiuſdem naturæ, cum Angelis, & ſolum merito, aut delicto diuerſas, quia eo tempore receptum erat, Angelos fuiſſe conditos ante hunc mũdum viſibilem, (quamuis id modo aſſerere nõ parua ſit temeritas, ne quid amplius dicamus, qua de re S. Thomas cùm alijs in locis, tùm in prima parte, quæſt. 61. art. 3. & quæſt. 3. de potent. art. 18.) idem conſequenter de animis noſtris aſſeruere; quod ij ante huius mundi productionem, omnes ſimul fuerint à Deo facti; & in quorundam ſcelerum pœnam, poſtea certis ſtatiſque temporibus in corpora deijcerentur. Quamquidem poſitionem, vt adnotauit, S. Thomas 2. contra Gent. cap. 83. primus inter Chriſtianæ fidei profeſſores, Origenes inuenitur ſanxiſſe, qui quidem eò etiam delapſus eſt, vt affirmaret, mundum hunc viſibilem, non ex intentione Dei, & per ſe primò; ſed quaſi ex accidente fuiſſe à Deo productum; vt eſſet Ergaſtulum, atque carcer, in quo detruderentur, punirenturque Angeli, hoc eſt animæ, quæ contra Deum peccauerant. Hæc inter Origenis errores annumerantur.

Potiſſimũ verò huius opinionis fundamentũ, vt adnotauit S. Th. quæſt. 3. de potẽt. art. 18. eſt

argumentum, quod nos ſeptimo loco conſtruximus: nimirum, natura ſpiritualis creata eſt media, ordine naturæ, inter Deum, & creaturã corpoream, ergo erit etiam media duratione. Quæ tamen illatio nulla eſt: etenim natura ſpiritualis creata, quãuis ſit perfectior, quàm corporea, nihilominus eſt pars Vniuerſi. Pars autem à ſuo toto ſeiuncta imperfecta eſt. Quare cum Deus omnia in ſua perfectione condiderit, nulla res ſpiritualis naturę eſt producta ante totum hoc Vniuerſum. Deus verò non eſt aliqua pars Vniuerſi, ſed ὑπερκόσμιος, ſupra totum Vniuerſum: vnde non eſt eadem vtriuſq; ratio: ita, vt ſi Deus fuerit ante omnem creaturam, debuerit etiam creatura ſpiritualis, eſſe ante corpoream. Quod autem in eo argumento aſſumitur, hoc eſt, Angelos, & animas intellectrices, eſſe eiuſdem naturæ, & merito tantũ, aut delicto differre; merum figmentum eſt; quod expugnat S. Thomas multis in locis, maximè verò in prima parte, quæſt. 75. art. 7.

Solutio octaui. Si vnaquæque creatura producenda foret per ſe, abſque vlla habitudine ad totum; vtique ſapientis eſſet, vnamquamq; ſeorſim, iuxta eius nobilitatis gradum, & conditionem prius, poſteriuſue producere; Verùm quia quæcumque ſunt in Vniuerſo, producta ſunt veluti vnius Vniuerſi partes; vt dictũ eſt, congruum fuit, ſimul vt omnia procrearentur ad vnum perfectum, integrumque Vniuerſum conſtituendum. Præterquamquod, hoc nihil de anima intellectrice concludit, quæ cum ſit actus, in eo, quod eſt potentia, produci debet.

Cum verò adijcitur, quicumq; ordinatè, & efficaciter vult aliquem finem, eum, prius ac magis velle ea media, quæ ſunt fini propinquiora, quàm ea, quæ magis ab eo diſtant; concedendum eſt, cum illa media, ita ſunt fini propinquiora, vt prius, immediatiuſque bonitatẽ finis participent, & media, quæ ſubſequuntur, dependenter à primis participent eandem finis bonitatem. Secus autem ſi ſunt fini propinquiora, tantum ratione perfectionis: tunc enim ſolum habetur, propinquiora illa ac perfectiora media, eſſe quidem magis amata; at non prius: aliud quippè eſt magis amari, aliud prius.

Solutio noni. Et ſi maximè proprium eſt boni, quod eſt Deus, ſe ſe diffundere, alijſque communicare; tamen communicatio erga creaturas, quia omninò libera, ac ſpontanea eſt, potuit, quandiu Deus voluit, differri: idque nihil detrahit de diuina bonitate. Neque verò, quia aliqua res, vt Angelus, & anima intellectrix, capaciores ſunt diuinæ bonitatis, quàm aliæ; idcircò an ab æterno, an prius quàm aliæ participant eam; vt dictum eſt. Nec etiam diuinam munificentiam, & liberalitatem dedecebat, rerum effectionem differre: nam munifici, & liberalis officium eſt, ordinatè dare, non autem citò dare: maximè ſi dilatio beneficij conuenit. Conueniebat autem, vt nulla ab æterno produceretur creatura; vt diximus.

Solutio decimi. Duplex eſt perfectio cuiuſcumque rei; eſſentialis, & accidentalis. Eſſentialis eſt, iuxta quam res aliqua in ſua ſubſtantia eſt perfecta; quæquidem perfectio, vt inquit S. Thomas prima parte, quæſt. 73. art. 1. eſt forma totius, ex integritate partium conſurgens. Quamobrem ſi totum fuerit eſſentiale, præfata quoque forma conſurgit ex partibus eſſentialibus, quo pacto rationale, materia, forma, ſunt de perfectione hominis eſſentiali. Si verò totũ ſit integrale, forma conſurgit ex partibus integrãtibus: Ita caput, manus, pectus, ſunt ex perfectione, itidem hominis. Accidentalis perfectio eſt, quæ in eo poſita eſt, ſine quo res illa ſaluari poteſt, vt hominẽ eſſe doctorem, &c.

Duplex itaque eſt perfectio Vniuerſi, eſſentialis altera, quæ attenditur quò ad eius partes (ſileo eius materiam, & formam) integrantes, Cœlos, terram, aquam, &c. & quò ad ſpecies rerum. Altera accidentalis: & hæc penes indiuidua penſitatur; quæ quidem quia nõ ſunt propter ſe intenta, ſed propter conſeruationem, & perpetuitatem ſpecierum, tum auferuntur, tum adduntur, abſq; vlla Vniuerſi mutatione. Quia ergo animæ humanæ non ſunt diuerſæ ſecundum ſpeciem, ſed numero ſolum diſcriminatæ, ſub vna concluduntur ſpecie, nõ pertinent ad perfectionẽ eſſentialem Vniuerſi, ſed accidentalem. Ideòque, quamuis ab exordio rerum non fuerint omnes animæ productæ, non ideò Vniuerſum non fuit perfectum: cum maximè in eius molitione producta etiam fuerit ſpecies humana, quæ ad eſſentialem eius perfectionem facit.

Quod ſi obijcias, ex eo ſpecies rerum pertinent ad eſſentialem mũdi perfectionem, quia quantum in ipſis eſt, habent perpetuitatem quandam: eòque ſunt ab auctore Vniuerſi per ſe intentæ: Indiuidua verò, quia caduca continuò fluunt, pertinent ad accidentalem eius perfectionem. Atqui animæ intellectrices nõ

modò

modò quò ad ſpeciem, ſed quò etiam ad indiuidua ſunt perpetuæ; ergo quò etiam ad indiuidua erunt ex perfectione Vniuerſi eſsentiali: atque adeò, ſi ab exordio eius non fuerunt omnes productæ, tãta perfectio Vniuerſo defuit, ac ſi multæ illi deeſſent ſpecies. Quiduerò? hac ratione Sol, Luna, & multa alia quãuis indiuidua, quia tamen interitus ſunt expertia, faciunt ad eſſentialem mundi perfectionē: pari igitur ratione dicendum eſt, de animabus humanis.

Ad hãc obiectionem reſpondet S. Thomas quæſt. 3. de potent. art. 10. ad 4. perfectionem Vniuerſi eſſe duplicem, primam, & ſecundam, ſeu vltimam. Prima perfectio, vt explicat idem S. Doct. in prima parte, quæſtione 73. artic. 1. *eſt, ſecundum quod mundus eſt perfectus in ſua ſubſtantia. Vltima autem perfectio, quæ eſt finis totius Vniuerſi, eſt perfecta beatitudo Sanctorum, quæ erit in vltima conſummatione ſæculi.* Animæ igitur humanæ, quantũ ad indiuidua, non ſunt de prima perfectione Vniuerſi, ſed de vltima, quia, vt in illa ſolutione ad 4. dicitur, *tota corporum mundi tranſmutatio, ordinatur quodammodo ad animarum multiplicationem, ad quam requiritur corporum multiplicatio.*

Verùm hæc ſolutio ſublimior eſt, quàm vt à puro Philoſopho, qui cum in præſens agimus, capi poſſit. Quare aliter puto dicendum: Indiuidua animarum rationis participum, quamuis ſint incorruptibilia, ac perpetua, non attinere ad eſſentialem Vniuerſi perfectionē; ſed potius accidentalem; quia accidit perfectioni Vniuerſi, quod alicuius ſpeciei indiuidua ſint perpetua, cum ad eſsentialē eius perfectionem, ſola ſufficiat, ac requiratur ſpecies, ſiue huius indiuidua corrũpantur, ſiue maneant. Quod ſi hæc perennia manent, id conducit accidentali illius perfectioni. Neque eſt eadem ratio de Sole, Luna, idque genus alijs; nam iſthæc, licet ſint indiuidua, ita tamen ſunt indiuidua, vt ſingula, etiam ſingulas conſtituant ſpecies. Sol enim eſt vna ſpecies, Luna alia, &c. Atqui vna aliqua anima, non eſt vna ſpecies: immò verò omnes ſunt vnius ſpeciei, vt dictum eſt.

Solutio vndecimi. Anima intellectiua, & ſi ſecundum ſe ſit ens nobiliſſimum, duplici tamē de cauſa non debuit in Cęlo, ſed in proprio corpore produci. Primò, quia eſt forma, & actus corporis, vt infra latius oſtendemus. *Vniuſcuiuſque autem actus, in eo, quod potentia exiſtit, & in propria materia, aptus natura eſt fieri.* Auctore Ariſtot. lib. 2. de Anima, tex. 26. Quocirca eodem in loco ſugillantur Veteres, quòd alio modo animas in diuerſa corpora detrudebant. Secundò, quia anima eſt altera compoſiti pars, natura incompleta, &, vt aiunt, ſemiperſona. Huiuſmodi verò natura ſuam perfectionem habet in toto. Cum itaque a Deo anima procreari debuerit in ſua perfectione, in corpore vtique debuit procreari. Vnde etiam apparet diſcrimen inter eam, & alias ſubſtantias, ignem, &c. quarũ ſublimior, ſublimiorem quoque vindicat locũ, quia ſunt entia in ſe completa. Angelus autē, & anima intellectiua conueniunt quidem in hoc, quod tam ille, quàm hæc ſunt intellectualis naturæ, tamen magna intercapedine inter ſe ſe diſcriminantur, ita, vt non ſolum ſpecie, ſed fortaſſe etiam genere intermedio differãt. Ille enim eſſentiali nobilitate longè antecellit animam rationalem, vt communis eſt Doctorũ opinio. Quare in diuerſis etiam locis produci debuerunt. *Angeli quidem creati ſunt in ſupremo corpore, tamquam toti naturæ corporeæ præſidentes, ſiue id dicatur Cœlum empyreum, ſiue qualitercumque nominetur:* inquit Angelicus Doct. in prima parte, quæſt. 61. ar. 4. Anima autem procreari debet in corpore, cui etiam præſidet.

Solutio duodecimi. Cum dicitur, quorum eſt diſpar conditio, ea minimè poſſe vna productione prodire in eſſe.

Ex tripode dicitur: nec verò nos vnquam diximus, animam intellectiuam, & corpus vna eadēq; effici actione: quinimmo Diſputatione proximè antecedenti oſtendimus, corpus quidem fieri per actionem virtutis, quæ eſt in ſemine, animam verò actione ſupremi agentis effectam de foris aduenire. Animam verò immaterialem, ac immortalem conuenientiſſimè vnitam eſſe materiali, & caduco corpori; vel idcirco factum eſt, vt homo eſſet veluti nexus ſuperiorum, cum inferioribus, ne vitiosè ab vno, ad aliud extremum fieret tranſitus, ſine medio vllo. Vnde magnus ille ex Areopago Dionyſius, In hoc, inquit, maximè apparet ſupremi opificis Dei ſapientia, quòd ſuprema infimis, per media, mirabili quodam, ac diuino modo connectit. Supremum autem rerum inferiorũ, & caducarum eſt corpus humanum: quod tùm ex mirabili eius temperie, tùm ex varijs, ac diuerſis organis, tùm etiam ex diſpoſitione, & ordine, quem inter ſe habent, liquidò conſtat: vt Galenus ſe ſe, vel ob hoc ſolum Deo Hoſtias laudis offerre dixerit. Infimum autē ſupremi,

eſt

eſt anima intellectiua. Neque verò, vt in eodē 13. argumento ſubijcitur, natura corporis impedimento eſt animæ, ſed noxæ eſt illi mala, & corrupta corporis affectio: nā corpus, quod corrumpitur aggrauat animam.

Solutio decimi tertij. Anima intellectiua bifariam accipi poteſt. Vel vt eſt vnita corpori, vel vt eſt quędam ſubſtantia, molis, materięque expers. Priori modo accepta, menſuratur tempore, quemadmodum id, cuius eſt actus: poſteriori verò, menſuratur æuo: & hoc pacto eſt ſupra tempus. Verùm ex hoc haudquaquā conſequitur, eam, tunc incæpiſſe menſurari æuo, quando & Angeli: nam quamuis æuum nō habeat prius, & poſterius, quantum ad ea, quæ menſurat; nihil tamen prohibet, quin vnum prius altero participet æuum; ſic contingit in præſens: ita S. Thomas quæſt. 3. de potent. art. 10. ad 8. & 9.

SECTIO IX.

Explicatio Vltimi argumenti, pro ſententia Origenis, ex diuerſis ſacrarum litterarum locis deprompti.

QVanquam in his Philoſophicis diſputationibus, Theologi perſonam omninò exuimus; quòd omnia ex doctrina, ſententiaq; Philoſophi in hiſce profitemur: quia tamen in diluendis Origenis argumentis verſamur, quorū vltimum eſt ex ſacrarum litterarum fontibus hauſtum, res ipſa expoſcit, vt veram earum ſententiam ex communi Patrum intelligentia, paucis enodemus. Seorſum verò id agere viſum eſt, quia ſic huius tēpeſtatis Ariſtarchos neſcio quos, affectata quędam mollicies occupauit; vt quicquid ex ſacris litteris, aut fidei dogmate allatum olfecerint, id omne ab omni philoſophia alienum, atque deuium arbitrentur: quaſi verum aduerſetur vero.

Illud itaque Sapien. 8. Sortitus ſum animā bonam, & cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum; variè SS. Patres interpretati ſunt. D. Aug. lib. 10. ſuper Geneſ. ad litt. capit. 7. 17. & 18. hunc locum intelligendū ait, de Saluatore noſtro, qui cum eſſet ex omni æternitate bonus, quin immò optimus apud Patrem; in plenitudine temporis venit in corpus puriſsimum, maximèque incoinquinatum, quod illi in incarnatione aptatum eſt; iuxta illud ad Hebr. 10. *ingrediens in mundum, dixit, ſacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.* Lyranus verò, Dionyſius Carthuſianus, D. Hieronymus, & cōplures alij, litteralem illius effati ſenſum, hunc eſſe volunt: quòd ibi Salomon de ſe ipſo ſermonem agat, & ſtatū, in quo viuit, prouectus ætate, & virtute erat, conferat cum eo, qui fuit anteactæ vitæ; dicatque, quantò anima tractu temporis effecta eſt melior, tantò magis corpus factum eſſe purum, & ab huiuſce ſeculi coinquinamentis magis liberum: ex quibus expoſitionibus, nihil contra noſtram ſententiam conſequitur.

Quod verò Pſal. 118. dicitur, eſt, priuſquam ego in hac vita, a te Deus, per afflictionem, tribulationem, labores, idque genus alia ſalutifera flagella, quibus amanter corrigere, & caſtigare ſoles, quos amas, humiliatus fuerim, iam tibi per culpam deliqui: certū enim eſt in Theologia, ob aliqua peccata, infligi temporariam pęnam: de huiuſmodi pęna conqueri videtur idē Regius pſaltes in Pſal. 115. *Ego autem humiliatus ſum nimis, perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam.* Dum verò anima Pſal. 119. conqueritur, ſuum incolatum, hoc eſt habitationem in corpore, diutius eſſe protractū; ſolum innuitur ardens iuſtorum deſiderium, quo flagrant ex hac miſera, & ærumnoſa vita migrare: qui cum hîc permanentem Ciuitatē non habeant, ſed futuram inquirant Hieruſalem, merito, atque optimo iure peroptāt ex ſuis corporis compedibus liberari; vt tandem anima corpore laxata, quem tantoperè concupiuit, Deum, adipiſcatur; eoque, a uo ſempiterno fruatur: quare ex hoc minimè colligitur, animā prius extitiſſe, & poſtea in corpus demitti.

Illud verò Iob, *Ecce Behemoth, quem feci tecum,* gemino modo a Patribus explicatur. Primò, quem feci tecum, id eſt, feci, ſimilitudinem tecū habentem, quò ad naturam intellectualem; non enim illa *tecum*, non innuit vtriuſq; aſſociationem, & ut ita loquar, ſimultatem creationis; ſed conformitatem duntaxat rationis: quaſi dicat, feci tecum, id eſt, ſimilem tibi. Itaque *in cuncta creatura,* ut uerbis D. Greg. lib. 32. Moral. cap. 10. utar, *homo, & Angelus ſimul condiens dicitur; quia ab omni creatura irrationali, diſtinctus proceſſit.* Et contra, ut inquit Bannes, ſuper primā partem S. Thomæ, quæſt. 90. art. 4. quia in cuncta conditione rerum, nullum rationale, niſi

Angelus, & homo eſt; quicquid ratione vti non poteſt, cum homine factum non eſt.

Secũdò exponitur, *Ecce Behemòth, quē feci tecum;* id eſt, quē feci, ſicut & te. Et hoc ſumma prouidentia dictum eſt; ad excludendum impiũ Manichæorum errorem; qui prauitatem Diaboli perpendentes, exiſtimauerunt, eum non eſſe opus boni Dei, ſed Dei mali: quem illi ſibi non minus ſtultè, quàm impiè confinxere: Quidem error præfata auctoritate ſtrenuè exploditur, dum nomine Dei dicitur, Ecce Behemòth, hoc eſt, Diabolum feci, ſicut & te: vtraque ſolutio eſt D. Gregor. capite illò 10. libri 32. citati.

Neque verò quia Ioan. 1. homo dicitur venire in hunc mundum, concluditur animam ante corpus extitiſſe. Nam homo, aut dicitur venire in hunc mundum, cum naſcitur, iuxta illud Ioan. 16. *Cum autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Aut dicitur venire in mundum, cum ad vſum rationis peruenerit; tunc enim habet ſtatum hominis. Aut denique, Deus illuminare dicitur omnem hominem venientem in hunc mundum; quia illa illuminatio fit homini, non ſecundum corpus, ſed ſecundum animã intellectiuam, quæ a Deo, quaſi ab extrinſeco, dum homo gignitur, dicitur in hunc mundum accedere. Eo ſenſu, quo ab Ariſtotele dictum eſt, *mens autem deforis aduenit.*

At enim, de anima primi hominis peculiaris adhuc conſideratio eſt, quia D. Auguſt. lib. 7. ſuper Geneſ. ad lit. cap. 24. Hugo de Sancto Victore, auctor hiſtoriæ Scholaſticæ, Magiſter ſentent. aſſerere viſi ſunt, eam ante corporis formationem, vnà cum Angelis, fuiſſe creatam.

Non eſt tamen ambigendũ ea de re, cum argumenta, ſuperius adducta concludant, nullã prorſus animam, ante corpus fuiſſe a Deo productam. Itaque in eodem inſtanti, Deus, & primi hominis corpus formauit, & ei animam infudit. Vt ſentit D. Gregor. Nyſſenus in lib. de Homine, cap. 29. & 30. D. Damaſcenus lib. 2. de Fide orthodox. cap. 12. Hieronymus epiſt. 61. ad Pammachium de errorib. Origen. Et in hanc ſententiam magis inclinat D. Auguſtin. lib. 12. de Ciuit. Dei, capit. 12. quare optimè S. Thomas, quęſt. 3. de potent. art. 10. & in prima parte, quæſt. 90. art. 4. ait, Auguſtin. in illo ſuper Geneſ. loco, non aſſertiuè, ſed diſputatiuè ſolum eſſe locutum; in cuius rei confirmationem, hæc affert ex S. Auguſtin. *Credatur ergo, ſi nulla ſacrarum ſcripturarum auctoritas, ſeu Veritatis ratio contradicit, hominem ita factum ſexto die, vt corporis quidem humani ratio cauſalis in elementis mundi, anima verò iam ipſa crearetur, ſicut primitus conditus eſt dies, & creata lateret in operibus Dei, donec eam ſuo tempore ſufflando, hoc eſt, inſpirando, formato ex limo corpore, inſereret.*

Neque verò, in primo & ſecundo capite ſacræ Geneſ. ita de homine fit mentio, quaſi in primo cap. procreata ſit eius anima, in ſecundo verò corpus; cum vtrobique ſermo ſit de homine, iam animato, qui tum creatus eſt, tam quoad animam, quàm quoad corpus, cum in ipſo primo cap. dicatur, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: id quod apertè inſinuant, verba, quæ ſequuntur. *Creauit autem Dominus Deus hominem, maſculum, & fœminam creauit eos; benedixitque illis, & dixit creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Quæquidem verba, nõ animam, ſed hominem ipſum, quã etiam eſt generationis principium ſignificant.

Cum verò cap. 2. Geneſ. Deus ſeptimo die dicatur requieuiſſe ab omni opere, quod patrarat; intelligendum eſt, cum requieuiſſe à creandis nouis ſpeciebus, ac generibus rerum. Non autem a producendis nouis indiuiduis. Indiuidua enim in dies adhuc producit, iuxta illud Ioan. 5. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Sic interpretatur S. Thom. 2. cont. Gent. cap. 83. & in 2. diſtinct. 18. quæſt. 2. art. 1. ad 7. & Albertus Mag. in ſumma de homine, quæſt. 17. Vel intelligitur, Deum, poſt ſeptimum diē, nihil de nouo creare ſimpliciter: quamuis creet ſecundum quid: creatio ſimpliciter eſt, dum aliquid fit, neque ex materia, neque in materia: creatio ſecũdum quid, eſt, cum fit aliquid, quãuis non ex materia, tamen in materia: quo pacto fit anima intellectiua. Vel denique, quia Deus non dicitur abſolutè requieuiſſe, ſed requieuiſſe ab opere, quod patrarat; videlicet illis primis ſex diebus: vt ſit ſenſus, Deum, mundi opificium, abſoluiſſe ſex diebus, atque die ſeptimo deſtitiſſe, mundi machinam condere. Denique, ad diſputationem illam, ſeu orationem Ioſephi, dicendum eſt, totum illud opus inter apocripha eſſe recenſendum: vt auctor eſt Magnus Athanaſius in ſua Synopſi. Et hæc, *ὡς ἐν συνόψει*, de hac re a nobis dicta ſint ſatis. Qui plura in confutationem Origenis ſcire cupit, quatenus fingit animas ante corpora extitiſſe, videat Cyrillum Alexandrin. libro primo in Ioan. cap. 9. vbi viginti tribus argumentis

tis egregiè pugnat. Epiphanium in epiſtol.ad Ioannem Hieroſolymitanum, Theophilum Alexand.libro primo Paſchali, Hieronymum in epiſt:ad Pammachium,contra Ioan. Hieroſolymit. Auguſt.lib.12.de Ciuitate Dei,capit. vltim. Tertull.lib.de anima, D. Thomam in prima parte,quæſt.90.art.4.& quæſt.118. art. 3.& lib.2.contra Gent. cap. 83.& quæſt. 3. de potent. art.10. & denique Leonem Primum in epiſtola ad Toribium, qui in illius dogmatis profeſſores, hæc omninò ſcribit. Eos Catholica Fides a corpore ſuæ vnitatis abſcidit, conſtanter prædicans, atque veraciter, quòd animæ hominum,priusquam ſuis inſpirentur corporibus, non fuere.

Verùm,pro coronide, & colophone huius Diſputationis,duo hæc,& lubens addiderim. Alterum,hunc animorum in varia, ac diuerſa corpora regreſſum, quem Plato in Phædro παλιγγενεσίαν, regenerationem appellat,inde, (aut ego fallor) traxiſſe anſam,quòd cum perpriſca Chaldæorum, Aegyptiorum, Sibyllarumque oracula,ad Triſmegiſti, Orphei, Pythagoræ,& Platonis manus perueniſſet,in quibus aſſerebatur,fore,vt aliquando homines redirent in vitam,(id quod præcipuè Sibyllarũ carmina indefeſsè clamitant) decepti ſunt,credentes ſingulis temporibus ſemper homines ad corpora,& hanc vitam reuerti; quod ſemel tãtum ſupremo,nempè reſurrectionis, tempore futurum,oracula canebant. Nec mirum,nam & lapſum,vt alias innui, Adæ, & fugam e Paradiſo crediderunt,animarum lapſum de cęlo, & ad pęnam cuiuſdam facinoris, quod audierant quidem,ſed quod vnquam illud fuit, ignò rabant,arbitrati ſunt,animam in corpus detrudi. Sed hem non ſolum animæ nouiſſimo die huc reuertentur, ſed Veritas ipſa,vt cum Auſonio in Ephemeri loquar,

Eſſe iter æternæ docuit remeabile vitæ,
Nec ſolam remeare animam, ſed corpore toto
Cæleſtes intrare plagas, & mane ſepulchri
Arcanum vacuis adopertum linquere terris.

Alterum eſt, vt gratias agamus diuinæ clementiæ,quòd aduenit lux illa, quæ ſola omnẽ deceptionum caliginem vſquequaque diſpulit; qua non veniente,in magnis,& inextricabilibus errorum ambagibus,vel primos ipſos ſapientes,cæterorumque facilè Principes verſari neceſſe fuiſſet: quamobrem ex intimo animi receſſu dicamus, gratias,& vota noſtra, tu

Chriſte apud æternum placabilis aſſere patrem,
Saluator, Deus, ac dominus, mens, gloria, Verbum,
Filius, & vero verum de lumine lumen:
Pande viam, qua me poſt vincula corporis ægri
In ſublime ferat, puri qua lactea cæli
Semita, ventoſæ ſuperat vaga lumina Lunæ:
Qua proceres abiere pij: quaque integer olim
Raptus,quadriiugo penetrat ſuper æthera curru
Helias, & ſolido cum corpore prauius Enoch.

Finis Diſputationis Tertiæ.

DISPVTATIO QVARTA

QVOMODO ANIMA INTELLECTIVA Vniatur corpori?

INTRODVCTIO.

Partitio formæ, in aſsiſtentem, & informantem: triplex inter eas diſcrimen: tum eorum opinio, qui animam intellectricem, negant eſſe hominis formam informantem.

FORMA ſubſtantialis, quantum ad præſens attinet, bifariam in Scholis accipi conſueuit: vt hæc quidem ſit, quæ actuet, informetque, hæc verò quæ aſſiſtat ſolum, ac moueat. Illa informans; hæc aſſiſtẽs appellitatur. Quæ partitio habetur ex Ariſtotele. Et quidem de actu informante, apud eum, nulli non liquet. Aſſiſtens autem colligitur ex 2. lib. de anima tex. 11. quo loci dicitur, ex eo vſque habitis, non eſſe manifeſtum, ſi anima intellectrix, ſit actus corporis, *ſicut nauta nauis*. hoc eſt aſſiſtens. Et in principio eiuſdem libri, tùm etiam in 7. primæ philoſophiæ, tùm ſæpè alibi, diuiditur ſubſtantia, in materiam, formã, & compoſitum, vbi *forma*, generatim accipitur pro vtraque, tam informante, quàm aſſiſtẽte. quippè ſi capiatur pro informãte duntaxat, partitio ſubſtantię, non erit ſufficiens; cum ſint aliquæ ſubſtantiæ, nimirum intelligentiæ, quæ nec materia ſunt, neque compoſita ex materia, & forma, vt patet in calce octaui Phyſic, & in 12. Metaphyſ. Neque ſunt formæ informantes aliqua corpora. Quamobrem ſi ſubſtantiæ diuiſio rectè, ac ſufficienter eſt tradita, *forma* in ea communiter accipienda eſt, tam pro ea, quæ actuat, & elargitur eſſe, quàm pro ea, quæ aſſiſtit ſolum ac mouet.

Inter haſce autẽ formas, triplex intercedit diſcrimen. Aſſiſtens eſt aliquod totum per ſe, & ſuaptè natura exiſtens, informans verò eſt pars totius. Deinde, illa non communicat ſuũ eſſe ei, cuius ſtatuitur forma, ſed tantummodo operationem; ita, vt quamuis illa, & id, cui aſſidet, haud ſint vnum in eſſe, ſint nihilominus vnum in opere proprio, quod ab vtroque immediatè dependet. Informans autem intimè impertitur eſſe. Tandem, actus informans, ita totũ ſuum eſſe elargitur illi, cuius eſt actus, vt ex vtroque, vnum per ſe ac ſubſtantiale coaleſcat, quod in vna aliqua ſpecie directè collocatur: Ex aſſiſtente autem, & eo, cui coniungitur, non reſultat vnum ſimpliciter, ſed aggregatum ex accidenti. Hæc omnia in nauta, qui eſt forma, ac entelechia aſſiſtens nauis, & in forma equi, exempli gratia, quæ eſt informãs, tute perpendito: his ita adnotatis.

Vetus extitit Platons oipinio, aĩam rationis participẽ, non vniri corpori, vt informãtem formam, ſed tantum vt aſſiſtentem, ac veluti motorem mobili; non ſecus ac nauta coniungitur naui. Sic ille, cum alijs in locis, tum maximè in Phædone, qui inſcribitur de anima, & in Alcibiade, Dialogo primo. Cuius ſententiæ meminit etiam Philoſophus 2. de Anima tex. 11. & S. Thomas in prima parte quæſt. 76. art. 1. & quęſt. 45. art. 4. & lib. 2. contra Gent. capit. 57. quamobrem vnio animæ, & corporis, in Platonis ſententia, non eſt, niſi per contactum virtutis. Et quoniã acre Platonis ingenium, ex hac poſitione euidenter ſequi animaduertebat, hominem non eſſe vnum aliquod per ſe, ſed aggrega-

Digitized by Google

gregatum ex accidente, vt abſurdum hoc euitaret, ſtatuit, hominem in rigore ſumptum, non eſſe aliquid compoſitum ex anima, & corpore, ſed ipſam animam ſolam, quæ vtitur corpore, eſſe hominem. Quemadmodum Socrates, non eſt compoſitum quippiã ex homine, & indumento, ſed homo vtens indumẽto. Vnde in Alcibiade citato, ſic tandem concludit. *Quoniam verò neque corpus ipſum, neque vtrũque ſimul eſt homo, relinquitur, arbitror, vel nihil ipſum eſſe, vel ſi quid eſt, nihil aliud hominem eſſe, quàm animã.*

Platonis ſententiæ adhæſiſſe viſus eſt Anaxarchus: nam vt commemorant, cùm alij multi, tùm Philo Iudæus in ſermone, *Quod omnis probus, eſt liber.* a tyranno Cypriorum Nicocreonte in mortarium ſaxeum coniectus, ferreiſq; malleis contuſus, identidem illud repetijt, *παῖε, παῖε τὸν ἀναξάρχου θύλακον, ἀνάξαρχον γὰρ οὐ παίεις*: quod ſonat, tunde, tunde Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis. Quibus verbis indicauit, corpus, externum quippiam eſſe homini; atque animam ſolam haberi hominem.

Huc ẽt acceſſit Origenes lib. primo Periarchon cap. 7. & lib. 2. cap. 8. & ſuper epiſt. ad Epheſ. cap. 1. ad illa verba elegit nos in ipſo ante mundi cõſtitutionem, Arbitratur enim Catholicus hic vir, omnes hominum animas ſimul fuiſſe conditas, vna cum Angelis ante mundi viſibilis conditionem, & in pęnam perpetrati delicti, in corpora, tanquam in tetrum aliquẽ carcerem eſſe detruſas: vt Diſput. proximè pręcedenti dictum eſt. Placuit adhuc aſſiſtentia aĩæ, non nullis alijs Patribus, quibus olim Platonica magis, q̃ Stagiritæa placita arriſerant.

Huc etiam fuit Philoponus, tum alibi ſæpe, tùm maximè in præfatione ad ſecundum librum de Anima, Simplicius in primo de Anima Comm. 7. & lib. 2. Com. 4. Et profectò arduum ſemper viſum eſt, quod forma quæpiam informet, actuetque corpus, & ſit ab eodem ſeiungibilis. Poſtremò non defuere, qui arbitrati ſunt, animam hominis, ſecundum gradũ intellectiuum non eſſe formam hominis informantem, ſed ſolum ratione alendi, ac ſentiendi facultatum, quarum operationes a materia omninò dependent, & in ea immerguntur, in his fuiſſe videtur Caietanus, in primam partem S. Thomæ, quæſt. 76. art. 1. in reſponſione ad primum argumentum.

Auerroes hac in re, mira neſcio quæ comẽtatur: Fingit primò quendam intellectum, vel ſi mauis, intelligentiam, quę ſit ab omni corpore ſecundum eſſe abiuncta; ſed tamen omnibus hominibus, vice intellectus aſſideat, quo anima ſapit, & intelligit. Deinde, ponit hominem nõ conſtitui in ſua ſpecie, nec differre a cæteris animalibus, per intellectum, ſed per cogitatiuam, quæ ſit propria hominis, cuius loco, reliqua animalia ſortita ſunt quandam æſtimatiuam naturalem: Ad hæc, eius cogitatiuę munus eſſe, diſtinguere *intentiones indiuiduales*, & cõparare eas ad inuicem. Sicut intellectus, qui eſt ſeparatus, & immixtus, comparat, & diſtinguit *intentiones vniuerſales*: atque hanc cogitatiuam vocari a Philoſopho 3. de Anima, tex. 20. *intellectum paſſiuum*: quia per hanc virtutem, ſimul cum imaginatiua, & memoratiua, præparãtur phantaſmata, vt recipiant actionem intellectus agentis, a quo fiunt intelligibilia actu, perinde ac non nullæ artes, præparant materiam artifici principali; iccircò præfatam facũltatem appellari nomine intellectus. Hæc colliguntur ex Auerroe multis in locis, maximè verò in 3. de Anima, Com. 5. Cæterùm, quia per hunc intellectum, a nobis ſecundum eſſe abiunctum, ac ſeparatum, nos nunquam intelligeremus, niſi nobiſcum aliquo modo coniungeretur, varios excogitauerunt modos Auerrois aſſeclæ, quibus explicarent, quonam ille modo nobis conglutinetur, vt tandem miſer homo, dici queat intelligens: eos, ne bis eandem tibi, vt aiunt, apponam crambem, inferius, & adducam, & impugnabo: nunc pro hiſce ſententijs aliquã argumenta iubeat audire.

SECTIO PRIMA.

Argumenta, quibus præfatæ ſententiæ fulciuntur.

PRIMVM. Omnis forma, quæ aliquod corpus informat, omninò eſt inſeparabilis ab eo. Hæc enunciatio conceptis verbis iacet apud Ariſtotelem 2. de Anima tex. 11. vbi quaſdã animæ partes; ideò ait, nõn eſſe ſeparabiles a corpore, quia ſunt actus corporis, vt vegetatiuã, & ſenſitiua: aliquas verò poſſe ab eodem ſeiungi, quia non ſunt corporis actus, videlicet informantes. *Quaſdam autem nihil, inquit, prohibet ſeparari, propterea quod nullius corporis ſunt actus*: quæ procul dubio de anima intellectiua protulit: eiuſque ſepara-

Digitized by Google

parationis, eam attulit rationem, quia non eſt actus corporis, hoc eſt informans. Deinde ſubdit, *amplius non eſt manifeſtum, ſi anima eſt actus corporis, ſicut nauta nauis*, Cur nondum manifeſtũ, aſſiſtit ne anima intellectrix corpori, vt nauta naui? quia nondum probatum erat, eam eſſe a corpore ſeparabilem, ac immortalem; vbi verò conſtitit, eam poſſe incolumem a corpore ſeiungi, conſtat etiam eandem eſſe actum corporis, tanquam nautam nauis: Sin autem non ſeiungetur, alio pacto erit actus; id eſt, informãs. Cum itaque intellectricem animæ partem, eſſe corpori immixtam, ac ſeparabilem oſtenſurus eſſet in 3. de Anima; iccircò ſumma cum ratione hic ait, *nondum eſſe manifeſtum &c.*

Præterea, ita ſe habet anima ad corpus, vt figura ceræ rotundæ, ad eandem ceram; vel acies ſecuris, ad ſecurim; vel viſus, ad oculum: quæ ſunt exempla, quibus ad hoc ipſum illuſtrandum, vtitur Stagirites in text. *6.* & in ſequentibus, ſecundi libri de Anima. Atqui hęc omnia nullo pacto queunt a ſuis materijs ſeparari, nec forma igitur vlla poterit a corpore, quod actuat ſeparari. Vel ergo animam intellectiuam inſeparabilem, ac mortalem fateare neceſſe eſt, ſi vis eam informantem: Vel ſi a corpore eſt ſeparabilis, ac immortalis, dicas omninò oportet, eam neutiquam eſſe informantem.

Secundò, ſi anima intellectiua informaret humanum corpus, illa ſaltem per accidens eſſet extenſa, ac diuiſibilis. Quod verum eſſe oſtenditur, iacto prius triplici fundamento. Primo, nihil vnquam poſſe, nec per ſe, nec ex accidente eſſe figuratum, niſi ſit extenſum, aut per ſe, aut ex accidente. Hoc effatum inductiuè cuique rectè ſentienti manifeſtum eſt. Secundo, materiam primam, cum ſit potentia ens, non poſſe conſtitui proprium ſubiectum, alicuius accidentis: ideòque nullo modo ſtatui poſſe ſubiectum proprium, v. gr. figuræ hominis. Tertio, in homine, non eſſe plures formas ſubſtantiales, quarum altera hoc, altera illud eſſe elargiatur; ſed vnica forma ſubſtantiali, & cõſtitui hominem, & in vna aliqua ſpecie collocari.

Tunc ita ſtruitur argumentum. Si anima intellectiua informat corpus, aut eſt aliquo modo ſubiectum proprium figuræ hominis, aut nullo. Si prius, ergo aliquo modo eſt figurata: ſiquidem omne ſubiectum figuræ, eſt figuratũ; perinde, ac omne ſubiectum caloris, eſt calidũ. Omne autẽ figuratum, eſt extenſum ac diuiſibile, ex prima hypotheſi. Si verò dixeris, eam nullo modo eſſe ſubiectum figuræ hominis, tũc quæro, quodnam eſt ſubiectum eius propriũ? An materia prima? At hoc eſt contra alteram hypotheſim: an compoſitũ ex materia, & quadam alia forma ſubſtantiali? Sed hoc erit contra tertiam hypotheſim, cum in vno compoſito, non niſi vnica forma ſubſtantialis concedatur: ergo ſi anima intellectiua informaret humanum corpus, neceſſariò ſaltem ex accidente eſſet extenſa, ac diuiſibilis.

Item, quia ne apprehendi quidem imaginatione poteſt, quod aliqua forma inhæreat, actuetque aliquod ſubiectum extenſum, ac diuiſibile, abſque eo, quod illa ad eiuſdem extenſionem, non extendatur: An albedo poterit informare parietem, quæ tamen illius extenſione, ac diuiſione, non extendatur, ac diuidatur per accidens? Si itaque anima intellectiua daret eſſe humano corpori, vt forma informans, neceſſariò ad eius extenſionem, foret extenſa.

Præterea, ſi non eſt extenſa ad corporis extenſionem, neque eſt alia forma ſubſtantialis in homine, ſequitur, vnum & idem, nec ſecundum aliud, & aliud ſui, ſimul moueri, & quieſcere. Nã fac moueatur manus, motu proprio, reliquis partibus immotis: tunc anima intellectiua, quæ eſſet ſecundum ſe tota in qualibet corporis parte, mouebitur ex accidente ſecundum motũ ipſius manus. Quod enim eſſet ſubiectum proprium illius motus, niſi compoſitũ ex corpore manus, & anima eius? Moto autem ſubiecto, mouẽtur etiam omnia, quę in eo ſunt: eòque anima intellectiua, exiſtens in manu, ad eius motum mouebitur. Eadem verò, nec ſecũdum aliquid aliud ſui, exiſtens in alijs partibus immotis, non mouebitur. Idem autem ſecundum idem moueri, & quieſcere omninò eſt impoſſibile. Quid verò? idem ſecundum idem ſui, ſimul moueretur motibus omninò contrarijs, quando pes deorſum, & manus ſurſum mouetur. Ex his itaque liquet, quod, ſi anima intellectrix eſſet forma, humanũ corpus informans, ex neceſſitate eſſet extenſa: Quæcumque autem extenſio, ac diuiſio repugnat animæ intellectiuæ, modò illa ponatur, vt verè eſt, immaterialis, ac immortalis: Quare &c.

Tertiò, omnis forma informans, ita debet

communicare ſuum eſſe informato, vt ex ea, & materia, quam actuat, vnum per ſe coaleſcat; cuius eſſe, ſit commune vtrique parti: vt in omnibus ſubſtantialibus compoſitis videre eſt. Anima autem intellectiua nequit hoc pacto ſuum eſſe corpori impertiri; primò, quia, cum ea ſit quædam ſubſtantia immaterialis atque incorruptibilis, differt genere a corporis craſſitudine, nam *prout hoc quidem corruptibile, illud verò incorruptibile, oppoſitionem habent: quare neceſſe eſt, genere diuerſa eſſe.* inquit Ariſtoteles in vltimo textu decimi libri Metaphyſic. Ex ijs autem, quæ genere differunt, non coaleſcit vnum ſimpliciter, ſed vnum tale. Item, ſi anima intellectiua eſſet coniuncta cum corpore in vnico eſſe, tunc eodem modo eſſent coniunctę eius potentię, nempè intellectus, & voluntas: qui enim fieri poteſt, vt eſſentia quæpiam coniungatur materiæ in vnico eſſe, eius verò potentia, quæ ab eadem met eſſentia fluit, ſit eidem materiæ immixta? Cum itaque intellectus non ſit virtus coniuncta corpori, nec eius, & corporis ſit vnum eſſe, vt oſtenditur tertio de Anima, illud conſequitur, vt nec anima intellectiua copuletur corpori in vnico eſſe, vt forma informans.

Quartò, forma & materia debent eodem genere contineri; quia omne genus entis, accommodatè diuiditur per actum, & potentiam: vnde effatum illud profluxit *actus, & potentia ſunt in eodem genere*: quod colligitur ex Ariſtotele nono Metaphyſic. text. 3. & libro duodecimo, tex. 26. & 28. Manifeſtum autem eſt, animam intellectricem, cum ſit ſubſtantia intellectualis; neutiquam eodem genere contineri, cum materia prima. Quomodo enim mundanæ vniuerſitatis fex, materia, cum actu immateriali, anima intellectiua, eodem genere concludi poteſt? non itaque ea fuerit forma humanum corpus informans. Item, quia forma, & formatum debent eſse inuicem proportionata; quandoquidem forma eſt terminus, & vt ita loquar, *perfectihabia* formati: Terminus autem debet eſse idoneus, & adæquatus illi, quod terminat: Secus enim qui vnquam poſset terminare? Intellectiua verò anima maximè eſt improportionata ad corpus; vtpote immaterialis ad concretionem materię: quamobrem neque illa poterit informare, ac terminare, neque materia terminari ab illa. Ad hæc, quæ maximè, & ipſo ordine ab inuicem diſtant, nequeunt aptè colligari. Anima intellectiua, cum ſit ſpiritualis naturæ, diſtat in infinitum a corpore; ſiquidem quæ ſunt diuerſi ordinis, ea in infinitum diſcriminantur: nequit igitur anima intellectrix ad vnius rei compoſitionem venire cum corpore, ceu forma informans.

Quintò, formę informantis munus eſt, eſse id, quo aliud, nimirum compoſitum ſubſiſtat, cui ſimpliciter & eſse, & operari aſcribitur. cum enim ex illa, & corpore debet coaleſcere vnum per ſe, neceſsariò ea ſtatuenda erit, id, quo totum reſultat. Intellectrix autem anima ſubſiſtit in corpore, vt quod; ſi enim habet operationem, *cui non communicat actio corporalis*, vt dicitur 2. de generat. animal. cap. 3. habet etiam ſubſiſtere per ſe, & vt quod, in quo non communicat corpus: quia vnumquodque eo modo operatur, quo eſt. Et operatio non eſt, niſi entis in actu. Ad hęc; quia aĩa intellectiua extincto corpore, ſubſiſtit vt quod, & terminatur proprio termino: ergo eodem pacto ſubſiſtit quando eſt in corpore: mirum enim videtur, quod aliud eſse habeat, dũ eſt in corpore, aliud extra corpus.

Sextò, ſi anima intellectrix eſset forma, quę daret humano corpori eſse, illa foret materialis, atque corporea. Quæ conſecutio ſic oſtenditur: cum enim materia prima ſuaptè natura, non ſit aliquod corpus, ſed nuda puraque potentia, neceſsariò debet actuari per aliquod eſſe corporeum, ac materiale, vt in rerum natura tum exiſtere, tum ſentiri queat. Impoſſibile autem eſt, vt forma immaterialis, & incorporea elargiatur materiæ hoc eſse corporeum, ac materiale: quid enim elargietur, ſi id ipſa in ſe non habet? Et profectò quemadmodum impoſſibile eſt, vt candor impertiatur cuipiam eſse calidum, ea ſolum ratione, quia ille eſt alterius ordinis a calefactiuo; ita, & multò magis impoſſibile iudicandum eſt, vt aliqđ immateriale ac incorporeum (cuiuſmodi ſtatuitur anima intellectiua) tribuere poſsit cuipiam eſse corporeum, ac materiale. Cum itaque ea deberet dare materiæ hoc eſse corporeum, præſertim quia in homine non eſt alia forma ſubſtantialis, eſset vtique corporea, ac materialis, ſi poneretur forma informans. Item, quia forma informans refertur ad materiã, tanquã relatiuũ tranſcendẽs; cuius relatiui ea eſt rõ, vt pẽdeat, quò ad ſuũ eſse ab eo, ad quod refertur, ſcientia
pendet

pendet à ſcibili, & creatura à Creatore. Atqui anima intellectrix nequit, quo ad ſuum eſſe pẽdere à materia, tum quia ipſa citra materiæ adminiculum, cohærere commodè poteſt; tũ quia abſurdum eſt, vt ſpiritualis ſubſtantia, anima, quo ad ſuum eſſe pendeat à materia: nequit igitur etiam ſtatui forma, quæ humanum corpus informet.

Septimò, materia prima eſt in potentia naturali ad omnem formam, qua poſtea informatur: tum quia dicit ordinem intrinſecum ad omnes formas, eaſque appetit, vt fœmina marem: tum etiam, quia ſi non eſſet in potentia ad aliquam formam, illa nequiret poſtea eſſe actus, & forma iſtius. Atqui non eſt in potentia naturali ad animam intellectricem, quia cum materia prima ſit natura, vt in 2. Phyſic. dicitur, eſt in potentia ſolum ad illas formas, quæ per naturales tranſmutationes, ab agente naturali educuntur de poteſtate ipſius materię. Anima verò intellectiua nõ extrahitur e ſinu, gremioque materiæ, *ſed foriſecus aduenit*: non ergo materia prima erit in potentia naturali, ad animã humanam; atque adeò nec poterit ab ea verè, ac propriè informari. Tùm præterea, quia forma, quæ dat eſſe corpori, eſt etiam finis generationis eiuſdem, quippè vt docet Ariſtoteles in 2. Phyſic. tex. 70. forma, & finis generationis, in idem veniunt. Anima autem intellectiua nequit eſſe finis generationis in homine: propterea, quia finis generationis eſt natura, vt aſſerit idem Philoſophus in eodem 2. lib. tex. 14. Intellectiua verò anima non eſt natura, quod idem auctor, ex profeſſo probat in primo lib. de partib. animal. cap. 1. quia mens non eſt principiũ accretionis, neque lationis, neque alterationis, ergo neq; erit forma, humanũ corpus informãs.

Octauò, ſi aĩa intellectiua, ita vnitur humano corpori, vt illud cõſtituat in propria ſpecie, tũc illud, *eſſe vnitum*, ſeu, *eſſe coniunctum*, aut eſt ipſa animæ ſubſtantia, aut aliquod accidens ipſius animæ: Si dixeris, eſſe ſubſtantiam animæ, ſequitur, vt quando non eſt vnita, & coniuncta corpori, neque etiam remaneat animæ ſubſtantia: eòque animæ a corpore ſeparatæ, nulla remaneret ſubſtantia. Si verò affirmaueris, illud *eſſe vnitum*, eſſe accidens: vel erit accidens proprium, ac inſeparabile, vel commune, ac ſeparabile: ſi primum, ergo cum poſt obitum hominis remaneat animæ ſubſtantia, remaneret etiã eiuſdem vnio ad corpus: ſiquidem vbicumque remanet eſſentia alicuius, remanent etiam eius accidentia propria: Si denique affirmaueris animæ vnionem ad corpus, eſſe aliquod accidens commune, & ab ipſa anima ſeparabile, tunc anima conſtituet hominem, in eſſe ſubſtãtiali, ac ſpecifico, per aliquod accidens ſeparabile. Quod vel cogitare eſt abſurdum: non igitur anima vnitur corpori, vt forma, quæ ei, tum eſſe, tum ſpeciem tribuat.

Nonò, ſi anima intellectiua &c. Sequeretur, vt manus, aut etiam pes intelligeret. Quod probo: hoc prius fundamento iacto, intellectũ immediatè inſidere in ipſa animæ intellectricis ſubſtantia, vt Diſput. 9. oſtẽdimus: quocirca vbicumque fuerit animæ ſubſtantia, ibi quoque erit intellectus. Tunc, tota animæ intellectiuæ ſubſtantia eſt in manu, ergo ibi erit quoque intellectus. In quocumque autem eſt intellectus, in eo exercetur intellectio, & illud dicitur intelligere; quare manus, & pes intelligeret: quod eſt abſurdum. Quid verò? nonne Philoſophus in primo de Anima tex. 92. modo non clamat, *ne fingi quidem poſſe, quamnam partem corporis occupet intellectus?* At ſi eſt corporis forma, non ſolum fingi, ſed oſtendi etiã poterit determinata corporis pars, in qua ille reſideat: informando .n. manum, eſt in ea, & pedem, eſt in eodem. Cum formam aliquam informare, nihil fit aliud, quã communicare ſuum eſſe, ſeque ipſam iungere informato. Quare &c.

Decimò, ſi anima intellectiua informaret materiam, ſequeretur, eam non poſſe cognoſcere vniuerſalia: quod ſic oſtendo. Id, quod eſt cuiuſpiam forma, nequit quicquã recipere abſque ſua materia: non enim forma equi, aut vlla alia, quicquã recipit, ſine materia, quam informat. Materia autem prima recipit formas indiuidualiter, eęque ex eo indiuiduantur, quòd ſunt in materia: quare anima, ſeu intellectus cuncta reciperet indiuidualiter, nec quicquam vniuerſaliter. Denique, Ariſtoteles in tertio de Anima, vocat animam intellectiuam, ſeu intellectum, *a corpore ſeparatum, & ei impermixtum, Et ſimplicem, Et impaſſibilem*. Si autem ſtatuatur informans corporis forma, quomodo erit a corpore ſeparatus? quomodo eidẽ impermixtus? quomodo ſimplex, & impaſſibilis? Hæc ferè ſunt validiora, quę pro hac parte adduci queunt, argumenta: ſit tamen,

SECTIO II.

Confutatur phyſicis rationibus Auerrois error, qua aſſerit principium intellectiuum, ſeu rationalem animam, non eſſe veram hominis formam, ſed cunctorum hominum vnam aliquam aſſiſtentem.

NOBIS in præſens eſt animus, nō modò dictam Commentatoris, vel Commentitoris potius euertere machinationem, quod adhuc præſtitere multi; ſed noua etiam quorumdam recentium Philoſophorum adminicula demoliri, quibus veterem Auerrois abſurditatē, quouis pacto communire obnixi ſunt. Id nūc tantùm rationibus agam, in ſectione verò, quę proximè ſuccedit, idem Philoſophi dictis confirmabo.

Principio itaque arguimus ex hominis intellectione: quippè hominem, cum omni proprietate cùm dici, tùm eſſe intelligentem, prout intelligendi actio, qua ita denominatur, eſt omninò diſtincta ab omni actione ſenſitiua, certo certius eſt, ex communi omnium hominū conſenſu, iudicioque. Certum etiam eſt ex Ariſtotele, qui 10. Ethicorum libro, cap. 9. eum, ait, videri eſſe Deo cariſſimum, qui operatur ex intellectu, *qui verò*, inquit, *operatur ex intellectu, huncq; excolit, atque optimè afficit, is eſſe Deo cariſſimus videtur.* Tùm etiam in capite 7. eiuſdem libri vltimam hominis beatitatem, in eius intellectione collocauit. Extrema autem hominis fęlicitas, internū aliquid homini ipſi eſſe debet, per quam fęlix vocetur, ac ſit: quocirca ipſa quoque intellectio, qua cætera animantia excedit, erit eidem intrinſeca: ex qua verè nuncupetur intelligens.

Denique, id ipſum ratione fit conſpicuum, quia homo formaliter cognoſcit obiecta quæpiam, ea præcipuè ratione, qua a nullo vnquā ſenſuum attingi queunt. Cognoſcit ſubſtātias, genera, ſpecies, vniuerſalia omnia, ens ipſum in ratione communi, & entis ad quæ nulla ſenſitiua vis poteſt pertingere: cum pręfata omnia longo interuallo excedant rationem obiecti adæquati cuiuſuis ſenſus, quod quidē præſens, & in ſe eſſe debet: vt oſtēditur in 2. de Anima. Quare, homo elicit aliquam operationem, quę omnem ſenſitiuam prætergreditur: ea eſt intellectio, qua verè denominatur, & eſt intelligēs: ergo primum principium, quo homo hāc promit operationem, eſt vera, & informans eius forma.

Hæc conſecutio, ita ſuadetur. Primò, quia per id, vnaquęque res primò, ac radicaliter operatur, per quod eſt actu, quippè quod elargitur eſſe rei, elargitur & operari. Eſt autem actu per ſuam formam, per eandem igitur, ceu per principium primum operatur: ergo primum principium, quo homo elicit intellectionem, eſt vera eius forma; eoque principium intellectiuum, ſeu anima intellectrix eſt vera hominis forma. Deinde, hoc ipſum tute conſpicis, vel in exemplis ab Stagirite allatis lib. 2. de Anima, tex. 24. quia enim id, quo primò ſcit intellectus, eſt ſcientia, & quo primò corpus ſanatur, eſt ſanitas, ſcientia eſt forma intellectus; & ſanitas forma corporis. Quare id quoque, quo homo primò intelligit, quæ eſt anima intellectiua, eſt eius forma.

Pręterea, ex Ariſtotele initio libri quinti de Phyſica auſcultatione, trifariam quicquam dici poteſt mouens, ſeu operans, reſpectu alicuius actionis. Aut ſecūdum ſe totum, quo pacto medicus ſanat, aut ſecundum aliquam ſui partem, vt quiſpiam videt, aſpectu, percutit manu, aut ex accidenti, vt muſicum ambulat, non .n. qua muſicū ambulat, ſed quod ambulat, ei accidit eſſe muſicum. Cum itaque homo dicatur, ſitq; intelligens, vel eſt eiuſmodi per accidens, vel ſecundum ſe totum, vel ſecundum aliquam ſui partem. Nō primum, quia homo intelligit, prout eſt homo, cui non ex accidenti, ſed eſſentialiter competit eſſe talem. Neque etiam intelligit ſecundum ſe totum: primò, quia in agentibus compoſitis, id quo, & quod operatur, ſunt valde diuerſa. Deinde, ſi homo ſe toto intelligeret, omnia hominis opera eſſent in ordine intellectionis, quod enim ſecundum ſe totum agit, nullam ſui partem relinquit, qua poſſit alio pacto operari. Cum itaque homo edat alia quoque munia, vt ſenſationes, neutiquam intelligit ſecundum ſe totum. Supereſt itaque, vt ſecundum aliquam ſui partem intelligat, quæquidem hominis pars nequit eſſe materia, quòd ea nullius actiuitatis ſit, erit ergo altera eius pars, hoc eſt forma, quæ eſt anima intellectiua, &c.

At at en tibi Auerroiſtica pholanx, obuiam venit, inquiēs, aīam intellectiuā, ſeu intellectū, quamuis

quamuis non ſit humano corpori, ceu vera, ac informans forma vnitus, cum ſit ab eo ſecundũ eſſe abiunctus, vtpote vna aliqua intelligentia; nihilominus illi vniri, intimèq; continuari: ob quam quidem continuationem cum homine, homo cùm appellatur, tùm eſt intelligens.

Cęterũ explicare, aut verius implicare, quo vnquã pacto intellectus, & ſeiuncta hæc intelligentia continuetur, conglutineturque homini, vt tandem hic per illam dicatur, ſitque intelligens, hoc opus, hic labor. Dixerunt aliqui: eum nobiſcum continuari ratione phantaſmatum, quod explicant: ſpecies intelligibilis cauſatur, velut a fundamento, a noſtro phantaſmate, & eſt ſimilitudo quæpiam huius, quæ deinde actuat intellectũ ſeparatũ: ex ſpecie vero actu intellecta, & ipſo intellectu, fit maximè vnum: quia igitur præfata ſpecies, ratione noſtri phantaſmatis, a quo eruta, & cuius eſt ſimilitudo, aliquo modo nobis vnitur, iccircò etiã intellectus, qui cum illa eſt vnum, dicitur iridẽ nobis vniri, & continuari. Atque per hanc cõtinuationem homo cùm dicitur, tùm eſt intelligens: id, aiunt ſignificare Auerroem, cum in 3. de Anima com. 5. hanc intellectus cõtinuationem his omninò concludit. *Et cum declaratum eſt, quod impoſſibile eſt, vt intellectus copuletur, cum vnoquoque hominum, & numeretur per numerationem eorum, per partem, quæ eſt de eo, quaſi materia, ſcilicet intellectum materialem, remanet, vt continuatio intellectorũ, cum nobis, ſit per continuationem intentionis*, hoc eſt ſpeciei, *intellecta, cum nobis, & ſunt intentiones imaginatæ*; id eſt phantaſmata.

Veruntamen hæc reſponſio omninò falſa eſt, quia ex eo ſolũ, quod ſpecies illa, qua indutus intellectus intelligit, cauſatur ab homine, vel eius phantaſmate, homo nunquam dicetur intelligens: quemadmodum enim ex eo, quòd ſpecies viſibilis, qua ſpecto parietem, cauſatur ex eo, nunquam paries dicetur videns, ſed rectè viſus, ſic ex eo, quod ſpecies intelligibilis eruitur a phantaſmate hominis, nunquam hic dicetur intelligens, ſed potius phantaſma illud erit intellectum, ſeu vt ita loquar, res phantaſiata: maximè verò, cum phantaſmata, ſi Stagiritem in 3. de Anima audias, ita ſe habeant ad intellectum, ſicut colores ad viſum. Præterea, quia adhuc ſpecies illa, nullo pacto poſſet nobis coniungi, & continuari; enimuerò, qui vnquam nobis ea vniri poſſet, quæ in illo intellectu ſubſideret, cuius eſſe omninò ponitur ſeparatum, ac diuerſum a nobis? an ex hoc, quod mihi, in naui quapiã exiſtenti adhæret aliquod accidens, iccircò id dicetur eſſe coniunctum naui ipſi in qua exiſto? Hinc Ioannes de Iandun. acer Auerrois ſectator in 3. de Anima, qu. 5. de huius intellectus continuatione loquens, ait præfatam explicationem, haud eſſe ad mentem Commentatoris, ſed illi imponi.

Alij dicunt, intellectum continuari nobiſcũ per ſpeciem intelligibilem: ſed ita, vt illa partim quidẽ ſubijciatur in iſto intellectu, partim verò in nobis, hoc eſt in noſtra phantaſia. Et quia ſpecies eſt maximè vnum quippiam cum intellectu, ideò ille etiam nobis continuatur, & hoc pacto dicimur intelligere, quia habemus in nobis principium immediatum intellectionis. Ita mentem Auerrois explicat S. Thomas 2. contra Gent. cap. 59. & in prima parte, quęſt. 76. artic. primo, quo loci hæc omninò ſcribit. *Hanc autem vnionem Commentator in 3. de Anima, dicit eſſe per ſpeciem intelligibilem, quæquidem habet duplex ſubiectum: vnum intellectum poſſibilem, et aliud ipſa phãtaſmata, quæ ſunt in organis corporeis, & ſic per ſpeciem intelligibilem continuatur intellectus poſſibilis corpori huius, vel illius hominis*. Quæquidem expoſitio, conceptis verbis iacet apud Auerroem loco nuper cõmemorato, qui dum difficultatem ab ſe propoſitam ſolueret, quæ erat, ſi vterque intellectus eſt æternus, quomodo intellecta ſpeculatiua, videlicet ſpecies intelligibiles, ſunt generabilia, & corruptibilia? hæc inter alia ſcribit, *neceſſe eſt, vt intellecta in actu habeant duo ſubiecta, quorum vnum ſunt formæ, quæ ſunt imagines vere*, id eſt, phantaſmata, *aliud verò eſt intellectus materialis &c.*

At verò hæc expoſitio lõgè abſurdior eſt: Tũ quia nulla vnquam via effici poteſt, vt vna eademque numero forma repreſentet, quicquam vniuerſaliter, ac ſimul indiuidualiter. Atqui forma abſtracta, & ſpecies intelligibilis, quę eſt in intellectu, repreſentat rem vniuerſaliter, forma verò, quæ eſt in phantaſia, indiuidualiter: nequit igitur vna eademque an forma, an ſpecies ſimul in intellectu, & phantaſmate ineſſe. Tum præterea, vna numerò forma, nequit ineſſe in corpore, & ſimul in aliquo incorporeo, omnis verò forma, quæ inſidet in phantaſia, in corpore eſt, forma verò, qua induitur intellectus, eſt in ſubiecto incorporeo, *ſiquidem intellectus neque corpus eſt, neque virtus in corpore*, auctore eodem Auerroe. Quid verò? omnis forma accidentaria indiuiduatur a ſubiecto, in quo inhæret: illa igitur foret vna numero, vt ſupponitur, & non vna, quia non haberet vnum ſubiectum, ſed duplex, a quo indiuiduaretur. Propterea dicta expoſitio etiam Auerroiſtarum nonnullis diſpli-

cet, qui quidem eam nunquam, aiunt, fuiſſe Auerrois mentem,& cum ait, *intellecta ſpeculatiua habere duo ſubiecta*. Altero loco ſumit *ſubiectum* pro fundamento, ſeu obiecto: ſic exponit Ioannes de Iandun.quæſt.3.adducta; ſed tunc redeunt omnia argumenta ſuperius facta, quomodo nimirum hic intellectus nobiſcum continuetur, vt dicamur intelligentes?

Iandunus,loco quem dixi, dum hunc nodũ ſoluere niteretur, conſiderandum eſſe, ait, *quod intellectus eſt operans intrinſecum, in operando vnitè ſe habens ad corpus humanum ſecundum naturam*. Et quia operatio intrinſeci,& appropriati operantis, attribuitur toti compoſito ex corpore,& ipſo intrinſeco operante, ita ſolemus dicere cęlum ſeipſum mouere, cum tamen ciere corpus cęleſte, ſit operatio determinata ipſius intelligentiæ, quæ non eſt forma informans Cęlum; fit, vt compoſitum ex intellectu,& homine dicatur intelligens, rõne illius intrinſeci operantis.

Hinc Franciſc. Piccolomineus lib.3.de humana mente cap.17. id ipſum vt vberius explicare videretur, ait, hunc intellectum gemino modo nobis vniri,& necti: per operationem,& per naturam; nexum per operationem abſque vlla explicatione tranſit, de eo verò, qui per naturam fit, nihil ait aliud, quàm quod hic nexus intimior eſt, quàm nexus materiæ, & formæ; ideòque infert hominem conſtitutum per phãtaſiam, dici per intellectum cum eo coniunctũ intelligere.

At Iandun. debuit explicare, quo modo intellectus,& ſubſtantia illa ſecundũ eſſe abiuncta, fiat nobis intrinſecum, & appropriatum operans? quid vnquam communem illam ſubſtantiam, ad hunc potius, quã illum hominem cõtrahat? quid appropriet? quomodo vniatur humano corpori ſecundum naturam? profectò, quæ ſecundum naturam homini competunt, ea illi ex intrinſeco competunt: qui igitur extrinſeca hæc, & ſecundum eſſe omninò ſeiuncta ſubſtantia intellectus, vnitur homini ſecundũ naturam? Tum præterea, quia ſi hic putat, vt ex ſententia putat, hominem ea proprietate dici, ac eſſe intelligentẽ, quà cęlum dicitur ſe mouere, ineptè putat; quandoquidem homo formaliter per ſeſeque eſt intelligens, cęlum verò formaliter dicitur moueri, & impropriè tantũ ſe mouere.

Piccolom. verò pugnantia dicit, nam quod cuipiam per naturam vnitur, id amplius haud dicetur vniri per operationem, quod .n. vnitur homini per naturam, id ei ex eo competit, quo cæpit habere naturam humanam. At verò intellectum vniri per operationem, eſt, opinor, per phantaſmata, vel ſpeciem intelligibilem necti. Si itaque eſt vnitus homini, ex quo cæpit eſſe homo, nequit amplius eidem vniri: qđ enim vnitum eſt, amplius vniri nequit. Præterea, vel hic intellectus, quem nobis per naturã vniri iactitant, vnitur ſe ipſo immediatè, vel aliquo alio medio, nimirum phantaſmate, vel ſpecie intelligibili. Secundum apparet falſum, in puero adhuc in vtero detento, in quo neque phantaſmatis, neque ſpeciei quicquam concipi poteſt, pręter naturam humanam. Primum etiã eſt falſum, quia cum intellectus ſit vnus ſpecie, atque vniuerſalis, fieri nequit, vt ad vnum potius, quam aliud ſe ſolo determinetur. Quid .n. rei eſt, vt ad hoc magis, quàm illud contrahatur? nequit igitur vniri homini per naturam.

Ad hęc, ex forma,& materia, quæ intimè vniũtur, coaleſcit vnum per ſe: ſi itaque vnio, ac nexus huius intellectus, cum homine per naturã, intimior eſt, vt hic auctor ait, quàm vnio formę cum materia, ex intellectu vtique, & homine multò magis reſultabit vnum per ſe, quàm ex materia,& forma: Alia verò ex parte, cum præfatus intellectus ponatur aſſiſtens, ex eo, & homine haud vnquam fiet vnum per ſe, ſed neceſſariò vnum ex accidenti, cum vtrumque extremum ſit ens actų. Ad extremum, cum intellectio ſit actio immanens, eoque in eo ipſo principio ſuſcipiatur; a quo elicitur, vt patet ex Philoſopho lib 9.Metaphyſ.tex.16. lubens a Piccolomineo ſciſcitarer, (dum infert, hominem conſtitutum per phãtaſiam dici intelligere per intellectum ſecum coniunctum,) quodnam eſt proximum,& immediatum principium eliciẽs hanc numero intellectionem? ſicut immediatum principium huius viſionis eſt oculus: an phantaſia? vel alia quæpiam materialis, corporeaque hominis virtus? At intellectio omnem huiuſmodi virtutem tranſcendit: erit itaq; principium huius immediatum,& eliciens, aſſiſtens hic, & homini vnitus intellectus: ergo hæc intellectio in eodemmet intellectu,& non in homine recipitur, atque adeò cum intellectio, neque ab homine eliceretur, neque in eo ſuſciperetur, nullo pacto hic dici poſſet intelligens: quia omnis forma denominat ſubiectũ in quo eſt,& non aliud: Ita prorſus, quemadmodum neque nauis dicetur vnquam intelligens, ex eo quod nauta ei aſſiſtens atque vnitus intelligit.

Ex

Ex hucuſq. dictis perſpicuum eſt, cùm inanes, & fictitios eſſe Auerroiſtarum modos, quibus hunc intellectum nobis continuant, tùm quod fecimus, argumentum, in ſuis eſſe viribus: nimirum, ſi homo eſt formaliter intelligens, ergo principium, quo primò intelligit, hoc eſt, anima intellectiua, eſt verè, ac propriè eius forma.

Prætetea, comprobatur aſſertio noſtra ex alia hominis operatione, ideſt Voluntatis. Nã eſſe in nobis aliquam, ita ſolutam ac liberam actionem, vt adiectis completiſque omnibus, quæ ad operandum requiruntur, adhuc in nobis ſit, pro arbitratu noſtro promere eam, vel cohibere, nemo, niſi amens negabit. Atqui huiuſmodi actio nequit ab vllo principio ſenſitiuo, extenſo, & corporeo prouenire, tum quia quæcumque vis ſenſitiua, & corporea eſt determinata ad vnum, ita, vt bonum abſque vlla differentia apprehendat, & in id apprehẽſum nõ poſſit non ferri. Enimuerò ouis, ſi herbam apprehendat, efficere nequit, niſi impedita, quin in eam feratur. Voluntas verò non eſt determinata ad vnum. Et quoduis particulare bonum etiam apprehenſum, reſpuere poteſt. Quare Voluntas nequit eſſe virtus quæpiam ſenſitiua, & corporea; ſed omnem corpoream facultatem excedit: Hinc Philoſophus lib. 3. de Anima, tex. 42. *Voluntas, inquit, in ratiocinatiuo fit, concupiſcentia verò in irrationabili.* Tùm, quia ſi libera noſtra actio a ſenſitiua quapiam facultate proficiſceretur, cum huiuſmodi vis ſit nobis, & cæteris animalibus communis; vtique illa etiam liberas actiones producerent, quod tamen eſt ab omni vero alienum. Neque elici poteſt ab aliquo agente externo, & nobis tantummodo aſſiſtente, quia eadem ratione, ac ſuperius de intellectione dicebamus, homo neutiquam diceretur formaliter velle, ac liber; idq; in præſentia vehementius vrget, quia nullus hic refugij locus ad intellectũ, eiuſue cum homine vnionem, cum Voluntas nullo phantaſmate, nulla ſpecie intelligibili in exercenda actione ſua vtatur: relinquitur igitur, vt dicta actio proueniat ab aliqua noſtra virtute incorporea, ac immateriali, propria, & intrinſeca homini. Et hæc proxima quidem eſt Voluntas, rationalis animæ facultas, prima verò radix eſt ipſamet anima intellectrix, quę erit vera hominis forma, vt de primo intellectionis principio dicebamus.

Inſuper, ex alio capite oſtenditur, animam intellectiuam eſſe veram, ac informantem hominis formam. Ea eſt vera cuiuſque rei forma, qua res illa ſpecie, ac eſſentialiter, a quacumque alia differt: ſi enim intrinſecè, & eſſentialiter differt, ergo per aliquam eſſentialẽ ſui partem: Vel itaque per materiam, vel per formam. Materia, cum ſit rebus omnibus communis, in cauſa eſſe nequit, vt quicquam differat, ergo forma, atque adeò id, quo quippiam eſſentialiter ab alijs diſcriminatur, eſt vera eius forma. Hinc effluxit pertritum illud, *idem eſſe conſtitutiuum alicuius rei, & diſtinctiuum.* Atqui homo eſſentialiter differt ab omnibus alijs per animam intellectiuam, quippè cum tres ſint formarum gradus, nempè vegetatiuus, ſenſitiuus, & intellectiuus, vt communis Philoſophorum Schola docet cum Ariſt. 2. de Anima, cap. 3. homo ex vegetatiuo, & ſenſitiuo a cæteris ſeiungi nequit, quòd ea ſint cæteris quoq; animalibus communia, ergo differt ex ſola forma, & anima intellectiua, quæ erit vera eius forma.

Quæquidẽ ratio tm̃ habet ponderis, vt multi hac ſola conuicti, tenuerint, aĩam intellectus participem, eſſe verè formã hominis informantem: in quibus eſt Gabriel in 2. ſent. diſtin. 16. quæſt. vnica art. 3. quo loci teſtatur ſuum etiã Ocham quolibeto primo, quæſt. 10. huic ipſi ſententiæ, propter hanc rationem, adhæſiſſe.

Quod ſi quiſpiã dicat hominem differre a cęteris animantibus per cogitatiuam, quę ſit propria hominis, non euitat vim argumenti: Nam hęc cogitatiua, vel eſt differentia, & gradus animæ ſenſitiuæ, vel intellectiuæ. Si prius, erit communis nobis, ac cæteris animantibus, cuncta enim quæ ſunt animæ ſentientis, cõmunia ſunt vtriſque. Si poſterius, iam ineptè vocatur cogitatiua, cum ſit aliquid gradus intellectiui, niſi velint quartum aliquem formarũ gradũ intrudere, quod nullus hucuſque Philoſophorum cogitauit.

Sed quò tandem audax quorumdam calliditas non ruit per vetitum nefas? hominis cogitatiuam, aiunt, contineri quidem intra latitudinem, ac differentias ſenſitiui: Veruntamen, quia longe perfectior ſublimiorq; eſt, eſſe propriam hominis, eáque hũc conſtitui, & ab alijs animantibus differre: loco autem eius, illis ineſſe quandam æſtimatiuam naturalem, ſiquidẽ bruta animantia æſtimant, quæ ſibi amica, vel inimica, vtilia, inutilia ue obijciuntur. Ouis æſtimans Lupum inimicum, auerſatur ac fugit, nõ aliam ouem, quia æſtimat amicã. Auis colligit pa-

paleam, quòd reputat vtilem ad nidificandũ, non autem colligit ſarmentum: hæc edunt mu ta animantia per æſtimatiuam, homines verò longè perfectius hæc ipſa operantur per cogitatiuam: tum præterea, & propoſitiones particulares componunt, & intentiones indiuiduales diſtinguunt, eaſque inuicem conferunt, qđ in cauſa eſt, cur hæc cogitatiua, dicatur *particularis ratio*: Et *intellectus paſſiuus*: per hunc itaque homo, tùm in ſpecie conſtituitur, tùm a cunctis alijs diſcriminatur.

Sed *ò miſeras hominum mentes, ò pectora cæca*: Vnde tam denſæ, & chimericę (D. um immortalẽ) tenebræ, horum obduxerunt mentes? Iam his miſer homo, qui meritò cunctis alijs diuinum animal, ac terreſtris & mortalis eſt Deus, ſtatim effectus eſt merum brutum, & bellua iners. Enimuerò cogitatiua in homine, & æſtimatiua in brutis animantibus, ſunt eiuſdẽ gradus ſenſitiui, atque hoc ſolo inuicem differunt, quòd illa perfectior, hæc imperfectior eſt, vt ſponte etiam præfati auctores concedunt, ergo homo neutiquam ab illis ſpecie, differt: quandoquidem perfectius, & imperfectius; magis, & minus, non faciunt diuerſam ſpeciem. Præterea, cum cogitatiua, & potentiæ, quæ eam concomi tantur, vt memoratiua &c. ſint paſſiones partis ſenſitiuę, vt tradit Stagirites in libello de memoria, & reminiſcentia, & explicat S. Thomas lib. 2. cont. Gent. cap. 60. per eas, vel earum aliquam, nequit in altiori vitæ genere quicquam collocari, quã ſit anima, & vita ſenſitiua: quippè fieri nequit, vt paſſio excedat in perfectione ſuam formã, & principium, a quo fluit: Ex quo fit, vt vel homo neceſſariò intra caducitatem, & gradum vitæ ſenſitiuæ omninò iaceat, vel ſi ad altiorem vitæ gradum euehitur, vt re ipſa euehitur, & aſſerit Stagirites in 2. de Anima, tex. 14. vbi diſcernens vitæ genera, ſenſitiuo addit intellectiuum, neceſſariò dicendum eſt, hominem compleri in ſua ſpecie per aliquam formam longè altiorem: quæ nulla alia, quàm intellectiua eſt.

Aliqui ſubtiliores adhuc aiunt, cogitatiuam hominis, bifariam ſumi, primò abſolutè. Et hoc pacto non ita eſſe perfectiorem, vt in altiori vitæ genere quicquam conſtituere poſſit. Secundo, vt eſt intellectui coniuncta in ipſo homine: hoc modo, ſic eſſe perfectiorem, vt ad altiorem vitæ gradum poſſit euehere. Hac ratione complere hominem in ſpecie ſua. Cęterùm hi *bilem, aut riſum fortaſſe quibuſdam mouent*. Cum .n. abiunctus hic intellectus, ad eorum dogma, cõtinuetur, cum homine per phantaſmata, ſeu ſpeciem intelligibilem, hine liquidò conſequitur, vt ſaltem puer, in vtero adhuc detentus, in quo nec phantaſmata vlla, nec ſpecies effictæ ſunt, formaliter, ac ſpecificè ſit in eodem vitæ gradu, ac cætera animantia bruta: quandoquidem in eo, cogitatiua non eſt coniuncta cum intellectu, nequit ergo puerum illum ad altiorem animę gradum, quàm ſenſitiuum euehere.

Quid? infans in vtero, aut ſtatim etiam editus, ne potentiam quidem vllam intelligendi haberet: atque adeò relinqueretur merum purum brutum. Quod ſic oſtendo, *intelligere eſt quoddam pati* ex 3. de Anima tex. 2. nihil verò pati poteſt, niſi per potentiam paſſiuam, quæ intrinſecè in eo ipſo inſideat: quemadmodum nihil agere, niſi per potentiam actiuam in eo exiſtentem. Atqui intelligendi potentia eſt intellectus poſſibilis, cum itaque hic non ſit coniunctus, & continuatus cũ infante in vtero detento, aut ſtatim edito, vt dicebamus, ſequitur, eum nullam habere potentiam intelligendi.

Poſtremò, ſi homo cõpleretur ĩ ſua ſpecie ex cogitatiua, quocũque pacto accepta, intelligere eſſet illi operatio extrinſecus aduenicns, & omninò accidentalis: ſiquidem omnis operatio, quæ cuipiam non ex eius propria, & ſpecifica forma competit, eſt forinſecus aduenicns, & omninò accidentalis: quia nulla vnquam forma complet quicquã in ſpecie, quę non eidem impertiat operationem conuenientem ſecundum ſpeciem: vt inductione patet in omnibus. Modo eſt ne quiſquam, qui dicat intelligere eſſe homini adſcititium, & accidentale? maximè vero cum Stagirites in primo Ethic. cap. 9. intelligere, & ratiocinari, dicat, eſſe operationẽ hominis, inquantum homo eſt.

Hic admirabitur quiſpiam Auerroem, quantus, quantus hic eſt. Hinc quidem exiſtimaſſe, cęleſte corpus animari forma intellectiua, quæ non modò ei aſſideat ceu motor, ſed verè intimèq; eſſe largiatur, ac informet: quod apud eum in libro de ſubſtantia orbis cap. 2. & lib. 8. Metaphyſ. comment. 12. & lib. 12. cõmẽt. 36. & lib. 2. de Cęlo comm. 62. & alibi ſępè videre eſt. Hinc verò acri concertatione cõtẽdere ſeipſum non animari forma aliqua intellectiua; ſed obiecta chimerica illa intellectus continuatione, quod ad intrinſeca, & eſſentialia eius principia attinet, conſtitui, & compleri in

ri in ſua ſpecie per aliquod ſenſitiuum (ideſt, cogitatiuam,) & merè brutale. Poteſt intelligere, qui vnquam aliqua forma immaterialis, inextenſa, & incorporea informet cœleſte corpus, qui verò aliqua forma immaterialis, & incorporea ſe ipſum informare queat, intelligere non poteſt. Pròh durum, & dirum caput (duricapitonem Plautus vocaret.) Laudo Scotum, qui in 4. ſent. diſtinc. 43. quæſt. 2. dignum, ait, eſſe Auerroem, qui ob haſce ineptias, ex hominum comercio, & communione auerruncetur. Quę hucuſque attuli, aſſertionem noſtrã planè demonſtrant, nec vlla euadẽdi Antagoniſtis, (aut ego fallor,) relinquitur via: poſſem innumera adhuc afferre, quibus hunc ipſum Auerroiſtarum errorem conuincerem: at verò non multitudine, ſed robore rationum pugnandum opinor. Qui plura cupit, adeat S. Thomam lib. 2. contra Gent. a capite 56. vſqua ad 71. & in prima parte, quæſt. 76. art. 1. in Opuſculo de Vnitate intellectus aduerſus Auerr. & Albertum Mag. qui præcipuè in peculiari tractatu aduerſus hoc ipſum, triginta ſex rationibus ſtrenuè pugnat: ex quorum fontibus poſteri omnes hauſerunt.

Nec conniuentibus oculis hic præterierim, iuratos neſcio quos Auerrois tutelares. Achillinum, Antonium, Bernard. Mirandulanum, Buccaferreum, & Hieronymum Pontanũ, qui, vt lapidem aliquem, in hunc vanitatis aceruũ inijcerent, intellectum, dixerunt, ſeu animam intellectiuam vnam numero, eſſe quidem formam, informantem totam humanam ſpeciem; ideòq; ab ea inſeparabilem, quinimò illi coęquam, & coæternam: non eſſe autem informantem cuiuſuis humani indiuidui, ſed tantum aſſiſtentem, iccircò, & a quouis homine in indiuiduo ſeparabilem.

Prius, eo animo aſſerunt, vt tãdem inſinuare videantur, hominem, qua homo eſt, vltimò cõſtitui in ſpecie per intellectum, ac per eundem a cæteris animantibus differre. Poſterius verò, vt animam intellectricem, ſeu intellectum ab hoc, vel illo homine ſeparabilẽ affirmẽt. Hinc Pontanus lib. 4. de immortalit. animæ, cap. 3. vbi varias attulerat ſolutiones, ad illud Alexandri argumentum, nimirum actus informans eſt inſeparabilis, ab eo, quod actuat, hæc tandem annectit. *Reſponderet, quis ſequens Ariſtotelem tantũ, animam intellectiuam, ex ſententia Ariſtotelis, eſſe actum corporis humani in ſpecie, non autem huius, vel illius indiuidui, & ideò ipſam eſſe inſeparabilem a corpore humano, cuius eſt actus proprius, ſeparabilem verò a corporibus ſingularibus, quorum non eſt actus proprius.* Pergit, idque declarat exemplo, fingamus, inquit, Socratem eſſe patrem ratione duorum filiorum, altero extincto, remanet adhuc pater, quia ratione amborum erat pater: ita licet anima intellectiua ſit actus corporis Socratis, ita eſt eius actus, vt eadem ſimul ſit actus omnium hominum; quare extincto Socrate, non deſinit eſſe actus aliorum, quia licet ſit tota in Socrate, eſt tamen etiam tota in omnibus hominibus: hanc opinionem exiſtimant Ariſtotelis, & ad mentem Auerrois.

Veruntamen iſti auctores prodigialiter philoſophantur. Ecquid enim aliud eſt corpus humanum in ſpecie, quàm eius ſpeciei indiuidua? quippè haud reperitur ſpecies quæpiam, ſeu corpus ſenſibile abiunctum, & abſtractum ab indiuiduis. Qui igitur aliqua forma informabit corpus in ſpecie, non verò omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei?

Deinde, indiuidua alicuius ſpeciei importãt totum id, quod dicit ſpecies, & aliquid aliud, conditiones videlicet, indiuiduantes. Petrus quippè dicit totum id, quod importat homo, & aliquid amplius. Si igitur homo, ſeu humana ſpecies, informatur anima intellectiua, omninò fieri nequit, quin eadem anima informetur Petrus, & cuncta eius ſpeciei indiuidua.

Præterea, cum natura hominis, & cuiuſuis alterius rei ſenſibilis, præter eſſe, quod in ſingularibus habet, bifariam ſolum capi poſſit. Vnoquidem, quaſi per ſe ipſa habeat eſſe, & a parte rei ſubſiſtat, quopacto poſuit Plato ideas, ac formas ſeparatas. Alio modo, prout in intellectu exiſtit. Quod vnquã, obſecro, erit corpus illud humanũ in ſpecie, quod aĩa intellectrix informat? an priori modo captum? At huiuſmodi natura communis, exploditur ab Ariſtotele 7. Metaphyſ. Nec poſteriori modo, qua nimirum natura ſpecifica hominis habet eſſe in intellectu, informari poteſt anima intellectiua, nam hoc pacto haud informaretur ipſa natura realiter, ſed tantummodo intelligeretur informari. Præterquamquod, nuſquam Auerroes affirmauit intellectum informare ſpeciem humanam, aſſiſtere verò indiuiduis, vt pręfati auctores commẽtantur: de hac re, dixi etiam Diſput. 8. ſect. 4.

Exemplum verò Pontani, non facit ad rem, Paternitas, quia eſt forma reſpectiua, cuius eſſe eſt ad aliud, commodè poteſt vna eademq;

exiſtens

exiſtens in Socrate, reſpicere an vnum, an plures filios, & vno, aut duobus extinctis, ſeruari in reliquis, tamquam in termino ſibi adęquato: forma verò ſubſtantialis, non eſt huiuſmodi; ſed aliquid abſolutum, nec denominat ſubiectum, niſi cum eſt in eo. Tùm pręterea, filius nō denominatur talis, a paternitate, quæ in eius patre exiſtit, ſed a filiatione, formaliter illi inhærente: eòque pereunte filio, perit quoque eius filiatio: pari pacto, ſi Petrus dici debet homo, & intellectiuus, vtique ab aliqua forma intellectiua, quæ in eo ipſo inſideat, & aſſimiletur potius filiationi, quàm communi illi formę, quę cum paternitate comparatur, erit denominandus. Sed contra hoſce non equidem pluribus egerim, age verò quid hac in re Philoſophus ſenſerit, paucis videamus: ſit ergo.

SECTIO III.

Nunquam Ariſtoteli in mentem incidit, cunctorum hominum intellectum, eſſe vnum aliquem, & aſſiſtentem: ſed ex ſententia tenuit, animas intellectrices, ad numerum hominum diſpertitas eſſe, veluti veras eorum formas.

QVAE hic aſſerimus, plana fient, vel ex ipſis animæ definitionibus. Philoſophus in ipſo limine ſecundi libri de Anima, profitetur, ſe nobis communem aliquam animæ definitionem daturum, dum ait, *tentantes, determinare, quid eſt anima, & quæ vtique erit communiſſima ratio ipſius*. Tùm etiā, quia ſi Ariſtoteles in primo de Anima tex. 7. acriter ſugillat Veteres, quòd, cum de aīa ſermonem inſtituiſſent, non omnem animam, ſed humanam tantum contēplarentur, quomodo eidem reprehenſioni non incurriſſet, ſi in præſentia, vbi opus vrget, non omnem animam, communi aliqua definitione complecteretur? Definit itaq; communiſſima eius ratione, cum in text. 7. eius libri, *anima*, inquit, *eſt actus primus, corporis phyſici, organici, potentia vitam habentis*. Ac ne vllus cuipiam ambigendi locus remaneat, hac definitione, quamcumque animā eſſe concluſam, anxiè in tex. 8. ſubnectit *Vniuerſaliter igitur dictum eſt, quid ſit anima*:

Ex quibus, ita colligitur: pſata definitio cōpetit oī animæ, igitur etiam intellectiuæ: hac ergo eſt actus primus, corporis humani, atque adeò forma verè informans. Siquidem forma aſſiſtens non eſt actus primus corporis phyſici, organici. Quare &c.

Dicunt aliqui ex Auerroe, & ſi hac definitione, quæuis anima definitur, eam tamen non eſſe determinatè, & aſſertiuè ab Stagirite prolatam, ſed ſub cōditione, & cum dubitatione. Inditio eſt; quia Ariſtoteles ita loquitur: *Si autem aliquid commune in omni anima oportet dicere, erit vtique primus actus &c.* particula, *ſi autem*, ſub cōditione ponitur, & cum hæſitatione, quocirca ex hac, aiūt, definitione, nihil determinatè pro animæ informatione concluditur.

Hæc tamē reſponſio ferenda non eſt; ex ea enim magna Philoſopho repræhenſionis inuritur nota. Eum ne cum dubitatione loqui, neç quicquam certi, & conſtituti aſſerere eo loco, vbi omnes animi contendit neruos, vt exactā aliquam animæ definitionem traderet, quam omnis poſteritas amplecteretur? abſurdè ſatis feciſſet. Quiduerò? nonne in tex. 6. determinauerat, quid ſit anima? inquiens: *Vnde anima eſt actus primus corporis naturalis, potentia vitam habentis*; quomodo in tex. 7. haud loquitur *aſſertiuè*?

At particula; inquis, *ſi autem*, dubitationis nota eſt: minimè verò; ſed ea, hoc animo Stagirites vtitur, vt ex eorum, quæ ſanxerat, ſuppoſitione, breuiorem animæ definitionem conficeret: Et loco eius, quod in tex. 6. poſuerat: *potentia vitam habentis*, hic poneret, *organici*, ſeu *inſtrumentalis*. Quamobrem his omninò concludit: *Si autem aliquid commune in omni anima oportet dicere, erit vtique primus actus, corporis naturalis, inſtrumentalis*, vbi nulla ambiguitas.

Silentio hic prætereo, nonnullorum reſponſionem, quibus adhæſit Franciſcus Piccolomineus, in libro de humana mente, cap. 17. aientium, verè quidem Ariſtotelem, præfata definitione, omnem animam in communi definiuiſſe, non tamen omnes eius partes: quare verum eſt, totam animam eſſe informantem, at nonquamlibet eius partem; cuiuſmodi eſt intellectiua. Quæquidem doctrina in adiectis, quod aiunt, implicat. Si enim tota anima in communi, eſt actus informans, quo vnquam modo nō quæuis eius pars erit informans? An quicquam toti competere poteſt, quod non omnibus eius partibus conueniat? Nouū profectò, & in omni Philoſophia inauditum eſt, vt quicquam alicui generi, atque in communi conueniat, quod non cuilibet etiam ſpeciei ſub illo contentæ, conueniat.

Com-

Digitized by Google

Communior Antagoniſtarum reſpõſio eſt, qua ſe veluti orci, quod aiunt, galea obducunt: eam attulit Commentator ad textum illum 7. allatam prius à Themiſtio, Simplicio, & Philopono, longè ad diuerſum intellectum, vt inferius audies; nimirum genus in dicta definitione, hoc eſt: *actum primum corporis* neutiquam dici vniuocè reſpectu omnium animarum, ſed analogicè, ſeu æquiuocè; quia ſecus anima vegetatiua, & ſenſitiua ſunt actus corporis, atque intellectiua. Illæ ſunt actus inſeparabiles, hæc ſeparabilis: illæ informantes, hæc aſſiſtens. *Perfectio*, inquit, ibi Auerroes, *in anima rationali, & in alijs virtutibus animæ, ferè dicitur pura æquiuocatione*: quo fit, vt *actus corporis* in definitione collocatus, ſit commune quicpiam ad actum informantem, & aſſiſtentem; ideòque haud rectè colligitur: Anima intellectiua eſt actus humani corporis, ergo informans. Sat quippè fuerit, vt ſit actus, illique aſſideat.

Verumtamen hoc reſponſum, nihil plus valet ad propoſitum, quàm priora. Primò, quia cum Stagirites non vno loco præceperit, æquiuoca, diuidenda eſſe prius, mox ſingillatim vnumquodque definiendum; ne nominis ambiguitate, error vllus in definitione obueniat: debuit vtique hic nobis prius diuidere *actum corporis* in informantem, & aſſiſtentem, deinde vtrumque ſeorſim definitione completi, ſi *actus corporis* in præfata finitione foret æquiuocus. Atqui Philoſophus nullam vnquam actus informantis, & aſſiſtentis partitionem, ad hunc vſque textum tetigit: non igitur ille eſt quicquam æquiuocum; niſi turpem aliquam leuitatis, & inconſtantiæ notam, Ariſtoteli velis inurere.

Quid? Ariſtoteles tam ſolicitè ſcrutatur, anxièque diuidit *actum* in primum, & ſecundum; quæ partitio nõ adeò neceſſaria videbatur ad animę definitionem: non diuideret autem actũ in aſſiſtentem, & informantem, qui inuicem tãta intercapedine diſſident? ſed vna, eaque ambigua, & æquiuoca definitione vtrumque complecteretur? ita ne nos diuinus præceptor, æquiuocationis ambagibus circumueniret? apage putes: cum itaque ne verbum quidem vllũ de actu aſſiſtente fecerit, ſolum informantem definiuit.

Præterea, Philoſophus dilucidans in tex. 8. eam ipſam animam, quam proximè præcedenti tex. definierat, *eam, ait, eſſe quod quid erat eſſe huiuſmodi corporis*. Hoc autẽ proprium formæ informantis eſt, vt liquidò apparet in 2. de Phyſic. auſcult. tex. 28. quo loci dicitur, *forma itaque eſt, quod quid erat eſſe rei*. Ad hæc, in eodem tex. 8. ait, *Vniuerſaliter igitur dictum eſt, quid ſit anima: Subſtantia enim eſt, quę ſecundum rationem*. In vniuersùm, inquit, dictum eſt, de omni anima. Ecquid dictum eſt? eam eſſe ſubſtantiam ſecundum rationem. Subſtantia verò ſecundum rationem perpetuò apud Stagiritem eſt forma informãs, vt ſexcentis in locis, maximè verò 12. Metaphyſic. tex. 16. *cauſa*, inquit, *itaque mouentes, tamquam antea orta exiſtunt; quæ verò vt ratio, ſimul*. & lib. 8. eiuſdem operis, tex. 3. *Materiam autem dico, quæ non quod quid actu ſit, potentia eſt quod quid; aliter autem ratio, & forma*. Quare cum anima in vniuersùm hic definita, aſſeratur, ſubſtantia ſecundum rationem, erit vtique verè forma informans.

Iccircò poſt animæ definitionem, ſtatim ſubnectit, *non oportere, quærere, ſi vnum eſt anima, & corpus: ſicut neque ceram, & figuram, neque omninò vniuſcuiuſque materiam, & id, cuius eſt materia*. Cur obſecro Stagirites? *quia*, inquit, *& ſi vnum multipliciter dicatur, tamen illud, quod propriè eſt, actus eſt*. Germana ratio hæc eſt: Quia id, quod in pręſentia nuncupo actum, facit vnum propriè, ac ſimpliciter cum materia, quemadmodum cera, & figura, & omninò materia & forma, iccircò nõ opus eſt quęrere, num actus, ſeu anima, & corpus ſint vnum: quare actus in præſentia recenſitus verè informat: quandoquidem ex actu informante ſolum, & materia coaleſcit vnum propriè, ac ſimpliciter: ex aſſiſtẽte verò nequaquam, vt conſpicis in nauta, & naui. Idem euincunt reliqua exempla, ab Stagirite, eodem in loco, & a nobis ſupra, ſectione prima, in argumento, adducta, dum anima, cum acie ſecuris, & viſu oculi, comparatur; Ea tu ſingillatim, & examuſſim perpende, ego ad alteram animæ definitionem, ſtylum confero.

In textu vigeſimo quarto eiuſdem ſecundi libri de Anima, aliam pertexit animæ definitionem, quæquidem, ſi Græcos interpretes, & Albertum Mag. audias, traditur per priora ſecundum naturam; & ex ea, prima animæ definitio concluditur, tanquam per cauſam, demonſtratione propter quid res ſit: ea ſic iacet, *anima eſt id, quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primò*. Ex qua ita arguo: id, quo quicpiam primò operatur, eſt vera eius forma, cui aſcribitur operatio; quia cum nihil operetur, niſi ſecundum quod eſt actu, ſit autem actu per ſuam

for-

tis egregiè pugnat. Epiphanium in epiſtol.ad Ioannem Hieroſolymitanum, Theophilum Alexand.libro primo Paſchali, Hieronymum in epiſt:ad Pammachium,contra Ioan. Hieroſolymit. Auguſt.lib.12.de Ciuitate Dei,capit. vltim. Tertull.lib.de anima, D. Thomam in prima parte,quæſt.90.art.4.& quæſt.118. art. 3.& lib.2. contra Gent. cap. 83.& quæſt. 3. de potent. art.10. & denique Leonem Primum in epiſtola ad Toribium, qui in illius dogmatis profeſſores, hæc omninò ſcribit. Eos Catholica Fides a corpore ſuæ vnitatis abſcidit, conſtanter prædicans, atque veraciter, quòd animæ hominum, priuſquam ſuis inſpirentur corporibus, non fuere.

Verùm, pro coronide, & colophone huius Diſputationis, duo hæc, & lubens addiderim. Alterum, hunc animorum in varia, ac diuerſa corpora regreſſum, quem Plato in Phædro παλιγγενεσίαν, regenerationem appellat, inde, (aut ego fallor) traxiſſe anſam, quòd cum perpriſca Chaldæorum, Aegyptiorum, Sibyllarumque oracula, ad Triſmegiſti, Orphei, Pythagoræ, & Platonis manus perueniſſet, in quibus aſſerebatur, fore, vt aliquando homines redirent in vitam, (id quod præcipuè Sibyllarū carmina indefeſsè clamitant) decepti ſunt, credentes ſingulis temporibus ſemper homines ad corpora, & hanc vitam reuerti; quod ſemel tātum ſupremo, nempè reſurrectionis, tempore futurum, oracula canebant. Nec mirum, nam & lapſum, vt alias innui, Adæ, & fugam e Paradiſo crediderunt, animarum lapſum de cęlo, & ad pęnam cuiuſdam facinoris, quod audierant quidem, ſed quod vnquam illud fuit, ignorabant, arbitrati ſunt, animam in corpus detrudi. Sed hem non ſolum animæ nouiſſimo die huc reuertentur, ſed Veritas ipſa, vt cum Auſonio in Ephemeri loquar,

Eſſe iter æternæ docuit remeabile vitæ,
Nec ſolam remeare animam, ſed corpore toto
Cæleſtes intrare plagas, & inane ſepulchri
Arcanum vacuis adopertum linquere terris.

Alterum eſt, vt gratias agamus diuinæ clementiæ, quòd aduenit lux illa, quæ ſola omnē deceptionum caliginem vſquequaque diſpulit; qua non veniente, in magnis, & inextricabilibus errorum ambagibus, vel primos ipſos ſapientes, cæterorumque facilè Principes verſari neceſſe fuiſſet: quamobrem ex intimo animi receſſu dicamus, gratias, & vota noſtra, tu

Chriſte apud æternum placabilis aſſere patrem,
Saluator, Deus, ac dominus, mens, gloria, Verbum,
Filius, & vero verum de lumine lumen:
Pande viam, qua me poſt vincula corporis ægri
In ſublime ferat, puri qua lactea cæli
Semita, ventoſa ſuperat vaga lumina Lunæ:
Qua proceres abiere pij: quaque integer olim
Raptus, quadriiugo penetrat ſuper æthera curru
Helias, & ſolido cum corpore prauius Enoch.

Finis Diſputationis Tertiæ

DI-

DISPVTATIO QVARTA

QVOMODO ANIMA INTELLECTIVA Vniatur corpori?

INTRODVCTIO.

Partitio formæ, in aſsiſtentem, & informantem: triplex inter eas diſcrimen: tum eorum opinio, qui animam intellectricem, negant eſſe hominis formam informantem.

FORMA ſubſtantialis,quantum ad præſens attinet,bifariam in Scholis accipi conſueuit: vt hæc quidem ſit, quæ actuet, informetque, hæc verò quæ aſſiſtat ſolum, ac moueat. Illa informans; hæc aſſiſtẽs appellitatur. Quæ partitio habetur ex Ariſtotele. Et quidem de actu informante,apud eum, nulli non liquet. Aſſiſtens autem colligitur ex 2.lib.de anima tex.11. quo loci dicitur, ex eo vſque habitis,non eſſe manifeſtum, ſi anima intellectrix,ſit actus corporis, *ſicut nauta nauis*. hoc eſt aſſiſtens. Et in principio eiuſdem libri, tùm etiam in 7.primæ philoſophiæ, tùm ſæpè alibi,diuiditur ſubſtantia,in materiam,formã, & compoſitum, vbi *formæ*, generatim accipitur pro vtraque,tam informante, quàm aſſiſtẽte. quippè ſi capiatur pro informãte duntaxat, partitio ſubſtantię, non erit ſufficiens;cum ſint aliquæ ſubſtantiæ,nimirum intelligentiæ,quæ nec materia ſunt,neque compoſita ex materia, & forma,vt patet in calce octaui Phyſic, & In 12.Metaphyſ. Neque ſunt formæ informantes aliqua corpora. Quamobrem ſi ſubſtantiæ diuiſio rectè,ac ſufficienter eſt tradita, *forma* in ea communiter accipienda eſt, tam pro ea, quæ actuat,& elargitur eſſe, quàm pro ea, quæ aſſiſtit ſolum ac mouet.

Inter haſce autẽ formas,triplex intercedit diſcrimen. Aſſiſtens eſt aliquod totum per ſe, & ſuaptè natura exiſtens, informans verò eſt pars totius. Deinde,illa non communicat ſuũ eſſe ei, cuius ſtatuitur forma,ſed tantummodo operationem;ita,vt quamuis illa,& id, cui aſſidet,haud ſint vnum in eſſe,ſint nihilominus vnum in opere proprio,quod ab vtroque immediatè dependet. Informans autem intimè impertitur eſſe. Tandem, actus informans, ita totũ ſuum eſſe elargitur illi, cuius eſt actus, vt ex vtroque,vnum per ſe ac ſubſtantiale coaleſcat,quod in vna aliqua ſpecie directè collocatur: Ex aſſiſtente autem, & eo,cui coniungitur,non reſultat vnum ſimpliciter, ſed aggregatum ex accidenti. Hæc omnia in nauta,qui eſt forma,ac entelechia aſſiſtens nauis,& in forma equi,exempli gratia,quæ eſt informãs, tute perpendito: his ita adnotatis.

Vetus extitit Platons oipinio,aĩam rationis participẽ,non vniri corpori,vt informãtem formam,ſed tantum vt aſſiſtentem, ac veluti motorem mobili;non ſecus ac nauta coniungitur naui. Sic ille,cum alijs in locis, tum maximè in Phædone,qui inſcribitur de anima,& in Alcibiade,Dialogo primo. Cuius ſententiæ meminit etiam Philoſophus 2. de Anima tex.11. & S. Thomas in prima parte quæſt.76.art.1.& quęſt.45.art.4.& lib.2. contra Gent.capit.57. quamobrem vnio animæ,& corporis,in Platonis ſententia,non eſt,niſi per contactum virtutis. Et quoniã acre Platonis ingenium,ex hac poſitione euidenter ſequi animaduertebat, hominem non eſſe vnum aliquod per ſe, ſed ag-

grega-

gregatum ex accidente, vt abſurdum hoc euitaret, ſtatuit, hominem in rigore ſumptum, non eſſe aliquid compoſitum ex anima, & corpore, ſed ipſam animam ſolam, quæ vtitur corpore, eſſe hominem. Quemadmodum Socrates, non eſt compoſitum quippiã ex homine, & indumento, ſed homo vtens indumẽto. Vnde in Alcibiade citato, ſic tandem concludit. *Quoniam verò neque corpus ipſum, neque vtrũque ſimul eſt homo, relinquitur, arbitror, vel nihil ipſum eſſe, vel ſi quid eſt, nihil aliud hominem eſſe, quàm animã.*

Platonis ſententiæ adhæſiſſe viſus eſt Anaxarchus: nam vt commemorant, cùm alij multi, tùm Philo Iudæus in ſermone, *Quod omnis probus, eſt liber.* a tyranno Cypriorum Nicocreonte in mortarium ſaxeum coniectus, ferreisq; malleis contuſus, identidem illud repetijt, *παῖε, παῖε τὸν ἀναξάρχου θύλακον, ἀνάξαρχον γὰρ οὐ παίεις*: quod ſonat, tunde, tunde Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis. Quibus verbis indicauit, corpus, externum quippiam eſſe homini; atque animam ſolam haberi hominem.

Huc & acceſſit Origenes lib. primo Periarchon cap. 7. & lib. 2. cap. 8. & ſuper epiſt. ad Epheſ. cap. 1. ad illa verba elegit nos in ipſo ante mundi cõſtitutionem, Arbitratur enim Catholicus hic vir, omnes hominum animas ſimul fuiſſe conditas, vna cum Angelis ante mundi viſibilis conditionem, & in pęnam perpetrati delicti; in corpora, tanquam in tetrum aliquẽ carcerem eſſe detruſas: vt Diſput. proximè prę̃cedenti dictum eſt. Placuit adhuc aſſiſtentia aĩæ, non nullis alijs Patribus, quibus olim Platonica magis, q̃. Stagiritæa placita arriſerant.

Huc etiam iuit Philoponus, tum alibi ſæpe, tùm maximè in præfatione ad ſecundum librum de Anima, Simplicius in primo de Anima Comm. 7. & lib. 2. Com. 4. Et profectò arduum ſemper viſum eſt, quod forma quæpiam informet, actuetque corpus, & ſit ab eodem ſeiungibilis. Poſtremò non defuere, qui arbitrati ſunt, animam hominis, ſecundum gradũ intellectiuum non eſſe formam hominis informantem, ſed ſolum ratione alendi, ac ſentiendi facultatum, quarum operationes a materia omninò dependent, & in ea immerguntur, in his fuiſſe videtur Caietanus, in primam partem S. Thomæ, quæſt. 76. art. 1. in reſponſione ad primum argumentum.

Auerroes hac in re, mira neſcio quæ comẽtatur: Fingit primò quendam intellectum, vel ſimmatis, intelligentiam, quę ſit ab omni corpore ſecundum eſſe abiuncta; ſed tamen omnibus hominibus, vice intellectus aſſideat, quo anima ſapit, & intelligit. Deinde, ponit hominem nõ conſtitui in ſua ſpecie, nec differre a cæteris animalibus, per intellectum, ſed per cogitatiuam, quæ ſit propria hominis, cuius loco, reliqua animalia ſortita ſunt quandam æſtimatiuam naturalem: Ad hæc, eius cogitatiuę munus eſſe, diſtinguere *intentiones indiuiduales*, & cõparare eas ad inuicem. Sicut intellectus, qui eſt ſeparatus, & immixtus, comparat, & diſtinguit *intentiones vniuerſales*: atque hanc cogitatiuam vocari a Philoſopho 3. de Anima, tex. 20. *intellectum paſſiuum*; quia per hanc virtutem, ſimulcum imaginatiua, & memoratiua, præparãtur phantaſmata, vt recipiant actionem intellectus agentis, a quo fiunt intelligibilia actu, perinde ac non nullæ artes, præparant materiam artifici principali; iccircò præfatam facultatem appellari nomine intellectus. Hæc colliguntur ex Auerroe multis in locis, maximè verò in 3. de Anima, Com. 5. Cæterùm, quia per hunc intellectum, a nobis ſecundum eſſe abiunctum, ac ſeparatum, nos nũquam intelligeremus, niſi nobiſcum aliquo modo coniungeretur, varios excogitauerunt modos Auerrois aſſeclæ, quibus explicarent, quonam ille modo nobis conglutinetur, vt tandem miſer homo, dici queat intelligens: eos, ne bis eandem tibi, vt aiunt, apponam crambem, inferius, & adducam, & impugnabo: nunc pro hiſce ſententijs aliquã argumenta lubeat audire.

SECTIO PRIMA.

Argumenta, quibus præfata ſententiæ fulciuntur.

PRIMVM. Omnis forma, quæ aliquod corpus informat, omninò eſt inſeparabilis ab eo. Hæc enunciatio conceptis verbis iacet apud Ariſtotelem 2. de Anima tex. 11. vbi quaſdã animæ partes; ideò ait, non eſſe ſeparabiles a corpore, quia ſunt actus corporis, vt vegetatiua, & ſenſitiua: aliquas verò poſſe ab eodem ſeiungi, quia non ſunt corporis actus, videlicet informantes. *Quaſdam autem nihil, inquit, prohibet ſeparari, propterea quod nullius corporis ſunt actus*: quæ procul dubio de anima intellectiua protulit: eiuſque ſepara-

paraticnis, eam attulit rationem, quia non eſt actus corporis, hoc eſt informans. Deinde ſubdit, *amplius non eſt manifeſtum, ſi anima eſt actus corporis, ſicut nauta nauis*, Cur nondum manifeſtū, aſſiſtit ne anima intellectrix corpori, vt nauta naui? quia nondum probatum erat, eam eſſe a corpore ſeparabilem, ac immortalem; vbi verò conſtitit, eam poſſe incolumem a corpore ſeiungi, conſtat etiam eandem eſſe actum corporis, tanquam nautam nauis: Sin autem non ſeiungetur, alio pacto erit actus; ideſt, informās. Cum itaque intellectricem animæ partem, eſſe corpori immixtam, ac ſeparabilem oſtenſurus eſſet in 3. de Anima; iccircò ſumma cum ratione hic ait, *nondum eſſe manifeſtum &c.*

Præterea, ita ſe habet anima ad corpus, vt figura ceræ rotundæ, ad eandem ceram; vel acies ſecuris, ad ſecurim; vel viſus, ad oculum: quæ ſunt exempla, quibus ad hoc ipſum illuſtrandum, vtitur Stagirites in text. *6.* & in ſequentibus, ſecundi libri de Anima. Atqui hęc omnia nullo pacto queunt a ſuis materijs ſeparari, nec forma igitur vlla poterit a corpore, quod actuat ſeparari. Vel ergo animam intellectiuam inſeparabilem, ac mortalem fateare neceſſe eſt, ſi vis eam informantem: Vel ſi a corpore eſt ſeparabilis, ac immortalis, dicas omninò oportet, eam neutiquam eſſe informantem.

Secundò, ſi anima intellectiua informaret humanum corpus, illa ſaltem per accidens eſſet extenſa, ac diuiſibilis. Quod verum eſſe oſtenditur, iacto prius triplici fundamento. Primo, nihil vnquam poſſe, nec per ſe, nec ex accidente eſſe figuratum, niſi ſit extenſum, aut per ſe, aut ex accidente. Hoc effatum inductiuè cuique rectè ſentienti manifeſtum eſt. Secundo, materiam primam, cum ſit potentia ens, non poſſe conſtitui proprium ſubiectum, alicuius accidentis: ideòque nullo modo ſtatui poſſe ſubiectum proprium, v. gr. figuræ hominis. Tertio, in homine, non eſſe plures formas ſubſtantiales, quarum altera hoc, altera illud eſſe elargiatur; ſed vnica forma ſubſtantiali, & cōſtitui hominem, & in vna aliqua ſpecie collocari.

Tunc ita ſtruitur argumentum. Si anima intellectiua informat corpus, aut eſt aliquo modo ſubiectum proprium figuræ hominis, aut nullo. Si prius, ergo aliquo modo eſt figurata; ſiquidem omne ſubiectum figuræ, eſt figuratū; perinde, ac omne ſubiectum caloris, eſt calidū. Omne autē figuratum, eſt extenſum ac diuiſibile, ex prima hypotheſi. Si verò dixeris, eam nullo modo eſſe ſubiectum figuræ hominis, tūc quæro, quodnam eſt ſubiectum eius propriū? An materia prima? At hoc eſt contra alteram hypotheſim: an compoſitū ex materia, & quadam alia forma ſubſtantiali? Sed hoc erit contra tertiam hypotheſim, cum in vno compoſito, non niſi vnica forma ſubſtantialis concedatur: ergo ſi anima intellectiua informaret humanum corpus, neceſſariò ſaltem ex accidente eſſet extenſa, ac diuiſibilis.

Item, quia ne apprehendi quidem imaginatione poteſt, quod aliqua forma inhæreat, actuetque aliquod ſubiectum extenſum, ac diuiſibile, abſque eo, quod illa ad eiuſdem extenſionem, non extendatur: An albedo poterit informare parietem, quæ tamen illius extenſione, ac diuiſione, non extendatur, ac diuidatur per accidens? Si itaque anima intellectiua daret eſſe humano corpori, vt forma informans, neceſſariò ad eius extenſionem, foret extenſa.

Præterea, ſi non eſt extenſa ad corporis extenſionem, neque eſt alia forma ſubſtantialis in homine, ſequitur, vnum & idem, nec ſecundum aliud, & aliud ſui, ſimul moueri, & quieſcere. Nā ſæ moueatur manus, motu proprio, reliquis partibus immotis: tunc anima intellectiua, quæ eſſet ſecundum ſe tota in qualibet corporis parte, mouebitur ex accidente ſecundum motū ipſius manus. Quod enim eſſet ſubiectum proprium illius motus, niſi compoſitū ex corpore manus, & anima eius? Moto autem ſubiecto, mouētur etiam omnia, quę in eo ſunt: eòque anima intellectiua, exiſtens in manu, ad eius motum mouebitur. Eadem verò, nec ſecūdum aliquid aliud ſui, exiſtens in alijs partibus immotis, non mouebitur. Idem autem ſecundum idem moueri, & quieſcere omninò eſt impoſſibile. Quid verò? idem ſecundum idem ſui, ſimul moueretur motibus omninò contrarijs, quando pes deorſum, & manus ſurſum mouetur. Ex his itaque liquet, quod, ſi anima intellectrix eſſet forma, humanū corpus informans, ex neceſſitate eſſet extenſa: Quæcumque autem extenſio, ac diuiſio repugnat animæ intellectiuæ, modò illa ponatur, vt verè eſt, immaterialis, ac immortalis: Quare &c.

Tertiò, omnis forma informans, ita debet

G com-

communicare ſuum eſſe informato, vt ex ea, & materia, quam actuat, vnum per ſe coaleſcat; cuius eſſe, ſit commune vtrique parti: vt in omnibus ſubſtantialibus compoſitis videre eſt. Anima autem intellectiua nequit hoc pacto ſuum eſſe corpori impertiri; primò, quia, cum ea ſit quædam ſubſtantia immaterialis atque incorruptibilis, differt genere à corporis craſſitudine, nam *prout hoc quidem corruptibile, illud verò incorruptibile, oppoſitionem habent: quare neceſſe eſt, genere diuerſa eſſe.* inquit Ariſtoteles in vltimo textu decimi libri Metaphyſic. Ex ijs autem, quæ genere differunt, non coaleſcit vnum ſimpliciter, ſed vnum tale. Item, ſi anima intellectiua eſſet coniuncta cum corpore in vnico eſſe, tunc eodem modo eſſent coniunctę eius potentię, nempè intellectus, & voluntas: qui enim fieri poteſt, vt eſſentia quæpiam coniungatur materiæ in vnico eſſe, eius verò potentia, quæ ab eademmet eſſentia fluit, ſit eidem materiæ immixta? Cum itaque intellectus non ſit virtus coniuncta corpori, nec eius, & corporis ſit vnum eſſe; vt oſtenditur tertio de Anima, illud conſequitur, vt nec anima intellectiua copuletur corpori in vnico eſſe, vt forma informans.

Quartò, forma & materia debent eodem genere contineri; quia omne genus entis, accommodatè diuiditur per actum, & potentiam: vnde effatum illud profluxit *actus, & potentia ſunt in eodem genere*: quod colligitur ex Ariſtotele nono Metaphyſic. text. 3. & libro duodecimo, tex. 26. & 28. Manifeſtum autem eſt, animam intellectricem, cum ſit ſubſtantia intellectualis; neutiquam eodem genere contineri, cum materia prima. Quomodo enim mundanæ vniuerſitatis fex, materia, cum actu immateriali, anima intellectiua, eodem genere concludi poteſt? non itaque ea fuerit forma humanum corpus informans. Item, quia forma, & formatum debent eſſe inuicem proportionata; quandoquidem forma eſt terminus, & vt ita loquar, *perfecti habita* formati: Terminus autem debet eſſe idoneus, & adæquatus illi, quod terminat: Secus enim qui vnquam poſſet terminare? Intellectiua verò anima maximè eſt improportionata ad corpus; vtpote immaterialis ad concretionem materię: quamobrem neque illa poterit informare, ac terminare, neque materia terminari ab illa. Ad hæc, quæ maximè, & ipſo ordine ab inuicem diſtant, nequeunt aptè colligari, Anima intellectiua, cum ſit ſpiritualis naturæ, diſtat in infinitum à corpore; ſiquidem quæ ſunt diuerſi ordinis; ea in infinitum diſcriminantur: nequit igitur anima intellectrix ad vnius rei compoſitionem venire cum corpore, ceu forma informans.

Quintò, formę informantis munus eſt, eſſe id, quo aliud, nimirum compoſitum ſubſiſtat, cui ſimpliciter & eſſe, & operari attribuitur: [illegible] enim ex illa, & corpore debet coaleſcere [illegible] per ſe, neceſſariò ea ſtatuenda erit, id, [illegible] tum reſultat. Intellectrix autem anima [illegible] ſtit in corpore, vt quod; ſi enim habet operationem, *cui non communicat actio corporalis*, vt dicitur 2. de generat. animal. cap. 3. habet etiam ſubſiſtere per ſe, & vt quod, in quo non communicat corpus: quia vnumquodque eo modo operatur, quo eſt. Et operatio non eſt, niſi entis in actu. Ad hęc, quia aīa intellectiua extincto corpore, ſubſiſtit vt quod, & terminatur proprio termino: ergo eodem pacto ſubſiſtit quando eſt in corpore: mirum enim videtur, quod aliud eſſe habeat, dū eſt in corpore, aliud extra corpus.

Sextò, ſi anima intellectrix eſſet forma, quę daret humano corpori eſſe, illa foret materialis, atque corporea. Quæ conſecutio ſic oſtenditur: cum enim materia prima ſuaptè natura, non ſit aliquod corpus, ſed nuda puraque potentia, neceſſariò debet actuari per aliquod eſſe corporeum, ac materiale, vt in rerum natura tum exiſtere, tum ſentiri queat. Impoſſibile autem eſt, vt forma immaterialis, & incorporea elargiatur materiæ hoc eſſe corporeum, ac materiale: quid enim elargietur, ſi id ipſa in ſe non habet? Et profectò quemadmodum impoſſibile eſt, vt candor impertiatur cuipiam eſſe calidum, ea ſolum ratione, quia ille eſt alterius ordinis a calefactiuo; ita, & multò magis impoſſibile iudicandum eſt, vt aliqđ immateriale ac incorporeum (cuiuſmodi ſtatuitur anima intellectiua) tribuere poſſit cuipiam eſſe corporeum, ac materiale. Cum itaque ea deberet dare materiæ hoc eſſe corporeum, præſertim quia in homine non eſt alia forma ſubſtantialis, eſſet vtique corporea, ac materialis, ſi poneretur forma informans. Item, quia forma informans refertur ad materiā, tanquā relatiuū tranſcendēs; cuius relatiui ea eſt rō, vt pēdeat, quò ad ſuū eſſe ab eo, ad quod refertur, ſcientia [illegible]

pendet

pendet à ſcibili, & creatura à Creatore. Atqui anima intellectrix nequit, quo ad ſuum eſſe pēdere à materia, tum quia ipſa citra materiæ adminiculum, cohærere commodè poteſt; tū quia abſurdum eſt, vt ſpiritualis ſubſtantia, anima, quo ad ſuum eſſe pendeat à materia: nequit igitur etiam ſtatui forma, quæ humanum corpus informet.

Septimò, materia prima eſt in potentia naturali ad omnem formam, qua poſtea informatur: tum quia dicit ordinem intrinſecum ad omnes formas, eaſque appetit, vt fœmina marem: tum etiam, quia ſi non eſſet in potentia ad aliquam formam, illa nequiret poſtea eſſe actus, & forma iſtius. Atqui non eſt in potentia naturali ad animam intellectricem, quia cum materia prima ſit natura, vt in 2. Phyſic. dicitur, eſt in potentia ſolum ad illas formas, quæ per naturales tranſmutationes, ab agente naturali educuntur de poteſtate ipſius materię. Anima verò intellectiua nō extrahitur e ſinu, gremioque materiæ, *ſed forinſecus aduenit*: non ergo materia prima erit in potentia naturali, ad animā humanam; atque adeò nec poterit ab ea verè, ac propriè informari. Tùm præterea, quia forma, quæ dat eſſe corpori, eſt etiam finis generationis eiuſdem, quippè vt docet Ariſtoteles in 2. Phyſic. tex. 70. forma, & finis generationis, in idem veniunt. Anima autem intellectiua nequit eſſe finis generationis in homine: propterea, quia finis generationis eſt natura, vt aſſerit idem Philoſophus in eodem 2. lib. tex. 14. Intellectiua verò anima non eſt natura, quod idem auctor, ex eo probat in primo lib. de part. animal. cap. 1. quia mens non eſt principiū accretionis, neque lationis, neque alterationis, ergo neq; erit forma, humanū corpus informās.

Octauò, ſi aīa intellectiua, ita vnitur humano corpori, vt illud cōſtituat in propria ſpecie, tūc illud, *eſſe vnitum*, ſeu, *eſſe coniunctum*, aut eſt ipſa animæ ſubſtantia, aut aliquod accidens ipſius animæ: Si dixeris, eſſe ſubſtantiam animæ, ſequitur, vt quando non eſt vnita, & coniuncta corpori, neque etiam remaneat animæ ſubſtantia: eòque animæ a corpore ſeparatæ, nulla remaneret ſubſtantia. Si verò affirmaueris, illud *eſſe vnitum*, eſſe accidens: vel erit accidens proprium, ac inſeparabile, vel commune, ac ſeparabile: ſi primum, ergo cum poſt obitum hominis remaneat animæ ſubſtantia, remaneret etiā eiuſdem vnio ad corpus: ſiquidem vbicumque remanet eſſentia alicuius, remanent etiam eius accidentia propria: Si denique affirmaueris animæ vnionem ad corpus, eſſe aliquod accidens commune, & ab ipſa anima ſeparabile, tunc anima conſtituet hominem, in eſſe ſubſtātiali, ac ſpecifico, per aliquod accidens ſeparabile. Quod vel cogitare eſt abſurdum: non igitur anima vnitur corpori, vt forma, quæ ei, tum eſſe, tum ſpeciem tribuat.

Nonò, ſi anima intellectiua &c. Sequeretur, vt manus, aut etiam pes intelligeret. Quod probo: hoc prius fundamento iacto, intellectū immediatè inſidere in ipſa animæ intellectricis ſubſtantia, vt Diſput. 9. oſtēdimus: quocirca vbicumque fuerit animæ ſubſtantia, ibi quoque erit intellectus. Tunc, tota animæ intellectiuæ ſubſtantia eſt in manu, ergo ibi erit quoque intellectus. In quocumque autem eſt intellectus, in eo exercetur intellectio, & illud dicitur intelligere; quare manus, & pes intelligeret: quod eſt abſurdum. Quid verò? nonne Philoſophus in primo de Anima tex. 92. modo non clamat, *ne fingi quidem poſſe, quamnam partem corporis occupet intellectus?* At ſi eſt corporis forma, non ſolum fingi, ſed oſtendi etiā poterit determinata corporis pars, in qua ille reſideat: informando .n. manum, eſt in ea, & pedem, eſt in eodem. Cum formam aliquam informare, nihil ſit aliud, quā communicare ſuum eſſe, ſeque ipſam iungere informato. Quare &c.

Decimò, ſi anima intellectiua informaret materiam, ſequeretur, eam non poſſe cognoſcere vniuerſalia: quod ſic oſtendo. Id, quod eſt cuiuſpiam forma, nequit quicquā recipere abſque ſua materia: non enim forma equi, aut vlla alia, quicquā recipit, ſine materia, quam informat. Materia autem prima recipit formas indiuidualiter, eęque ex eo indiuiduantur, quòd ſunt in materia: quare anima, ſeu intellectus cuncta reciperet indiuidualiter, nec quicquam vniuerſaliter. Denique, Ariſtoteles in tertio de Anima, vocat animam intellectiuam, ſeu intellectum, *a corpore ſeparatum, & ei impermixtum, Et ſimplicem, Et impaſſibilem*. Si autem ſtatuatur informans corporis forma, quomodo erit a corpore ſeparatus? quomodo eidē impermixtus? quomodo ſimplex, & impaſſibilis? Hæc ferè ſunt validiora, quę pro hac parte adduci queunt, argumenta: ſit tamen,

Digitized by Google

SECTIO II.

Confutatur phyſicis rationibus Auerrois error, qua aſſerit principium intellectiuum, ſeu rationalem animam, non eſſe veram hominis formam, ſed cunctorum hominum vnam aliquam aſſiſtentem.

NOBIS in præſens eſt animus, nō modò dictam Commentatoris, vel Commentitoris potius euertere machinationem, quod adhuc præſtitere multi; ſed noua etiam quorumdam recentium Philoſophorum adminicula demoliri, quibus veterem Auerrois abſurditatē, quouis pacto communire obnixi ſunt. Id nūc tantùm rationibus agam, in ſectione verò, quę proximè ſuccedit, idem Philoſophi dictis confirmabo.

Principio itaque arguimus ex hominis intellectione: quippè hominem, cum omni proprietate cùm dici, tùm eſſe intelligentem, prout intelligendi actio, qua ita denominatur, eſt omninò diſtincta ab omni actione ſenſitiua, certo certius eſt, ex communi omnium hominū conſenſu, iudicioque. Certum etiam eſt ex Ariſtotele, qui 10. Ethicorum libro, cap. 9. eum, ait, videri eſſe Deo cariſſimum, qui operatur ex intellectu, *qui verò*, inquit, *operatur ex intellectu, huncq; excolit, atque optimè afficit, is eſſe Deo cariſſimus videtur*. Tùm etiam in capite 7. eiuſdem libri vltimam hominis beatitatem, in eius intellectione collocauit. Extrema autem hominis fęlicitas, internū aliquid homini ipſi eſſe debet, per quam fęlix vocetur, ac ſit: quocirca ipſa quoque intellectio, qua cætera animantia excedit, erit eidem intrinſeca: ex qua verè nuncupetur intelligens.

Denique, id ipſum ratione fit conſpicuum, quia homo formaliter cognoſcit obiecta quæpiam, ea præcipuè ratione, qua a nullo vnquā ſenſuum attingi queunt. Cognoſcit ſubſtātias, genera, ſpecies, vniuerſalia omnia, ens ipſum in ratione communi, & entis; ad quæ nulla ſenſitiua vis poteſt pertingere; cum pręfata omnia longo interuallo excedant rationem obiecti adæquati cuiuſuis ſenſus, quodquidē præſens, & in ſe eſſe debet: vt oſtēditur in 2. de Anima. Quare, homo elicit aliquam operationem, quę omnem ſenſitiuam prætergreditur: ea eſt intellectio, qua verè denominatur, & eſt intelligēs: ergo primum principium, quo homo hāc promit operationem, eſt vera, & informans eius forma.

Hæc conſecutio, ita ſuadetur. Primò, quia per id, vnaquęque res primò, ac radicaliter operatur, per quod eſt actu, quippè quod elargitur eſſe rei, elargitur & operari. Eſt autem actu per ſuam formam, per eandem igitur, ceu per principium primum operatur: ergo primum principium, quo homo elicit intellectionem, eſt vera eius forma; eoque principium intellectiuum, ſeu anima intellectrix eſt vera hominis forma. Deinde, hoc ipſum tute conſpicis, vel in exemplis ab Stagirite allatis lib. 2. de Anima, tex. 24. quia enim id, quo primò ſcit intellectus, eſt ſcientia, & quo primò corpus ſanatur, eſt ſanitas, ſcientia eſt forma intellectus; & ſanitas forma corporis. Quare id quoque, quo homo primò intelligit, quæ eſt anima intellectiua, eſt eius forma.

Pręterea, ex Ariſtotele initio libri quinti de Phyſica auſcultatione, trifariam quicquam dici poteſt mouens, ſeu operans, reſpectu alicuius actionis. Aut ſecūdum ſe totum, quo pacto medicus ſanat, aut ſecundum aliquam ſui partem, vt quiſpiam videt, aſpectu, percutit manu, aut ex accidenti, vt muſicum ambulat, non .n. qua muſicū ambulat, ſed quod ambulat, ei accidit eſſe muſicum. Cum itaque homo dicatur, ſitq; intelligens, vel eſt eiuſmodi per accidens, vel ſecundum ſe totum, vel ſecundum aliquam ſui partem. Nō primum, quia homo intelligit, prout eſt homo, cui non ex accidenti, ſed eſſentialiter competit eſſe talem. Neque etiam intelligit ſecundum ſe totum: primò, quia in agentibus compoſitis, id quo, & quod operatur, ſunt valde diuerſa. Deinde, ſi homo ſe toto intelligeret, omnia hominis opera eſſent in ordine intellectionis, quod enim ſecundum ſe totum agit, nullam ſui partem relinquit, qua poſſit alio pacto operari. Cum itaque homo edat alia quoque munia, vt ſenſationes, neutiquam intelligit ſecundum ſe totum. Supereſt itaque, vt ſecundum aliquam ſui partem intelligat, quæquidem hominis pars nequit eſſe materia, quòd ea nullius actiuitatis ſit, erit ergo altera eius pars, hoc eſt forma, quæ eſt anima intellectiua, &c.

At at en tibi Auerroiſtica pholanx, obuiam venit, inquiēs, aīam intellectiuā, ſeu intellectū,

quamuis

Digitized by Google

quamuis non ſit humano corpori, ceu vera, ac informans forma vnitus, cum ſit ab eo ſecundū eſſe abiunctus, vtpote vna aliqua intelligentia; nihilominus illi vniri, intimèq; continuari: ob quam quidem continuationem cum homine, homo cùm appellatur, tùm eſt intelligens.

Cęterū explicare, aut verius implicare, quo vnquā pacto intellectus, & ſeiuncta hæc intelligentia continuetur, conglutineturque homini, vt tandem hic per illam dicatur, ſitque intelligens, hoc opus, hic labor. Dixerunt aliqui: cum nobiſcum continuari ratione phantaſmatum, quod explicant: ſpecies intelligibilis cauſatur, velut a fundamento, a noſtro phantaſmate, & eſt ſimilitudo quæpiam huius, quæ deinde actuat intellectū ſeparatū: ex ſpecie vero actu intellecta, & ipſo intellectu, fit maximè vnum: quia igitur præfata ſpecies, ratione noſtri phantaſmatis, a quo eruta, & cuius eſt ſimilitudo, aliquo modo nobis vnitur, iccircò etiā intellectus, qui cum illa eſt vnum, dicitur itidē nobis vniri, & continuari. Atque per hanc cōtinuationem homo cùm dicitur, tùm eſt intelligens: id, aiunt ſignificare Auerroem, cum in 3. de Anima com. 5. hanc intellectus cōtinuationem his omninò concludit. *Et cum declaratum eſt, quod impoſſibile eſt, vt intellectus copuletur, cum vnoquoque hominum, & numeretur per numerationem eorum, per partem, quæ eſt de eo, quaſi materia, ſcilicet intellectum materialem, remanet, vt continuatio intellectorū, cum nobis, ſit per continuationem intentionis*, hoc eſt ſpeciei, *intellectæ, cum nobis, & ſunt intentiones imaginatæ*; id eſt phantaſmata.

Veruntamen hæc reſponſio omninò falſa eſt, quia ex eo ſolū, quod ſpecies illa, qua indutus intellectus intelligit, cauſatur ab homine, vel eius phantaſmate, homo nunquam dicetur intelligens: quemadmodum enim ex eo, quòd ſpecies viſibilis, qua ſpecto parietem, cauſatur ex eo, nunquam paries dicetur videns, ſed rectè viſus, ſic ex eo, quod ſpecies intelligibilis eruitur a phantaſmate hominis, nunquam hic dicetur intelligens, ſed potius phantaſma illud erit intellectum, ſeu vt ita loquar, res phantaſiata: maximè verò, cum phantaſmata, ſi Stagiritem in 3. de Anima audias, ita ſe habeant ad intellectum, ſicut colores ad viſum. Præterea, quia adhuc ſpecies illa, nullo pacto poſſet nobis coniungi, & continuari; enimuerò, qui vnquam nobis ea vniri poſſet, quæ in illo intellectu ſubſideret, cuius eſſe omninò ponitur ſeparatum, ac diuerſum a nobis? an ex hoc, quod mihi, in naui quapiā exiſtenti adhæret aliquod accidens, iccircò id dicetur eſſe coniunctum naui ipſi in qua exiſto? Hinc Ioannes de Ianduno, acer Auerrois ſectator in 3. de Anima, qu. 5. de huius intellectus continuatione loquens, ait præfatam explicationem, haud eſſe ad mentem Commentatoris, ſed illi imponi.

Alij dicunt, intellectum continuari nobiſcū per ſpeciem intelligibilem: ſed ita, vt illa partim quidē ſubijciatur in iſto intellectu, partim verò in nobis, hoc eſt in noſtra phantaſia. Et quia ſpecies eſt maximè vnum quippiam cum intellectu, ideò ille etiam nobis continuatur, & hoc pacto dicimur intelligere, quia habemus in nobis principium immediatum intellectionis. Ita mentem Auerrois explicat S. Thomas 2. contra Gent. cap. 59. & in prima parte, quęſt. 76. artic. primo, quo loci hæc omninò ſcribit. *Hanc autem vnionem Commentator in 3. de Anima, dicit eſſe per ſpeciem intelligibilem, quæquidem habet duplex ſubiectum: vnum intellectum poſſibilem, et aliud ipſa phātaſmata, quæ ſunt in organis corporeis, & ſic per ſpeciem intelligibilem continuatur intellectus poſſibilis corpori huius, vel illius hominis*. Quæ quidem expoſitio, conceptis verbis iacet apud Auerroem loco nuper cōmemorato, qui dum difficultatem ab ſe propoſitam ſolueret, quæ erat, ſi vterque intellectus eſt æternus, quomodo intellecta ſpeculatiua, videlicet ſpecies intelligibiles, ſunt generabilia, & corruptibilia? hæc inter alia ſcribit, *neceſſe eſt, vt intellecta in actu habeant duo ſubiecta, quorum vnum ſunt forma, quæ ſunt imagines vere*, id eſt, phantaſmata, *aliud verò eſt intellectus materialis &c.*

At verò hæc expoſitio lōgè abſurdior eſt: Tū quia nulla vnquam via effici poteſt, vt vna eademque numero forma repręſentet, quicquam vniuerſaliter, ac ſimul indiuidualiter. Atqui forma abſtracta, & ſpecies intelligibilis, quę eſt in intellectu, repreſentat rem vniuerſaliter, forma verò, quæ eſt in phantaſia, indiuidualiter: nequit igitur vna eademque an forma, an ſpecies ſimul in intellectu, & phantaſmate ineſſe. Tum præterea, vna numerò forma, nequit ineſſe in corpore, & ſimul in aliquo incorporeo, omnis verò forma, quæ inſidet in phantaſia, in corpore eſt, forma verò, qua induitur intellectus, eſt in ſubiecto incorporeo, *ſiquidem intellectus neque corpus eſt, neque virtus in corpore*, auctore eodem Auerroe. Quiduerò? omnis forma accidentaria indiuiduatur a ſubiecto, in quo inhæret: illa igitur foret vna numero, vt ſupponitur, & non vna, quia non haberet vnum ſubiectum, ſed duplex, a quo indiuiduaretur. Propterea dicta expoſitio etiam Auerroiſtarum nonnullis diſpli-

cet, qui quidem eam nunquam, aiunt, fuiſſe Auerrois mentem, & cum ait, *intellecta ſpeculatiua habere duo ſubiecta*. Altero loco ſumit *ſubiectum* pro fundamento, ſeu obiecto: ſic exponit Ioannes de Iandun. quæſt. 3. adducta; ſed tunc redeunt omnia argumenta ſuperius facta, quomodo nimirum hic intellectus nobiſcum continuetur, vt dicamur intelligentes?

Iandunus, loco quem dixi, dum hunc nodũ ſoluere niteretur, conſiderandum eſſe, ait, *quod intellectus eſt operans intrinſecum, in operando vnitè ſe habens ad corpus humanum ſecundum naturam*. Et quia operatio intrinſeci, & appropriati operantis, attribuitur toti compoſito ex corpore, & ipſo intrinſeco operante, ita ſolemus dicere cęlum ſeipſum mouere, cum tamen ciere corpus cęleſte, ſit operatio determinata ipſius intelligentiæ, quæ non eſt forma informans Cęlum; fit, vt compoſitum ex intellectu, & homine dicatur intelligens, rõne illius intrinſeci operantis.

Hinc Franciſc. Piccolomineus lib. 3. de humana mente cap. 17. id ipſum vt vberius explicare videretur, ait, hunc intellectum gemino modo nobis vniri, & necti: per operationem, & per naturam; nexum per operationem abſque vlla explicatione tranſit, de eo verò, qui per naturam fit, nihil ait aliud, quàm quod hic nexus intimior eſt, quàm nexus materiæ, & formæ; ideòque infert hominem conſtitutum per phãtaſiam, dici per intellectum cum eo coniunctũ intelligere.

At Iandun. debuit explicare, quo modo intellectus, & ſubſtantia illa ſecundũ eſſe abiuncta, fiat nobis intrinſecum, & appropriatum operans? quid vnquam communem illam ſubſtantiam, ad hunc potius, quã illum hominem cõtrahat? quid appropriet? quomodo vniatur humano corpori ſecundum naturam? profectò, quæ ſecundum naturam homini competunt, ea illi ex intrinſeco competunt: qui igitur extrinſeca hæc, & ſecundum eſſe omninò ſeiuncta ſubſtantia intellectus, vnitur homini ſecundũ naturam? Tum præterea, quia ſi hic putat, vt ex ſententia putat, hominem ea proprietate dici, ac eſſe intelligentẽ, quà cęlum dicitur ſe mouere, ineptè putat; quandoquidem homo formaliter pr(æ)ſèque eſt intelligens, cęlum verò formaliter dicitur moueri, & impropriè tantũ ſe mouere.

Piccolom. verò pugnantia dicit, nam quod cuipiam per naturam vnitur, id amplius haud dicetur vniri per operationem, quod .n. vnitur homini per naturam, id ei ex eo competit, quo cæpit habere naturam humanam. At verò intellectum vniri per operationem, eſt, opinor, per phantaſmata, vel ſpeciem intelligibilem necti. Si itaque eſt vnitus homini, ex quo cæpit eſſe homo, nequit amplius eidem vniri: qđ enim vnitum eſt, amplius vniri nequit. Præterea, vel hic intellectus, quem nobis per naturã vniri iactitant, vnitur ſe ipſo immediatè, vel aliquo alio medio, nimirum phantaſmate, vel ſpecie intelligibili. Secundum apparet falſum, in puero adhuc in vtero detento, in quo neque phantaſmatis, neque ſpeciei quicquam concipi poteſt, pręter naturam humanam. Primum etiã eſt falſum, quia cum intellectus ſit vnus ſpecie, atque vniuerſalis, fieri nequit, vt ad vnum potius, quam aliud ſe ſolo determinetur. Quid .n. rei eſt, vt ad hoc magis, quàm illud contrahatur? nequit igitur vniri homini per naturam.

Ad hęc, ex forma, & materia, quę intimè vniũtur, coaleſcit vnum per ſe: ſi itaque vnio, ac nexus huius intellectus, cum homine per naturã, intimior eſt, vt hic auctor ait, quàm vnio formę cum materia, ex intellectu vtique, & homine multò magis reſultabit vnum per ſe, quàm ex materia, & forma: Alia verò ex parte, cum præfatus intellectus ponatur aſſiſtens, ex eo, & homine haud vnquam fiet vnum per ſe, ſed neceſſariò vnum ex accidenti, cum vtrumque extremum ſit ens actu. Ad extremum, cum intellectio ſit actio immanens, eoque in eo ipſo principio ſuſcipiatur, a quo elicitur, vt patet ex Philoſopho lib 9. Metaphyſ. tex. 16. lubens a Piccolomineo ſciſcitarer, (dum infert, hominem conſtitutum per phãtaſiam dici intelligere per intellectum ſecum coniunctum,) quodnam eſt proximum, & immediatum principium eliciẽs hanc numero intellectionem? ſicut immediatum principium huius viſionis eſt oculus: an phantaſia? vel alia quæpiam materialis, corporeaque hominis virtus? At intellectio omnem huiuſmodi virtutem tranſcendit: erit itaq; principium huius immediatum, & eliciens, aſſiſtens hic, & homini vnitus intellectus: ergo hæc intellectio in eodemmet intellectu, & non in homine recipitur, atque adeò cum intellectio, neque ab homine eliceretur, neque in eo ſuſciperetur, nullo pacto hic dici poſset intelligens: quia omnis forma denominat ſubiectũ in quo eſt, & non aliud: Ita prorſus, quemadmodum neque nauis dicetur vnquam intelligens, ex eo quod nauta ei aſſiſtens atque vnitus intelligit.

Ex

Ex hucuſq. dictis perſpicuum eſt, cùm inanes, & fictitios eſſe Auerroiſtarum modos, quibus hunc intellectum nobis continuant, tùm quod fecimus, argumentum, in ſuis eſſe viribus: nimirum; ſi homo eſt formaliter intelligens, ergo principium, quo primò intelligit, hoc eſt, anima intellectiua, eſt verè, ac propriè eius forma.

Præterea, comprobatur aſſertio noſtra ex alia hominis operatione, ideſt Voluntatis. Nã eſſe in nobis aliquam, ita ſolutam ac liberam actionem, vt adiectis completiſque omnibus, quæ ad operandum requiruntur, adhuc in nobis ſit, pro arbitratu noſtro promere eam, vel cohibere, nemo, niſi amens negabit. Atqui huiuſmodi actio nequit ab vllo principio ſenſitiuo, extenſo, & corporeo prouenire, tum quia quæcunque vis ſenſitiua, & corporea eſt determinata ad vnum, ita, vt bonum abſque vlla differentia apprehendat, & in id apprehẽſum nõ poſſit non ferri. Enimuerò ouis, ſi herbam apprehendat, efficere nequit, niſi impedita, quin in eam feratur. Voluntas verò non eſt determinata ad vnum. Et quoduis particulare bonum etiam apprehenſum, reſpuere poteſt. Quare Voluntas nequit eſſe virtus quæpiam ſenſitiua, & corporea; ſed omnem corpoream facultatem excedit. Hinc Philoſophus lib. 3. de Anima, tex. 42. *Voluntas*, inquit, *in ratiocinatiuo fit, concupiſcentia verò in irrationabili*. Tùm, quia ſi libera noſtra actio a ſenſitiua quapiam facultate proficiſceretur, cum huiuſmodi vis ſit nobis, & cæteris animalibus communis; vtique illa etiam liberas actiones producerent, quod tamen eſt ab omni vero alienum. Neque elici poteſt ab aliquo agente externo, & nobis tantummodo aſſiſtente, quia eadem ratione, ac ſuperius de intellectione dicebamus, homo neutiquam diceretur formaliter velle, ac liber; idq; in præſentia vehementius vrget, quia nullus hic refugij locus ad intellectũ, eiuſue cum homine vnionem, cum Voluntas nullo phantaſmate, nulla ſpecie intelligibili in exercenda actione ſua vtatur: relinquitur igitur, vt dicta actio proueniat ab aliqua noſtra virtute incorporea, ac immateriali, propria, & intrinſeca homini. Et hæc proxima quidem eſt Voluntas, rationalis animæ facultas, prima verò radix eſt ipſamet anima intellectrix, quę erit vera hominis forma, vt de primo intellectionis principio dicebamus.

Inſuper, ex alio capite oſtenditur, animam intellectiuam eſſe veram, ac informantem hominis formam. Ea eſt vera cuiuſque rei forma, qua res illa ſpecie, ac eſſentialiter, a quacumque alia differt: ſi enim intrinſecè, & eſſentialiter differt, ergo per aliquam eſſentialẽ ſui partem: Vel itaque per materiam, vel per formam. Materia, cum ſit rebus omnibus communis, in cauſa eſſe nequit, vt quicquam differat, ergo forma, atque adeò id, quo quippiam eſſentialiter ab alijs diſcriminatur, eſt vera eius forma. Hinc effluxit pertritum illud, *idem eſſe conſtitutiuum alicuius rei, & diſtinctiuum*. Atqui homo eſſentialiter differt ab omnibus alijs per animam intellectiuam, quippè cum tres ſint formarum gradus, nempè vegetatiuus, ſenſitiuus, & intellectiuus, vt communis Philoſophorum Schola docet cum Ariſt. 2. de Anima, cap. 3. homo ex vegetatiuo, & ſenſitiuo a cæteris ſeiungi nequit, quòd ea ſint cæteris quoq; animalibus communia, ergo differt ex ſola forma, & anima intellectiua, quæ erit vera eius forma.

Quæquidẽ ratio tm̃ habet ponderis, vt multi hac ſola conuicti, tenuerint, aĩam intellectus participem, eſſe verè formã hominis informantem: in quibus eſt Gabriel in 2. ſent. diſtin. 16. quæſt. vnica art. 3. quo loci teſtatur ſuum etiã Ocham quolibeto primo, quæſt. 10. huic ipſi ſententiæ, propter hanc rationem, adhæſiſſe.

Quod ſi quiſpiã dicat hominem differre a cęteris animantibus per cogitatiuam, quę ſit propria hominis, non euitat vim argumenti: Nam hęc cogitatiua, vel eſt differentia, & gradus animæ ſenſitiuæ, vel intellectiuæ. Si prius, erit communis nobis, ac cæteris animantibus, cuncta enim quæ ſunt animæ ſentientis, cõmunia ſunt vtriſque. Si poſterius, iam ineptè vocatur cogitatiua, cum ſit aliquid gradus intellectiui, niſi velint quartum aliquem formarũ gradũ intrudere, quod nullus hucuſque Philoſophorum cogitauit.

Sed quò tandem audax quorumdam calliditas non ruit per vetitum nefas? hominis cogitatiuam, aiunt, contineri quidem intra latitudinem, ac differentias ſenſitiui: Veruntamen quia longè perfectior ſublimiorq; eſt, eſſe propriam hominis, eàque hũc conſtitui, & ab alijs animantibus differre: loco autem eius, illis ineſſe quandam æſtimatiuam naturalem, ſiquidẽ bruta animantia æſtimant, quæ ſibi amica, vel inimica: vtilia, inutiliaue obijciuntur. Ouis æſtimans Lupum inimicum, auerſatur ac fugit, nõ aliam ouem, quia æſtimat amicã. Auis colligit

pa-

Digitized by Google

paleam, quòd reputat vtilem ad nidificandū, non autem colligit ſarmentum: hæc eduntmu ta animantia per æſtimatiuam, homines verò longè perfectius hæc ipſa operantur per cogitatiuam: tum præterea, & propoſitiones particulares componunt, & intentiones indiuiduales diſtinguunt, eaſque inuicem conferunt, qd in cauſa eſt, cur hæc cogitatiua, dicatur *particularis ratio*: Et *intellectus paſſiuus*: per hunc itaque homo, tùm in ſpecie conſtituitur, tùm a cunctis alijs diſcriminatur.

Sed *ò miſeras hominum mentes, ò pectora cæca*: Vnde tam denſæ, & chimeriç (D. um immortalē) tenebræ, horum obduxerunt mentes? Iam his miſer homo, qui meritò cunctis alijs diuinum animal, ac terreſtris & mortalis eſt Deus, ſtatim effectus eſt merum brutum, & bellua iners. Enimuerò cogitatiua in homine, & æſtimatiua in brutis animantibus, ſunt eiuſdē gradus ſenſitiui, atque hoc ſolo inuicem differunt, quòd illa perfectior, hæc imperfectior eſt, vt ſpontè etiam præfati auctores concedunt, ergo homo neutiquam ab illis ſpecie, differt: quandoquidem perfectius, & imperfectius; magis, & minus, non faciunt diuerſam ſpeciem. Præterea, cum cogitatiua, & potentiæ, quæ eam concomitantur, vt memoratiua &c. ſint paſſiones partis ſenſitiuę, vt tradit Stagirites in libello de memoria, & reminiſcentia, & explicat S. Thomas lib. 2. cont. Gent. cap. 60. per cas, vel earum aliquam, nequit in altiori vitæ genere quicquam collocari, quā ſit anima, & vita ſenſitiua: quippè fieri nequit, vt paſſio excedat in perfectione ſuam formā, & principium, a quo fluit: Ex quo fit, vt vel homo neceſſariò intra caducitatem, & gradum vitæ ſenſitiuæ omninò iaceat, vel ſi ad altiorem vitæ gradum euehitur, vt re ipſa euehitur, & aſſerit Stagirites in 2. de Anima, tex. 14. vbi diſcernens vitæ genera, ſenſitiuo addit intellectiuum, neceſſariò dicendum eſt, hominem compleri in ſua ſpecie per aliquam formam longè altiorem: quæ nulla alia, quàm intellectiua eſt.

Aliqui ſubtiliores adhuc aiunt, cogitatiuam hominis, bifariam ſumi, primò abſolutè. Et hoc pacto non ita eſſe perfectiorem, vt in altiori vitæ genere quicquam conſtituere poſſit. Secundo, vt eſt intellectui coniuncta in ipſo homine: hoc modo, ſic eſſe perfectiorem, vt ad altiorem vitæ gradum poſſit euehere. Hac ratione complere hominem in ſpecie ſua. Cęterùm *bilem, aut riſum fortaſſe quibuſdam mouent*. Cum .n. abiunctus hic intellectus, ad eorum dogma, continuetur, cum homine per phantaſmata, ſeu ſpeciem intelligibilem, hinc liquidò conſequitur, vt ſaltem puer, in vtero adhuc detentus, in quo nec phantaſmata vlla, nec ſpecies effictæ ſunt, formaliter, ac ſpecificè ſit in eodem vitæ gradu, ac cætera animantia bruta: quandoquidem in eo, cogitatiua non eſt coniuncta cum intellectu, nequit ergo puerum illum ad altiorem animę gradum, quam ſenſitiuum euehere.

Quid? infans in vtero, aut ſtatim etiam editus, ne potentiam quidem vllam intelligendi haberet: atque adeò relinqueretur merum putum brutum. Quod ſic oſtendo, *intelligere eſt quoddam pati* ex 3. de Anima tex. 2. nihil verò pati poteſt, niſi per potentiam paſſiuam, quæ intrinſecè in eo ipſo inſideat: quemadmodum nihil agere, niſi per potentiam actiuam in eo exiſtentem. Atqui intelligendi potentia eſt intellectus poſſibilis, cum itaque hic non ſit coniunctus, & continuatus cū infante in vtero detento, aut ſtatim edito, vt dicebamus, ſequitur, eum nullam habere potentiam intelligendi.

Poſtremò, ſi homo cōpleretur ī ſua ſpecie ex cogitatiua, quocūque pacto accepta, intelligere eſſet illi operatio extrinſecus adueniens, & omninò accidentalis: ſiquidem omnis operatio, quæ cuipiam non ex eius propria, & ſpecifica forma competit, eſt foriuſecus adueniens, & omninò accidentalis: quia nulla vnquam forma complet quicquā in ſpecie, quę non eidem impertiat operationem conuenientem ſecundum ſpeciem: vt inductione patet in omnibus. Modo eſt ne quiſquam, qui dicat intelligere eſſe homini adſcititium, & accidentale? maximè vero cum Stagirites in primo Ethic. cap. 9. intelligere, & ratiocinari, dicat, eſſe operationē hominis, inquantum homo eſt.

Hic admirabitur quiſpiam Auerroem, quantus, quantus hic eſt. Hinc quidem exiſtimaſſe, cęleſte corpus animari forma intellectiua, quæ non modò ei aſſideat ceu motor, ſed verè intimèq; elargiatur eſſe, ac informet: quod apud eum in libro de ſubſtantia orbis cap. 2. & lib. 8. Metaphyſ. commenr. 12. & lib. 12. cōmēt. 36. & lib. 2. de Cęlo comm. 62. & alibi ſępè videre eſt. Hinc verò acri concertatione côtēdere ſeipſum non animari forma aliqua intellectiua, ſed obiecta chimerica illa intellectus continuatione, quod ad intrinſeca, & eſſentialia eius principia attinet, conſtitui, & compleri in

ri in ſua ſpecie per aliquod ſenſitiuum (ideſt, cogitatiuam,) & merè brutale. Poteſt intelligere, qui vnquam aliqua forma immaterialis, inextenſa, & incorporea informet cęleſte corpus, qui verò aliquà forma immaterialis, & incorporea ſe ipſum informare queat, intelligere non poteſt. Pròh durum, & dirum caput (duricapitonem Plautus vocaret.) Laudo Scotum, qui in 4. ſent. diſtinc. 43. quæſt. 2. dignum, ait, eſſe Auerroem, qui ob haſce ineptias, ex hominum comercio, & communione auerruncetur. Quę hucuſque attuli, aſſertionem noſtrã planè demonſtrant, nec vlla euadẽdi Antagoniſtis, (aut ego fallor,) relinquitur via: poſſem innumera adhuc afferre, quibus hunc ipſum Auerroiſtarum errorem conuincerem: at verò non multitudine, ſed robore rationum pugnandum opinor. Qui plura cupit, adeat S. Thomam lib. 2. contra Gent. a capite 56. vſque ad 71. & in prima parte, quæſt. 76. art. 2. in Opuſculo de Vnitate intellectus aduerſus Auerr. & Albertum Mag. qui præcipuè in peculiari tractatu aduerſus hoc ipſum, triginta ſex rationibus ſtrenuè pugnat: ex quorum fontibus poſteri omnes hauſerunt.

Nec conniuentibus oculis hic præterierim, iuratos neſcio quos Auerrois tutelares. Achillinum, Antonium, Bernard. Mirandulanum, Buccaferreum, & Hieronymum Pontanũ, qui, vt lapidem aliquem, in hunc vanitatis aceruũ inijcerent, intellectum, dixerunt, ſeu animam intellectiuam vnam numero, eſſe quidem formam, informantem totam humanam ſpeciem; ideòq; ab ea inſeparabilem, quinimò illi coęuam, & coæternam: non eſſe autem informantem cuiuſuis humani indiuidui, ſed tantum aſſiſtentem, iccircò, & a quouis homine in indiuiduo ſeparabilem.

Prius, eo animo aſſerunt, vt tãdem inſinuare videantur, hominem, qua homo eſt, vltimò cõſtitui in ſpecie per intellectum, ac per eundem a cæteris animantibus differre. Poſterius verò, vt animam intellectricem, ſeu intellectum ab hoc, vel illo homine ſeparabilẽ affirmẽt. Hinc Pontanus lib. 4. de immortalit. animæ, cap. 3. vbi varias attulerat ſolutiones, ad illud Alexandri argumentum, nimirum actus informans eſt inſeparabilis, ab eo, quod actuat, hæc tandem annectit. *Reſponderet, quis ſequens Ariſtotelem tantũ, animam intellectiuam, ex ſententia Ariſtotelis, eſſe actum corporis humani in ſpecie, non autem huius, vel illius indiuidui, & ideò ipſam eſſe inſeparabilem a corpore humano, cuius eſt actus proprius, ſeparabilem verò a corporibus ſingularibus, quorum non eſt actus proprius.* Pergit, idque declarat exemplo, fingamus, inquit, Socratem eſſe patrem ratione duorum filiorum, altero extincto, remanet adhuc pater, quia ratione amborum erat pater: ita licet anima intellectiua ſit actus corporis Socratis, ita eſt eius actus, vt eadem ſimul ſit actus omnium hominum: quare extincto Socrate, non deſinit eſſe actus aliorum, quia licet ſit tota in Socrate, eſt tamen etiam tota in omnibus hominibus: hanc opinionem exiſtimant Ariſtotelis, & ad mentem Auerrois.

Veruntamen iſti auctores prodigialiter philoſophantur. Ecquid enim aliud eſt corpus humanum in ſpecie, quàm eius ſpeciei indiuidua? quippè haud reperitur ſpecies quæpiam, ſeu corpus ſenſibile abiunctum, & abſtractum ab indiuiduis. Qui igitur aliqua forma informabit corpus in ſpecie, non verò omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei?

Deinde, indiuidua alicuius ſpeciei importãt totum id, quod dicit ſpecies, & aliquid aliud, conditiones videlicet, indiuiduantes. Petrus quippè dicit totum id, quod importat homo, & aliquid amplius. Si igitur homo, ſeu humana ſpecies, informatur anima intellectiua, omninò fieri nequit, quin eadem anima informetur Petrus, & cuncta eius ſpeciei indiuidua.

Præterea, cum natura hominis, & cuiuſuis alterius rei ſenſibilis, præter eſſe, quod in ſingularibus habet, bifariam ſolum capi poſſit. Vno quidem, quaſi per ſe ipſa habeat eſſe, & a parte rei ſubſiſtat, quopacto poſuit Plato ideas, ac formas ſeparatas. Alio modo, prout in intellectu exiſtit. Quod vnquã, obſecro, erit corpus illud humanũ in ſpecie, quod aĩa intellectrix informat? an priori modo captum? At huiuſmodi natura communis, exploditur ab Ariſtotele 7. Metaphyſ. Nec poſteriori modo, qua nimirum natura ſpecifica hominis habet eſſe in intellectu, informari poteſt anima intellectiua, nam hoc pacto haud informaretur ipſa natura realiter, ſed tantummodo intelligeretur informari. Præterquamquod, nuſquam Auerroes affirmauit intellectum informare ſpeciem humanam, aſſiſtere verò indiuiduis, vt pręfati auctores commẽtantur: de hac re, dixi etiam Diſput. 8. ſect. 4.

Exemplum verò Pontani, non facit ad rem, Paternitas, quia eſt forma reſpectiua, cuius eſſe eſt ad aliud, commodè poteſt vna eademq; exiſtens

exiſtens in Socrate,reſpicere an vnum, an plures filios,& vno,aut duobus extinctis, ſeruari in reliquis,tamquam in termino ſibi adęquato: forma verò ſubſtantialis, non eſt huiuſmodi, ſed aliquid abſolutum, nec denominat ſubiectum,niſi cum eſt in eo. Tùm pręterea,filius nō denominatur talis, a paternitate, quæ in eius patre exiſtit,ſed a filiatione, formaliter illi inhærente: eòque pereunte filio, perit quoque eius filiatio: pari pacto,ſi Petrus dici debet homo,& intellectiuus,vtique ab aliqua forma intellectiua,quæ in eo ipſo inſideat,& aſſimiletur potius filiationi,quàm communi illi formę,quę cum paternitate comparatur, erit denominandus. Sed contra hoſce non equidem pluribus egerim, age verò quid hac in re Philoſophus ſenſerit, paucis videamus: ſit ergo.

SECTIO III.

Nunquam Ariſtoteli in mentem incidit, cunctorum hominum intellectum, eſſe vnum aliquem, & aſſiſtentem: ſed ex ſententia tenuit, animas intellectrices, ad numerum hominum diſpertitas eſſe, veluti veras eorum formas.

QVAE hic aſſerimus, plana fient, vel ex ipſis animæ definitionibus. Philoſophus in ipſo limine ſecundi libri de Anima, profitetur, ſe nobis communem aliquam animæ definitionem daturum, dum ait, *tentantes, determinare, quid eſt anima, & quæ vtique erit communiſſima ratio ipſius*. Tùm etiā, quia ſi Ariſtoteles in primo de Anima tex. 7. acriter ſugillat Veteres, quòd, cum de aīa ſermonem inſtituiſſent, non omnem animam, ſed humanam tantum contēplarentur, quomodo eidem repręhenſioni non incurriſſet, ſi in præſentia, vbi opus vrget, non omnem animam, communi aliqua definitione complecteretur? Definit itaq; communiſſima eius ratione, cum in text. 7. eius libri, *anima*, inquit, *eſt actus primus, corporis phyſici, organici, potentia vitam habentis*. Ac ne vlius cuipiam ambigendi locus remaneat, hac definitione, quamcumque animā eſſe concluſam, anxiè in tex. 8. ſubnectit *Vniuerſaliter igitur dictum eſt, quid ſit anima:*

Ex quibus, ita colligitur: pfata definitio cōpetit oī animæ, igitur etiam intellectiuæ: hæc ergo eſt actus primus, corporis humani, atq; adeò forma verè informans. Siquidem forma aſſiſtens non eſt actus primus corporis phyſici, organici. Quare &c.

Dicunt aliqui ex Auerroe, & ſi hac definitione, quæuis anima definitur, eam tamen non eſſe determinatè, & aſſertiuè ab Stagirite prolatam, ſed ſub cōditione, & cum dubitatione. Inditio eſt; quia Ariſtoteles ita loquitur: *Si autem aliquid commune in omni anima oportet dicere, erit vtique primus actus &c.* particula, *ſi autem*, ſub cōditione ponitur, & cum hæſitatione, quocirca ex hac, aiūt, definitione, nihil determinatè pro animæ informatione concluditur.

Hæc tamē reſponſio ferenda non eſt; ex ea enim magna Philoſopho repræhenſionis inuritur nota. Eum ne cum dubitatione loqui, nec quicquam certi, & conſtituti aſſerere eo loco, vbi omnes animi contendit neruos, vt exactā aliquam animæ definitionem traderet, quam omnis poſteritas amplecteretur? abſurdè ſatis feciſſet. Quid verò? nonne in tex. 6. determinauerat, quid ſit anima? inquiens: *Vnde anima eſt actus primus corporis naturalis, potentia vitam habentis*; quomodo in tex. 7. haud loquitur *aſſertiuè?*

At particula; inquis, *ſi autem*, dubitationis nota eſt: minimè verò: ſed ea, hoc animo Stagirites vtitur, vt ex eorum, quæ ſanxerat, ſuppoſitione, breuiorem animæ definitionem conficeret: Et loco eius, quod in tex. 6. poſuerat: *potentia vitam habentis*, hic poneret, *organici*, ſeu *inſtrumentalis*. Quamobrem his omninò concludit: *Si autem aliquid commune in omni anima oportet dicere, erit vtique primus actus, corporis naturalis, inſtrumentalis*, vbi nulla ambiguitas.

Silentio hic prætereo, nonnullorum reſponſionem, quibus adhæſit Franciſcus Piccolomineus, in libro de humana mente, cap. 17. aientium, verè quidem Ariſtotelem, præfata definitione, omnem animam in communi definiuiſſe, non tamen omnes eius partes: quare verum eſt, totam animam eſſe informantem, at nonquamlibet eius partem; cuiuſmodi eſt intellectiua. Quæquidem doctrina in adiectis, quod aiunt, implicat. Si enim tota anima in communi, eſt actus informans, quo vnquam modo nō quæuis eius pars erit informans? An quicquam toti competere poteſt, quod non omnibus eius partibus conueniat? Nouū profectò, & in omni Philoſophia inauditum eſt, vt quicquam alicui generi, atque in communi conueniat, quod non cuilibet etiam ſpeciei ſub illo contentæ, conueniat.

Com-

Communior Antagoniſtarum reſpōſio eſt, qua ſe veluti orci, quod aiunt, galea obducunt: eam attulit Commentator ad textum illum 7. allatam prius à Themiſtio, Simplicio, & Philoponto, longè ad diuerſum intellectum, vt inferius audies; nimirum genus in dicta definitione, hoc eſt: *actum primum corporis* neutiquam dici vniuocè reſpectu omnium animarum, ſed analogicè, ſeu æquiuocè; quia ſecus anima vegetatiua, & ſenſitiua ſunt actus corporis, atque intellectiua. Illæ ſunt actus inſeparabiles, hæc ſeparabilis; illæ informantes, hæc aſſiſtens. *Perfectio*, inquit, ibi Auerroes, *in anima rationali, & in alijs virtutibus animæ, ferè dicitur pura æquiuocatione:* quo fit, vt *actus corporis* in definitione collocatus, ſit commune quicpiam ad actum informantem, & aſſiſtentem; ideòque haud rectè colligitur: Anima intellectiua eſt actus humani corporis, ergo informans. Sat quippè fuerit, vt ſit actus, illique aſſideat.

Verumtamen hoc reſponſum, nihil plus valet ad propoſitum, quàm priora. Primò, quia cum Stagirites non vno loco præceperit, æquiuoca, diuidenda eſſe prius, mox ſingillatim vnumquodque definiendum; ne nominis ambiguitate, error vllus in definitione obueniat: debuit vtique hic nobis prius diuidere *actum corporis* in informantem, & aſſiſtentem, deinde vtrumque ſeorſim definitione completi, ſi *actus corporis* in præfata finitione foret æquiuocus. Atqui Philoſophus nullam vnquam actus informantis, & aſſiſtentis partitionem, ad hunc vſque textum tetigit: non igitur ille eſt quicquam æquiuocum; niſi turpem aliquam leuitatis, & inconſtantiæ notam, Ariſtoteli velis inurere.

Quid? Ariſtoteles tam ſolicitè ſcrutatur, anxièque diuidit *actum* in primum, & ſecundum; quæ partitio nō adeò neceſſaria videbatur ad animę definitionem: non diuideret autem actū in aſſiſtentem, & informantem, qui inuicem tāta intercapedine diſſident? ſed vna, eaque ambīgua, & æquiuoca definitione vtrumque complecteretur? ita ne nos diuinus præceptor, æquiuocationis ambagibus circumueniret? apage putes: cum itaque ne verbum quidem vllū de actu aſſiſtente fecerit, ſolum informantem definiuit.

Præterea, Philoſophus dilucidans in tex. 8. eam ipſam animam, quam proximè præcedenti tex. definierat, *eam, ait, eſſe quod quid erat eſſe huiuſmodi corporis.* Hoc autē proprium formæ informantis eſt, vt liquidò apparet in. 2. de Phyſic. auſcult. tex. 28. quo loci dicitur, *forma itaque eſt, quod quid erat eſſe rei.* Ad hæc, in eodem tex. 8. ait, *Vniuerſaliter igitur dictum eſt, quid ſit anima: Subſtantia enim eſt, quę ſecundum rationem.* In vniuerſùm, inquit, dictum eſt, de omni anima. Ecquid dictum eſt? eam eſſe ſubſtantiam ſecundum rationem. Subſtantia verò ſecundum rationem perperuò apud Stagiritem eſt forma informās, vt ſexcentis in locis, maximè verò 12. Metaphyſic. tex. 16. *cauſa*, inquit, *itaque mouentes, tanquam antea orta exiſtunt; quæ verò vt ratio, ſimul.* & lib. 8. eiuſdem operis, tex. 3. *Materiam autem dico, quæ non quod quid actu ſit, potentia eſt quod quid; aliter autem ratio, & forma.* Quare cum anima in vniuerſùm hic definita, aſſeratur, ſubſtantia ſecundum rationem, erit vtique verè forma informans.

Iccircò poſt animæ definitionem, ſtatim ſubnectit, *non oportere, quærere, ſi vnum eſt anima, & corpus: ſicut neque ceram, & figuram, neque omninò vniuſcuiuſque materiam, & id, cuius eſt materia.* Cur obſecro Stagirites? *quia*, inquit, *& ſi vnum multipliciter dicatur, tamen illud, quod propriè eſt, actus eſt.* Germana ratio hæc eſt: Quia id, quod in pręſentia nuncupo actum, facit vnum propriè, ac ſimpliciter cum materia, quemadmodum cera, & figura, & omninò materia & forma, iccircò nō opus eſt quęrere, num actus, ſeu anima, & corpus ſint vnum: quare actus in præſentia recenſitus verè informat: quandoquidem ex actu informante ſolum, & materia coaleſcit vnum propriè, ac ſimpliciter: ex aſſiſtēte verò nequaquam, vt conſpicis in nauta, & naui. Idem euincunt reliqua exempla, ab Stagirite, eodem in loco, & a nobis ſupra, ſectione prima, in argumento, adducta, dum anima, cum acie ſecuris, & viſu oculi, comparatur; Ea tu ſingillatim, & examuſſim perpende, ego ad alteram animæ definitionem, ſtylum confero.

In textu vigeſimo quarto eiuſdem ſecundi libri de Anima, aliam pertexit animæ definitionem, quæquidem, ſi Græcos interpretes, & Albertum Mag. audias, traditur per priora ſecundum naturam; & ex ea, prima animæ definitio concluditur, tanquam per cauſam, demonſtratione propter quid res ſit: ea ſic iacet, *anima eſt id, quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primò.* Ex qua ita arguo: id, quo quicpiam primò operatur, eſt vera eius forma, cui aſcribitur operatio; quia cum nihil operetur, niſi ſecundum quod eſt actu, ſit autem actu per ſuam

for-

formam,fit,vt per illam ipſam etiam primò, ac radicaliter operetur: quod inductione patet, nam quia id,quo primò ſcit intellectus,eſt ſciẽtia,& quo primò corpus ſanatũr, eſt ſanitas, ideò ſcientia eſt forma intellectus, & ſanitas forma corporis, quæ ſunt exempla Philoſophi in hoc ipſo loco. Et id, quo ignis calefacit primò,eſt forma eius ſubſtantialis; proximum autem eſt calor. Atqui ſecundum Ariſtotelem *anima eſt id,quo intelligimus primò*, & quidem anima intellectiua,ergo hęc eſt vera forma noſtri. Hæc ratio a multis,& meritò exiſtimatur efficaciſſima,& demonſtratiua, nec efficaciorem vllã ad rem propoſitam confirmandam,ex totius Philoſophię fontibus afferri poſſe, credunt S. Thomas in prima parte quæſt.67.art.1. & Durandus in 2.ſent.diſt.17.quæſt.1.

Prętera,Stagirites in primo de Anima tex. 90.carpit Platonem,quòd aſſeruerat, in homine intelligere,ſentire,& appetere, oriri a diuerſis animabus: nempè intellectiua, exiſtente in cerebro,ſenſitiua,in corde;vegetatiua, in hepate: Et contra eum tribus potiſſimùm rationibus inuehitur, vt probet in vno homine, vnã duntaxat animam ſecundum ſubſtantiam conſtitui oportere, a qua omnes eius operationes emanent; iuxta tamen diuerſas potentias. De qua quidem re,adi Simplicium,Philoponum, & S.Thomam eo loci.

At verò ego, quin vnam ſaltem Ariſtotelis rationem adducam, temperare mihi non poſſum. Si,inquit, in homine eſſent tres animæ, quarum hæc quidem intelligeret,hæc ſentiret, alia denique concupiſceret; cum illę eſſent in vnò compoſito,aut vnirentur, & continerẽtur ſe ipſis in illo vno,aut aliquo alio. Non ſe ipſis, quia illæ eſſent ſubſtantiæ diuerſæ ſpeciei. Nõ aliquo alio,quia illud,vel eſſet corpus: At corpus potius continetur ab anima, quàm contineat; argumento eſt, quia egrediente anima, ipſum diſſoluitur,& marceſcit: Si denique vnirentur,& continerentur aliquo alio, iam illud erit anima. Quapropter in homine,neutiquam erunt tres animæ, ſed vna ſecundum ſubſtantiam: Hæc ex Ariſtotele. Vnde conſpicuum eſt, idem eſſe ſecundum ſubſtantiam,principium primum,quo ſentimus, & quo intelligimus; ideòque principium intellectiuum, ſeu anima intellectrix, ita nobis ſubſtantialiter intrinſecèq; vnita eſt, quemadmodum ſenſitiua: Senſitiua verò eſt forma informans, ergo etiam intellectiua.

Poſtremò,in tertio de Anima tex.1. *de parte autem animæ,qua anima ſapit,& cognoſcit*, tractandum proponitur, vbi pro *parte animæ* ſeu intelligas animæ facultatem,hoc eſt intellectum,vt ipſemet Commentator interpretatur,dum ait. *Cum Philoſophus compleuit ſermonem de virtute imaginatiua, incipit perſcrutari de rationali, & quærere in quo differt ab alijs virtutibus comprehenſiuis*: ſeu,ipsã animam intellectiuam,vt alijs videtur; vtrouis modo,idẽ ipſum euinces: Nam ſi pars animę, eſt aĩa noſtra intellectiua, non ergo eſt extrinſecus hic intellectus, & ſecundum eſſe a nobis abiunctus. Si verò eſt facultas, animæ noſtræ, idem colliges,cum idem iudicium ſit de parte, & facultate animæ noſtræ,atque de ea ipſa.

Denique,in Problematib. ſect.30. quæſt.5. ita Philoſophus quærit. *Cur ſeniores amplius mente valeamus,iuniores ocyus diſcimus?* Reſpondet, *quia natura parens, & auctor omnium, inſtrumenta nobis duo inſeruit,quorum opera inſtrumentis externis vti valeremus: manum,inquam,corpori dedit,animæ mentem: eſt.n. mens quoque rebus,a natura nobis impertitis annumeranda; vicem ſanè gerens inſtrumenti. Cæteræ omnes ſcientia arteſque opera noſtra ſunt: mentem ipſam opus eſſe naturæ fatendum eſt. Vt igitur manu non iam inde ab ortu natura vti poſſumus,ſed cum eam natura abſoluit perficitque, (procedente namque ætate manus ſuum opus maximè efficere poteſt) ita etiam mens,quæ res naturalis eſt, non protinus,ſed in ſenectute maximè nobis contingat: atque tunc potiſſimùm conſummatur, atque abſoluitur*. Hæc Ariſtot.in quibus perpende primùm,quod natura dedit animæ noſtræ mentem, ceu inſtrumentum. Deinde,quod mens,ac intellectus,ita eſt reſpectu animæ,vti manus reſpectu corporis,quæ corpori, ab ipſo ortus momento coniuncta fuit. Poſt,quod ſicut manus non ſtatim ac editi ſumus,perfecta eſt, ſed progrediente ætate,ſenſim ac ſenſim perficitur, ita mens ab initio eſt infirma,ac imperfecta: paulatim verò abſoluitur. Denique,quod ſicut manus acquirit alia inſtrumenta,quibus perfectè operatur: ita quoque mens ſua inſtrumenta acquirit,quę ſunt artes,ac diſciplinæ. Quæ cum ita ſint, vide, ſi quicquam horum, ſeparato illi Auerrois intellectui,& aſſiſtenti competere poteſt.

Huc etiam adduci poſſunt rationes,ab ipſis Philoſophi principijs depromptæ. In octauo de Phyſica auſcultatione,inter motorem, ait, & mobile, proportionem quãdam,omninò intercedere oportere: ita,vt ſi mobile eſt vnum, motor quoque ſit vnus. Et ſi illud æternum, hic quoque æternus. Vnde colligit quoque orbium perpetuitatem,ex perennitate, & perpetuitate

tuitate intelligentiæ. Conſpicuum autem eſt, inter hunc intellectum, qui ſecundum eſse a quocumque corpore,& omni concretione materiali ſegregatus eſt,& humana corpora, nullam eſſe proportionem: ille enim eſt vnus,hæc innumera: ille vſquequaque æternus, hęc momentanea: ille immotus ac ſtabilis, hæc fluxa, & caduca. Qui igitur poni poterit humanorum corporum aſſiſtens,ac motor. Porrò quicumque hunc intellectum ponit, euertit illicò Philoſophi fundamentum,quo ſtatuitur, inter mototem,ac mobile debere eſſe præfatam proportionem. Et in manu foret inſtantia, ex hoc Auerrois intellectu.

Tum præterea, conſtitutum eſt apud Ariſtotelem in 12.Metaphyſ.tex.45. ſubſtantias immateriales,eſſe immutabiles, ſeu immobiles: in quem locum Auerroes colligit, illas nulla vnquam accidentia de nouo recipete poſſe: quo igitur pacto hic intellectus, ſecundum eſſe a nobis abiunctus, quem vnam aliquam ſeparatam ſubſtantiam, & omnium intelligentiarum infimam,idem Commenrator ponit, nobis aſſiſtere,& vice intellectus fungi poterit? mouebitur ex accidente; ſiquidem, non minus firmũ eſt apud Ariſtotelẽ; motis nobis,moueri quoque ex accidenti ea omnia, quæ in nobis ſunt: reciperet etiam de nouo accidentia, eaque innumera,diuerſa,& cõtraria,quia tales ſunt hominum intellectiones: quas vnus hic cunctorum hominum intellectus,tum promit,tum recipit: nulla diximus in Diſputat.8.& 9. de hoc Auerrois figmento.

Nec eſt,quod quiſquam miretur, Auerroem tam fædè,ac ſæpè ab Ariſtotelis mente ſententiaque aberrauiſſe; hoc inde factum, viri eruditi volunt, quia is,vt loquitur Cælius Rhodiginus libro tertio,cap.2.*in Hiſpania natus,& Arabum idiomate imbutus,cum græcæ linguæ ne apices quidẽ imbibiſſet,Ariſtotelis libros,in barbarum ſonum non tralatos quidem,ſed mutilatos, decurtatos, peruerſosque cum lectitaret,in ijs, quæ altioris ſunt ſcientiæ, & interioris ſenſus,auctorem emmentiſſimum, ſtudio breuitatis ſæpè conciſum, minus,minuſque conſequi valuit*. Hæc Rhodiginus, nec ego plura,quamuis & haberet, & vellem. Sed Auerroem non equidem moror, miror vero, vehementerque obſtupeo, Doctores neſcio quos,quibus veræ, & cęleſtis doctrinæ radius miſericorditer affulſit, tam fædè hic cæcutire. Quibus propheticum illud meritò obijci poteſt, *homo cum in honore eſſet, non intellexit,comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Sed de hac Auerroiſtici intellectus vnitate,aut vanitate, lege Diſputationem noſtram nonam.

SECTIO QVARTA.

Platonis ſententia quemadmodum vera eſt, qua ex parte aſſerit,rationales animas ad numerum hominum multiplicari: ſic a veritate aberrat; quà eas facit aſſiſtentes tantum corporibus, ac mouentes.

PRIOR huius aſſertionis pars, haud eget probatione: cum iam dudum a nobis oſtenſum ſit,cunctorum hominum intellectum,ſeu animam,non eſſe vnum. Poſterior verò his argumentis oſtenditur.

Primò, nullus motor elargitur ſpeciem mobili; ita, vt ex eius acceſſu, aut receſſu mobile mutet ſpeciem. Siue enim homo, ſeu quæuis alia res moueat,exempli gratia, lapidem, hic ſemper erit lapis. Atqui corpus humanum, eiuſque partes ob animæ intellectricis acceſſum,ſortiuntur ſpeciem; eaque abeunte, non amplius ſunt eiuſdem ſpeciei,ac prius: nam caro,os,manus,oculi,& reliquę extincti hominis partes,æquiuocè ſunt huiuſmodi: *ſicut oculus lapideus, aut depictus*, ait Ariſtoteles 2.de Anima, tex.9.Quod ex eo quoque conſpicuum ſit,quia nulli harum partium ſuppetit propria operatio, quæ eius ſpeciem conſequitur: quare anima rationis particeps non vnitur humano corpori ceu motor,ſed vt vera eius forma.

Prærerea, mobile non ſortitur eſſe a motore,ſed ſolummodo motionem: ſi itaque anima intellectrix, vnitur humano corpori ſolum vt motor; mouebitur quidem ab ea corpus, non tamen accipiet eſſe: & cum viuere ſit quoddam eſſe viuentibus; corpus non viueret per animã; quod eſt in abſurdis. Huc facit,quod mobile neque generatur per applicationem motoris, neque ob eius diſceſſum interit: nec .n. nauis acceſsu nautæ conſtituitur, aut interit eius diſceſſu: ſi itaque anima intellectiua, vniretur duntaxat vt motor,liquidò conſequitur, in vnione animę,& corporis, haud eſſe aliquam generationem: neque in eorumdem ſeparatione,

corruptionem: atque adeò mors, quæ in ſeiunctione animæ, corporiſque ſita eſt, non erit aliqua corruptio: quo nihil abſurdius. Poſtremò, quidquid ſeipſum mouet, in ſua facultate poſitum habet, mouere, aut a motu deſiſtere. Anima, ad Platonis aures, mouet corpus, ſicut mouēs ſe ipſum, erit vtique in animæ poteſtate, mouere corpus, ab eo ve, ſi ita libuerit, recedere. Quapropter anima ad arbitratum poſſet a corpore egredi, iterumque in illud ipſum reuerti, ingredique: quemadmodum Plinius lib.7.cap.52. prodigialiter recitauit, contigiſse Hermotimo Clazomenio: cuius anima e corpore, ad libitum egrediebatur, & peruagatis longinquis regionibus, multiſque auditis, iterum ingrediebatur, donec crematum ab inimicis, qui id animaduerterant, corpus, remeanti, veluti vagina ademptum fuit.

Hinc etiam cōuincitur Platonis poſitio, ſi.n. aīa intellectiua humano corpori tantum aſſideret, ex ea vtique, & corpore humano nō coaleſceret vnum per ſe, ſed quicpiam aggregatū, ex rebus diuerſi generis; perinde ac ex naui, & nauta. Hoc verò dicendum non eſt: tùm quia animæ, & corporis non eſſet vna operatio, cū non eſſet vnum eſſe. Tùm etiam, quia non eſſet homo, qui intelligat, ratiocinetur, contempletur, velit; ſed aliquid aliud, forinſecus illi aſſiſtens: Quod quam procul abſit a vero, vel in ſe vnuſquiſque noſtrum experitur: ſicut enim quiuis hominum experitur ſe eſſe, qui videt, audit, olfacit, & omninò ſentit, & non aliud quicquam ab eo ſeiunctum; ſic etiam quilibet experitur, ſe eſſe qui intelligit, ratiocinatur, contemplatur, vult: & non aliud quicquam ſibi adglutinatum.

Quiduerò? neque corpus ab ipſa anima mouebitur per ſe, ſed violenter: ſi enim ea cum corpore non facit vnum per ſe, nec ſanè ipſi erit principium operandi per ſe. Id etiam ſequitur, vt talis anima non ſit in toto corpore, ſed in quadam certa, ac determinata corporis parte: vt enim motor, & gubernator, haud oportet, vt in toto eo corpore, quod mouet, & moderatur, inſideat; ita & anima, ſi aſſiſteret tantum. Atqui, vt verè loquitur Ariſtoteles lib.1. de Anima, tex.92. *Ne imaginationi quidem fingi poteſt, quamnam corporis partem occupet intellectus.*

Adde, quod ſi aīa intellectrix non eſſet forma humani corporis, ſed tantum ſe haberet in corpore, tanquam motor, qui ſe ipſum mouēs, pariter moueret corpus, iam non magis erit animatum humanum corpus, quàm fuerit lignea illa Veneris ſtatua, vt eleganter arguit Stagirites lib.1. de Anima, tex.44. aduerſus Democritum, quæ ita affabrè à Dædalo fertur fabricata, vt infuſo in eius concauitates argento fuſili, huc, atque illuc moueretur: Hæc ſunt Ariſtotelis verba. *Quidam autem, & mouere animā dicunt corpus, in quo eſt, ſicut ipſa mouetur. Vt Democritus, ſimiliter dicens Philippo Comœdiarum magiſtro. Refert enim Dædalum mobilem feciſſe ligneam Venerem, infundendo argentum fuſile, &c.*

At verò Plato, haud opinatus eſt inconueniens, ex anima intellectiua, & humano corpore, conflari vnum quicpiam ex aggregatione. Cæterùm, hominem, haud eſſe hoc aggregatū; ſed ſolam animam, quæ perinde humano corpore, vteretur, atque homo indumento. Quia ergo in homine anima intelligit, ratiocinatur, vult; ob id, cum omni proprietate, hominem dici intelligere, velle, ratiocinari, &c.

Hanc reſponſionem ſic explodit S.Thomas lib.2. contra Gent. cap.57. In homine, præter intellectionem, in qua non communicat corpus, ſunt aliæ operationes, communes animæ, & corporis; vt timere, iraſci, gaudere, & omninò ſentire. Quæ communes animæ, & corporis eſſe non poſſent, niſi ex hiſce fieret vnum per ſe, ac ſimpliciter: ſecus enim anima, & corpus eſſent diuerſa ſecundum eſſe: Ab ijs verò, quæ ſunt diuerſa ſecundum eſſe, nequit produci vna numero operatio, ſecundum quod egreditur ab agente. Cuius rei ea adhuc eſt ratio, quia cum actio ſequatur formam, & virtutem; ea, quæ ſunt diuerſa ſecundum eſſe, atque adeò ſecundùm formas, & virtutes, nullo pacto, poſſunt elicere vnam numero actionem. Cum itaque aliqua hominis operatio, ita eſt animæ, & corporis communis, vt vna eademque ab vtroque progrediatur, liquidò conſequitur, hæc duo conuenire in vnico eſſe.

Ad quam tamen rationem, ex parte Platonis reſpondet S. Thomas, prætatas operationes eſſe quidem communes animæ, & corporis; ſed animæ quidem vt mouentis, corporis verò vt moti. Minimè verò eſſe inconueniens, mouentis, & moti, quis ſint diuerſa ſecundū eſſe, vnā conſtitui operationem: quare haud concludi ex aīa, & corpore debere coaleſcere vnū per ſe.

Inſtat S. Doctor. Primò, quia anima ſenſitiua in ſentiendo non ſe habet, vt agens, & mo-

mouens,ſed veluti id,quo patiēs,patitur a ſenſibilibus:nam *ſenſus,& ſentire,in eo, quod eſt moueri aliquid,& pati accidit.* auctore Ariſtotele lib. 2. de Anima tex. 51. impoſſibile igitur eſt,prædictas operationes,eſſe animæ ſenſitiuæ,tanquā mouentis:corporis verò tanquam moti. Præterea,quia iuxta hoc Platonis dogma, anima ſenſitiua haberet propriam quandam operationem: nam etſi motus ſit communis actus mouentis,& moti, tamen alia operatio eſt, facere motum,alia recipere motum. Indicio eſt, quod actio,& paſſio; agere,& pati,conſtituunt duo prædicamenta. Quare ſi anima ſenſitiua in ſentiendo ſe haberet,vt agens,& corpus vt patiens,alia erit operatio animæ, & alia corporis. Quam quidem ſi anima ſentiens haberet, poſſet vtique per ſe exiſtere; & pariter eſſe immortalis.

Non defuerunt, qui Platonem, in ea fuiſſe opinione aſſeruerunt,quod is omnem animā, etiam ſenſitiuam, & brutorum animalium, exiſtimarit incorruptibilem,ac immortalem: quo circa concederet, aiunt,animam ſentientem, propriam obtinere operationem.

Veruntamen, iſti vehementer hallucinantur,& conniuentibus oculis aſpexerunt Platonem; qui ſolam animam rationis participem, conſtituit immortalem; aliàs verò ne animas quidem appellat; ſed potius *animationes*. Quod equidem multis huius diuini auctoris eſſatis oſtenderem; ex Phædone, Alcibiade, Timæo, & ſæpè alibi. Sat ſit adduxiſſe Philoponum, virum in Platonicis rebus egregiè doctum:hic ſuper 3.de Anima,tex.6. *pro Platone*, inquit, *dici poteſt,quod ſolam rationalem, vocat animam, alias autem animationes,& ideò dicit, omnem animam immortalem.* Si itaque Plato nomine animæ intelligit ſolam rationalem, etiamſi propalam affirmaſſet,omnem animam eſſe immortalem, non proinde brutorum animas immortales ſanxiſſet: nec vllas eis proprias dediſſet actiones.

Argumenta,hucuſque aduerſus Platonem confecta,ſatis vtique virium habent. Iret tamen hic fortaſſe obuiam, ac primò quidem,cū obijcitur,motorem,non elargiri ſpeciem mobili; duplicem,diceret eſſe motorem:hunc quidem applicatum tantum, qui rei intrinſecus non eſt:hunc verò intrinſecum,atque ita rei appropriatum, vt ſit veluti quoddam illius complementum: quo pacto eſt intelligentia ſolis motrix; ſiquidem ob huiuſmodi aſſiſtentiam, & appropriationem, cęlum dicitur *viuere*, vt habetur in primo de Cęlo,tex.100. & in 2. eiuſdem operis,tex.63. dicitur *animatum*; quinimò in tex.13. *Cælum eſt animatum,& habet motus principium.* Eiuſmodi igitur motor, & aſſiſtens, (talis foret anima intellectrix) eleuat mobile ad ſublimiorem gradum, & conditionem.

Præterea, non erit in eius facultate deſerere mobile,egredi, ingredi ue corpus, cum volet; ſed ei obligatur, donec ob corporis vitium, & corruptionem, ex eo depulſa, aliam ſubeat aleam. Argumenta verò poſteriori loco conſtructa,ſupponunt, animam intellectiuam,& ſenſitiuam in homine eſſe vnam eandemque ſubſtantiam: quod Plato firmè negaret: diceretque,actiones, quæ ſunt communes animæ,& corporis, vt timere, iraſci, gaudere, & omnes ſenſationes,haud eſſe ab anima ſentiente,& corpore, tamquam a duobus principijs,ſecundum eſſe diuerſis: Etenim ille ex anima ſenſitiua, & humano corpore conſtituebat,vnum per ſe; cuius forent præfatæ actiones. Cui poſtea enti,ac per ſe vni, alligaretur anima intellectiua; non ſecus atque ex materia,& forma cęli, fit vnum compoſitum per ſe, cui poſtea aſſidet intelligentia: Et ex lignis,ac forma artificiali conſtruitur nauis, cui præſidet nauta. Ex quo apparet, quod animæ ſenſitiuæ, nulla eſſet propria operatio; cum ea non vniretur corpori vti motor; ſed vt vera forma.

Quæ Platonis ſententia, ſic aliquando Græcis arriſerat, vt non modò toti Academiæ,& in Peripato Simplicio,Themiſtio,Philopono, (quidquid dicant alij) & compluribus alijs placuerit,ſed quod magis mirandum eſt,aliqui etiam Sanctorum Patrum, in eam viderentur iuiſſe. De qua quidem re,adi Gregorium Nyſſenum libro ſecundo ſuæ Philoſophiæ,cap.10. 11. & 12. de quo hæc omninò ſcribit Magiſter, Bannes in prima parte Sancti Thomæ, quæſtione 76. artic. primo, dubio primo: *Et quod multò magis mirandum eſt, Nyſſenus lib.2.Phil. cap. 4. & 6. reprehendit Ariſtotelem, quòd affirmauerit,animam intellectiuam, eſſe formam corporis: & poſtea tractans ipſe de vnione animæ ad corpus, procedit multò magis Platonicè, quàm Ariſtotelicè.*

Immò verò, Origenes libro ſecundo Periarchon, capit. 8. eò,hac in parte proceſſit, vt

illam etiam Platonis allegoriam de duabus confractis animarum alis,conerur intetpretarı, eſſe duas animæ facultates , quibus anima in Deum fertur, intelligendo,& amando, nempè intellectum,& Voluntatem.

Quod quidem , vt penitius capias, ſciro, quod Plato,cum ſanxiſſet,animas intellectrices multò antiquiores eſſe corporibus, ſiue ex æternitate,ſeu verius initio rerum omnium,a præpotente Deo in Cęlo omnes ſimul conditas , aſtris aptatas,& certis,ſtatiſque temporum vicibus,ad diuerſa corpora demitti;vt Diſput. 3. vidimus: volens reddere cauſam,cur illæ in cęlo ſolutæ, ac liberæ exiſtentes, vnirentur corporibus ? Non vtique propter bonum animæ, cum talis anima ſit intellectiua, quæ in actione intelligendi, maximè in Platonis ſententia, non indiget corpore. Quinimò vt loquitur etiã Ariſtoteles lib. 1. de anima,tex. 49. *melius eſt intellectui,non cum corpore eſſe, quemadmodum,& conſuetum eſt dici,& multis placet.*

Huius, inquam deſcenſus,& alligationis animæ ad corpus,cauſam Plato,cum reddere minimè poſſet, coactus fuit ad allegorias confugere: vnde ait, animas ob confractionem alarum, haud valentes Cęli conuexa conſcendere,& verum intueri,in terras deuolui, & in corpora ingredi: poetico potius commento , quàm philoſophica ratione perſuaſus ; lubet ipſum,elegantiſſimè, vtinam & verè,his omninò in Pædro loquentem audire . *Regula Adraſtriæ deæ, hoc eſt, ineuitabilis numinis, hæc eſt: Vt quæcumque anima Deum comitata aliquid verorum inſpexerit,ea vſque ad circuitum alium,* (hunc ait eſſe Decem annorum millia) *ſit indemnis : & ſi ſemper hoc facere queat, ſit ſemper illæſa. Si verò impotens aſſequendi non inſpexerit, & caſu aliquo vſa, repletaque obliuione,& prauitate grauetur, grauata autem pennas confregerit,in terramque reciderit,tunc prohibet lex, hanc in prima generatione in aliquam brutalem ire naturam, ſed iubet eam,quæ plurima viderit,in genituram uiri Philoſophi,aut pulchritudinis cupidi,aut muſici, atque amatoris. Eam verò quæ ſecundo loco, in regem legitimum , aut bellicoſum virum, & imperatorium deſcendere . Tertiò,in gubernatorem Reipublicæ, aut reifamiliaris diſpenſatorem, vel quæſtuarium . Quartò, in laborioſum gymnaſticum, aut circa medellam , curamque corporis verſaturum . Quintò, in eos , qui vates futuri ſunt, & circa myſteria quædam . Sextò, in poetam , vel alium quemuis eorum, qui ante in imitatione verſantur. Septimò, in artificem, vel agricolam . Octauò , in ſophiſtam, & popularem. Nonò,in tyrannicum . In his autem omnibus,quicumque iuſtè vitam egerit, ſortem poſtea nanciſcitur meliorem: qui verò iniuſtè, deteriorem . In idem enim vnde profecta eſt cuiuſque anima, annis decem millibus non reuertitur . Nam alas ante hoc ſpacium non recuperat, præter illius animam,qui philoſophatus eſt ſine dolo, vel vnà,cum ſapientiæ ſtudio pulchritudinem amauit .* hæc Plato . De quare nos alias.

Hæc, & ſi paulò prolixiora,eo conſilio attuli, vt non modò,quod intendebam aperiretur, verùm, vt penitus etiã introſpicias, quàm procul à Platonis ſententia quidam aberrant , dum aiunt, Platonem in ea fuiſſe opinione, vt exiſtimauerit, animam rationalem, non ineſſe homini, veluti aſſiſtentem, & mouentem ſolum; ſed vt veram eius formam informantem . Quod vtinam ſenſiſſet, ſed longè abfuit . Quomodo, obſecro, Plato animam intellectricem formam hominis informantem aſſereret, qui eam corpore fecit antiquiorem; initio mundi conditam, & aſtris aptatam : qui eam ſolam dixit eſſe hominem , & vti corpore,ceu indumento: qui ex ea , & corpore aſſirmauit, non coaleſcere vnum per ſe, ſed ſolum ſecundum contactum virtutis : qui denique μετεμψύχωσιν tranſanimationem, vt vidimus,tam prodigioſè,tutatus eſt. Hæc profectò cum forma informante pugnant e regione , cum forma debeat eſſe ſimul, cum eo, cuius eſt forma: ex Ariſtotele 12. Metaphyſ. tex. 16. *quæ enim,vt ratio, ſimul ſunt : cum enim ſanus ſit homo, tunc etiam ſanitas eſt, & forma aneæ ſphæræ ſimul atque anea ſphæra.* Sed hoc tetigiſſe ſatis, neque verò mihi eſt animus, cuiuſuis dicta oppugnare. Hoc tandem affirmo, Platonis ſententiam,non tam eſſe irrationabilem,quàm ſit Auerrois figmentum.

Digitized by Google

SECTIO QVINTA.

Obuiam itur aduerſariorum argumentis, initio Diſputationis conſtructis.

QVONIAM, vt auctor eſt Stagirites libro de Phyſica auſcult.4.tex.31. *Tunc pulcherrimè vnumquodque demonſtrabitur, cum & quæ dubitantur, ſoluantur; & quæ videntur ineſſe loco, inſint: Et amplius ipſa difficultatis, & earum, quæ circa ipſam dubitationum cauſa, manifeſta erit:* merito atque optimo iure, tum demum eorum, quæ hucuſque probauimus veritas, maximè eluceſcet, cum argumenta, & ſophiſmata omnia, quibus, ſiue Auerroiſtica vanitas (vnitas dicere volebam) intellectus, ſiue animæ intellectricis aſſiſtētia ſtruebatur, quod vidimus in Sectione prima huius Diſput. pro virili confutauerimus. Tunc enim perfectè ſcire aliquid iudicamur, cum ſublata, & abſoluta fuerit omnis quæſtio, vt idem Philoſophus nos docuit lib.2. Poſter.analyt.

Ad primum itaque argumentum, cum obijcitur: formam, quę dat eſſe rei, & informans dicitur, eſſe inſeparabilem, à materia, quam informat; id generatim, & abſolutè falſum eſſe, alio loco patefecimus. Eſt quidem inſeparabilis ea Entelechia, quæ de poteſtate materiæ euocatur: quæ verò ex huius potentia non educitur, cuiuſmodi eſt anima intellectrix, vt ſuo loco oſtendimus; id peculiare ſortitur, vt & ſit Entelechia, verè humanum corpus informans, & ab eodem ſeiungi queat.

Textum verò 11.lib.2.de Aīa, in argum. adductum, *quaſdam autem animæ partes, nihil prohibet ſeparari, propterea quia nullius corporis ſunt actus.* variè interpretati ſunt viri docti. Principio nulli dubium, quin Philoſophus hic loquatur de parte intellectiua, ſeu intellectu. Cæterùm, cum gemino modo ſumi, iam alias expoſuimus: pro animæ intellectricis facultate; & pro ipſa anima intellectiua. Auctor in præſentia ſermonem habet de intellectu, prout eſt animæ potentia; qua ratione de eodem aiebat, ne fingi quidem poſſe, quamnam corporis partem occupet intellectus. Hoc vtique modo intellectus nullius corporis actus eſt: non verò loquitur de parte animæ, & intellectu, vt eſt ipſa animæ intellectricis ſubſtantia: qua ratione informat corpus. Hæc eſt communis ferè eius loci interpretatio: adi Philoponum in hunc textum, & S.Thomā, tum etiam in prima parte quæſt. 76.art.1.in reſponſione ad primū: & in 2.contra Gent.cap.69.

Vel alio pacto, cum Ariſtoteles, eo vſque docuiſſet, animam eſſe alteram eſſentialem corporis partem, ac Entelechiam, ne quiſpiā hinc arbitraretur ſequi, omnem animam ſic eſſe partem, vt ab altera omninò ſeiungi nequeat, ſolicitè ſubdit, *quaſdā verò animæ partes, nihil prohibet ſeparari, eò quòd nullius corporis ſunt actus.* hoc eſt, quaſdam partes animæ, in cōmuni ſumptæ, cuiuſmodi eſt pars, *illa animæ, qua & cognoſcit anima, & ſapit,* ex eodem auctore, libro tertio de Anima, tex.1. nihil prohibet ſeparari. Quid ita? quia non eo modo eſt actus corporis, ac vegetatiua, & ſenſitiua, q̄ quia ſunt e poteſtate materiæ extractæ, pendent a certis corporis qualitatibus, & diſpoſitionibus. Hæc verò *nullius corporis eſt actus,* eo ſcilicet modo, vt a certis alicuius corporis qualitatibus, & diſpoſitionibus dependeat: & ideò eſt ſeparabilis. Hoc dicendi modo vſus eſt. Philoſophus etiam in 12.primæ Philoſophiæ tex.16. quo loci, cum dixiſſet, formam ſimul eſſe cum eo, cuius eſt forma, ſubdit, *in quibuſdam nihil prohibet,* remanere, nimirum aliquam formam poſt, *ſicut tale eſt anima, non omnis, ſed intellectus.*

Sunt, qui aiunt, intellectum biſariam capi poſſe: nempè vt intellectus eſt, & vt pars animæ. Vt intellectus, eſt aliquid completum, nec reſpicit corpus, vt actus potentiā: vt verò pars animæ, eſt quidpiam incompletum, & reſpicit corpus, vt actus potentiam. Quam quidem diſtinctionem ſolidè oſtendit Lagalla ex antiquis Peripateticis in lib. 2. de immortalitate animorum cap. 14. Iacta hac intellectus partitione, arbitrātur cùm huic, tùm multis alijs difficultatibus ſatisfacere.

At cur Stagirites, vt in eodē argumento opponitur, ait, nondum eſſe manifeſtum, ſit ne in corpore anima intellectrix, vt nauta in naui? Ea eſt cauſa, quia tametſi eouſque propoſitum ſuum explicuerat, ſed hoc tantum, & leuiter explicuerat; vt ipſemet eodem in loco, pleno ore fatetur; dum ait, τύπῳ μὲν οὖν ταύτῃ διωρίσθω, καὶ ὑπογεγράφθω περὶ ψυχῆς. hoc eſt, *ſummatim, ſeu ſimpliciter, itaque hoc pacto determinatum, deſcriptūque ſit de anima.* (parum commodè, vt interea hoc te admoneam, tranſlatum eſt, illud τύπῳ, figura: ſic enim in latino codice legimus; *figura*

Igitur ſic determinatum, &c. τύπῳ, idem pollet, ac ſummatim, non exactè, vnde Perionius τύπῳ, vertit, *pingui Minerua*. Ita nos loquimur τύπῳ λέγειν, τύπῳ λαμβάνειν, τύπῳ ἀποδεικνύειν, ſummarim dicere, &c.) nondum autem exquiſitè demonſtrarat; quod inferius præſtitit, maximè verò in altera animæ definitione, cum in textu 24. definiuit animam, eſſe *id, quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primò*. Per quam quidem, vt Alberto Mag. in 2. de Anima, tract. primo, cap. 5. Themiſtio, Philopono, & compluribus alijs placuit, demonſtrat Philoſophus a priori, anteriorem animæ definitionem: Demõſtrat etiam, eam eſſe veram corporis formam, cum ait, eſſe id, quo operamur primò. Iccircò meritò in tex. 11. nondum, ait, eſſe manifeſtum &c. Exempla verò illa, eò ſolum ſpectant, vt proportionem, & comparationem formę, ad materiam patefaciant: ita, vt quod eſt figura, ad ceram; acies ad ſecurim, viſus ad oculum; hoc ſit anima ad corpus: nihil verò præſtant, ſeiungi forma a materia queat, necne: quare illa nihil ad fides. Quid ſi dicas, ea pollere in cæteris formis, quæ plurimæ ſunt, nihil verò prohibere, quin in aliqua forma, vt eſt intellectrix non teneant?

Secundum argumentum, etſi Ioannes de Ianduno in 3. de Anima, quæſt. 5. multis torquetur, facili tamẽ negotio depellitur, ſi dicas, ſubiectum figuræ hominis, nec materiam primam, nec animam, ſed eſſe compoſitum ex vtraque: vt reliquorum omnium accidentium, Conſtat hoc ex Philoſopho in Prædicamentis cap. de ſubſtantia, aiente, *Itaque reliqua omnia*, id eſt accidentia, *aut de ſubiectis primis ſubſtantijs dicuntur, aut in eis ſubſtantijs inſunt*. Et S. Thom. cum ſæpè alibi, tum verò in prima parte, quæſt. 76. art. 6. Cuius rei ratio quoque in manu eſt; quia materia prima eſt in potentia ad omnes actus, ordine quodam: ita, vt quod inter actus eſt prior, hic prius in ea ineſſe debeat. Actus verò ac forma ſubſtantialis eſt omnium actuum primus. Tum etiã, quia ex materia, & forma ſubſtantiali coaleſcit vnum per ſe: ex eadem verò, & quouis accidente, vnum per accidens. At fieri nequit, vt prius ſit eſſe per accidens, quàm eſſe per ſe; ſicuti fieri nequit, vt ſit prius domus alba, quàm abſolutè domus. Si itaque cuncta accidentia, vtique & figura hominis, in ipſo hominis compoſito reſidet. Nec eſt, quod tantopere Iandunus, & alij, hic temerè crucientur. At quæ eſt, obſecro, hæc eorum conſequentia? Compoſitum hominis eſt quantum, & extenſum, ergo & anima quanta, & extenſa: ita ne vero? colligant eadem conſecutione, ſi valent; Compoſitum hominis eſt album; ergo, & anima eſt alba.

Dum verò adiungitur, ne apprehendi quidem poſſe, qui vnquam forma actuet ſubiectũ quantum, & extenſum, quæ non ex accidenti ſaltem extendatur: occurrendum eſt, id optimè, & apprehendi, & cohærere: præſertim in anima rationali, quæ eſt tota in toto corpore, & in quauis parte tota. Quod ſi complures Philoſophi in ea verſantur opinione, quod formæ etiam brutorum animantium perfectorum, vt Leonis, equi, &c. tametſi corporeę, ſint tñ indiuiſibiles, atque inextenſæ, vt tradit S. Thomas in prima parte, quæſt. 76. artic. 8. & in 2. contra Gent. cap. 72. Albert. Mag. libro primo de Anima, cap. vltim. & lib. 2. cap. 7. de qua re videndi ſunt Ferrarienſis, Caietan. & Bannes; quantò maiori cum ratione, id in anima intellectrice aſſereris? quæ longè ſuperioris ordinis, *ſolaque diuina eſt?* Dic ergo, ita in formis ſubſtantialibus contingere, vt actuant ſubiecta quanta, abſque eo, quod ipſæ ſint quantæ. Præterea, vnumquodque recipitur ad modum recipientis: id eſt, accommodatur capacitati recipientis: at non eſt neceſsè, vt induat naturam, aut proprietates recipientis: vt aqua in vaſe recepta, æquatur vtique vaſi, at nec naturam, nec proprietates eius induit: ſic dicendum de anima humana reſpectu materiæ recipientis.

Quæ verò obijciuntur ex contrario motu animæ; eam nempè, ſimul quieſcere, & moueri; quinimò etiam motibus contrarijs; ſi eſt forma; Dicendum primò, nullum eſſe inconueniens, idem ſimul moueri, & quieſcere reſpectu diuerſorum, cum mouetur per accidens. Ambulet quiſpiam exiſtens in naui, quo quo verſus; ſimul feratur in oppoſitum motu nauis: ille, contrarijs motibus mouetur, ſed ex accidenti. Item, Cęli inferiores proprio motu ab occidente, ad orientem progrediuntur, ijdem ex accidenti, motu primi mobilis, ab ortu ad occaſum raptantur. Sic non inconuenit, animam moueri ſimul, & quieſcere per accidens, aut moueri contrarijs motibus. Reſponſio eſt communis: aſſignata a S. Thoma quæſt. de Anima art. 10. in reſponſione ad 12. Et a Durand. in 4. diſt. 10. quæſt. 3.

Secundò dicimus, animam non dici moueri

etiam

Digitized by Google

etiam per accidens, quotieſcumque pars aliqua corporis mouetur; ſed tunc ſolum, vbi totum corpus mouetur, Huius ratio aſſignatur a S. Thoma in primo ſent. diſt. 37. quæſt. 4. art. 1. quia, vt quicpiam dicatur ex accidenti moueri, oportet, vt moueatur ad motū illius, in quo eſt definitiuè. Iccircò idē S. Doctor in prima par. quæſt. 51. art. 3, ad 3. Angelum, ait, dum aſſumit corpus, in quo eſt definitiuè, moueri per accidens ad motum illius corporis. Atqui anima rationis compos, non eſt definitiuè in aliqua corporis parte, cum ita in ea ſit, vt inſit quoque in reliquis. Propterea, quamuis aliqua corporis pars moueatur, modò totum quieſcat, anima, nec ēt ex accidente mouetur.

Ad tertium dicendum eſt, ex anima intellectiua, & materia fieri vnum per ſe: nam anima intellectus particeps, bifariam accipi poſt: Vno quidem modo ſecundum ſuam entitatem, & eſſe per ſe ſubſiſtens. Alio verò prout eſt pars, ac principium humani compoſiti. Si priori modo capiatur, procul dubio, eſt alterius ordinis a materia, & ei minimè proportionata, quemadmodum cæteræ ſubſtantiæ ſeparatę, ac immateriales, (excepto tranſcendentali ordine, quo illa redditur indiuidua) nec hac ratione informat materiam, aut conſtituit vnum aliquod, Si autem altero modo ſumatur, hoc ea pacto nec in genere, nec in ſpecie vlla directè collocatur; cum in ſpecie, & genere locum habeant, naturæ duntaxat completæ: anima verò hac ratione, ſicut & materia prima, neutiquam eſt natura completa; ſed pars, potius, & principium completi: nempè compoſiti, quod propriè ponitur in ſpecie: ad quam ipſæ quoque partes reducuntur,

Hoc expreſsè docuit Stagirites, qui in Prædicamentis, capite de ſubſtantia, ſub genere ſubſtantiæ, non niſi primas, & ſecundas ſubſtantias conſtituit: de forma autē, & materia nullā habuit mentionem, quia non continentur ſub Categoria, niſi prout ſunt principia ſubſtantiæ, & reductiuè. Hinc optimè S. Thomas 2. contra Gent. cap. 69. ſubſtantia, inquit, intellectualis, & corpus, quæ ſeorſum exiſtentia, eſſent diuerſorum generum ſpecies, prout vniuntur, ſunt vnius generis, vt principia. Vnde falſum quoque eſt effatum illud, formam, & materiam, eſſe ſub eodem genere; cum vtraque ſint principia, & partes ſpeciei, & generis, Hoc ergo pacto anima intellectiua informat materiam, & illi in eo proportionatur: vt ex ea, & materia conſurgat vnum per ſe: Ad hoc autem ſufficit, & requiritur, vt alterum ſit actus, alterū potentia: ſic in præſens contingit, anima intellectrix, eſt actus; materia, potentia: quare optimè ex hiſce cohæret homo,

Nec oportet, vt ſi anima intellectrix, eſt cōiuncta corpori ſecundum ſuam ſubſtantiam, ceu vera forma, omnis quoque eius virtus, ac facultas ſit affixa eidem corpori; aut cuipiam eius parti: vt in eodem argumento ſubijcitur; quia, etſi anima intellectiua eſt forma materiæ, nō tamen in ipſa immergitur; ſed inter omnes formas maximè ſupra materiam eleuatur. Quippè quò aliqua forma eſt perfectior, eò magis a materia eleuatur: vt alias expoſuimus, ex quo fit, vt rationalis anima, ſic eſt materiæ forma, vt in eſſe haud dependeat a materia. Et ſicut non dependet in eſſe, ita habet aliquam operationem, quæ non dependet a corpore. habebit ergo & aliquam facultatem, actionis illius productricem, quæ nec vllius corporis actus, nec vlli parti affixa ſit: talis eſt intellectus, & Voluntas. Hinc Philoſophus in 3. de Anima, intellectum oſtendit inorganicum, & nulli corporeo inſtrumento alligatum. Quamquam illud ēt dici poteſt, magnū eſſe diſcrimen inter animam intellectricem, & eius potentias, atq; actus. Quæcumque enim potentiæ, & operationes, nequeunt quicquam informare, niſi inhærendo, cum vtraque ſint accidentia. Et animæ intellectiuæ potentiæ, & operationes, quia ſunt accidentia ſpiritualia, corpori inhærere haud poſſunt. Anima verò informat materiam, non inhærendo; ſed per omnes eius partes intimè ſeſe inſinuando, eaſque animando: quare iſthæc informat, non autem illæ.

Hinc ſolutum quoque manet quartum argumentum, vt enim falſum eſt, formam, & materiam, eodem genere preſsè, proprièque cōtineri, ſic eſt veritati conſentaneum, animam intellectricem, qua eſt actus ſubſtantialis, qua compoſitionis principium, qua altèra pars eſſentialis compoſiti, reduci ad idem omninò genus; nempè ſubſtantiæ, ad quod eius quoque potentia reducitur, hoc eſt, materia prima. Sic ambæ, qua vniuntur, ſunt vnius generis, & ſpeciei, vt principia. Quo pacto anima eſt proportionata materiæ, & eam optimè terminat, velut eius *perfectihabia*: Neque hoc pacto diſtat in infinitum a corpore. Vbi id quoque addi debet; cum nimirum, corpus humanum, ob natiui tēperamenti bonitatem, & organorum excellentiam,

Digitized by Google

tiam, cuncta cæterorum animantium corpora longo interuallo poſt ſe relinquat; congruit, mirabili rerum ordini, animam intellectiuam, quæ eſt infima inter ſubſtãtias intellectus participes, vniri corpori humano, quod cætera corpora antecelleret: vt tandem iuxta D. Dionyſij effatum, in capite 7. de diuinis nomin. *ſuprema infimi, attingeret infimum ſupremi.*

Ad quintum, priuſquam reſpondeatur, ſcito, magnum eſſe inter ſcholaſticos diſſidium. Num anima intellectiua, dum eſt in corpore ſubſiſtat, non ſolum vt quo, verùm etiam vt quod. Quaquidem in re Caietan. in prima parte S. Thomæ quæſt. 75. artic. 6. & quæſt. 90, art. 2. contendit, humanam animam, dum etiam eſt in corpore, non modo ſubſiſtere, vt quo, ſed etiam vt quod. Et Domin. Soto in 1. Phyſic. quæſt. 3. in ſecũdo argumento, hoc pro comperto præſternit. Quinimò multi, hoc diſcrimen inter rationalem animam, & animas cæterorum animantium aſſignauerunt: quòd hæ ſubſiſtunt tantummodo vt quo, per ſubſiſtentiam totius, icircò corrupto toto, eæ quoque euaneſcunt: Humana autem anima ſubſiſtit, vt quod: & per huius potius ſubſiſtentiam ſubſiſtit totum: quo fit, vt hoc diſſoluto, illa ſuperſtes, & incolumis maneat extra corpus. Alij ex oppoſito autumant, animam rationis participem, dum eſt corpori coniuncta, haud ſubſiſtere vt quod, ſed vt quo tantum: nec terminari proprio termino, ſed termino ipſius compoſiti. Huius controuerſiæ determinationem, vide, ſi lubet, apud Bannes ſuper 1. par. S. Thomæ quæſt. 75. art. 6. dub. 4. qui adhæſit poſteriori parti.

Hoc adnotato, ad argumentum, iuxta priorem ſententiam, dicendum eſt, ſubſiſtens eſſe duplex; aliud completum, cuiuſmodi ſunt ſuppoſita materialia, & formæ etiam ſeparatæ, ſeu intelligentiæ: aliud incompletum, ſemiperſona, & quod ſuaptè natura importat ordinem ad aliud. Quod priori modo ſubſiſtit, nequit cum aliquo, ita componi, vt ex ijs coaleſcat vnum per ſe: quæ verò ſecundo modo ſubſiſtũt, benè poſſunt cum alijs componi, & facere vnũ per ſe: talis eſt anima intellectiua. Qui verò poſteriorem amplectuntur opinionem, aiunt, animam intellectricem, dum eſt in corpore, nõ niſi vt quo ſubſiſtere: cum verò ab eo fuerit abiuncta, alium ſubſiſtendi modum ſortiri, nempè vt quod, ad inſtar cæterarum intellectualiũ naturarum. Ad probationem verò argumenti, cum dicitur, anima habet operationem, cui non commiſcetur actio corporalis, ergo ſubſiſtit vt quod, neganda eſt conſecutio: ſatis enim eſt, vt anima huiuſmodi operationem edere queat, quòd haud ſit materialis, nec omninò addicta materiæ; ex eius ve poteſtate educta: vt re ipſa eſt. Nec reputari debet inconueniens, animam alio modo ſubſiſtere cum eſt in corpore, alio verò cum eſt ab eo ſeiuncta, vt in eodem argumento reputabatur. Immò verò mirum eſſet, ſi eodem modo vtrobique ſubſiſteret. Hic ea materiæ craſſitudini iuncta, ibi ab omni concretione materiali abiuncta eſt, hic altera compoſiti pars, ibi per ſe totũ ſubſiſtit; hic corporis compedibus alligata, plerumque paret, ibi ſoluta ac libera dominatur: mirare, ſi ea in hac mortali, & caduca vita, alio pacto ſubſiſtat, atque in illa, vbi ſempiterno æuo eſt fruitura?

Solutio ſexti argumenti in hoc poſita eſt, quod anima intellectrix, quamuis in ſe haud ſit corporea, nihilominus virtute, eminenterque cõtinet eſſe corporeum; vt ternarius dualitatem; cum in homine vna anima intellectrix compleat omnes formarum gradus: optimè potis eſt, elargiri materiæ, id, quod vi continet, licet ipſa formaliter non ſit corporea: quemadmodum ſol cauſat calorem, quem non niſi virtute, & eminenter habet. Neque idem iudiciũ ferendum eſt, de anima rationali, atque albedine reſpectu caloris; cum hæc nec formaliter, nec virtute contineat calorem. Ad illud verò quod ibi adiungitur; forma, & materia, fateor, feruntur inuicem relatione tranſcendentali. At cum ſubiungitur, relatiua tranſcendentalia eius eſſe naturæ, vt alterum, quoad ſuum eſſe ab altero pendeat, (& anima rationalis a materia pendere nequit) id gemino modo intelligi poteſt: vel ita, vt pendeat tamquã ab eo, a quo capiat eſſe, & ſine quo exiſtere minimè queat: vel ſic, vt pendeat quaſi a termino; hoc eſt, vt habeat ſuum eſſe cum ordine ad illud. Alij, idem alio pacto proferunt, relatiua tranſcendentalia, habere ſuum eſſe intrinſecè quidem ab ordine tranſcendentali, extrinſecè verò a termino. Anima ergo intellectrix, pendet quidem a corpore, & materia, quam informat, non quidem tamquam ab eo, a quo eſſe accipiat, ſed quaſi a termino; quòd anima per habitudinem ad corpus, eſſentialiter cùm indiuiduatur, tùm definiatur.

Quod ſi obijcias, ex vero quidem affirmari,

ri, quæ ſunt ſuperioris ordinis, continere ea, quæ ſunt ordinis inferioris, quandocumque ea conſtituuntur eiuſdem rationis, ac generis: ita in numeris, & figuris, quod deinceps eſt, continet id, quod eſt prius: vt ternarius dualitatẽ, & figura quadrangularis trigonum. Secus verò obtingit in anima intellectrice, ac cæteris animabus, quæ ſunt in homine prius: Siquidem anima intellectiua, genere & toto ordine diſſidet a ſenſitiua, & vegetatiua, vtpote materiæ expers, ac immortalis a formis materialibus, & caducis. Quamobrem fieri nequit, vt illa haſce an virtute, an vllo alio pacto contineat. Quid? quia homo eſt quiddam perfectius, quàm formica, ob id continere, & præſtare poterit quicquid ea continet, & præſtat? Immò eadem ratione concluderes, etiam intelligentias poſse dare cuipiam eſſe corporeum, vegetatiuum, ſenſitiuum; quia eæ quoque longè ſuperioris ordinis ſunt, quàm corporeum, vegetatiuum, ac ſenſitiuum. Quare &c.

Hæc nos omninò admonent, vt paulo preſſius ediſſeramus, num in homine ſit vlla alia forma ſubſtantialis, tota ſua ſubſtantia diſtincta ab anima intellectiua, a qua quidem in homine proueniat eſſe corporeum, vegetatiuum, & ſenſitiuum? an verò vna duntaxat forma rationalis hæc omnia compleat? Tum ſi ſola eſt, quonam pacto ea immaterialis, ac incorporea, res corporeas, ac materiales, nempè gradum vegetatiuum, & ſenſitiuum continere queat?

Quod attinet ad prius, ſi ſermo ſit de mente ſententiaque Philoſophi, ſcio aliquos, benè in Peripato meritos, exiſtimaſſe; quod Stagirites re ipſa tenuerit, animam intellectus participẽ, quam lubens mentem, & intellectum appellitat, eſſe in homine aliam ſubſtantiam ab anima ſenſitiua: ita, vt anima humana, ex corruptibili, & incorruptibili, quaſi e duabus partibus, re & tota eſſentia inter ſeſe diſtinctis exſurgat: quarum altera ſit ſenſitiua, altera intellectrix. Illa concurrat, vt potentia reſpectu huius, hæc veluti actus. Atque ſicuti ex actu, & potentia coaleſcit vnum aliquod, ſic ex hiſce formis conflari vnam hominis animã. Exemplum adhiberi poteſt de actu entitatiuo in materia prima, qui cum actu formali conficit vnũ per ſe.

De hac te lege Simplicium, maximè in Cõment. 1. libri tertij de Anima, in illa verba, *De parte autem animæ, qua & cognoſcit anima, & ſapit*, & in lib. 2. tex. 21. Philoponum in 3. de Anima tex. 33. Themiſtiũ, qui in eod. lib. id ipſum paſſim aſſerere videtur. Quò etiam iuit Theodoretus, qui lib. 5. de Grǽcor. affect. hæc omninò ſcribit: *His autem prorſus contraria ipſi Pythagoræ, ac Platoni viſa ſunt: intellectum enim diuinam eſſe partem affirmarunt; cum quibus ſenſit, & Nicomachi filius Ariſtoteles: tametſi corruptibilem animam eſſe dixerit: aliud enim eſſe intellectum ab ipſa anima opinatus eſt.* Audi etiam S. Tho. qui hoc ab Stagirite indeterminatũ, ait, fuiſſe relictũ: in opuſc. de Vnitate intellectus, cap. 1. hæc ſcribit: *Quod verò tertiò obijcitur, quod ſi quæretur, ſenſitiuum, & vegetatiuum eſſe ab extrinſeco, non eſt ad propoſitum. Iam enim patet ex verbis Ariſtotelis, quod ipſe hoc indeterminatum reliquit: Vtrum intellectus differat ab alijs partibus animæ, ſubiecto, & loco, vt Plato dixit, vel ratione tantum. Si verò detur, quod ſint idem ſubiecto, ſicut verius eſt &c.* Quæquidem contemplatio, ſi ad aures Stagiritæ iudicatur; tunc eum, in Platonis ſententiã de immortalitate, & antegreſſione animorum, vel pedibus iuiſse omninò fatendum eſt. Hoc fortaſſe diſcrimine, quod ille in vna certa ac determinata corporis parte, nempè in capite τὸ ἡγεμονικὸν, ſeu intellectricem animam collocabat, hic nuſquam determinatè, ſed quaſi prǽcedentium complementum: Atqui hæc, vel indicaſſe ſat.

Cæterùm hæc doctrina affatim falſa eſt; cũ S. Doctor in prima parte, quæſt. 76. artic. 3. & lib. 2. contra Gent. cap. 58. & ſæpè alibi multis oſtendat, nullo pacto in vno homine eſſe plures animas, re & ſubſtantia differentes, ſed vnã duntaxat, & eam quidem intellectiuam. Quæquidem veritas non modò a SS. Patribus nuſquam non defenſatur, vt a S. Auguſt. lib. 10. ſuper Geneſ. ad litt. cap. 12. & lib. de qualitate animæ cap. 33. Damaſcen. lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. 12. Greg. Nyſsen. lib. de creatione hominis, cap. 15. & alijs: ſed inſinuatur quoque a ſacris Concilijs, quæ refert Magiſt. Bannes in prima parte S. Thomæ, quæſt. 76. art. 3. dub. 1. Quanquam autem in huius confirmationem multa afferre poſſemus; interea hoc adduxiſſe ſatis, quia frequenti experientia erudimur, vnam animæ operationem, validius intenſam, præpedire aliam: vt cum quiſpiam vehementer contemplationi intentus, haud aſpicit amicum prætereuntem, aut etiam compellantem: teſtatur Archimedis contemplatio. Et verſa vice dolor corporis, affatim impedit operationem intellectus. Quæ quidem neutiquam obuenirent, niſi principium earum operationum, eſset ſecundum eſsentiam vnum, & idem.

Quæ

Quæ cum ita ſint, facili negotio comprehendes, quo etiam pacto anima intellectrix poteſtate, & eminenter contineat vegetatiuam, & ſenſitiuam, ſicut anima ſentiens eminenter cõtinet vegetatricem. Nam ſpecies, & formæ rerum in vniuerſum differunt ſecundum perfectius, & minus perfectum: quippè videmus, quę anima prædita ſunt, præſtare inanimatis: & animalia, plantis: & homines, mutis animantibus: quod in cauſa eſt, cur Ariſtot. 8. Metaphyſic. tex. 10. aſſimilet ſpecies rerum numeris, qui ſpecie diſcriminantur ſecundum additionem, vel ſubtractionem vnitatis. Et in lib. 2. de Anima, tex. 31. diuerſas animas comparauit diuerſis figurarum ſpeciebus, in quarum vna continetur alia, vt in quadrato quidem triangulus eſt. *Ergo ſicut ſuperficies, quæ habet figuram pentagonam, non per aliam figuram eſt tetragona, & per aliam pentagona, (quia ſuperflueret figura tetragona, ex quo in pentagona continetur) ita nec per aliam animam ſortes eſt homo, & per aliam animal, ſed per vnam, & eandem*, inquit S. Thomas in prima parte quæſt. 76. art. 3. iam adducto.

At Anima, inquies, intellectrix, non eſt eiuſdem rationis, cum ſenſitiua. Dictum eſt, animam bifariam ſumi; ſecundum entitatem, ſuãque ſubſtantiam: tum prout vnà cum materia concurrit veluti principium, ex quibus coaleſcit vnum per ſe, nempè homo: hoc pacto eſt eiuſdem rationis cum ſenſitiua, quantum attinet, quod vtraque eſt forma. Ex quo etiam liquet, cur Intelligentiæ nequeant, cuipiam elargiri an eſſe corporeum, an ſenſitiuum; quia non concurrunt, vt principium, & altera pars ad componendum vnum aliquod per ſe: quãuis in ijs inſint perfectiones rerum corporearũ. Quippè, *quæ ſunt ſparſa in inferioribus, adunantur in ſuperioribus*. Eodem pacto dicendum eſt, de homine reſpectu formicæ.

Poſtremò, neque hoc ignorabis, contineri quicpiam virtute, & eminenter in alio, gemino modo contingere: Vno quidem, vt in cauſa effectiua; alio, vt in cauſa formali. Priori modo Sol continet calorem: poſteriori verò anima intellectrix, continet vegetatiuam, & ſenſitiuam. idcircò Sol non dicitur formaliter calidus: ſed ſolum eminenter. Anima autem intellectiua etiam formaliter eſt ſenſitiua, & vegetatiua. De qua quidem re vide Magiſt. Bannes in prima parte S. Thomæ loco quem dixi: nec ego hic plura.

Ad ſeptimum, Materia prima eſt in potentia naturali ad eas formas, quæ de eius potentia educuntur: eſt etiam ad eas, ad quas ipſa, ita naturalium diſpoſitionum apparatu inſtruitur, ac pręparatur, vt in ea, diſpoſita ac præparata, omninò forma ſit infundenda. Anima intellectiua, etſi non educitur de ſinu gremioque materiæ, nihilominus materia, ita virtute ſeminis, ab homine deciſi vltimò diſponitur, vt in ea, anima intellectrix infundatur omninò neceſſe ſit. Ita, vt quemadmodum materia vltimùm inſtructa, & diſpoſita ad formam V. g. Leonis, neceſſariò ex eius potentia extrahitur forma Leonis; ſic perfectè præparata ad hominis formam, neceſſariò in ea recipitur anima rationalis, deforis adueniens: Atque adeò materia prima, ratione præuiarum, vltimarumque diſpoſitionum, verè eſt in potentia naturali etiam ad animam intellectiuam. Cum verò annectitur, humanam animam, non eſſe veram formã, quia non eſt finis generationis hominis. Immò verò Ariſtoteles in 2. de generatione animal. cap. 3. conceptis verbis eam, appellat finẽ generationis humanæ.

Quippè cum eo loci aſſeruiſſet, *Animam ſenſualem, quâ animal eſt, tempore procedente recipi, & rationalem, quâ homo*, (in græco codice haud ſunt hæc verba. *Et rationalem, quâ homo*. Sed non immeritò ſunt interſerenda) *certum eſt. Non enim ſimul & animal fit, & homo: nec animal, & equus*, ſubnectit: *Finis enim poſtea contingit, proprium autem eſt finis cuiuſcumque generationis; quamobrem de mente etiam dicendum*. In quibus quidem verbis omninò ſubintelligi debet, mentem, eſſe finem generationis hominis: quod liquidò conſpicies, ſi hoc Ariſtotelis Enthymema (proprium eſt finis cuiuſcumque generationis, ergo de mente etiam eſt dicendum) ſoluas in integrum ſyllogiſmum: erit vtique. Quia finis eſt proprium cuiuſcumque generationis, dicimus de illo; Atqui mens eſt etiam finis generationis hominis, ergo de mente etiam eſt dicendum. Enimuerò, niſi minorem hanc ſubintelligas, abſurda planè fuerit Stagiritæ illatio. *Ergo de mente etiã erit dicendum*, de qua quidem interpretatione, vide quæ diximus in Diſputatione 2. ſect. 4.

At finis, inquis, ſicut & forma, eſt natura: Anima verò intellectrix, non eſt natura, vt probat Ariſtoteles in primo de partibus animal. cap. 1. Recolenda eſt animæ rationalis partitio, videlicet ſecundum ſuam entitatem, & quà eſt altera pars compoſiti naturalis: illo modo haud eſt natura, hoc maximè eſt. Et hac ratione

Digitized by Google

tione eius conſideratio pertinet ad philoſophum naturalē. Quiduerò ? non ne homo per animam rationalem ſe mouet ? quippè in eo præter hanc, nulla eſt alia. Atqui id, quo ſe animalia mouent, ecquid aliud eſt, quàm natura? natura .n. eſt principium motus. Tùm prætereà, ex anima intellectrice, & materia coaleſcit vnum compoſitum phyſicum, homo, qui phyſicæ contemplationi ſubditur : compertum actum eſt, eiuſdem ſcientiæ eſſe conſiderare totum, ac partes. Cum itaque Phyſicus contempletur hominem, & eius affectiones, contemplabitur etiam animam intellectricem, eòque hæc erit natura. Ariſtoteles verò dum mentem ait, non eſſe naturam, loquitur de anima ſecundum ſuam entitatem. Sunt qui dicunt eū loqui de mente, & intellectu, prout eſt quædam animæ intellectiuæ facultas, & inorganica.

Ad octauum, animam eſſe vnitam cum corpore, formaliter nec eſt accidens, nec ſubſtantia: ſed modus quidam ſubſtantiæ, qui non incommodè definere poteſt, illæſa incolumique animæ ſubſtantia. Aliqui adhibent exemplū, guttæ aquæ, quæ ſeorſim exiſtens, eſt quoddā ſingulare, ac Indiuiduum: cum alteri aquæ vnitur, definit indiuidui rationem habere, exuitq; modum illum, ex quo quidem principium indiuiduationis ſortiebatur. Ita dicendum, de anima rationali. Cæterùm, vt hoc penitius capiatur, obſeruandum eſt, vnionem animæ cū corpore, trifariam poſſe cōſiderari. Pro actione, qua anima vnitur corpori: Pro relatione, quæ ex materia, & forma vnitis, inter eas ipſas reſultat. Et denique, pro huius relationis fundamento, quod nihil eſt aliud, quàm ipſa materiæ, & formæ cauſalitas: quæ in hoc poſita eſt, vt forma communicet ſeipſam materiæ, actuando, perficiendoque illam; materia verò vt ſubſternatur, viciſſimque recipiat, foueatque formam. Vnio primo, & ſecundo modo, reuera ſunt accidentia: Ex hoc tamen non ſequitur, animam vniri corpori accidentaliter, quia vnio ex accidente, non ſpectatur ex eo, quod actio vniendi, aut relatio ſint accidentia; ſed ex eo, quod vnibilia non poſſint ita vniri, vt conſtituant vnum per ſe, vt videre licet in candore, & pariete. Ex anima verò rationali, & corpore, conflatur vnum per ſe, vt toties dictum eſt; Vnio verò tertio pacto, eſt ille modus, quem quidem anima, cum a corpore ſeparatur, deperdit, ſed non iccircò deperdit aliquid ex ſua ſubſtantia, cum illud eſſe vnitum, non ſit eius ſubſtantia.

Ad nonum, intellectus eſt facultas, quæ totā corporis capacitatem excedit, nec vlli corporeo organo, alligatur, vt dicitur in 3. de Anima; quocirca, ſi preſsè ac propriè loquamur, in nulla corporis parte reſidet, ob id Ariſtoteles loco, in argumento allato, *ne fingi quidem*, ait, *poſſe, quamnam corporis partem occupet intellectus*. Solet autem ſpeciali quadam ratione attribui capiti: non quia ibi determinatè inſideat; ſed quia in cerebro ſunt interiores ſenſus, & phantaſmata, quæ ei, ad ſua munia obeunda deſeruiunt: iccircò peculiari quodam modo eſſe cenſetur in capite. Nulla itaque eſt conſecutio illa; Si anima eſſet forma, quæ corpus humanum actuaret, ergo intellectus eſſet in manu, aut in pede.

At inſurget fortaſſe quiſpiam, tota anima intellectrix eſt in manu: modò illa ſit in toto corpore, & tota in quauis eius parte. Totus intellectus eſt immediatè in anima, ergo totus intellectus erit in manu, atque adeò manus planè, ac plenè intelligit.

Nulla eſt hæc vltima conſequentia: Quippè fac, intellectum eſſe in manu, aut in quauis alia corporis parte, ea ratione, qua ibi reperitur anima intellectiua, in qua immediatè ſubſidet; hinc neutiquam ſequitur manum, aut aliam hominis partem intelligere; cum actiones ſint ſuppoſitorum: quàobrem ſuppoſitum, homo, dicetur intelligere, non hæc, aut illa eius pars.

Verùm, vt penitius appareat, quonam pacto anima, tota reperiatur in toto corpore, & tota in qualibet eius parte, animaduertendum eſt; totum, quod ad pręſens inſtitutum attinet, ſumi tripliciter: tot enim modis dicuntur, & partes, ad quarum habitudinem appellatur totum. Primò enim modo dicitur totum eſſentiale, & eſt id, qđ partibus eſſentialibus, ſeu phyſicis, vt materia, & forma; ſeu metaphyſicis, vt genere, & differentia conſtat. Secundò, totum potētiale, ſeu totum poteſtate, ac virtute: quod videlicet multas vires, ac potentias continet; quaſquidem non ſemel Ariſtoteles in libris de Anima nuncupat partes. Tertiò, totum integrale, ſeu quantum, vt tota ſuperficies, linea, & omninò corpus.

Si itaque loquamur de totalitate primo modo, nempè eſſentiali, nulla anima eſt diuiſibilis cum corpore, ſed eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte. Hoc dictum illuſtrat

S.Tho-

Digitized by Google

S. Thomas quæſt. de Anima art. 10. ad 18. eiuſmodi exemplo: quod ſicut Angelus eſt in toto loco, vt non poſſit dici, pars eſt in hac parte, pars in illa, ſed in qualibet eſt totus; ita anima eſt in corpore; differenter tamen, quia Angelus non informat: anima verò informat corpus in quo eſt. Et ratione quoque conſtat. Et quidem, quod anima ſit in toto corpore; ex eo apparet, quia toti elargitur viuere, ac eſſe: quod verò tota, hac ratione ſit in quauis corporis parte, etiam conſtat, quia in qualibet parte reperitur vera, integraque eſſentia animæ. Immò verò hoc ipſum vides in albedine: *Si n. fiat mentio de totalitate ſpeciei, & eſſentia, tota albedo eſt in qualibet ſuperficiei parte.* Inquit S. Doctor in prima parte, quæſt. 76. art. 8.

Si verò loquamur de totalitate virtutis, nulla anima eſt indiuiſibilis, nec tota in qualibet corporis parte, ſed habet pro diuerſitate corporis, etiam diuerſitatem operationum, & potẽtiarum. Itaque anima, exempli gratia, ſecundũ aſpectum, in oculis; ſecundum auditum, in auribus; ſecundum phantaſiam, in cerebro inſidet. Quodquidem aſſertum ea potiſſimùm ratione manifeſtum fit, quia potentiæ animæ, ex propria natura, & eſſentia, ſunt propter operationem, eòque haud ſunt ponendæ, vbi nunquam poſſunt habere operationem.

Poſtremò, ſi ſermo ſit de totalitate integrali, anima rationalis nullo pacto eſt diuiſibilis extenſaque: nec illi vnquam huiuſmodi diuiſibilitas, an per ſe, an ex accidente conuenire poteſt: quapropter ea, ſecundum hanc totalitatem eſt in qualibet corporis parte. Hoc non competit formis accidentalibus: nam albedo ad diuiſionem ſubiecti, cui inhæret, diuiditur per accidens. Neque etiam animabus animalium imperfectorum, vt lacertæ, quæ etiã ſunt diuiſibiles. Quod verò de anima intellectrice aſſerimus, ita oſtendunt viri docti. Si anima intellectiua, quam ſtatuimus eſse verã hominis formam, eſſet diuiſibilis, & extenſa ad partes humani corporis, abſciſa v. g. manu, vel manet ibi pars animæ, vel non. Quod maneat, dici nequit, quia tunc manus abſciſa viueret. Neque dici poteſt animam, quæ erat in manu, deſinere eſſe; quia tunc foret corruptibilis, (idem enim eſt iudicium de toto, ac partibus:) quod quàm maximè abeſt a veritate: Neque etiam anima, quæ erat in manu, poteſt retrahi ad alias partes, cum huiuſmodi regreſſio dicat motum localem, qui formis non conuenit, niſi per accidens, ratione corporis: ſed tunc nulla pars corporis retrahitur, ergo nec ipſa anima.

Ex his habes qua totalitate, & quomodo anima intellectiua ſit tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte: & cur manus, vel alia corporis pars, haud dicitur intelligere: ſed nũc proſequamur argument. ſolutionem, itaque.

Ad decimum, anima intellectiua, etſi ſit vera humani corporis forma, quia tamen non eſt immerſa materiæ, nec ab ea omninò comprehenſa, ſortita eſt operationem, ſcilicet intellectionem, cui non communicat actio corporalis: per hanc cognoſcit vniuerſalia. Quamuis itaque cæteræ formæ nequeant, quicquam abſque ſua materia recipere, peculiare tamen eſt animæ intellectrici, edere aliquam actionẽ, abſque concurſu materiæ, vt alias fusè expoſuimus. Quod denique Philoſophus in 3. de Anima vocet intellectum, corpori impermixtũ, ab eoque ſeparatum, & ſimplicem; nihil officit: loquitur de potentia intellectiua, non de animæ ſubſtantia. Sed de his attributis, multa diximus in Diſputatione 6. ſect. 2.

Hæc ex Ariſtotelis, veræque Philoſophiæ principijs, pro animæ intellectiuæ informatione dixiſſe ſatis. Nunc illud admoneo, ex fide quoque Catholica tenendum eſſe, humanas animas, eſſe veras, ac informantes hominum formas, & ad eorum numerum multiplicatas. Ita decreuit Concil. Viennenſe ſub Clemen. V. cuius definitio iacet in Clementina vnica de ſumma Trinitate, vbi habetur. Doctrinam omnem, ſeu poſitionem temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectiuæ, verè ac per ſe humani corporis non ſit forma, veluti erroneam, & veritati Catholicæ inimicam, prædicto Sacro Concilio approbante, reprobamus; definientes, quod quiſquis deinceps aſſerere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis, ſeu intellectiua, non ſit forma corporis humani per ſe, & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus. Deinde hoc idem ſanxit Concil. Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 8. damnamus, inquit Sac. Concil. & reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectiuam mortalem eſſe, aut vnicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes; Cum illa non ſolum verè, per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verùm & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine ſingulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda ſit.

Finis Diſp. Quartæ.

DISPVTATIO QVINTA

DE IMMORTALITATE PRINCIPII INTELLECTIVI, ſeu de Anima rationali, ex auctoritatibus Ariſtotelis.

INTRODVCTIO.

Variæ auctorum opiniones exponuntur, quid in hoc quæſito Philoſophus ſenſerit.

IN hac celebri, diuque iam agitata difficultate, omnes auctorum ſententiæ, quicunque hoc argumentum attigerũt; ad tres ſectas commodè reducuntur. Sunt enim qui volunt, Philoſophum, abſque vlla hæſitatione, animum noſtrum, caducum, mortalem, ac diſſolubilem, ſicuti formas cęterorum animantium, rationis expertium, cenſuiſſe. Ita Ariſtoxenes, & Dicęarchus ipſiusmet Stagiritæ auditores, vt auctor eſt Mirandulanus lib. 4. Examinis cap. 1. Et Plutarchus lib. 5. de placitis philoſophorũ cap. 1. quo loci, de Diuinatione per ſomnum loquens, hæc habet. *Ariſtoteles etiam, & Dicæarchus ſomnia quoque ad animi concitationem retulerant: immortalem enim non exiſtimantes animam, ſed diuini alicuius participem, &c.* Ex quibus verbis, Plutarchi etiam mentem, de mente, ſententiaque Ariſtotelis, habes: Eidem adhæſit Andronicus Rhodius, primus librorum Ariſtotelis, & Peripateticæ diſciplinæ inſtaurator.

Quam deinde opinionem; poſt Philoſophi obitum annis circiter quingentis, mordicus amplexatus eſt Alexander Aphrodiſienſis, vir tanti nominis, & auctoritatis, vt eo tempore nemo exiſtimaretur Peripateticus, qui non idem eſſet Alexandræus; vt inter alios teſtatur Auerroes in 3. de Anima, Commen. 14. Et tantum, ſibi auctoritatis in Peripato comparauit, vt Seueri, & Antonini teſtimonio (his quippè regnantibus vixit) ἐξηγητὴς, expoſitor, ſeu interpres fuerit cognominatus, vt ipſemet in libello de fato teſtatũ reliquit. Aliqui cum excuſant, ſed immeritò, vt ipſum acceutatè legenti liquet.

Iuit poſtea in Alexandri ſententiam Galenus, cùm alijs in locis, tùm maximè in Hiſtoria philoſophica, & in lib. de mutua conſecutione animi morum, & corporei temperamenti; vbi intelligere nequit, quare cicuta, & aconitum interimant hominem, animamque expellant e corpore ſi illa eſt immortalis, ac impaſſibilis?

Quinimmò Iuſtinus martyr, ac Philoſoph. in oratione ſua Parænetica. *Platonem*, inquit, *non tam dicere, quàm clamitare, animam omnem immortalem, Ariſtotelem autem huic affixiſſe mortalitatem, cum eam nominet ἐντελέχειαν*, Gregor. Nazianz. Diſput. contra Eunomium acriter carpit Stagiritē, quòd animæ noſtræ immortalitatē ſuſtulerit. Theodot. in lib. de curandis Græcorum affectionibus ſerm. 5. *Immortalitatis animarum noſtrarum crebra fit mentio apud Platonem, quam tamen Ariſtoteles nunquam ſatis concoxit.* Greg. Nyſſen. lib. 2. ſua Philoſoph. cap. 4. & 6. ſcribit Ariſt. aīam humanā

exiſtimaſſe mortalem, quia putauerit, illam eſſe qualitatem: Sed optimè Angelicus Doctor ſecundo contra Gent. cap. 79. ait, hoc imponi Philoſopho, cùm ille animam omnem ſubſtantiam eſſe, pleno ore vbique clamitet, nedum affirmet: & Auguſtinus libro 22. de Ciuit. cap. 2. dicit, Ariſtotelem aſſeruiſſe animã eſſe quintum corpus; Platonem verò nullum; de quo tamen, vide Magiſt. Bannes ſuper primam partem S. Thomæ, quæſt. 75. art. 1.

Et omnò apud veteres Eccleſiæ Patres, hoc nomine malè audiuit noſter Philoſophus, vt ſcribit Dandinus ſuper tertium de Anima Digreſſione tertia, quaſi animorum mortalitatis aſſertor; Caietan etiam ſuper 3. de Anima, capit. 2. tenuit, Ariſtotelem humanam animam cenſuiſſe mortalem, vbi etiam Doct. Angelici rationes, ac interpretamenta, ad textum Philoſophi data, diluere, ac eneruare, quamuis incaſſum, enititur. Huc deinde præcipites iuere Pomponatius; Simon Portius; Iulius Caſtellanus, & huiuſmodi claſſis, alij; quodque vehementius dolendum eſt, hac noſtra tempeſtate, fœdam, ac procelloſam tempeſtatem, in audientium animis, præter omne æquum excitãt, neſcio qui, quos quidem; *ſed motos præſtat componere fluctus*.

Secunda ſecta eorum eſt, qui Philoſophi mentem, hac in parte dubiam, & ancipitem fuiſſe exiſtimant: ita, vt non magis ille animæ mortalitati, quàm immortalitati videatur fauere. Enimuerò nunc quidem ad huius immortalitatem; interdum verò, vt res ipſa, & quod tractabat argumentum poſcere videbatur, ad eiuſdem deflexit interitum: quò fit aiunt, vt ex eius principijs, diuerſa, atque contraria elicìantur: quòd ex quibuſdam anima rationis cõpos planè morti ſubiaceat, ex alijs verò, eadem ab omni corruptione immunis vindicetur. In hac ſententia fuit Scotus in 4. ſentent. diſtinct. 43. quæſtione 2. quamuis quolibeto 12. aliò videatur flecti. Heruæus in primo ſentent. diſtinct. 1. quæſt. 1. & in quolibeto 1. quæſt. 11. Auguſtinus Sueſſanus in ſuo aduerſus Pomponatium libro, cap. 1. vanitatis arguit Pomponatium, quòd de animæ immortalitate quæſtionem ex mente, ſententiaque Ariſtotelis, tractaret; cum is, inquit Sueſſanus, nihil certi, nihil conſtituti hac de re decreuiſſet, ſed obiter duntaxat fuiſſet locutus; & tamen ipſe aſſerit Pomponatiũ, a ſententia Ariſtotelis longè recedere, dum animam ex ſententia ipſius mortalem eſſe contendit. Hanc opinionẽ, alij quoque amplectuntur; quos referre parum retulerit.

Tertia opinio, quæ complures, & illos quidem in omni ætate egregios, ac præclaros habuit fautores, eorum eſt, qui concordi voce affirmauerunt, Ariſtotelem, animæ noſtræ immortalitatem conſtantiſſimè tenuiſſe, eamque ſuis in libris, & aperuiſſe, & non leui etiam ratione probaſſe.

Et ſi quicquam hac in parte auctoritas cuiuſquam vindicat, vindicet ſanè, & quidem plurimum Theophraſti, quem Philoſophus an intima quadam familiaritate, an cognatione, ſibi coniunctum, iam extrema ſpirans, & bibliothecæ, & gymnaſij, & Peripateticæ ſectæ, & penè dixerim diſciplinæ, doctrinæque ſuæ ſucceſſorem, defenſoremque voluit, ſuique loco diſcipulis dedit: vt Laertius in vita Theophraſti, & Aul. Gell. libro 13. cap. 5. Quid verò Theophraſtus animam profectò humanam, immortalem, atque perpetuam aſſerit, vt refert Priſcianus Lydus in libro de Senſu, phantaſia, & intellectu: ex quo etiam, intellectum agentẽ (quẽ omnes immortalem ponunt) ſtatuit partem eſſentialem animæ noſtræ, vt inter alios, retulit Hieronymus Pontanus lib. 5. de immortalitate animæ, cap. 2. & nos ſuo loco.

In eadem ſententia, deinde fuerũt alia præclariſſima Græciæ lumina: Philoponus (de Themiſtio ſuo loco dicam) paſſim, & præcipuè in declaratione primi textus lib. 3. de Anima. Vide ſuper text. 65. 1. de Anima; *quamobrem* (inquit) *illi calumniantur, ꝙ Ariſt. rationalem animam mortalem dicere ſuſpicantur*, & in Comment. tex. 66. *dementes*, ait, *omninò eos eſſe, qui Ariſtotelem dicunt, mortalem hanc animã eſſe iudicaſſe*; Simplicius in 1. de Anima, tex. 65. & 3. de Anima, tex. 20. Ammonius, Priſcianus Lydus; Olympiodorus, & ſexcenti alij: Vnde Proclus vir egregiè doctus, ſuper Platonis Timæum, non ſolum, ait, Platonicos, verùm etiam Ariſtotelẽ ipſum animam rationalẽ, procul ab omni mortalitate poſuiſſe. Phlethon Platonicus, Græcorum peritiſſimus, loquens de Ariſtotele in eo libro, quem de anima, edidit; hæc habet: *ſine controuerſia, Ariſtoteles hominum animos immortales, ac ſempiternos tenuit: nolo autem verba Ariſtotelis peruertere, etſi ipſe verba Platonis, & cæterorum philoſophorum peruerterit.*

Inter latinos, Angelicus Doctor ſuper 3. de Anima paſſim: & lib. 2. contra Gent. cap. 79. &

8. Phyſic.

8. Phyſic.lect.12.& quolibeto 10.quæſt.3.art. 1.& vbicunque hac de re ſermonem habet. Ita eiuſdem pręceptor Albertus, cognomento Magnus, tùm alijs in locis, tùm maximè ſuper 3.de Anima cap.2. Hi omnes, atque multi alij, quos percenſere longum foret; concordi ſuffragio ſuſtinent, Stagiritem determinatè, conſtanterque tenuiſſe, animã noſtram immortalem, atque perpetuam.

Verùm eſt, auctores huius tertiæ ſententiæ in eo, inter ſe diſcrepare, quòd eorum aliqui, hanc hominis animam, quam eſſe immortalẽ affirmant, non eſſe formam hominis informantem, ſed aſſiſtentem ſolummodò arbitrati ſunt. Alij longè rectius, hanc animam, quam ex ſententia Ariſtotelis, interitus expertem omninò ſtatuunt, & eſſe ſingularem, atque vnam in vno homine, & formam verè informãtem: Tum etiam in aliquibus alijs non nihil diſcriminantur. Quæ omnia ſuas proprias habent ſedes; in quibus a nobis erunt examinanda. Id in præſentia ſufficit, omnes huiuſce tertiæ opinionis ſectatores, in eo conuenire, quod Ariſtoteles animam rationis participem, indiſſolubilem, ac immortalem exiſtimauerit. Iam verò, vt perplexum hunc, atque Gordiano (quod aiunt) magis complicatum nodum, pro viribus enodemus, ex vſu fore exiſtimo, totum hoc argumentum, in duas Diſputationes ſecare; ne diſceptationis prolixitas, perpetua ſatietatis mater, an tædium, an obſcuritatem vllam legentibus pariat. Agam itaque in priore, nempè in præſenti ſolummodò auctoritatibus Philoſophi, cùm in aduerſariorum argumentis conficiendis, tùm in conſtituenda, & confirmanda ſententia noſtra: præſertim verò, quia circa aliquas Ariſtotelis auctoritates, haud pauca nobis, ex Græco fonte adnotanda occurrunt, quæ a nemine, (quod equidem ſciam) video animaduerſa. In altera verò, quæ huic proximè ſuccedit, ſolis eiuſdem Philoſophi fundamentis innixus, eiuſq; diſſerendi modo, ediſſeram: Sit igitur.

SECTIO PRIMA.

Quomodo Philoſophi auctoritatibus probari poſſe videatur, animam humanam eſſe mortalem.

PRIMO, Ariſtot.lib.1.de Anima tex.12.inueſtigãs, num animæ ſit propria aliqua operatio, an verò omnes ſint habentis hæc haber. *Maximè autem videtur proprium, ipſum intelligere, ſi autem eſt, & hoc imaginatio quædam, aut non ſine imaginatione, non continget vtique hoc ſine corpore eſſe: ſi igitur eſt aliqua animæ operatio, aut paſſionum propria, continget vtique ipſam ſeparari: ſi verò nulla eſt propria ipſius, non vtique erit ſeparabilis.* Atqui anima hominis, nullam vnquam operationẽ, ita propriam habet, quæ non a corpore dependeat, vt clarè docuit idem Philoſophus 3. de Anima, tex.39. *& ob hoc* (inquiens) *qui non ſentit aliquid, nihil vtique addiſcet, nec intelliget, & cum ſpeculetur, neceſſe eſt ſimul phantaſma, aliquod ſpeculari*: ergo ſequitur (inquit Pomponatius) concluſio ab eodem Ariſtotele tacitè pronuntiata, animam non eſſe a corpore ſeparabilem.

Secundò, intellectus nihil intelligere poteſt ſine facultatibus præparantibus, ſaltem phantaſia, & memoria: nihil enim in intellectu eſſe quit, quod non prius in aliquo ſenſuum fuerit. Hinc etiam Ariſtoteles 3. de Anima aiebat animam, nihil intelligere ſine intellectu paſſiuo; id eſt cogitatiua, vt eſt communis interpretum ſententia. Virtutes autem, & facultates haſce præparantes, corruptibiles, ac mortales eſſe, nemo eſt, qui non clarè diſpiciat, cum ſint vires animæ ſenſitiuæ, atque organicæ: quo etiã fit, vt illæ ſint nobis communes, cum cęteris animantibus: ergo illis corruptis, nullo pacto poterit aliqua intellectio, aut elici, aut remanere; quare nec etiam anima poterit ſupereſſe: nam impoſſibile eſt, eſſe aliquam ſubſtantiam, cuius nõ ſit quædã operatio; alioquin illa foret otioſa, ac fruſtratoria, vt in 9. Diuinorum cap.7. inſtruimur. Otioſum autem non dari in rerum natura, docet Philoſophus, primo de Cęlo, tex. 32. & in ſecundo de Cęlo, tex.50. & 59. & in 3. de Anima, tex.45.

Tertiò: Ariſtot. ſecundo de Anima text.6.

Digitized by Google

Definiens animam in communiſſima ratione, ait, *Anima eſt actus primus corporis phyſici, organici, potentia vitam habentis*. Atqui impoſſibile eſt, actum corporis phyſici, poſſe citra phyſicum corpus, quod actuet, perficiatque cohærere: nam perfectio alicuius, implicat, vt ſit abſque eo, quod perficit, vt inquit Alexander Aphrod. libro primo de Anima, cap. 4. Si enim ſeparetur, cuiuſnam erit actus, & perfectio? Tùm etiam, quia terminus alicuius, nequit eſſe ſine illo, cuius eſt terminus, cum eſſentia eius ſit terminare, ſic ergo, & anima, quoniam eius eſſentia per definitionẽ Ariſtotelis explicata, eſt eſſe corporis actum, & illud perficere, non poterit eſſe abſque illo.

Huc attinet, quod ad cuiuſcunque remotionem, remouetur definitio; remoueri debet, & definitum; quia, cum definitiones quidditatiuæ hauriantur ex proprijs principijs, quæ ſunt in re, vt loquitur Auerroes in primo Phyſicorum commen. 5. Et in ſecundo Phyſic. commen. 25. Et in primo de Anima commen. 5. remotis autem alicuius rei principijs, illa quoque remoueatur; liquidò conſequitur, vt remota cuiuſpiam definiti definitione, ipſum quoque definitum remoueatur. Sed anima definitur per corpus; eſt enim actus corporis; ergo remoto corpore, remouetur eius definitio, atque adeò ipſum definitum, ſcilicet anima, de medio tolletur. Præterea, hoc ipſum expreſſius aperitur, voce illa græca ἐντελέχεια, Entelechia, quam quidem Ariſtotelem, vt in hac parte, mentem ſuam explicaret; primum omnium finxiſſe nouimus. In qua quidem vertenda, Hermolaus Barbarus, & plerique alij, minimè contenti communi illa verſione, vt Entelechia dicatur actus, forma, ſeu ſpecies, vt majorem aliquam energiam exprimerent, tranſtulerunt *perfectihabiam*, hac ſolũ mente, vt actuale iſtuc, quod Entelechia facit, actuare, ac perficere corpus, exprimerent; ergo implicat eſſe formam, ſine eo, quod actu actuet, & perficiat.

Tũ præterea, Omnis forma eſt eſſentia rei, cuius eſt forma, nam forma dat eſſe rei, & illam in ſpecie determinata conſtituit, & ſic forma eſt eſſentia rei compoſitæ; ergo implicat, vt deſtructa illa re compoſita, maneat eius forma: conſecutio liquet, quia ſi maneret forma, nimirum hominis, maneret eſſentia eius: manente autem eſſentia alicuius rei, manet etiam res illa; vnde, ſi deſtructa re aliqua compoſita, forma eius maneret; res illa deſtrueretur, & non deſtrueretur.

Ad extremum, actus eſt relatiuum ad potẽtiam: relatiua autem, à ſe inuicem ſeiungi haud vnquam poſſunt, ex Ariſtotele libro 3. Phyſic. tex. 17. Item, quarto Phyſic. tex. 17. volens Philoſophus probare, locum non eſſe formam, dicit; Locum ſeparari ab eo, cuius eſt locus; formam verò non ſeparari ab eo, cuius eſt forma.

Quartò, Ariſtoteles 12. Metaphyſ. tex. 39. loquens de prima intelligentia Deo; hęc habet; *Degentia verò, qualis nobis pauco tempore, optima illi eſt*; ita iacet in textu latino: Verius ex græco; Degentia, ſeu ſtatus, talis eſt, qualis eſt nobis illa optima paruo tempore: ſic enim gręcè διαγωγὴ δ᾽ ἐστὶν, οἵα ἡ ἀρίστη μικρὸν χρόνον ἡμῖν. Optimum autem ſtatum, & degentiam in nobis, vocat hic Stagirites eam, cum nos intelligimus, & contemplamur, in qua fęlicitatẽ, quoque humanis collocauit, vt videre licet lib. 10. Ethic. & ex eodem tex. 39. citato apertè colligitur. Ex quibus id habes, intellectionem, & contemplandi actionem, ineſſe nobis quidem paruo, ac perexiguo tempore: primæ verò intelligentiæ, ſeu omnibus intelligentijs perpetuo, ac ſempiterno: Et hoc eſt, quod explicat ibidem Philoſophus; *Siquidem ita ſemper illud eſt*, in optima nimirum illa contemplandi degentia. Atqui, ſi anima noſtra eſſet immortalis, ac ſempiterna; falſum eſſet, intellectionem ineſſe nobis paruo tempore, primę verò intelligentiæ perpetuò; ſiquidem ita nos poſt mortem haberemus illam ſempiternam, quemadmodum & intelligentiæ: quippè, ſi maneret anima, non maneret otioſa.

Quintò, Philoſophus in calce primi libri de Phyſica auſcultatione; cum aſſeruiſſet primæ Philoſophiæ munus eſſe, agere de principio ſecundùm ſpeciem; hoc eſt, de primis formis, ſubiungit *De Phyſicis autem, & corruptibilibus formis, in poſterius demonſtrandis dicemus*. Sed anima humana eſt forma phyſica, & de ea egit poſterius, in his ipſis phyſicorum libris: nam libri de Anima, ſunt pars phyſicæ conſiderationis; quod adeò certum eſt, vt Ammonius apud Philoponum libro tertio de Anima, exiſtimauerit, ſe peraptè aduerſus Alexandrum concluſiſſe, intellectum agentem (cuius conſideratio inſtituitur 3. lib. de Anima,) non eſſe, Deum, quia eum contemplari, eſt opus primæ Philoſophiæ; ergo, Philoſ. animam rationis compotem, inter formas caducas, ac diſſolubiles collocauit: atq; adeò eam cenſuit mortalẽ, quem-

Digitized by Google

quemadmodum ſunt reliquæ animantium formæ, *quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit*, & 2. Phyſic. tex. 12. expreſsè ait, *formam, & ſpeciem, non eſſe ſeparabiles, niſi ſecundum rationem*; ergo &c.

Sextò, Ariſtoteles libro de Phyſica auſcultatione octauo, tex. 52. Cum dixiſſet, non idem eſſe moueri ſecundum accidens à ſe ipſo, & moueri ab alio: huius diſcriminis rationem aſſignans, ait, *moueri enim ab alio, & eorum, quæ ſunt in Cęlo, quibuſdam principijs ineſt, quæ ſecundum plures feruntur lationes; alterum autem* (ſcilicet moueri a ſe ipſo per accidens) *in corruptibilibus ſolum*. Ex quibus liquidò conſtat, moueri ſecundum accidens a ſe ipſo, ineſſe ſolum rebus corruptibilibus. Anima autem humana mouendo corpus, mouetur etiam ipſa per accidens, & quidem a ſe ipſa, quod apertè teſtatur idem Ariſtot. libro, quem nuper citaui tex. 51. Et primo de Anima, tex. 61. Et tex. 43. & multis alijs in locis; ergo anima humana eſt corruptibilis.

Septimò, Ariſtot. ſecundo de Anima, text. 15. agens de anima vegetatiua, hæc omninò litteris cōſignat. *Separari autem hoc*, (ſcilicet animam vegetatiuam) *ab alijs*, nimirum ſenſitiua, & rationali, *poſſibile eſt; alia autem ab hoc, impoſſibile immortalibus*; Ex quo ita concluditur; anima vegetatiua, non poteſt ſeparari a corpore, vt omnes fatentur: Atqui anima, particeps rationis, nequit a vegetatiua ſeiungi, vt in textu dicitur; hæc igitur nequit a corpore ſeparari, ſed vnà cum illo interit. Huc facit, quod in eodem libro tex. 22. Expreſsè Philoſophus docet, animam vegetatiuam, ſenſitiuam, & intellectiuam, ſola ratione ad inuicem diſtingui, qđ quidem & nos alibi latè probauimus: Compertum autem eſt, eorum, quæ ſola ratione ſeiunguntur, vnum abſque alio eſſe non poſſe: ergo cum vegetatiuum, & ſenſitiuum a corpore ſeparari nequeat, nec etiam ab eodem corpore ſeparabitur intellectiuum.

Octauò, Philoſophus ſecundo de Anima, tex. 26. reprehendit Veteres Pythagoricos, & Platonicos, quòd animam, vel ſine corpore, vel corpus eſse poſuerint: & commendat eos, Empedoclem, Democritum, & Epicuræos, qui huius oppoſitum affirmauerant, *Et propter hoc*, (inquit) *benè opinantur, quibus videtur, quod neq; ſine corpore eſse, neque corpus aliquod, anima: corpus quidem non eſt, corporis autem aliquid eſt: &* *propter hoc in corpore eſt, & in corpore huiuſmodi*. Et huius rei rationē aſſignat, *quia actus vniuſcuiuſque, in eo, quod potentia exiſtit, & in propria materia aptus eſt fieri*: ergo qui animam ponunt, ſine corpore, e regione aduerſantur Ariſtoteli.

Nonò; Ariſtoteles in libro de longitudine, & breuitate vitæ, cap. 2. conceptis verbis aſſerit, animam corrumpi, corpore diſſoluto: Sic enim. *Si namque anima non eſt ſecundum naturam, ſed quemadmodum ſcientia in anima, ſic & anima in corpore, erit vtique ipſius, & alia corruptio, præter corruptionem, qua corrumpitur*: ecce corrumpitur, *corrupto corpore*. Expectas quicquam clarius?

Decimò, Philoſophus pluribus in locis aſſerit, animam, & mentem noſtram, pati, hebetari, marſeſcere cum ipſo corpore. In primo de Anima tex. 66. habet; *ipſum igitur intelligere, & ipſum ſpeculari, corrumpitur, alio quodam interius corrupto*: ſiuè illud interius, ſit imaginatio, vt S. Thomas interpretatur; ſiuè, vt ex contextu videtur colligi, ſit ipſum principium intellectionis; illud ſufficit, quod iſtuc, quidquid eſt, corrumpitur: eoque diſſoluto, corrumpitur etiam ipſum intelligere. Idem habetur 2. de Anima, tex. vltimo, *Multa ſecundum ſenſus animalia faciunt; alia quidem, quia non habent intellectum, vt beſtiæ: alia verò, quia obruitur aliquando intellectus paſſione, aut ægritudine*. Iacet hoc ipſum ſcriptum libro ſecundo Politic. cap. 9. quo loci habetur *mentem ſeneſcere, quemadmodum ſeneſcit, & ipſum corpus*. Quo etiam facit Democriti illud *ὁ νοῦς συνηβᾷ, καὶ συγγηράσκει τῷ σώματι*, hoc eſt, mens coadoleſcit, & conſeneſcit ipſi corpori. Cum itaque animi, cum corporibus noſtris floreſcant, ac defloreſcant; Cum intellectus aliquando paſſione, & ægritudine obruatur; cum ipſum intelligere corrumpatur; alio quopiam interius corrupto: qui vnquam poterint eſſe impaſſibiles, atq; immortales? Quiduerò? non ne Stagirites in principio libri Phyſiognomicorum, multis proſequitur, aperitque, animas ſequi corpora, vnàque cum illis pati? ac verſa vice corpora vehementer compati animæ paſſionibus? quapropter euidenter apparet, cum eſſe inter animam, & corpus naturæ nexum, ambo vt vnà oriantur, vnà vigeant, vnà decreſcant, vnà denique concidant, & commoriantur.

Vndecimò, Philoſophus in primo Ethic. libro cap. 11. acriter in Solonem inuehitur, quòd hominem non eſſe, niſi poſt extremum diem, fœlicẽ affirmarit. Quippè Solon accerſitus quondam à prædiuite illo Lydorum rege Crœſo, & liberaliter, magnificèque acceptus: gaza, ac theſauris omnibus apertis, ac perluſtratis; tandem ab eodem Crœſo his omninò interrogatur. *Ecquid vides, Solon, habeſne dicere, hominẽ me beatiorẽ?* Cui Græcus, abſq; vlla cũctatione prætulit Telum quendam, hominẽ modicæ quidẽ ſortis, ſed ea contentum, & duos alios, qui vita benè acta, defuncti erant. Indignatur Rex; & nos, quo, inquit, loco ſumus? tunc Solon; *haud facilè dixerim Rex, nec fas etiam beatum cenſeri, qui in his vitæ fluctibus iactatur, donec miſit in portu;* Quod expreſſit Ouid. 3. Metamor.

. . . . ſcilicet vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt: dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Et Solon Auſonij; *Dico tunc vitam beatam, cum peracta facta ſunt;* Hiſtoria nota, vel ex ipſo Plutarcho in vita Solonis. Hanc itaque Solonis ſententiam carpit Philoſophus. Immeritò autem carpſiſſet, ſi in eius ſententia, anima eſſet immortalis; ſic enim poſt fata, verè poſſet eſſe beata. Quinimò tota Stagiritæ aduerſus Solonem reprehenſio, eò ſpectat, quod poſt mortem, nihil remanet, atque adeò, nec fœlicitas vlla. Id ipſum comprobatur ex verbis Ariſtot. ibidem *fœlix ne, inquit, tunc erit aliquis, vbi mortuus fuerit, an hoc abſurdum penitus eſt, apud nos, qui fœlicitatem operationem quandam eſſe dicimus?* vbi apertè docet, poſt mortem, nullam vnquam eſſe operationẽ, ideòque nullam fœlicitatem: immò hoc aſſerere, exiſtimat penitus abſurdum.

Duodecimò; In tertio Ethic. cap. 9. cum Philoſophus quæſiuiſſet, circa qualia terribilia fortis verſetur: dixiſſetque, eum verſari circa maxima: ſubiectit *Mors autem maximè omnium rerum eſt horribilis: quippè cum terminus ſit, nihil amplius homini mortuo, neque bonum, neque malum eſſe videatur.* Quod ſi anima intellectrix corrupto corpore, remaneret ſuperſtes; nonne illa boni cuiuſpiam, aut mali, particeps neceſſariò effici deberet? deberet ſanè. Cum igitur Stagirites apertè clamitet, extincto homine, nec boni, nec mali quicquam ſupereſſe; illud profectò liquidò ex eius ſententia conſequitur, poſt animal, nec animam, nec quicquam illius remanere.

Decimo tertiò; Philoſophus in Problem. ſect. 14. problem. 1. adducens cauſam, quamobrem ij, qui in nimio, vel æſtu, vel frigore degunt, efferis, & moribus, & aſpectibus, ſint? inquit, optimam temperiem, non corpori ſolum, ſed etiam intelligentiæ, mentique prodeſſe. *Exceſſus autem omnes dimouere: &, vt corporis, ita etiam mentis temperamentum peruertere.* Quòd ſi mentis temperamentum exceſſu frigoris, vel æſtus peruertitur, ac diſſipatur; vtiq; ipſa quoque tandem aliquando corrumpetur. Adhæc, in ſectione 3. Problem. 4. mentem, ait, lædi, ac lacerari: eius hæc ſunt verba, *ita etiam mens non protinus, ſed in ſenectute maximè nobis contingit, niſi detrimento aliquo lacera, læſaq; ſit, quemadmodũ cætera quoque naturæ opera.* Quòd ſi mens, ac intellectus læditur, ac laceratur, tandem diſſoluatur neceſſe eſt.

Poſtremò, quia, vt nonnulli retulerunt, Ariſtoteles compilauit, ediditque libellum, neſcio quem, cui indiderat nomen, de morte animæ: vt inter alios refert Vincentius Caprinian. lib. de Animæ immortalit. in argumentis contrarijs, ratione trigeſima. Cum itaque librorũ inſcriptiones, a rebus ipſis, de quibus agitur, eſſe ſui conſueuerint, proculdubio in illo opere interitus animæ explicabatur: quare non eſt, cur ambigamus Ariſtotelem, certò conſtanterquè animam rationis, atque conſilij compotem, feciſſe caducam, atque mortalem. Hæ ſunt auctoritates, quibus ψυχόθνητοι καὶ φιλοσώματοι non nulli conuincuntur, vel ſe conuinci diſſimulant; ac ne ſoli animorum noſtrorum impij parricidæ viderentur; grauiſſimum hunc auctorem, Stagiritem, ceu patrocinantem contruſerunt; haud intelligentes, peruerſi, iniquique animi eſſe, prauam aliquam opinionem illi adſcribere, in cuius ſcriptis, nulla eius aſſertio habeatur: quod vt clarè, penitusque introſpicias, ſit,

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

Philoſophi teſtimonijs euidenter oſtenditur animæ intellectiuæ Immortalitas, Ex primo lib. de Anima.

IMmortalitatem animorum elici, atque haberi, ex Philoſophi auctoritatibus, ita vt is determinatè, conſtanterque tenuerit, animam hominis intellectiuam, ſecundum ſuam ſubſtantiam, indiſſolubilem, perennemque eſſe, vel ex his, quæ hic ſubijciam, quiſquis es, diſpice, ac diſce: Idque non per obliquas, ac meandricas, neſcio, quas conſequentias; ſed per apertas (aut ego fallor) & claras. tute æqua iudicij lance perpendito.

Atque ego quidem primo loco, ijs ipſis armis, illo ipſo duodecimo textu, ex primo de Anima deprompto, quo aduerſarij contra nos vſi ſunt, aduerſus eos, nec inualidè pugno. Eo igitur loci proponens Stagirites varias difficultates, quæ in acquirenda ſcientia de anima ſuboriuntur; hanc quoque annectit. Omnes ne actiones, ac paſſiones ſint communes habentis, an verò aliqua ſit propria animæ? Atq; diuidens actiones, & paſſiones, ait, quaſdam videri totius, quaſdam autem ſolius animæ: vtrũque illuſtrat exemplis: Exemplum primi generis ponit, *iraſci, confidere, deſiderare, & omninò ſentire.* Exemplum ſecundi generis *intelligere*. Q̃d autem intelligere ſit actio propria ſolius animæ, comprobat hæc omninò ſubnectens. *Si verò eſt, & hoc phantaſia quadam, aut non ſine phantaſia, non contingeret vtique:* (ſic enim eſt legendũ, vt mox oſtendam) *& hoc ſine corpore eſſe; ſi igitur eſt aliqua animæ operatio, aut paſſionum propria, continget vtique ipſam ſeparari: ſi verò nulla eſt propria ipſius, non vtique.* (rurſus nota) *eſſet ſeparabilis.*

In quibus verbis duæ Philoſophi enunciationes ſedulò veniunt adnotandæ. Altera; *non contingeret vtique, & hoc ſine corpore eſſe:* in qua quidem vertenda, latinus interpres offendit: tranſtulit, *non continget vtique:* malè, contingeret; nam græcè *οὐκ ἐνδέχοιτ' ἂν οὐδὲ τοῦτο ἄνευ σώματος εἶναι*, quod verto; non contingeret vtique, neque hoc, nimirum intelligere, ſine corpore eſſe. Altera eius propoſitio. *Si verò nulla eſt propria ipſius, non vtique eſſet ſeparabilis.* Latinus interpres; ſi autem nulla eſt eius propria, *non vtique erit ſeparabilis*. Parum ſanè, nam græcè *οὐκ ἂν εἴη χωριστή*, non vtique eſſet ſeparabilis; quippè ſi exprimere voluiſſet, *non vtique erit ſeparabilis.* dicendum erat *οὐκ ἔσται*, aut *οὐκ ἔσεται χωριστή*. Sermonis itaq; proprietas eſt: *non contingeret vtique neq; hoc*, nẽpè intelligere, *ſine corpore eſſe*. Et, *ſi verò nulla eſt propria ipſius, non vtique eſſet ſeparabilis.*

Hinc cape, Stagiritem in præfatis enunciationibus, re ipſa, & de facto, (quod aiunt) ſupponere, intelligere noſtrum, poſſe eſſe, ſine corpore, & animam ipſam ab eius ſocietate, ſeiungi: quod ex modo loquendi conſpicuum eſt; non ſecus, ac ſi dixiſſes. Si Princeps huius ciuitatis eſſet ſeuerus, non contingerent vtiq; in populo huiuſmodi delicta: hic profectò, vel ex ipſo dicendi modo, ſupponis, re ipſa in populo contingere, immò contigiſſe delicta. Sic Philoſophus ſupponit intelligere noſtrum, poſſe abſque corpore eſſe. Et animam ipſam contingere ſeparari: atque hinc argumentatur ad oſtendendum aliquam operationem, ſcilicet, intelligere, eſſe ſolius animæ, idque, hoc pacto.

Si intelligere non eſſet propria operatio ſolius animæ, illud non poſſet eſſe abſque corpore: Atqui contingit illud eſſe ſine corpore, ergo hoc, eſt propria animæ operatio. Quod ſi anima habet propriam operationem, habebit quoque eſſe, quod a corpore non dependet: atque adeò immortale. Quam conſecutionem intulit idem Stagirites, inquiens; *Si igitur eſt aliqua animæ propria operatio, continget vtique illam ſeparari.* Habes, quo pacto Philoſophus, & propriam operationem aſſignat animæ, idque probat, & quomodo illam ſupponit ſeparabilẽ, atque immortalem.

Sed hic mihi obſtrepet nõ nemo: noua hęc, & abſona eſſe, quippè iuxta communem omnium interpretum explanationem; Ariſt. nihil in præfato textu determinat, nec quicquam certi, aut conſtituti pronunciat, nedum probat: ſed ſolummodo eas tangit difficultates, quas infra proprijs earum ſedibus, acuratè erat explicaturus: quod etiam in cauſa fuit, cur ille conditionali illa particula, *ſi verò, &c.* ſit vſus: quamobrem omninò extra propoſitum eſt, animæ immortalitatem, ex hoc textu elicere, vel potius extorquere conari.

Fateor equidem, dictam animaduerſionem, & argumenti conſtructionem, nouam eſſe: nec

enim

enim hucuſque, quod ſciam, à quoquam reperi tactam. ſed non ideò abſona; quinimò apprimè conſona, & ad mentem Philoſophi vehementer accommodata: præcipuè, quia eius ſenſum multò reddit clariorem. Et quod hic ex modo loquendi ſupponit, id in tertio huius operis libro, acti inueſtigatione, ac diſputatione decernit, vt & nos ex illo, ſectione 4. huius Diſputationis videbimus: tum etiam, quia ex græco fonte cadit, ne lato quidem vngue detorta, ad quem perpetuò, quiſquis ſapit, confugere debet.

Veruntamen fac, Ariſtot. in hiſce textibus, nec quicquam determinare, nec ſupponere, ſed ſolum conditionaliter loqui: adhuc locus iſte pro noſtra ſententia ſtat. ſic .n. de ipſo intelligere iacet, vt, & ſecundum textum latinum, & ſecundum eorum appetitum legamus. *Si autem eſt, & hoc imaginatio quadam, aut non ſine imaginatione, non continget vtique hoc ſine corpore eſse:* vbi tamen nec affirmat, nec deſtruit minorem huius conditionalis, nempè intellectio, ſit ne imaginatio, nec ne? & poſſit ne eſse ſine imaginatione, nec ne? ſed vtrumque in libro ſecundo, & tertio determinandum reiecit: Tunc ita progredimur. Deſtruxit primam partem præfatæ conditionalis: *ſi intelligere eſt imaginatio quadam:* in ſecundo libro, vbi à textu 152. vſque ad tex. 155. multis oſtendit intelligere non eſſe imaginationem, vt in tex. 153. ad hæc omninò ſcribat. *Imaginatio enim aliud eſt, & à ſenſu, & à ratiocinatione; hæcque non fit ſine ſenſu, & ſine hac, nõ eſt exiſtimatio: Quod autem, non eſt eadem intellectio, & exiſtimatio, manifeſtum eſt.* Et tex. 152. *Quod igitur, non idem ſit ſapere, & ſentire, manifeſtum eſt, ſed neque intelligere:* quibus quidem verbis, euidenter oſtendit, intelligere, haud eſſe imaginationem quandam, quod etiam lib. 3. tex. 4. & inde præſtitit, quando intellectum à quocumq; ſenſu ſegregãt, ſeparatque. Et profectò Intelligimus vniuerſalia, vt inquit Ariſt. primo de naturali auſcultatione, tex. 49. imaginamur verò tantummodo ſingularia, quod etiã Ariſt. eodem loco ait, repetitque in quinto libro Metaphyſ. tex. 16. His ita præiactis, ſic cõſtruo argumentum. Si intelligere eſt imaginatio quædam, non erit ſeparabile à corpore, ſi verò non eſt imaginatio, erit vtique ſeparabile: vt in primo de anima dicitur; Atqui non eſt imaginatio; quod oſtenditur in locis adductis libri ſecundi: eſt igitur ipſum intelligere à corpore ſeparabile: atque adeò anima etiam ipſa, cuius actio intelligere eſt.

Iam verò quid offeres, dicet aliquis, ad alteram præfatę enuntiationis partem? nempè, ſi intelligere non eſt ſine imaginatione, haud erit ſeparabile. Atqui non eſt citra imaginationẽ, ac phantaſiam; cum *oporteat intelligentem phantaſmata ſpeculari, & ob hoc, qui non ſentit aliquid, nihil vtique intelliget.* Ex tertio de Anima tex. 39.

Hic eſt Alexandræorum Achilles; hoc illi quaſi ſeptemplici clypeo tecti, tanta animorum contentione, in hac Mortalitatis militia, ſibi dimicaſſe videntur, vt iam ἐπινίκια canant, & tantum nõ albis inuehantur equis. Ita ne quicquam in ſui peſte, pernicieque efferri? ſic curuæ in terras animæ exiſtimant. Quoniam verò hæc obiectio omninò eadem eſt, atque ea, quã in ſectione proximè præcedenti primo loco conſtruximus; ne tibi iterum, atque iterum eadem videamur offerre, vide quam multa in huius confutationem in ſect. 7. huius Diſput. in ſolutione illius argumenti, tum etiam Diſput. ſequenti ſect. 2.

Interea dico, Ariſtotelem, in tertio de Anima, ſermonem habere de intellectu, qua ille eſt coniunctus cum corpore, non autem abſolutè, & in quocumque ſtatu: quo pacto, vtique opus habet phantaſmatum ope, ſi vult intelligere, ſi non formaliter, ſaltem antecedenter, vt ſuo loco aperiam. Vnde nihil euincitur contra noſtram ſententiam. Præterquamquod, Stagirites in textu illo 39. non ait, eum, qui non ſpeculatur aliquod phantaſma, nihil intelligere (intelligere græcè eſt νοεῖν) vt temerè iacet in textu Latino, & ab Aduerſarijs, quaſi balliſtarium quoddam telum obtenditur. Sed eſt οὐδὲ ξυνίοι, quod eſt, *neque comprehenderit*, vel vt Philoponus exponit, *neque capiet*. Quæquidem operationes, nõ ſunt ſolius intellectus abſolutè conſiderati, ſed prout habet alias potentias, ſibi ſubminiſtrantes, de qua quidem re infra, loco quem innui. Quod ſi cui hæc minimè ſatisfaciunt, perpendat animo, quod illicò aduerſus Philoſophum emergit incommodum. Nam vt dicebamus in argumento, cum intelligere non ſit imaginatio quædam, continngit vtique illud a corpore ſeparari: alia verò ex parte, iuxta aduerſariorum ſenſum, idem ipſum intelligere non contingeret ſeparari, quia non eſſet ſine imaginatione, atq; adeò Philoſoph. in fęda contradictionis caligine verſaretur. Ex his ergo, & vis argumenti, quod ſtruximus, &

veri-

veritas explicationis, quam ad Antagoniſtarũ obiectionem attulimus, & germana Stagiritæ intelligentia, liquidò apparet, vt ex illo ipſo textu, quem illi aduerſus nos, veluti amentatũ aliquod telum obtendunt, quocumque intellectu accipiatur, noſtra tandem ſententia concludatur; ſed iam ad alia properemus.

Secundum Philoſophi teſtimonium, eſt in eodem primo libro de Anima, tex. 65. *Intellectus autem videtur innaſci, ſubſtantia quadam cũ ſit, & non corrumpi* ὀδὶ νοῦς ἔοικεν ἐγγίνεσθαι, οὐσίατις οὖσα καὶ οὐ φθείρεσθαι, vbi etiam animaduerte latinæ translationis improprietatem; ſic enim in textu latino. *Intellectus autem videtur innaſci, ſubſtantia quadam exiſtens*: nulla prorſus in græco codice, exiſtentiæ mentio, quæ eſt id, quo res aliqua ponitur extra ſuas cauſas, vnde exiſtentia, quaſi extra ſiſtentia dicta: hoc eſt, extra potẽtialitatem actualitas, quæ quidẽ diſtinctum quicpiam eſt, ſaltem ex natura rei, ſi non re ipſa ab eſſentia, de qua re adi S. Thomam in prima parte, quæſt. 3. art. 4. Caietanũ, & Mag. Bannes ibidem, dub. 1. Scot. in 3. diſt. 6. quæſt. 1. Auguſtin. Nipham. in 4. Metaphy. diſp. 5. Alex. Alenſ. 7. Metaph. tex. 22. Soto in 2. phyſic. quęſt. 2. & alios ſcholaſticos.

Age verò, nunc integrum Stagiritæ locum audiamus, in quo, non modò animam intellectus participem ab omni corruptione immunem aſſerit, ſed ratione etiam aliqua confirmat: eius hæc ſunt verba. *Intellectus autem videtur innaſci, ſubſtantia quadam cum ſit, & non corrumpi. Maximè enim corrumperetur vtique ab ea, quæ eſt in ſenio, debilitate. nunc autem quemadmodum in ſenſorijs accidit. Si enim acciperet ſenex oculum talem, videret vtique ſicut, & iuuenis. Quapropter ſenium non eſt, quia ſuſtinuit aliquid anima, ſed id in quo; ſicut in ebrietatibus, & morbis.* Pergit adhuc, & quaſi diſcrimen quoddam conſtituens, inter intellectum, & reliquas affectiones, ita ſubnectit in tex. 66. *Cogitare autem, & amare, aut odiſſe, non ſunt illius*: ſcilicet intellectus, *paſſiones, ſed huius habentis illud, ſecundum quod illud habet: quare, & hoc corrupto, neque meminit, neque amat: intellectus autem fortaſſis diuinius quid, ac impaſſibile eſt*: quæ quidem omnia, ne te per ſingula morer, tute perpendito, & accuratè rimare: ſed,

Reſpondent, qui animorum interitui patrocinantur; ex hiſce locis, nihil omninò pro animæ immortalitate concludi; quippè Stagirites in præſentia, ne verbum quidem profert de anima, ſed ſolum de intellectu, nimirum agente, qui quidem ſubſtantia æterna, impaſſibilis, & diuina eſt: nihil enim aliud (inquiunt) eſt intellectus agẽs, quàm Deus ipſe, vel vna aliqua ex intelligentijs. Vnde temerè locus hic pro anima, eiuſque immortalitate adducitur.

Sed hæc reſponſio omninò falſa eſt. Et primò quidem vniuerſim intellectum agentem, non eſſe ſubſtantiam ſeparatam, aut ipſum Deum, vt Alexandræi fingunt, vel vnam aliquam intelligentiam, vt aiunt alij, ſed animæ noſtræ facultatem; infra Diſputatione 8. ex profeſſo demonſtratum habes: quapropter, quotieſcunque ad agentem hunc intellectum, veluti ad aſylum quoddam ſe ſe recipiunt, ex illa Diſputatione conuinces, huiuſmodi intellectum, eſſe impoſſibilẽ: quo fit, vt ineptè etiam textus hic a nobis adductus, ad illum intellectum trahatur.

Ad hæc, oſtendo præfatam eorum reſponſionem, nullo pacto textui aptari poſſe: nam intellectus, de quo hic Philoſophus loquitur, *innaſcitur nobis, atque ingeneratur*: quis verò eò deuenit, qui dicat Deum, ſubſtantiam illam, ſolutam ac liberam, ſegregatam ab omni concretione mortali, neque mutabilem, neque interituram, nobis innaſci, & ingenerari? non ne mutaretur? Profectò, quod innaſcitur, & ingeneratur, illud neceſſariò mutatur; cum modo fiat, id, quod antea non erat: aliter enim non innaſceretur, Socrati V. g. modo nato, Tum etiam quia, quod ſimpliciter naſcitur, & generatur; ſimpliciter in ſe mutatur de non eſſe, ad eſſe; ergo quod intus naſcitur, intus etiam mutatur: Quod videre eſt in omnibus paſſionibus, & proprijs accidentibus, quæ alicui ingenerantur: & quemadmodum acquirunt eſſe, ita etiã mutãtur: Cum igitur Deus procul ab omni mutatione ſiſtat, & intellectus, de quo Philoſoph. innaſcatur nobis, ſequitur eum non eſſe intellectum agentem, ſiue Deum, ſed animam ipſam, quæ intellectus etiam dicitur, vt ſupra Diſputatione ſecunda, ſectione quarta, adnotauimus. Et quamuis deforis nobis adueniat, tamẽ in ipſo corpore, veluti actus in ſua potentia fit.

Nec affirmari poterit, Deum dici innaſci, atque ingenerari naſcenti homini, per quandã irradiationem, qua fiat, ceu præſens in homine nato, ad quam irradiationem, aliqui aduerſariorum confugiunt.

Quia ſecundum eorundem placita, irradiatio hæc intellectus agentes, immò verò ipſe

quoque

Digitized by Google

quoque intellectus agens, tũc ſolummodo nobis vnitur, cum actu intelligimus, & ſpeculamur. Hinc neſcio quis, cæteroquin egregiè doctus ad illud Philoſophi decimo Nicomachiorum, *ſapiens viſitatur à Deo, tanquam amicus ab amico,* aiebat, ſapientem viſitari à Deo, idest, ab intellectu agente, quia ſapiens, ſępius, ac purius intelligit, & contemplatur: & tunc à Deo, ſeu intellectu agente dicitur viſitari: quia illi, vt intelligat coniungitur. Tum alibi, reſpõdens ad argumẽta, quibus probabatur, Deum intelligere omnia, ait; *Quod dicunt, dici primum intellectum dare prophetiam, id poſſet declarari ex coniunctione intellectus agentis, cum poſſibili: ex quo eſt perfectior, & imperfectior intellectio, prout ea plenior eſt, aut minus plena,* Et paulò poſt; Sic etiam loquitur in libro de bona fortuna; ſi eſt Ariſtoteles qui loquitur, vt quando dicit, *Deum amare ſapientem, quod poteſt habere declarationem ex perfecta coniunctione intellectus agentis, cum poſſibili:* hæc ille. Manifeſtum aũt eſt, id, quod nobis vnitur ſolum, cum intelligimus, & ſpeculamur, & a quo veluti amici viſitamur; non innaſci nobis: nec enim quiſquam ſtatim, ac natus fuerit, intelligendi munus obit, nec ab amicis viſitatur. Quare &c,

Ad hæc, quando hic intellectus agens, ſeu irradiatio, quam nobis offerunt, eſt actualiter in nobis, actu illuſtrantur phantaſmata, & intellectus poſſibilis actu ad eliciendam intellectionem cietur: non ſecus, ac poſita actu Solis irradiatione, ſequitur aeris illuminatio: ergo ſi hic intellectus agens, & irradiatio innaſcitur nobis, & a primo noſtri ortus tempore nobis ineſt, profectò ſemper habebimus illuſtrata phantaſmata, ſemper intellectum poſſibilem actualiter motum, ſemper denique in actuali intellectus functione verſabimur: quod cum experientiæ aduerſetur, illud veritati, & Ariſtoteli conſonat, vt hoc, quod auctore Philoſopho, nobis innaſcitur, nec ſit agens hic intellectus, nec irradiatio, vel ſi mauis caliginatio, ſed anima ipſa rationis compos.

Vlteriùs contra eandem reſponſionem, nã Philoſophus in præfato textu, probat intellectum, de quo loquitur eſſe incorruptibilem, idque eò potiſſimùm, quia non corrumpitur ab ea, quę eſt in ſenio debilitate. Quod ſi per hunc intellectum, intelligeret, an agentem, an Deũ ipſum, amẽs ſit, ſi id tàm anxiè eniteretur probare: eget fortaſſe probatione, Deum eſſe ens neceſſarium, nec vlli vnquam obnoxium corruptioni?

Adde, quod in textu dicitur: *Intellectus autẽ fortaſſis diuinius quid, ac impaſſibile eſt:* & rurſus, *videtur non corrumpi.* ignorabat nimirum Philoſophus, Deum eſſe diuiniſſimum quid, nedum diuinius: cur additur fortaſſe? cur videtur? fugerant Ariſtotelem egregia illa, quæ duodecimo Diuinorũ, præſertim cap. 7. tex. 39. de Deo docuerat, dum veluti diuino quodam perculſus afflatu, hæc omninò ſcribit: *Deum itaque dicimus ſempiternum, optimumque viuens eſſe, quare vita, & æuum continuum, & æternum Deo ineſt, hoc enim eſt Deus,* Quid ergò? hic ait, actionem intellectus, de quo loquitur, marceſcere, atque interire, interius alio corrupto; Atqui intellectio diuini intellectus, nec marceſcit, neque vlla re labefactata, labefactatur; ſed vt eodem lib. tex. 51. ait idem Philoſophus, *ſe ipſam intelligit, & eſt intellectio intellectionis intellectio.* Cur etiam addit, intellectum, de quo in præſentia loquitur, eſſe *ſubſtantiam quandam?* hoc enim ſignificat ſubſtantiã vagè ſumptam (vt loquuntur Logici,) & Deus eſt ſubſtantia determinata,

Præterea, nam Philoſophus in tex. ait, *amare, aut odiſſe non ſunt paſſiones huius,* ſcilicet intellectus: *ſed habentis illum, ſecundum, quod habet illum:* ex quo ſic arguo: ſi homo amat, vel odit, ſecundum quod habet hunc intellectum, nimirum agentem, quem aiunt Alexandræi, ſequitur, vt vbi non eſt intellectus agens, non ſit amor, nec odium: conſequens apparet falſum, ergo intellectus, de quo loquitur Ariſtoteles non eſt agens, quem illi obiectant: Maior propoſitio concluditur per locum, ab oppoſito cõſequentis, propoſitionis ad oppoſitum antecedentis reduplicatiuæ, vt ſi dicam, homo ridet, ſecundum quod habet rationale, ſequitur, vbi non eſt rationale, nequit eſſe riſus: Falſitas etiã minoris, hinc liquet, quia animalia rationis expertia, amant, oderunt, & quidem ardentius, quàm homines, in quibus tamen non eſt intellectus etiam agens; Cum igitur Stagirites affirmet, hominem amare, aut odiſſe, ſecundũ quod habet hunc, de quo loquitur, intellectum, neceſsariò nomine intellectus, capit: animam ipſam, quæ mens etiam, & intellectus, quàm ſæpiſsime appellitatur, vt grauiſſimi Ariſtotelis interpretes, Simplic. Themiſt. Philop. S. Tho. atque alij locum iſtum expoſuerunt,

Vnde Simplicius adhæc omninò ſcribit *mẽtem autem appellat ipſam animam rationem participantem, qua aut vtitur compoſito tanquam inſtrumẽto,*

Digitized by Google

to, qualis agens,ſeu practica mens eſt,aut,ceu ſecundum ſe ipſam agit,& quæ contemplandi vim habet, eademque ceu impaſſibilis, atque diuini aliquid habens celebratur; tum quia in corpora principatum obtinet: tum quia eam habet vim, vt in ſeipſam conuertatur:tum quia nuſquam aliquando vergat: tum denique,quia cum ijs coniungatur, quæ præſtantiora, atque meliora ſunt. Comprimat hic,vel leui brachio,cui omninò mens leua non ſit,haſce Simplicij rationes,ob quas aſſerit, Stagiritem in præſentia inrellectum, ſeu animam noſtram, diuinius quid appellaſſe. Nempè,quia vtatur corpore veluti inſtrumento:quia ſecundum ſe, hoc eſt,propria ſua actione agat; quia in corpus habeat principatum: quia vim, & facultatem,vt in ſeipſam conuertatur obtineat: quia nuſquam aliquando vergat, id eſt, ad nullam corporis partem declinet: quia denique ſola rebus præſtantioribus,cuiuſmodi ſunt entia illa diuina,ac perbeata,vt in 8. Phyſic.& 12.Metaphyſ.demonſtratur,ſeſe coniungat, vniatq. Ex hoc eſt,quod in 10.lib. Ethic. ad Nicomachum cap.9. aiebat Phyloſophus: τὸν νοῦν συγγενέστατον εἶναι τοῖς θεοῖς. mentem Dijs eſſe cognatiſſimam.

Verùm ad Ariſtotelem reuertamur, is ipſe ſe declarat,hic de anima intellectrice tractare, nam id,quod hic in præmiſſis dixit, intellectum,in concluſione ſui argumenti,poſuit animam,dicens; *quapropter ſenium,non eſt, quia ſuſtinuit aliquid anima,ſed id, in quo.* Et quia in homine eſt vna duntaxat anima rationalis, ſecundum ſubſtantiam,quæ vegetantem,ſentiẽtem,& intellectiuum gradum continet, ita vt illa ſit principium radicale omnium hominis operationum, ob id meritò Philoſophus dicit, hominem amare, & odiſſe, ſecundum quod habet hanc vnam animam, ſeu intellectum; & de hoc eodem intellectu, loquebatur in præcedẽti tex.64.quando aiebat,*melius fortaſse eſt,nõ dicere animam miſereri,aut addiſcere, aut cogitare, ſed hominem anima.*

Longè clarius id ipſum perſpicies, ſi mecũ, immò cum plurimis, iiſque grauiſſimis Philoſophi interpretibus,ſingula eius verba, & quã huiuſce rei affert,probationem,accuratè perpẽdas: dum enim ait,*intellectus innaſci videtur*;maximè ſignificat, (inquit Philoponus) eũ, haud quaquam ex corporis complexione, vel ſi mauis,de potentia materiæ educi,ac generari: ſed extrinſecus accedere, intus tamen in nobis ingenerari. Atque per hoc,illud idem omninò, Philoſophus hìc intelligit, inquit Simplicius, quod alibi,ſcilicet lib.2.de generat.animalium cap.3.dixerat,*intellectum corpori deforis aduenire.* Et quia accidentia,etiam in corpore innaſci videntur: vt enim habent ineſse in corpore, ita, & produci: propterea oculatè adiecit, *ſubſtantia quadam*. Sed quia aliæ quoque formę cæterorum animantium innaſci videntur, auctore eodem Philoſopho 2.de Anima,& ſunt ſubſtantię,ſed tamen ſunt corruptibiles, adiecit vltimo, *& non corrumpi.* ita, vt hæc ſit veluti cõcluſio Ariſtotelis de hac re, vt inquit Auguſt. Niphus ſuper eundem locum.

Intellectus, ſeu humana anima,eſt ſubſtantia nobis innaſcens,& incorruptibilis.

Cuius quidem aſſertionis, eã annectit probationem,Si intellectus corrumperetur, maximè id fieret ab ea, quæ eſt in ſenio offuſcatione,ac debilitate: ſenectus enim cum ſit occaſus vitæ,& via quædam ad corruptionem tendẽs; affert ſecum, cùm totius, tùm eorum, quæ ſunt in illo,diſſolutionem. Atqui tunc non corrumpitur,nec debilitatur,quinimò per id temporis accidit ſimile illi,quod contingit circa ſenſoria in ebrietatibus, & morbis, in quibus anima ipſa,ſecundum ſe non corrumpitur; Cuius rei indicium affert,quia ſi ſenex acciperet oculum iuuenis, videret vtique vti iuuenis (quod clarius patet in alijs duobus exemplis allatis ab Ariſtotele,nempè de ebrietate, & morbo.) Et ſic concludit. *Quapropter ſenium non eſt,quia ſuſtinuit aliquid anima,ſed id,in quo.* Expectasne clariorem aſſertionem,atque huiuſce rei apertiorem probationem? Quippè ſi intellectus, & particula illa animæ, qua ſapimus,qua prudentes ſumus,qua ratiocinamur, qua contemplamur,& intelligimus,marceſcẽte corpore, haud quaquam læditur, quinimò oppoſito modo viget, quàm corpus, vt eo florente, vix huius operationes appareant; eo ipſo defloreſcente, atque in ſenium vergente augeantur, ac vigeant, vt tandem prudentia, & verę gloriæ bonum,vt Plato loquitur, in profundam ſenectã aduenia t,& Ariſtot.lib.2. Rhetoricorum affirmat operationem intellectiuam,ſemper augeri,vſque ad annum quinquageſimum; & tunc ſuam obtinere perfectionem, quando nimirũ corpus iam magnã declinationis partã ſubijt, ſi in quam res ita habet,diſpice, num aliud ſignum,euidentius,pro animorum immortalitate afferri vnquam potuiſſet: Quippè ſi animã rationis, atque conſilij compos, cum corpore

vnà naſceretur, vnaque cum eo interiret, profectò vigente illo, ea quoque vigeret, eo ſeneſcente, ſeneſceret: quoniam omne congenitum alicui corruptibili, inſimul, cum illo augetur, ac diminuitur; quod euidenter apparet, ne procul abeamus, in ijs ſenum facultatibus, quæ animam vegetatiuam, & ſenſitiuam ſequuntur, nec enim ſenes, ita vegetantur, atque dum in ijs corpus, ac vires florebant: nec ita flagrãt cupiditatibus, nec ita viribus pollent, vix gradum trahunt: vt meritò dicatur ſenex, quaſi ſeminex, & ſemimortuus: cum igitur intellectus, ſeu anima rationalis, nec ſimul augeatur cum corpore, nec ſimul diminuatur, illud ſequitur, eam, longè aliud habere eſſe, a corpore independens, immortale, & incorruptibile.

Et hæc eſt probatio Ariſtotelis, qua probat humanæ animæ immortalitatem, non quidem demonſtratiua, vt Simplicius, & Themiſt. aiunt, ſed per ſignum, & quidem optimum: Ea enim eſt Philoſophi conſuetudo, quod optimè adnotauit Auerr. in primum lib. de Cælo, cap. 3. & ſuper hunc 65. textum, vt ſiue *poſt ſermones demonſtratiuos, ſiue in locis, in quibus non poteſt inducere demonſtratiuos, inducat ſermones, ac probationes ſufficientes.*

Quod ſignum, eſt etiam ſolutio tacitæ cuiuſdam quæſtionis, vt inquit Philoponus, & Sueſanus: nam poſſet quiſpiam obijcere, in decrepita ætate, intellectus debilitatur, quo fit, vt ſenes decrepitis annis, plerunque repueraſcãt; Soluit, inquiens, hoc euenire defectu organi, non ipſius intellectus: *ſed quia*, inquit Auerr. *illis, per quæ intelligit, accidit fatigatio, verbi gr. artifex, cuius actio fatigatur, propter fatigationem inſtrumenti, non propter ſeipſum*. Et hoc etiam innuit Ariſtoteles per verba ſubſequentia, dum ait, *& ipſum igitur intelligere, et contemplari, marceſcit alio quodam*, ſcilicet phantaſia, *interius corrupto, ipſum autem*, ſcilicet intellectus ſecundum ſe *impaſſibile eſt*: quibus quidem verbis ſecundum Themiſtium, Simplicium Sueſſanum, & multos alios, oſtendit cum immortalitate animæ intellectiuæ poſſe, ipſum intelligere, & cõtemplari marceſcere, quod eſt impediri, interius alio corrupto, vt diximus; circa quos quidem textus, eorumque ordinem, multæ nobis, eæque haud leues difficultates, eſſent diſcutiendæ, ſed meminerimus, nos in præſentia, non commentarios in Ariſtotelem ſcribere; iccircò quiſquis eas noſſe cupit, eius interpretes, & præcipuè Græcos, adeat.

SECTIO TERTIA.

Idem oſtenditur, ex ſecundo libro de Anima.

PRVDENS quicunque ſcriptor, quã primùm animum ad ſcribendum appellit, id ſibi negotij intelligit quammaximè dari, vt omnia rei illius, quam ſibi tractandam proponit, initia, fundamenta, & quoad eius fieri poteſt, concluſiones apud ſe diu, multumque perpendat, & eſſictis grauiter ſedolòque examinatis, & ordine quodam diſpoſitis, ſecum ipſe conſtituat, quid quoque loco, quaque de re ſentiendum ſit: Verùm, quia ſcribendi, dicendique munus minimè patitur, inſimul omnia effundi, ſed vnumquodq; ſuo in loco poni, & exponi poſcit, ſecus *nec pes, nec caput, vni redderetur formæ*, iccircò aliqua veluti certa ex ſententia ſua profert, vel in principio illius operis, quorum tractatio, & accuratum examen, inferius ſunt ſuſcipienda: ſic diuini ingenij vir Stagirites, quamuis animæ intellectricis immortalitatem, in 3. huius operis libro, vt infra videbimus, ex animo oſtenſurus ſit, quia tamen ſecum determinarat, eam incorruptibilem, ac immortalem, ideò ante illum eā locum, quædam, veluti certa, ac ſancita, hac de re profert. Cuiuſmodi ſunt, & quæ hucuſque tetigimus, & quod nunc perpendendum ſequitur, ex libro 2. de Anima, tex. 21. quo loci, poſtquam alias animę partes cõſiderauerat, ad hæc omninò committit litteris, *De intellectu autem, & ſpeculatiua potentia, nihil adhuc manifeſtum eſt, ſed videtur genus aliud animæ eſſe, & hoc ſolum poſſe ſeparari: ſicut perpetuum à corruptibili.*

Ante omnia, illud adnotaueris, hic nullo modo intrudi poſſe figmentum illud Alexandræorum, de intellectu agente, ſeu de Deo. Tũ quia Philoſophus, id, de quo loquitur, vocat animæ genus: eorum verò intellectus agens, quem ponunt eſſe Deum, nullius animæ eſt genus; cum omne genus dicat potentialitatem. Tùm etiam, quia hoc animæ genus, hic dicitur, ſeparabile à corruptibili, Deus autem neutiquam ſeparabilis, ſed potius ſeparatus eſt.

Pro maiori tamen intelligentia, ſcire oportet, quod Ariſtoteles poſtquam determinauit, animam eſſe principium primum, *atque his definita, vegetatiuo, ſenſitiuo, cogitatiuo, motu*, tex. 18. quod clarius aperit in tex. 24. mouet in tex.

19:

Digitized by Google

19. duas quæſt. *Vtrum autem vnumquodq; horum eſt anima, an pars animæ. Et ſi pars, vtrū ſic, vt ſit ſeparabilis ratione ſolum, an & loco?* Quarū prima, in hoc ſita eſt: cum anima determinata ſit vegetatiuo, ſenſitiuo, motiuo ſecundū locū, & intellectiuo; num vnumquodq; horum ſit vna aliqua aīa per ſe, an verò pars, & virtus vnius cuiuſpiā animæ? Num inquam, in homine, in quo ſolo præfata illa quatuor reperiuntur, ſint quatuor animæ; ita vt vnaquidē ſit vegetatiua, alia ſenſitiua, & ſic deinceps: an verò vna dūtaxat, quę ceu partes, & virtutes quaſdā cōtineat quatuor illa? Pari etiam modo in alijs animantibus, vegetatiua, ſenſitiua, & ſecundum locum motiua, ſint ne tres animę, an partes vnius? etenim, ſi illa, quatuor ſunt animæ, tunc aſſignata definitio, per ſpecies erit: ſin autem illa quatuor ſunt partes, ſeu virtutes animæ, tunc definitio aſſignata erit per ea, quæ ſunt propria ſpeciebus animæ.

Ad quod quidem quæſitum, reſpōdet Ariſt. in tex. 23. ſecundū expoſitionē S. Tho. inquiēs, vbi vegetatiuum eſt ſolum, vt in plantis, eſſe animam: vbi verò eſt cum ſenſitiuo, eſſe partem animæ: & ſic in homine illa quatuor, ſunt veluti partes, ac virtutes animæ. Cæterùm Simplicius ait, Ariſtot. in præſentia non reſpondere ad hanc quæſt. ſed illam, ceu ſolutā ex 1. libro tex. 90. & ſeqq. ſupponere; quo loci aduerſus Platonem oſtenſum fuit, in vno viuente, vnā ſolummodo animam eſſe: quæ tamen plures in potentia eſſet. Supponens, itaque Stagirites, vegetatiuum, ſenſitiuum, ſecundum locum motiuum, & intellectiuum eſſe particulas animæ: Quærit in ſecunda quæſt. num iſthæc ratione ſolū adinuicem ſeiungantur, an ēt loco? nimirum ſubiecto? ita, vt in alia corporis parte ſit vnum, in alia aliud: quemadmodū Plato, cū ſępè alibi, tùm maximè in Timęo arbitratus eſt, qui quidem iraſcibile, in corde: concupiſcibile, in hepate: ſentiendi verò, & intelligendi vim, in capite, veluti principaliori hominis parte collocauit.

Philoſophus verò, poſtea quàm hoc quæſitū excitauit, ait, partim facilè eſſe quod diluatur, partim verò difficilè: facilè quidem, quia de vegetatiuo, ſenſitiuo, & motiuo ſecundum locū, non fuerit laborioſum videre, ea non diſtingui loco, & ſubiecto, nec eſſe in aliqua determinata corporis parte. Probat, & primùm in plantis: nam quædam plantarum partes diuiſæ, ac ſeparatæ ab alijs partibus, viuere vidētur, quod vel inde liquet, quia ramuſculi abſciſi inſertiq; coaleſcunt, ac germinant; quod minimè ſanè cōtingeret, niſi in ijs vita, atq; adeò anima, quæ eſt principiū viuendi remaneret. Ex quo aliud ēt infertur, in hiſce viuentib. animā actu quidē eſſe vnam, potentia verò veluti plures. Quod accidit, inquit S. Thomas, ſuper hūc locum, quia illæ propter ſui imperfectionem, non requirunt diuerſitatem in partibus. Probat etiam de ſenſitiuo, & motiuo ſecundū ſolum; quia videmus in entomis, & inſectis, nempè animalib. quæ deciſa viuunt, vtramq; partium abſciſam habere ſenſum: quod vel ex eo ſēſu percipitur, quia ſe contrahunt, ſi pungantur. Et ēt habent motum ſecundum locū: Ex quo concludit, præfata tria nō diſtingui loco in corpore animātis.

Cęterū de animarum diuiſibilitate, & extenſione, de qua grauis, ac vehemēs eſt apud Scholaſticos diſceptatio, vide S. Tho. in 1. par. quęſ. 76. art. 8. & lib. 2. cont. Gent. c. 72. Caiet. & Ferrar. in ijsdem locis. Alb. Mag. in 1. de Anima, cap. vlt. & lib. 5. cap. 7. Commentatorem in 8. Phyſic. tex. com. 38. Scot. in 4. ſent. diſt. 44. qu. 1. Durand. in 1. diſt. 8. par. 2. quæſt. 3. Io. de Iāduno lib. 2. de Anima, quęſt. 7. Capreolū in 2. diſtin. 15. quęſt. 1. ad vlt. totius quęſtionis: ſed omninò vide Mag. Bannes ſuper 1. par. S. Tho. quęſt. 76. art. 8. Dubio 2. Et nos non nihil diximus Diſput. 4. ſect. 5.

Sed nos ad Ariſtot. explicatis itaque, ac probatis, præfatis illis tribus vegetatiuo, ſenſitiuo, & ſecundum locum motiuo, non diſtingui loco in corpore animalis, reliquum erat, vt quarta definitionis particula exponeretur, *quo intelligimus primò*: hoc eſt intellectus, & ipſum principium intellectiuum, quod a Philoſophis τὸ ἡγεμονικὸν appellatur: an inquam diſtinguatur loco, ſitq; in vna aliqua determinata corporis parte, nec ne: ſic enim illud ferè omnes vetuſtiores Philoſophi poſuere: quod abundè teſtatur Plutarchus lib. 4. de placitis Philoſ. capit. 5. vbi ſic quærit, τί τὸ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικὸν, καὶ ἐν τίνι ἐςὶν: hoc eſt, *Quid eſt ipſum ἡγεμονικὸν, præcipua animæ pars, & qua in parte ſit?* Reſpondet: *Plato, & Democritus in toto capite, Strato in ſuperciliorum interſtitio, Eraſiſtratus circa cerebri membranam, quam epicrānidem nuncupat; Herophilus in cerebri ſinu, qui idem baſis eius eſt; Parmenides in toto pectore, cui aſſentitur Epicurus, Stoici vniuerſi in toto corde, aut in eo, qui circa cor eſt. Spiritu, Diogenes in arteriaco cordis ſinu, qui abundat ſpiritu, Empedocles in ſanguinis concremento: alij in cordis collo; alij in cordis inuolucro; ſunt qui in præcordijs, Pythagoras, vim quidem viuificam, in corde: ra-*

tionalem autem, ac intellectiuam, in capite eſſe; hæc Plutarchus.

Ob hanc itaque opinionū diuerſitatem; Tū etiam, quia res ipſa ſuaptè natura videtur abſtruſa, meritò ait Stagirites, hanc quæſtionem eſſe difficilem: præſertim quia, vt ſubdit, *de intellectu, & perſpectiua potentia, nihil adhuc manifeſtum eſt*: quid non eſt manifeſtum? an ſecernatur loco, nec ne: Sed fare age, quonam & loco, & modo id fiet manifeſtum? In tertio huius operis libro: quando oſtendet, hanc animæ particulam, *qua anima ſapit, & intelligit*, non eſſe organo, & corpori affixam: quippè ſi reſideret in organo, ibi proculdubio foret determinatè, vbi eius organū, & ſubiectum coarceretur: quia verò Philoſophus apud ſe certus, ac determinatus erat, hanc animæ particulam, nec organicam eſſe, nec corruptibilē, ideò ſubdit ex ſententia, ſed *videtur aliud genus animæ, & hoc ſolū contingit ſeparari, ſicut perpetuū, a corruptibili.*

Quibus verbis, rametſi obiter, probat nihilominus ſuum intentum, nec etiam hanc animę particulam diſtingui loco: idq; duplici medio. Quia eſt aliud animæ genus. Et quia ſeparatur tanq̄ æternū a corpore caduco, & corruptibili.

Sed quomodo eſt aliud animæ genus? Quidam in ea verſati ſunt opinione, animam comparari ad corpus gemino modo: vt corpus perficit: vtq; eo ipſo vtitur. Omnes animæ generatim perficiunt quidem corpus: ſola verò rationalis præterquamquod perficit, etiā vtitur eo; & propterea videtur aliud animæ genus. Ita Simplicius. Rectius Philoponus, & S. Thomas principiū iſthuc, aiunt, eſſe aliud animę genus, quia eſt alterius naturæ, & ſubſtantiæ, ſcilicet incorruptibilis: reliquæ autem formæ vegetās, & ſentiens caduca, & corruptibilis: & quia corruptibile, & incorruptibile, genere differūt, auctore Philoſopho 10. Metaphyſ. tex. vlt. de qua propoſitione vide S. Thomam ibi, & Marcum Antonium Zimaram in ſuis theorematib. propoſitione 63. ideò animæ particula, qua primò intelligimus, eſt aliud animæ genus a vegetatiua, & ſenſitiua.

Adde ex Simplicio, quia eſt indiuiſibilis, & immaterialis. Ex quibus infertur intentum Ariſtotelis, eam non diſtingui loco, nec eſſe in aliqua corporis parte, quia tunc eſſet materialis, & immaterialis, & ad materiæ determinationē extenſa, ac diuiſibilis: eſſet quoq; corruptibilis ad corruptionem partis illius, in qua reſideret, vti ſunt cæteræ formæ. Et hoc eſt, quod lib. 1. de Anima tex. 92. quo loci tangens eaſdē difficultates, ait eſſe difficile, etiam fingere, quam partem, aut quomodo intellectus contineat. Attingit hanc ipſam quæſtionem in proœmio eiuſdem lib. tex. 7. & hoc eſt primum medium.

Secundū autem, quo itidem probat, particulam animæ, qua intelligimus, haud diſtingui loco, & ſubiecto eſt, quia hæc eſt ſeparabilis tāquam æternum a corpore corruptibili. Quod ſi a corpore ſeparari poteſt, iam non erit in aliqua eius parte: quia tunc ſeparari non poſſet, ſed ad eius partis interitum extingueretur. Ex quibus, vide quomodo Ariſtot. ſumit vt mediū & argumentum, animam intellectus participē eſſe ſuaptè natura incorruptibilem, & a corpore ſeparabilē, quò probet aduerſus vetuſtiores Philoſophos, eam non eſſe in aliqua determinata corporis parte.

Sed iam audio Aphrodiſeum, eiuſq; aſſeclas obſtrepere contra hāc noſtram expoſitionem: nempè Ariſt. in præſentia nihil certi, nihil cōſtituti aſſerere, ſed loqui dūtaxat quantū in rei ſuperficie apparet, & ex quadam vulgi opinione, quia ita craſſa quadā Minerua, & populariter videbatur: cuiquidem rei, illud aiunt eſſe indicio, quia Phyloſ. non dixit hanc aīæ particulā, eſſe aliud genus aīæ, & ſeparari; ſed ait, *videtur eſſe aliud genus aīæ*, quod quidem dubitatiuè eſt dictum: quod enim videtur eſſe, certò non eſt, quinimò hoc ipſo dubitationem inuoluit.

Sed hæc e triuio ſunt petita: non hęſitat Stagirites, nec aliqua dubitatione detentus illud, *videtur* protulit, ſed affirmat id, qd' apud ſe certo certius habebat, quodque infra erat demonſtraturus. Nec verò illud *videtur*, perpetuò dubitandi nota eſt, ſed ſæpenumero affirmat, quo quidem intellectu ſcxcētics a Philoſopho prolatum inuenies. Et ne longè abeam, hac ſignificatione capit hoc verbū in textu paullò antecedenti, nimirū tex. 17. eiuſdem 2. de Anima, vbi ſic loquitur: *Animalia autē omnia videntur tangendi ſenſum habere.* Et tex. 14. eiuſdem libri, *vnde*, air, *& vegetabilia omnia videntur viuere; videntur enim in ſeipſis habere potentiam, & principium huiuſmodi, &c.* Dic age, in ancipiti ne verſabatur Philoſophus, num omnia animalia prædita eſſent tangendi ſenſu? hærebat fortaſſè, an vegetabilia cuncta viuerent? an in ſeipſis radicem, principiumq; viuendi haberent? impensè tatu... us eſſet: non itaque dubitat, ſed quia ante determinatum eius tractationis locum, id effert, ideò ſumma cum modeſtia ait, *videntur*, eadem hic certitudine, dum intellectum noſtrum, & aliud animæ genus, & à corpore videri ſeparabilem

bilem dicit; accipit illud *Videtur.*

Ita grauiſſimi Ariſtotelis interpretes hunc locum interpretati ſunt: Audi Philoponum: *Illud autem, ait, ſed videtur, non dubitando dicit, vt Alexander putauit; ſed ait quia nondum ſibi de intellectu docere propoſitum eſt: ait, quod magis conuenit, pro apparet, id dictum eſt: non enim penitus illud videtur, dubitationem ſignificat.* Et affert ad huius confirmationem illud Porphyrij, capite de genere, in principio ἔοικε δὲ μήτε τὸ γένος, μήτε τὸ εἶδος ἁπλῶς λέγεσθαι, *videtur autem, neque genus, neque ſpecies dici ſimpliciter:* hoc enim non dubitando dicit Porphyrius, ideòque ſtatim differentias, quæ ea ipſa ſignificant profert. Et Ammonius, exponit, *videtur,* hoc eſt, *apparet, & eſt manifeſtum.* Auerr. 1. de Anima, tex. com. 19. vtitur, inquit *Ariſtot. verbo, Videtur, loco certitudinis, in locis, in quibus certitudo eſt famoſa, & reſiduus ſermo eſt manifeſtus.* Vide S. Thomam, lib. 2. contra Gent. c. 79. & ibi Ferratienſem, ita etiam exponit Themiſtius, & Simplicius, cuius verba facere nequeo, quin hic exſcribam. *Diuiſaque ſecundum ſubſtantiam a reliquis, anima rationis particeps exiſtit, & omninò ab illis aliquando ſeparatur, atque perpetua eſt; cum illæ corrumpantur, quæcunque ſcilicet corruptibilis corporis, propriè actus ſunt:* Hæc ille in Comm. huius tex.

Verùm, vt adhuc penitius hunc locum, & ex hoc permulta alia in Peripato capias, ſcito ex græco fonte, apud Philoſophum (quantum ad præſens attinet) tria eſſe græcanica verba, quæ diuerſam habent ſignificationem, & tamen latinè vno, eodemque verbo, *Videtur* translata reperio. Illa ſunt δοκεῖ, φαίνεται, ἔοικεν Exemplis illuſtro, iacent omnia in prima pęne pag. lib. 1. de Anima. primum quidē δοκεῖ, hoc verè pollet videtur, in tex. 2. δοκεῖ δὲ καὶ πρὸς ἀλήθειαν ἅπασαν, ἡ γνῶσις τῆς ψυχῆς μάλιστα συμβάλλεσθαι *Videtur autem ad veritatem omnem, cognitio animæ multū conferre.* Et tex. 3. & paſſim oſtendes. Secundū, hoc eſt φαίνεται ſignificat apparet, iacet in tex. 12. φαίνεται δὲ τῶν πλείστων οὐθὲν ἄνευ σώματος πάσχειν, ἢ ποιεῖν. Latinus habet. *Videtur autē plurimorū nullum ſine corpore pati, neq; facere.* Tertium, quod eſt ἔοικεν, & transfero, non per verbum, *Videtur,* ſed vt idem polleat, atque conſentaneū eſt, conueniens eſt, apparet: ita, vt hoc verbo affirmemus potius aliquid, quàm dubitemus: vtitur ibidē Philoſoph. tex. 11. ἔοικε δ' οὐ μόνον τὸ τί ἐστι γνῶναι, χρήσιμον εἶναι πρὸς τὸ θεωρῆσαι τὰς αἰτίας τῶν συμβεβηκότων ταῖς οὐσίαις ὥσπερ ἐν τοῖς μαθηματικοῖς. Latinus tex. *Videtur autem non ſolum ipſum quod quid eſt cognoſcere, vtile eſſe ad cognoſcendas cauſas accidentium ſubſtantijs, ſicut in Mathematicis.* Et in tex. ſeq. de intelligendi actione, q̄ ſit propria intellectus operatio; μάλιστα δ' ἔοικεν ἴδιον τὸ νοεῖν. in latino eſt. *Maximè autem videtur proprium ipſum intelligere.* Quod vertendum erat, *maximè autem apparet proprium ipſum intelligere.* Hic tu ride, ac derido illā aliam huius tex. verſionē, quæ habet, *maximè autē aſſimilatur proprio ipſum intelligere.* Quid monſtri aſſimilatur proprio? idem inuenies tex. 14. & lib. 2. eiuſdem operis tex. 93. & tex. 100. & ſexcentis in locis.

Ex quibus hoc habe, Ariſt. vbicunq; de intellectus immortalitate, ante determinatum eius locū verba obiter inijcit, nunquam aliquo ex duobus illis prioribus verbis, ſed perpetuò hoc poſtremo ἔοικεν, vti, quod pęnè nunquam apud veteres Græcos dubitationis nota fuit, ſed affirmationis ſignū. Neq; id aſſero abſq; adſtipulatore, aſſertoreq;, quanquā poſſem; cū enim in grçcarum litterarum ſtudio ętatem conſumpſi, ſi id mihi aſſumo, videor id meo iure, quodammodo vendicare, nihilominus teſtem ſiſto, & græcarū litterarum apprimè gnarum, & incorruptum Simpliciū: Hic ſuper 21. tex. libri 2. de Anima, hæc omninò litteris dedit: *Particula illa ἔοικεν: non cum dubitatione pronunciata fuit, vt Alexander putat, neque enim frequen. eſt huiuſmodi huius particula apud antiquiores vſus, ſed pro eo, quod eſt cōuenit, atq; apparet.* Quod ſi mihi, immò Simplicio in græcanica lingua non credis, videas, cui credideris. Cū igitur in tex. quē explicamus Stagirites de hac animæ noſtræ particula, qua primò intelligimus dicat: ἔοικε δὲ ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι, profectò non dubitando, neq; ex communi aliqua opinione, vt Alexādræi ſomniāt; ſed affirmando dicit, illam eſſe aliud genus aīę, & ſeparabilem, atq; immortalē: vt dicebamus.

Immò admirare mecū, & prudens rimare cū Philopono ſolicitudinem Ariſtot. in hac parte. Vbi enim dixit, intellectum eſſe inſeparabilē a corpore, ne quis dubitandi ſcrupulus relinqueretur, quia *ſeparari* eſt nomē ęquiuocū (ſeparātur .n. et quædā accidentia, cū poſſint abeſſe a ſubiecto citrà eiuſdem corruptionē, ſed quę tñ, & ſimul ſeparātur, & eo ipſo euaneſcunt, & corrūpuntur) ideò ſubiunxit quandā ſeparationis ſpeciē, inquiēs, velut æternū a corruptibili, quo aīæ intellectiuę incorruptibilitatē oſtenderet.

Hic ego efficere nequeo, quin tibi indicem, q̄ vehementer hallucinētur, neſcio qui, dū, etſi

in ipſa ſuorum operum inſcriptione, ac titulo magnificè profitentur, ſe animorum immortalitatem, ex ſententia Ariſtotelis oſtenſuros, in progreſsu poſtea, apertè dicant, neque 65. tex. ex 1. de Anima, neque hunc 21. quicquam firmitatis habere, ad aſtruendam mentis humanæ immortalitatem; quia Ariſtoteles, ita loquatur, vt ſententiam dubiam, ancipitemque habere vtrobique videatur: nec etiam ex 3. de Anima lib. vllum erui poſse locum, qui huic rei faueat: nec eſse denique, vt quiſpiam fidat vllo Ariſtotelis loco: huiuſmodi illi. Peius, dum Philoponi, Simplicij, & aliorum rationes, pro animorum immortalitate validè conſtructas; anxiè nituntur eneruare; vt idem fortaſse ſuis rationibus confirmare poſtea videantur, ſed vtinam, & firmè.

Verùm nos ad inſtitutum noſtrum: eadem itaque veritas colligitur a Simplicio, ſequentibus Philoſophi verbis tex. 22. *reliquæ autẽ particulæ animæ, manifeſtum ex his, quod ſeparabiles non ſunt:* eadem ex alijs quoque locis oſtendi poſſet; quæ tamen ne in immenſum creſcat opus, equidem prudens ſuperſedeo, & ad tertiũ librum lubens accedo.

SECTIO QVARTA.

Oſtenditur animæ intellectiuæ immortalitas, ex tertio de Anima libro.

QVONIAM Ariſtoteles animam in communi dixerat eſſe principium, quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus primò: eum tres priores huiuſce definitionis particulas, ſuperioribus libris diligenter examinauerit, reliquum erat, vt vltimam partem, *qua intelligimus primò*, quoad eius fieri poſſet expenderet: hoc quippè pacto, ſi definitio rei, naturam aperit, penitus vtique natura animæ innoteſceret. Cęterùm priuſquam ad tertium librum, (ſecundum diuiſionem Auerr.) ſtylum conferret, vt de vltima illa particula diſputationem inſtitueret, mirificè, veluti quodam apparatu, ſe munit. Videbat enim poſſe quempiã fultum veterum Philoſophorum auctoritate, obijcere, fruſtra quæri, aliud animę genus a ſenſitiua: atque adeò malè poſitum eſſe in definitione, *& qua intelligimus primò*, quandoquidem omnes animæ operationes, etiam nobiliores, ac præſtantiores, peraptè referri poſſunt ad animam ſenſitiuam; vnde plerique veterum opinati ſunt, idem eſse ſentire, ac intelligere; atq; adeò idem eſſe aĩam ſenſitiuã, & intellectum: ita Democrit. Empedocl. & alij, vt retulit Stagirites ipſe lib. 1. de Anima tex. 24. *is enim, ſcilicet* Democritus. *Simpliciter dicit idem eſſe animam, & intellectum, verum non eſſe, quod videtur.* Et lib. 2. tex. 150, *Et antiqui ſapere, & ſentire idẽ eſſe aiunt, ſicut Empedocles.*

Volens itaque in primis huic obiectioni occurrere, oſtendereque reperiri aliud animæ genus a ſenſitiua, & conſequenter neceſsarium eſſe, de illo ſermonem inſtitui, ſi perfectam ipſius animæ intelligentiam habituri ſimus; oſtẽdit ab actibus, quando quærit an intelligere, & ſapere, ſit quoddam ſentire? quemadmodum Empedocles, & plerique alij exiſtimarunt, qui putabãt intelligere, & ſapere eſse corporeum, ſicuti ipſum ſentire eſt corporeum: hoc eſt, fieri per organum, & in organo corporeo. Confutauit illorum opinionem tex. 152. & ſequentibus; ſicque in oſtendenda neceſſitate animæ rationalis, diuerſæ a ſenſitiua, & in reddenda ratione conſilij ſui; incepit iacere fundamenta de animæ rationalis immortalitate, ac ſeparatione: Nam ex illa cõfutatione, intelligitur, operationes eas, nempè intelligere, & ſapere; non poſse referri ad animam ſenſitiuam, atq; adeò non eſse corporeas: nec poſse a corporeo temperamento pendere; ſed eſſe immateriales, & a corporis ſocietate, commercioque abiunctas, quemadmodum & earum principium. Et quia potuiſset adhuc quiſpiam opinari, haſce operationes referri poſſe ad phãtaſiam, docuit vlterius ibidem, huiuſmodi ſententiam eſſe falſam. Quare cum intelligere, & ſapere, non ſint operationes corporeæ, ſicuti ſentire, & ideò nec in animam ſenſitiuam, nec in phantaſiam referri queant, conſequens eſt, vt detur aliud animæ genus, cuius natura, & eſſentia haud pẽdeat a corpore, ſed ab eo tanquam ſempiternum a corruptibili ſeparetur. Ex quo vides quonam pactò Ariſtot. munit, ſternitque ſibi e longinquo viam ad aſtruendã animæ immortalitatem, quoque pacto eius fundamenta iaciat, & ingenti arte, ac ſolertia ad eam ſerpat, vt tandem incipiat tertium librum explicetque vltimam definitionis particulam.

Hæc enim eſt intentio Ariſt. in hoc 3. libro quãuis alij ſecus ſentiant, eos retulit Aug. Nyphus, & Simplicius ſup hũc tex. ideòq; orditur,

Περὶ δὲ

Digitized by Google

Περὶ δὲ τοῦ μορίου τῆς ψυχῆς, ᾧ γινώσκει τε ἡ ψυχὴ καὶ φρονεῖ, εἴτε χωριστοῦ ὄντος, εἴτε καὶ μὴ χωριστοῦ κατὰ μέγεθος, ἀλλὰ κατὰ λόγον, σκεπτέον τίν' ἔχει διαφορὰν, καὶ πῶς ποτὲ γίνεται τὸ νοεῖν, Latini textus ſic ferè omnes : *De particula autem animæ, qua cognoſcit anima, & ſapit, ſiue ſeparabili exiſtente, ſiue non ſeparabili ſecundum magnitudinem, ſed ſecundum rationem, conſiderandum eſt, quam habet differentiam, & quomodo tandem fiat ipſum intelligere.* Et quia recta philoſophandi methodus eſt, vt ab actibus facultates, & ab hiſce, naturam eſſentiamque rerum venemur; iccircò Philoſophus poſtquam in primo tex. propoſuit, ſe de parte animę intellectricis, de natura inquam, & eſſentia animæ intellectiuæ dicturum; ſtatim in tex. 2. ab actu intelligẽdi inueſtigat, intellectũ poſſibilẽ; Circa quod, vt inquit S. Thomas, tria præſtat: Determinat de intellectu poſſibili, tex. 6. de eius obiecto, tex. 9. in textu verò 12. mouet dubium quoddã circa ea, quæ dixerat, idque diluit. Poſtea in textu 17. perquirit alteram animæ potentiam, ſcilicet intellectum agentem: Tandem in tex. 20. illud animæ μόριον, & particulam, de qua in principio libri ſe acturum propoſuit, concludit, inquiens, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον, καὶ ἀΐδιον, & hãc ſolam particulam eſſe immortalem, atq; perpetuã. Quæ quidẽ oĩa, vt clariora reddantur, eundem nobis ordinem proponentes, tria, ſed quàm poterimus paucisſimis, hic perſtringemus, idque ex Ariſtotelis tantummodo auctoritatibus (nam rationes eius in ſequenti Diſputatione aperiemus) vt dudum pollicebamur: oſtendam itaque primò, intellectum capacem, ſeu poſsibilem, eſſe immaterialem, inorganicum, atq; adeò incorruptibilem. Ad hæc, idem de intellectu agente. Et tandem concludetur, radicem horum intellectum, nimirum animam intellectricem, identidem eſſe ſeparabilem, incorruptibilem, atque immortalem.

SECTIO QVINTA.

Probatur, intellectum poſſibilem eſſe à corpore re ipſa ſeparabilem, impermixtum, immaterialem, atq; adeo immortalem.

QVOD itaque Stagirites in 3. de Anima libro, intellectum poſſibilem, à corpore ſeparabilem, æternũq; ſanciat, probetque, vel ex attributis, quæ illi aſcribit, clarè dignoſces: Quippè inter alia de eo affirmat, quod ſit *impaſſibilis* tex. 3. quod *impermixtus* tex. 4. quod *non mixtus corpori* tex. 6. quod *non ſit organicus, nec parti cuipiam corporis affixus*, tex. 6. & 7. Quorum vnumquodque ſatis ſuperque eſſe deberet, quò nobis Philoſophi mens de re, quã inueſtigamus detegeretur: ſed quia praua nonnullorum interpretatio, vt pleraque alia Stagiritæa decreta, ita hæc quoque corrumpit, operępretium eſt, vt diligẽter ac ſedulò vnum, quod aiunt, ad vnum perpendamus.

Enimuerò ſunt qui, (inter quos neſcio, quonam ſuo fato ſemet intruſit Caietanus, vir alioquin mentis acumine clarus: vt apud eum videre licet in Commentarijs ſuper tertium de Anima librum) dicunt, ex hiſce Philoſophi locis minimè colligi, intellectus poſſibilis a corpore ſeparationem, & immortalitatẽ: quia Ariſtoteles in præfatis textibus ſermonem habet de formali, ſeu quidditatiua (vtor eorum verbis) immixtione, ac ſeparabilitate intellectus a corpore, non autem de immixtione, ac ſeparatione reali, & in eſſendo. Cuius rei eam adhibent rationẽ, quòd Stagirites, diuerſo modo loquitur de intellectu poſsibili, ac loquatur de agente, quem ponit a corpore ſeparatum, & ſeparatione reali, & in eſſendo. Nam intellectum poſſibilem, abſque vllo alio additamento, aſſerit eſſe a corpore ſeparatum; idque ad diſcrimen ſenſus, qui nullo pacto eſt a corpore ſeiunctus *ſenſitiuum enim* ait tex. 7. *non eſt ſine corpore, intellectus autem ſeparatus eſt*, vbi verò de intellectu agente, quem a corpore, reali etiam ſeparatione abiunctum, atque adeò immortalẽ poſuit, verba facit, ait textu 20. eũ *eſſe ſeparatũ, in eo, quod verè eſt*: qđ Caiet. exponit in eſsẽdo: quapropter, ait, ſeparationẽ intellectus

poſſibilis, non eſſe realem, ſeu in eſſendo, ſed formalem duntaxat, vel ſi mauis, ſecundum rationem; eo modo, quo Mathematicæ res dicuntur ſeparatæ, & à materia ſenſibili abſtractæ. Separatio verò intellectus agentis (quem ille putat eſſe Deum) eſt realis, ſeu in eſſendo, vel quo ad exiſtentiam: quocirca hic immortalis eſt, ille autem haudquaquam.

Pro cuius intelligentia adnotant, trifariam contingere aliquid eſſe, dicique immixtum, & à materia ſeparatum: formaliter; perfectiuè, & exiſtenter: nam quemadmodum tripliciter obuenit, rem aliquam eſſe compoſitam, nempè formaliter, perfectiuè, & exiſtenter, ita tot modis, accidit aliquid negari eſſe compoſitum, ſeu phyſicum: quot enim modis dicitur vnum oppoſitum, tot & alterum dicatur oportet.

Patent hæc omnia in ſphæra; hanc enim affirmamus, non eſſe phyſicam, ſeu materiæ commixtam quidditatiuè, ac formaliter, quia in ſua formali ratione: quà ſphæra, non includit materiam ſenſibilem: abſtrahunt enim mathematicę res à materia ſenſibili; quamuis nō ab intelligibili. Præterea aſſerimus, ſphęram non eſſe compoſitam, & phyſicam perfectiuè, quia non eſt de ratione ſphæræ, vt ſit materiæ ſenſibilis perfectio; quemadmodum per oppoſitum affirmamus, animam eſſe phyſicam perfectiuè, quia ſuaptè natura eſt actus, & perfectio corporis. At verò, quod ſphæra, non ſit phyſica, & materiæ commixta exiſtenter, haud poteſt affirmari de ea, quia nequit, niſi in materia ſenſibili, reperiri, & exiſtere. Eadem ratione de intellectu poſſibili erit affirmādum, cum nimirum eſſe immixtum corpori, atque ab eo ſeparatum, formaliter, & quidditatiuè, & hoc probat Philoſoph. in tex. 4. & 5. quia omnia cognoſcit; vnde aiebat, *quare neque ipſius vlla eſt natura, niſi hæc quod poſſibilis:* Probauit etiam in tex. 6. eum eſſe immixtum corpori perfectiuè; ex hoc, quia, ſi non eſſet corpori immixtus, tunc fieret calidus, aut frigidus: Cæterùm non oſtendit intellectum, eſſe corpori exiſtenter immixtum, ab eoque ſeparatū: quinimmò oppoſitum affirmauit, intellectum eſſe corporis actum exiſtenter, dum in 1. de Anima his omninò de intellectu loquitur; *ſi verò nulla eſt propria ipſius operatio.* (dicet autem infra nullam eſſe animæ propriam operationem, *non vtique erit ſeparabilis,* ſed *ſicut recto, in quantum rectum, multa accidunt, vt tangere æneam ſphæram ſecundum punctum, non tamen tanget hoc, ſeparatū ipſum rectum, inſeparabile enim: ſiquidem ſemper cum corpore quodam eſt.*

Ex quibus omnibus colligunt, intellectum poſſibilem, ita eſſe a corpore ſeparatum, eique immixtum, quemadmodum ſphæra eſt ſeparata a materia ſenſibili. Atqui hæc eſt formaliter duntaxat, & perfectiuè, à materia ſeiuncta, nō autem exiſtenter, quare eodem etiam modo erit abiunctus hic intellectus; Et ſicuti ſphæræ æneæ, quà eſt huiuſmodi, multa competunt, quæ tamen illi ab ære ſeparatæ haudquaquam conueniunt, quòd ab ære ſeiuncta non exiſtit; ita intellectui poſſibili; quà eſt in corpore, competit intelligere, quod ſecus competere nequit, cum ab eo ſeparatus neutiquam exiſtat: hæc illi. Sed qua firmitate aſſerantur, tute ex his, quæ ſubijcio, æqua lance dijudicato.

Principio falſum eſt, Ariſtotelem diuerſo modo de intellectu poſſibili, atque agente, loquutum eſſe, quo ad vtriuſque ſeparabilitatē. Immò verò vtrique eadem omninò attributa, ac notas aſcribit: atque adeò, quà ſeparabilitate vnum, eadem & alterum intelligat neceſſe eſt. Et quidem ſicuti loquens de intellectu poſſibili, eum aſſerit, *impaſſibilem,* tex. 3. *immixtum* tex. 4. *ſeparabilem,* tex. 6. & 7. ita tex. 19. de agēte ediſſerens, eaſdem conditiones de eo repetit, *& hic intellectus ſeparabilis eſt, & impaſſibilis, & immixtus:* Ex quo ita vrgere licet, præfatę conditiones, intellectui agenti attributę, arguunt, ſecundum Antagoniſtarū ſancita, realem eius a corpore ſeparationem, & in eſſendo: ergo cum eę ipſæ intellectui quoque poſſibili tribuantur, realem itidem eius a corpore ſeparationem, & in eſſendo inferunt: ſecus enim Philoſophus æquiuocè ſe, ne dicam ineptè in re tanti penſi, ac ponderis geſſiſſet.

Reſpondet Caietanus in Comment. ſuper 2. cap. huius 3. libri de Anima, tres prædictas cōditiones, eſſe quidem communes intellectui poſſibili, & agenti: ſed ex his non elici ſeparationem realem, & in eſſendo, ſed ex alia quarta conditione, quam Ariſt. ſoli intellectui agenti tribuit, & per quam hic differt ſubſtantialiter ab poſſibili. Illa verò exprimitur ſubſequentibus illis verbis: *ſubſtantia actu ens*: quatuor enim, non tres conditiones impertitus eſt Ariſt. intellectui agenti, quod ſit ſeparabilis, quod impaſſibilis, quod immixtus, & quod ſubſtantia actu ens, exponit Caietanus, ideſt,

quod

Digitized by Google

quod ſit intellectus exiſtens in actu, ex ſua ſubſtantia. Lubet eius verba ex ſcribere, vt eo loquente, quę ſit eius mens, penitius introſpicias; ait ergo. *Circa conditiones intellectus agentis in ſe ipſo, aduerte, quod quatuor conditionum, in littera ei attributarum: vltima tantum eſt ſibi propria, cæteris exiſtentibus communibus ſibi, & intellectui poſſibili, eſſe namque ſeparatum à corpore, eſſe impaſſibilem, eſſeque immixtum vniuerſis naturis ſenſibilium, communia ſunt vtrique: ſed eſſe ſubſtantia actu ens, ſoli intellectui agenti conuenit, & eſt id, per quod differt ab intellectu poſſibili eſſentialiter:* Hæc Caietanus.

Sed vehementer decipitur; nam verba illa Philoſophi *ſubſtantia actu ens:* non ſunt quarta conditio intellectui agenti attributa, ſed probatio, qua Philoſoph. probat, præfata illa tria, nempè eſſe impaſſibile, impermixtum, & à corpore ſeparabile, quæ intellectui poſsibili ineſſe, dudum probauerat, multò magis competere oportere agenti, vt mox oſtendam, & ita ruit machina aduerſariorum.

Errandi verò cauſa ipſi fuit, an varia, eaq; obſcura ſatis, & inuoluta latina, præfatæ ſententiæ, tranſlatio, an praua eius intelligentia: textus eſt, *καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς, καὶ ἀμιγὴς, καὶ ἀπαθὴς, τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ*, communis tranſlatio, quam etiam ſequitur Auerroes, habet: *& hic intellectus ſeparabilis eſt, & immixtus, & impaſſibilis, ſubſtantia actio exiſtens*. In antiqua verò tranſlatione, quam etiam habet S. Thomas, & amplectitur Caietanus iacet: *ſubſtantia actu ens*. alia; quam habet Aug. Nyphus. *Et hic intellectus ſeparabilis, & impermixtus, & impaſſibilis ſecundum ſubſtantiam eſt, qui eſt actu*: alia, quæ continetur in commentarijs Simplicij, è græcis latinitati donatis à Ioanne Faſeolo: *& is intellectus ſeparabilis, & immixtus, & impaſſibilis ſua ex ſubſtātia exiſtens actus*: Argyropolus trāſtulit, *& is intellectus ſeparabilis eſt, & non mixtus, paſſioneque vacat, cum ſit ſubſtantia actus*, conuerſio Philoponi habet: *& hic intellectus ſeparabilis eſt, & immixtus, & affectione vacuus, cum ſubſtantia ſit actu*: alij denique alio vertere modo, quorum tranſlationes, nec referre, nec impugnare, tametſi facillimum foret, in præſentia opus.

Transfero ego textum illum, & hic intellectus ſeparabilis eſt, & immixtus, & impaſsibilis, ſubſtantia cum ſit actu: nam græcum illud *ὢν*, idem omninò pollet, atque *cum ſit*, ſeu *quia eſt*, id norunt græcanicæ, ſeu diuinæ potius linguæ periti; ita etiam antiqua textus tranſlatio habet, illud *ὢν* alio in loco, nimirum lib. 1. de Anima, tex. 47. quo loci Philoſophus oſtendit aduerſus Platonem, intellectum non eſſe magnitudinem *πῶς γὰρ δὴ νοήσει μέγεθος ὤν*, in latino textu iacet; *qualiter enim intelliget magnitudo cum ſit*. Et lib. 1. de Anima, tex. 34. de intellectu habet, *τοιοῦτος δὲ ὤν, πῶς γνωρίζει; huiuſmodi autem cum ſit, quomodo cognoſcit?* Illud verò *ἐνεργείᾳ*, ſignificat actu. Hinc liquidò perſpicis, dicta verba, quæ malè tranſlata fuere: *ſubſtantia actio exiſtens*, ſiue *ſubſtantia actu ens*, ſiue *ſubſtantia actus*, & peius intellecta, haud eſſe quartam conditionem intellectui agenti attributam, ſed præcedentium trium, probationē: quid enim eſt, *cum ſit*, ſeu *quia eſt*? probatio ſanè: & huius probationis, annectit Stagirites aliam, *ſemper enim honorabilius eſt agens, patiente, & principium, ipſa materia*, vt tandem ſic lubeat Philoſophi rationem pertexere. Id, quod eſt actu, nobilius eſt eo, quod eſt potentia, quia honorabilius eſt agens patiente, & principium ipſa materia; ſed intellectus agens comparatur ad poſsibilē, ſicut id, quod eſt actu, ad id, quod eſt potentia, & ſicut agens ad materiam, vt dictum eſt tex. 19. ergo intellectus agens, eſt nobilior patiente: Atqui intellectus poſsibilis, eſt ſeparatus, impaſsibilis, & immixtus, vt ſupra oſtenſum eſt, ergo multò magis intellectus agens. Hanc equidem arbitror eſse legitimam Ariſtotelis mentem, quo flexit animum etiam S. Thomas, tametſi in aliquo, à nobis diſsideat Olfecit id etiam aliquo pacto Commentator (quamuis mox veluti Euripo quodam diſtractus, ad Colchodeas illas ſuas, & intelligentias nobis aſsiſtentes, præceps agatur) dum adnotauit particulam illam (*Et*) quæ intellectum agentem, ad poſsibilem referat: ait enim, *& cū declarauit ſecundum genus eſſe intellectus, & eſt agens, incepit facere comparationem inter eum, & poſſibilem, & dixit. Et iſte intellectus &c. id eſt, & iſte etiam intellectus eſt abſtractus, ſicut materialis, ſeu poſſibilis, & eſt etiam non paſſibilis, neque mixtus, ſicut ille*. Hæc Arabs.

Sed quoniam permulti adhuc grauiter hic offendunt, exiſtimantes, actionem intellectus agentis, eſſe eius ſubſtantiam, idque ſibi ex præfatis verbis; *ſubſtantia actio exiſtens*, colligere viſi, addo duas huiuſce textus explicationes, præter eas, quas in Diſputatione de intellectu agēte adhibui.

Prior eſt, vt dictio illa (*ſubſtantia*) quæ græcè iacet *τῇ οὐσίᾳ*, dandi caſu, non referatur ad intelle-

tellectum agentem, ſed ad animam ; & ſenſus erit, & hic intellectus, ſeparabilis eſt, & immixtus, & impaſsibilis ; quia eſt actu ipſi ſubſtantiæ : Cui quidem expoſitioni non leuem ſtruit fidem articulus ille τῇ, quem aptè expoſueris, ipſi, ſiuè huic, vt τῇ ὀυσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ, ideſt, ὢν, cum ſit, ἐνεργείᾳ actu τῇ ὀυσίᾳ, ipſi ſubſtantiæ, nẽpè animæ: vbi Philoſophus innuit etiam diſcrimen inter poſſibilem, & agentem intellectum, quòd ille eſt ipſi animę potentia omnia, *& nihil eſt actu eorum, quæ ſunt, antequam intelligat*, vt dicitur tex. 5. agens verò ineſt eidem animæ, ſed actu, quia agens: & vnumquodq; agit inquantum eſt actu.

Poſterior præfati textus expoſitio ea ſit, vt dictio *ſubſtantia*, referatur quidem ad intellectum agentem, ſed cõnectatur tamen ipſis attributis eiuſdẽ vt ſenſus ſit: Et hic intellectus ſeparabilis eſt, & immixtus, & impaſſibilis ſubſtantia: hic ſiſte, ideſt hoc habet ſecundum ſubſtantiam ſuam (eſt enim *ſubſtantia* caſus obliquus) ſine ſecundũ entitatem: enimuerò ὀυσία ſignificat etiã entitatem: Dein probatio. *Cum ſit actu*. Si verò cuipiam nimius ego, ac nimium deſcendiſse videar, hic ſi quot errorum teterrima monſtra, ex prauo huiuſce ſententiæ, intellectu ſerpſerint cogitatione pelluſtrauerit, erit profectò, quod dicat, me quampauciſſimis adhuc egiſſe. Vt igitur ad rem veniam, ex his habe, tres duntaxat eſſe conditiones intellectui agenti adſcriptas, atque eaſdem omninò, quæ & intellectui poſſibili: Et ſi in illo arguunt ſeparationem realem, ac in eſſendo, etiam in hoc, hoc ipſum efficiunt.

Falſum etiam eſt, quod ait Caietanus, Philoſophum diuerſo modo de agente, atque poſſibili intellectu loquutũ: ſed quod in tex. 20. de agente ſermonem habens, dicat, *eum eſſe ſeparatum in eo, quod verè eſt*. quod expoſuit ipſe, vti aiebam, in eſſendo: Errat, nam in illo textu 20. non amplius ſermo de intellectu agente, ſed de radice vtriuſque intellectus, ſeu de parte illa animæ intellectiuæ, qua cognoſcit anima, & ſapit, vt expoſuerunt S. Thomas, Philoponus, & nos infra.

Tripartita etiam illa immixtio, & ſeparatio a materia, in præſentia, quod ad intellectum attinet falſa eſt. Atque vt alia multa prætercam, lubẽs eos interrogauerim; Quomodo intellectus poſſibilis eſt ſeparatus, & immixtus corpori perfectiuè? an non perficit ille corpus, eleuatque ad ſublimiorem gradum entis? an ipſi putent, ſe abſque intellectu, eodem modo perfectos fuiſſe futuros, ac ſunt modo? nam vt eorum vtar exemplo, ſphæra, quæ dicitur materiei immixta perfectiuè, non eſt perfectio æris: ſiuè enim ſphærica, ſeu triangulari, vel quauis alia figura æs aliquod formaueris, nullam ei in ſe maiorẽ addideris perfectionẽ: quia ſphærica figura eſt illi immixta ſecundũ eos perfectiuè, & non eſt ſicuti anima, quæ ſuaptè natura eſt actus, & perfectio corporis; pari itaque ratione, ſi intellectus eſt immixtus corpori perfectiuè, corpus eodẽ modo erit perfectum, cum illum habet, ac ſine illo: atq; adeò tam perfecta erunt, quæ prædita ſunt intellectu, quàm ſint eius expertia.

Præterea, ſphæra, ita materiæ eſt immerſa, vt nullam vnquam actionem ſine materia exercere queat: Atqui intellectus poſſibilis, cum habeat propriam operationem, intelligere, ſine corporeo adminiculo, ſaltem ſubiectiuè, non rectè comparatur ſeparationi ſphęræ. Ad hæc, quomodo hic intellectus eſſet impaſſibilis; quomodo non organicus, quomodo non affixus corpori, ſi ita eſset a corpore ſeparatus, vt à ſenſibili materia ſphæra? num ſphæra non eſt affixa materiæ? vel ei quicquam horum competere poteſt, quæ intellectui tribuuntur.

Cęterùm, vt vera, ac realis intellectus poſſibilis a corpore ſeparatio, eiuſque immortalitas eluceat magis, animo repetendum eſt, ex Ariſt. lib. 1. de Anima tex. 25. & 30. Veteres ferè omnes Philoſophos, qui naturam animæ per cognitionem venabantur, poſuiſſe animam compoſitam, & conflatam ex elementis, rerumque principijs ea coacti ratione, quòd cum omnis cognitio fiat per aſſimilationem cognoſcẽtis ad rem cognitam (in eo quippè Veteres cõſenſere omnes, vt dicitur tex. 26. eiuſdem lib. 5. *cognoſci ſimili ſimile*) oportebat, animam, quæ res omnes cognoſceret, omnibus aſſimilari. Nequit autem omnibus aſſimilari, niſi ex iiſdẽ principijs conſtet, ex quibus etiam res omnes; haud quippè intercedit ſimilitudo, vbi non eſt participatio; eòque ſi anima cognoſcit res omnes, & vt cognoſcat debet cunctis aſſimilari, ſequitur illam, eadem principia rerum in ſe habere, ex quibus res omnes conſtant.

Hinc dicebant (verba ſunt Empedoclis, apud Ariſtot.) *Terra quidem, terram cognoſcimus, aqua autem aquam, æthere verò æthera diuũ, ſed igne ignem manifeſtum, concordiam autem concordia, diſcordiam verò diſcordia triſti*: ſed decepti

pti ſunt, inquit S. Thomas ſuper textum illum 26. in hoc Veteres, quòd neſcierint diſtinguere modũ illum, quo res eſt in intellectu, ſeu in oculo, vel imaginatione, & quo eſt in ſe ipſa. Veritas enim eſt cognitionem fieri quidem per ſimilitudinem rei cognitę in cognoſcente, oportet quippè rem cognitam, modo aliquo eſſe in cognoſcente, ſed non ſecundum eſse naturale, & ſecundum idem eſſe, quod ea habet in ſe ipſa, vt illi exiſtimarunt, ſed per ſuam ſpeciem.

Ex omnibus itaque antiquis Philoſophis, qui *animam, aut elementum, aut ex elementis fecerunt* compoſitam, vt dicitur tex. 33. libri 1. de Anima, vnus Anaxagoras diſcrepauit: qui quidem aſseuerabat, animam intellectus participem, vel ſi mauis intellectum humanum, nec elemẽtum, nec ex illis quicpiam eſſe, ſed incorporeum quid, impaſſibile, impermixtum, & nihil denique commune habens cum elementis, rerumque corporearum principijs. Cæterùm cum intellectum humanum huinſce conditionis poſuerit, quomodo fieret intellectio, & qnomodo ille res alias intelligeret, nõ potuit, vel noluit explicare. Ecquem vnquam adſtipulatorem, aſſertoremque afferam huius doctrinæ? non alium cherclè, quàm Stagiritem; is .n. in eodem lib. tex. 31. & 34. his omninò loquitur: *Anaxagoras autem ſolus impaſſibilem dicit eſſe intellectum, & nihil commune vlli aliorum habere: huiuſmodi autem cum ſit, quomodo cognoſcit, & propter quam cauſam, neque ille dixit, neque ex his, quæ dicta ſunt, conſpicuum eſt.* Et Commentator ſuper ea verba, *Anaxagoras*, ait, *ſolus dixit, quod intellectus non recipit paſſionem, hoc eſt, non eſt materialis, & quod in nullo habet communicationem cum alio, ideſt, quod nulla res omnium, quas intelligit, eſt in eo, itaque neque eſt hoc, neque in hoc, neque corpus, neque virtus in corpore: & hoc nullus dixit, niſi Anaxagoras, & ſuper hoc laudabit illum poſtea:* Commendat verò Philoſophus lib. 3. textu 4. dum ſcribit: *Quoniam omnia intelligit impermixtus eſt, vt dicit Anaxagoras.* Hinc vide, quomodo intelligat Ariſtoteles, intellectum poſſibilẽ, eſſe impaſſibilem, & impermixtum: capit enim ea ſignificatione, qua & Anaxagoras: Ille autem poſuit intellectum noſtrum a corpore ſeparatum, ſeparatione reali, ergo eodem modo poſuit etiam Ariſtoteles.

Quod ſi obijcias, Anaxagoras nomen *intellectus*, cepit pro intellectu primo, nimirum Deo, qui meritò ab omni corporcitate, & concretione mortali ſeiunctus, ac ſeparatus eſt; non autẽ nomine intellectus, intellexit humanum: quare omnia, quæ allata ſunt, nihil ad fides.

Dico, Anaxagoram nomine intellectus intellexiſſe duo. Primam rerum omnium efficientem cauſam, ac Deum, qui per eſſentiam eſt intellectus: Et etiam intellectum humanum, ſiue animam intellectricem. Primum patet ex eius fragmento, quod apud Diogenem Laertium in Anaxagoræ vita habetur, cuius hoc eſt initium *πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ, εἶτα νοῦς ἐλθὼν, αὐτὰ διεκόσμησεν.* ideſt, res omnes erant ſimul, deinde accedens intellectus, ea ornauit: vnde Laertius ait, Anaxagoram, primum omnium, induxiſſe ipſi materiæ intellectum, nimirũ cauſam efficientem, ac Deum. Idem habes apud Ariſtotelem tex. 31. lib. 1. de Anima, cum ait, *dicit*, ſcilicet Anaxagoras, *intellectum mouiſſe omne*, & tex. 23. & 1. Metaphyſ. cap. 4. Explicat etiam Plutarchus lib. 1. de placitis Philoſophorum, cap. 7.

Quod verò eodem intellectus nomine, humanum etiam intellectum, atque ipſam intellectricem animam intellexerit, hinc habeas. Primò, nam quid eſſet, quod ab Ariſtotele in hoc 3. lib. de anima adduceretur Anaxagoricus intellectus, vbi ſermo incumbit de intellectu humano, ſi ille intellectus nomine, primum ſolummodò ac Diuinum intelligeret? ad quid eius ratio eſſet afferenda? *Sicut dixit Anaxagoras, vt dominetur, hoc autem eſt, vt cognoſcat?* Præterea, quia Anaxagoras, vt auctor eſt Laertius, loco quem dixi, appellatus fuit *νοῦς*, hoc eſt, intellectus, ac mens, qua quidem appellatione, non Deum, ſed animam eius, atque intellectũ intellexiſſe, clarius eſt, quàm vt in oppoſitum, vel ſuſpicari detur. At auctorem noſtrum audiamus, qui nos doceat lib. 1. de Anima, tex. 23. & 24. Anaxagoram intellectus vocem, & intellectui Diuino, ac Deo ipſi, & noſtro etiam aptauiſse. *Democritus quidem dicit ſimpliciter idem eſſe animam, & intellectum: Anaxagoras autẽ, minus de ipſis explicat: multocies enim cauſam eius, quod benè, & rectè eſt, dicit eſſe intellectum:* hic intelligo Deum, *alibi verò, intellectum eſse ipſam animam aſserit.*

Ex hactenus, itaque dictis, tria colliges. Vnũ, cunctos antiquiores Philoſophos naturales, poſuiſse animam, vel elementum, vel ex elemẽtis conflatam, animam dico humanam: quippè, vel de ea ſola, vel fortaſſe præcipuè ſermonem agitabant: ita retulit Stagirites tex. 7. lib.

1. de

3.de Anima. *Nunc enim qui diſputant,& quærunt de anima, de humana ſolum videntur intendere*. Alterum,quod ſolus Anaxagoras poſuit intellectum,eumque humanum,immixtum, impaſſibilem,incorporeum,nihilque commune habentem cum rebus alijs. Tertium denique, quod cum illum huius conditionis fecerit, non aperuit,qui vnquam fiat intelligere noſtrum.

Auctor itaque noſter,reiectis confutatisque in ſuperioribus libris,aliorum ſententijs, in hoc tertio acturus de ea parte animæ, qua cognoſcit,& ſapit anima,amplectitur ambabus,quod aiunt,vlnis Anaxagoræ ſententiam:nempè intellectum poſſibilem, de quo ſermonem inſtituit,eſſe ens impaſſibile, incorporeum, impermixtum,ac ſempiternum:idque in cauſa eſt,cur Anaxagoram efferat laudibus, & ſuam hanc aſſertionem illius fulciat auctoritate. Supplet verò (quod mox videbis) id quod ille non attigit, nempè quomodo fiat ipſum intelligere; Et ſic vides, de quanam intellectus a corpore ſeparatione,capiat Philoſophus præfata attributa, ea nẽpè, qua & Anaxagoras: Ille verò itahumanam mentem ab huius corporis ergaſtulo ſeparabilem,atque immortalẽ poſuit; vt auctor eſt Laertius loco quẽ dixi, vt aliquando, dum exul degeret, reprehenſus a neſcio quo, quòd nullam patriæ ſuæ curam gereret, reſponderit, tace amice: immò maximam, ego patriæ meæ (& ſimul digito cęlum oſtendit) curam gero. Veram, veroque Philoſopho dignam patriam,cęlum, heu quiſquis es ſuſpice, vt

Se cęlum pandit nobis magnumque capaxque,
Hæc patria eſt ſtabilis: tu mihi terra vale.

Quinimò ſi preſſius Philoſophi litterã perpendas,eum profectò vel iiſdem verbis, reperies Anaxagoræ ſententiam,de intellectu, animaque noſtra amplexatum. Enimuerò quemadmodum ille Solus ponebat,*intellectũ eſſe impaſſibilem*: vt dicitur lib.1.de Anima tex.34.ita Stagirites poſuit intellectum noſtrum patientem *eſſe impaſſibilem* tex.3.huius 3.libri: quemadmodum ille ponebat, *intellectum eſſe impermixtum* tex.31.eiuſdem primi; Sic auctor noſter dicit eundem *eſſe impermixtum* tex.4. huius 3.libri:quemadmodum ille aiebat, *intellectum ſolum,eorum quæ ſunt,ſimplicem eſſe*: eodem 1.libro,tex.31.ſic in præſentia tex.6.habetur, *intellectum,nihil eſſe eorum,quæ ſunt,antequam intelligat*: quemadmodum ille cenſebat; *intellectum nihil commune, alicui aliorum habere*. allato tex. 34.ita Philoſophus tex.6.huius libri, *quo circa neque ipſum intellectum miſceri corpori rationabile eſt*. Denique,quemadmodum ille patriam, appellauit Cęlum, quòd anima pia poſt ẽgreſsũ a corpore,cò fęliciter inuolat, ſic Ariſt. de intellectuum radice, animam,concludit tex.20. *hoc ſolum immortale eſt,atque perpetuum*. Dixi multis,& prolixioribus fortaſſe,quàm opus: ſed nõ vltra ſepta:quia ex his,& germana Philoſophi mens,de vera,ac reali intellectus ſeparatione, fęliciſſimè cuique detegitur: & formalis illa, vel chimerica aduerſariorũ ſeparabilitas,apertè exploditur,& ad extremas vſque inſulas, amandatur.

Hoc ipſum longè clarius introſpicies,ſi Philoſophi rationes, quibus id probat, Diſputatione ſequenti a nobis pro virili parte enucleatas perpendas.

Verùm,ex alio quoque capite comprobatur,eundem intellectum eſſe materię,interitusque expertem: nempè ex eius obiecto, de quo Stagirites a tex.9.vſque ad 12.idque ſtatuit eſſe quidditatem rei a ſingularibus abſtractam, vt grauior ſyncerriorque auctorum pars interpretatur. Ex quo ſic arguo. Quodcumque recipit aliquid vniuerſaliter,& abſtractiuè obiectiuè,vel ſubiectiuè,quod in ſe eſt ſimpliciter materiale,ac ſingulare;id omne eſt ſimpliciter immateriale:Hæc enunciatio,vel ex terminis, quod aiunt ipſis,cuique eſt nota. Atqui intellectus recipit aliquid vniuerſaliter obiectiuè, vel ſubiectiuè, quod in ſe eſt ſimpliciter ſingulare, vt potè rerum quidditates,atque vniuerſalia, quę quidem ante intellectum ſunt ſimpliciter ſingularia,ac materialia: hæc quippè vniuerſaliter recipit,an ſubiectiuè, an obiectiuè; igitur hic intellectus, eſt ſimpliciter immaterialis, atque adeò incorruptibilis. Quam quidem rationem in hac materia, demonſtrationem exiſtimat Auguſtinus Nyphus ſuper 3. de Anima, tex. 5. Id, quod multis alijs rationibus oſtendere poſſem,ſed eas alius expectat locus.

Ex tertio etiam capite,vt eum S.Thoma initio ſectionis monebam, vbi Philoſophus difficultates quaſdam excitat, aduerſus ea, quæ determinauerat,dilucidè eiuſdem intellectus immortalitas confirmatur. Quippè cum naturam,ac perennitatẽ intellectus poſſibilis,eiuſq; obiectum aperuerit,multifariam ambigit. Et primò quidem circa id, de quo olim carpſerat Anaxagoram,cum intellectum humanum, ſimplicem,impermixtum,incorporeũ, ac nihil vnquam commune alicui aliorum habentem,ſanxiſſet,

xiſſet, non explicuerit, quomodo fiat intelligere.

Inquit itaque tex. 11. *Dubitabit autem vtique aliquis, ſi intellectus ſimplex eſt, & impaßibilis, & nulli aliquid habet commune, ſicut dicit Anaxagoras, quomodo intelliget, ſi intelligere pati aliquid eſt?* ſubnectitur ratio dubitandi, *in quantum enim aliquid commune vtriſque ineſt, hoc quidem agere, illud autem pati videtur.* Formetur ratio, & erit: Omne agens, & patiens, qua huiuſmodi, communicare debent in materia, vt dicitur in primo de ortu, & interitu tex. 43. *Quare in quibus eſt facere, & pati, neceſſe eſt horum vnam eſſe ſubiectam materiam*; & etiam hic. Vnde Auerr. ſuper 3. de Anima tex. com. 12. ait, *quod niſi eſſet materia, non eſſet paſſio*: de qua tamen propoſitione, vide eundem com. 14. & 28. Atqui intellectus non communicat in materia, cum rebus alijs, quas intelligere debet: quid ita? quia eſt ſimplex, impermixtus, ac nihil vnquam commune alicui aliorum habens, vt determinatum fuit; igitur ab illis pati nequit. Intelligere autem eſt quoddam pati; quare vel malè ſancitũ eſt, intelligere eſſe quoddam pati, vel ſi eſt, intellectus non intelliget.

Hęc eſt difficultas: & benè hic Commẽtator, *ſumus*, inquit, *igitur inter duo: aut, vt non ponamus, qđ intelligere eſt in capite paſſionis, aut ponamus, qđ intellectus materialis communicat corpori, cuius oppoſitum ſupra eſt determinatum*: in qua quidem difficultate, perpẽde quomodo intellectus ſupponitur a Philoſopho immaterialis, cum in mi nori illa propoſitione, in qua dubitationis vertitur cardo, eum, non communicare in materia cum rebus alijs aſſerat: quod autem non communicat in materia, immateriale eſt. Quod etiã Stagirites ipſe diſertis repetijt verbis tex. 16. *ſine materia enim potentia eſt intellectus talium*: hęc quantum ad difficultatem.

Age iam ſis, huius quoque dilutionem ab eodem Philoſopho allatã audiamus: ſic in tex. 14. pergit, *an pati quidem ſecundum commune aliquid diuiſum eſt prius*: nempè paſſio duplex; vt explicatum habes ab eodem auctore in 2. de Anima tex. 57. hæc quidem alteratiua, & corruptiua; hæc verò perfectiua, & potius ſalus, quępiam eius, quod eſt potentia, ab eo, quod eſt actu. Illa quidem, vt inquit, S. Thom. ſuper hũc 14. textum, eſt in contrarias diſpoſitiones, quẽadmodum eſt paſſio mutua in rebus naturalib. quæ quidem in materia communicant. Hæc verò eſt per receptionem duntaxat alicuius. Vide eundem S. Thomã in prima parte, quęſt. 79. art. 2. vbi tractat hanc quæſtionem, an intellectus ſit potentia paſſiua, & diſtinguit triplex pati. Nunc ad rem, intelligere eſt quoddã pati, (quod intellige cauſaliter) conditionis ſecundæ, quippè cum intellectus ſit in potentia ad intelligibilia, tanquam tabula raſa, patitur vtique inde, quòd ab intelligibili obiecto, reducitur ad actum, ſed perfectiuè. Et ob id, inquit Simplic. ſuper ſecundum tex. tertij de Anima, intellectus poſſibilis appellatur materialis, quia omnia patitur, atque aliunde perficitur, ſicut etiam ſenſus. Conſultò etiam adiecit Stagirites, particulam illam *quoddam pati*; ne huiuſmodi forſan aliquando pati, inquit Simplic. interpretemur, quod corrũpendi vim habeat; ſed quod perficiendi: illuſtrat Philoſophus idem ipſum exemplo τοῦ γραμματείου, ſeu tabulæ litterariæ, quæ tantum abeſt, vt a litterarijs elementis, quæ illi inſcribuntur, corruptiua quapiam, vel alteratiua paſſione afficiatur, vt potius ab ijs ipſis ornetur, perficiaturq; de quo tamen exemplo, adi interpretes, pręſertim Philoponum, & Auerroem.

Obuiam itaque it Ariſtoteles allatæ difficultati, inquiens, verum eſſe, id quod patitur primo modo, per contrarias diſpoſitiones, debere quidem communicare in materia, cum paſſo: non verò illud, quod patitur per ſolam receptionem, qua ratione intellectum ab intelligibili obiecto dicimus pati; quamuis eum ipſum, non communicare in materia cum rebus alijs, & immortalem conſtituamus. Hinc acri, alacriq; ſpiritu rimare, & examuſſim perpẽde intellectus poſſibilis immaterialitatem. Quocirca Commentator *hoc pacto*, inquit, *poſſibile fuit, vt intelligentiæ abſtractæ perficerentur ad inuicem: & ſi non, non eſſet poſſibile, vt illic intelligeretur recipiens, neque receptibile*: Vna enim intelligentia, ſi aliam intelligere debet, neceſſe eſt, vt intellecta recipiatur, intelligẽs verò recipiat, cum intellectio fiat per aſſimilationem. Itaque quemadmodum intelligentiæ patiuntur ab obiecto intelligibili, licet ſint immateriales, ita intellectus noſter, & eſt virtus paſſiua, reſpectu obiecti intelligibilis, vnde ei uit ſpecies, & reſpectu etiã ſpecierum: Et eſt etiam immaterialis: Atque *hæc duo*, inquit Commentator *ſunt principium omnium, quæ dicuntur de intellectu*; ſed nobis hic ſit de eo ipſo finis: quippè quem hęc omnia non conuicerint, huic tu fruſtra canis, & vndas, quod aiunt, numeras, & ſi innumeras huius

ius generis auctoritates aſportes; ita,vt tibi illud Lycophronis modo non perſonare videatur:

Τὸν γὰρ ψαλάξεις εἰς κενὸν νεύρας κτύπον
  Ἄσιτα, κἀδώρητα φορμίζων μέλη, ideſt
Itaque ciebis irritos fidium ſonos,
  Ieiuna,& indonata pulſans carmina.

SECTIO SEXTA.

Intellectum agentem,tum radicem huius, atque poſſibilis intellectus, nempè animam ipſam rationalem,incorruptibilem, ac immortalem eſſe, ex eodem tertio libro de Anima oſtenditur.

INTELLECTVM poſſibilem ab omni corruptione eſſe immunem,ni obluctcris proreruè, abundè firmatum habes:Id verò ipſum de agenre agere, non eſt multi laboris. Enimuerò intellectum agentem eſſe immixtum corpori, ab eoque ſeparabilem, ac immortalem, Peripateticorum hucuſque dubitauit nemo;cum Philoſophus id non modo pleno fateatur ore,verũ etiam probet. Cuius hęc verba legimus in 3.de Anima libro tex.19. *Et hic intellectus*, nempè agens,*ſeparabilis eſt,& immixtus, & impaſſibilis, ſubſtantia cum ſit actu. Semper enim honorabilius eſt agens patiente,& principium materia.*

Hinc iam,anima quoqne particepsrationis, vel hac ratione ab omni vindicata corruptione prodit. Enimuerò ſi intellectus poſſibilis, & agens,vt probarum eſt, ſunt a corpore ſeparabiles,ac immortales, ergo etiam eorum ſubiectum,ideſt anima intellectrix. Conſecutio inde liquet, quoniam nequit eſſe facultas,atque potentia vlla,abſque ſubiecto,a quo, & in quo fluat,inſitque; ſiue re,ſeu ex natura rei eam a ſubiecto,& anima ſeparaueris. Vtrumque autem intellectum,eſſe facultatem, ac potentiam animæ rationalis, demonſtratum a nobis habes, Diſputatione 8.de Intellectu agente, & Diſputatione 9. de poſſibili: atque adeò euidenter,conſequitur, etiam animam intellectu præditam, ſedẽ ac fundamentum vtriuſque intellectus,eſſe a corpore ſeparabilem, ac immortalem.

Quamquidem conſequentiam,intulit etiam Stagirites: vbi enim vtrumque intellectum,ſeparabilem,impermixtum, ac immortalem eſſe probauerit, actutum ſubnectit de anima ipſa intellectrice tex.20. χωρισθεὶς δ' ἐστὶ μόνον τοῦθ' ὅπερ ἐστί. Latinè iacet: *Separatus autem,eſt ſolum hoc,quod quidem eſt*,vel vt alia translatio habet, *eſt ſolum id,quod verè eſt.*

Circa quæ quidem verba,primò animaduerto,improprietatem latinæ translationis, & incommodam verſionem: malè enim illud, χωρισθεὶς δὲ, transfertur, *Separatus autem &c.* & longè corruptius iacet in antiqua verſione, quam etiam habet Auerroes, *abſtractus autem*. Quid ita? quia illud, χωρισθεὶς, cum ſit primus, quem vocant aoriſtus,a verbo χωρίζω, verti debet; poſtquam fuerit ſeparatus:ſeu,cum fuerit ſeparatus, eſt *ſolum hoc, quod quidem eſt.*

Viden'.in prioribus illis verſionibus: *Separatus autem,eſt ſolum hoc,quod quidem eſt*, vel *abſtractus autem,eſt ſolum hoc, quod quidem eſt*, importari actualem ſeparationem eius,de quo eſt ſermo. Ex quo plerique decepti aſſeruerunt,id eſſe de intellectu agente,ſiue Deo, ſiue ſubſtãtia aliqua ſeparata intelligendum. In hac autẽ noſtra verſione inſinuantur duo; Alterum,actualis coniunctio eius de quo loquimur,cum alio. Alterum, porentialis eiuſdem ſeparario ab eodem:Ita,vt ſenſus ſit, & hic intellectus, qui modo eſt vnitus corpori, poſtquam fuerit ſeparatus,eſt ſolum hoc,quod quidem eſt,ſola videlicet ſubſtantia,vt mox dicemus.

Animaduerto ſecundò, ſubſequentia verba, τοῦθ' ὅπερ ἐστίν, *hoc quod quidem eſt*: quæ Caiet. ſuper 3.de Anima capit. 2. lancinat præter æquum; *& ſcito*, ait, *quod,vt a Græcis accepi, tranſlator huius textus fuit pluſquam grammaticus in lingua græca; eò quod,vbi in textu noſtro dicitur, qđ verè eſt; in græco, loco ly verè, habetur ly per, quod apud Græcos non ſignificat verè, ſed hiatus euitandi cauſa ponitur, & hoc ſecundum proprietatem vocabuli: Veruntamen translator conſcius Ariſtotelicæ auctoritatis,& conſuetudinis, optimè tranſtulit, & poſuit ly verè, loco ly per.*

Sed lippit profectò Caietan. & læua, quod aiũt, manu,iſthæc accepit; in hoc quippè ὅπερ. ſunt duæ dictiones; & dum ipſe alteram ſolum περ exprimit,quę hiatus euitandi cauſa adijcitur; alteram, ὃ in qua, res ipſa ſiſtit omittens, vix eruditis euitat riſum. Illud itaque ὅπερ ἐστὶ *quod quidem*,ſeu *quod verè eſt*,apud Ariſtot.idem omninò pollet,ac ſubſtantia; vel ſi mauis, id, quod propriè eſt. Propriè autem eſt,ſola ſubſtantia:quia accidentia,ſunt entis entia;& affe

ctiones

ctiones ſubſtantiæ: & per ordinem ad illam, ſunt huiuſmodi; vt habes 7. Metaph. cap. 1. Ita loquitur Philoſophus paſſim: 1. phyſic. tex. 26. aduerſus Parmenidem & alios, qui omnia entia, vnum eſſe poſuerant. Eos ait, accipere oportet, non ſolùm vnum eſſe ens, *ἀλλὰ καὶ ὅπερ ὄν, καὶ ὅπερ ἕν*, *ſed & quod verè eſt, & quod verè vnum eſt*: per quæ quidem verba, vt interpretes exponunt, & præcipuè Simplic. intelligit ſubſtantiam: quocirca, ita ſubdit de accidente: *accidens enim de ſubiecto quodam dicitur*. Et clarius tex. 27. *εἰ οὖν τὸ ὅπερ ὂν ἢ μηδενὶ συμβέβηκεν, ἀλλ᾽ ἐκείνῳ τι*, *Si igitur quod verè eſt, nulli accidit, ſed illi aliquid.* hoc eſt, ſi ſubſtantia non accidit alicui alteri, ſed potius illi accidunt alia; Adi Stagiritem lib. 8. Metaph. tex. 16. vbi idipſũ toties repetitũ habes: vt tandẽ in calce eius libri concludat, *ὅσα δὲ μὴ ἔχει ὕλην, πάντα ἁπλῶς ὅπερ ὄντα τι*. *Quæcunque verò non habent materiã, omnia ſimpliciter entia, ſunt ipſum quid.* quod ipſe explicat incipiens librum proximum. *De primo itaque ente, & ad quod cætera omnes entis prædicationes referuntur, hoc eſt de ſubſtantia, dictum eſt.*

Ex his planè liquet, *τοῦθ᾽ ὅπερ ἐστὶν* *hoc quod quidem eſt*, ſiue, *hoc quod verè eſt*, idem apud Philoſophum importare, atque ſubſtantia.

Scito præterea, hoc nomen intellectus duo ſignificare, vt inter alios optimè adnotauit Sanctus Thomas in 1. parte, quæſt. 79. artic. 1. & de Veritate, quæſt. 17. artic. 1. & ſuper primum de Anima tex. 65. Potentiam videlicet animæ intellectricis, & ipſam animã intellectricem: id quod nos ſuperius Diſputatione 2. ſectione 4. multis oſtendimus. Poſteriori modo ſumitur in hoc tex. 20. intellectus. Quamobrẽ legitima, germanaque huiuſce textus intelligẽtia eſt: Et hic intellectus, nimirum aĩa intellectiua, quæ modo eſt vnita corpori, poſtquã ab eo fuerit ſeparata, eſt ſolum hoc, quod quidem eſt, nimirum, ſolum ſubſtantia, & ens intellectiuum. Et de hac animæ ſubſtantia concludit tandem tex. 20. *καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον, καὶ ἀΐδιον*. *& hoc ſolum immortale eſt ac perpetuum*, hæc inquam ſolum ſubſtantia eſt immortalis, ac ſempiterna; aliæ verò, ſcilicet vegetatiua, & ſenſitiua haudquaquam.

nclusio Ariſt. de Anima immortalitate.

Habe aliam etiam ſalebroſi huiuſce loci, & eam quidem occultiorem intelligẽtiam, quam ex latino textu minimè eruere potes. Hæc Philoſophi concluſio, *καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον, καὶ ἀΐδιον*. *Et hoc ſolum immortale ac perpetuum*; reſpondet, ac refertur ad propoſitionem factam ab eodem Philoſopho initio huius tertij libri: *De particula autem animæ, qua cognoſcit anima, & ſapit.* & cum hæc particula ſit principium intellectiuum; & ipſa anima particeps rationis, de ea conſtituitur præfata concluſio.

Quod vt intelligas, ſcito, quod cum Stagirites proponeret, ſe tractaturum de anima intellectiua, ordiebatur *περὶ δὲ τοῦ μορίου τῆς ψυχῆς, ᾧ γινώσκει τε ἡ ψυχὴ, καὶ φρονεῖ, εἴτε χωριστοῦ ὄντος, εἴτε καὶ μὴ χωριστοῦ κατὰ μέγεθος, ἀλλὰ κατὰ λόγον, σκεπτέον*, vbi *τὸ μόριον*. Morion eſt generis neutrius: latinus verò interpres, mutato genere, vertit, *de particula autem*. Quocirca Ariſtoteles ſuæ propoſitionis tenaciter memor, ad illam reſpondens; concludit textu 20. *καὶ τοῦτο μόνον*: hoc eſt, & hoc *μόριον*, de quo propoſuimus agere, hoc ſolum eſt immortale, ac perpetuum: reliqua verò *μόρια*, ſiue animæ partes, vegetatiua inquam, & ſenſitiua, de quibus etiam egimus, non ſunt immortales. Interpres verò latinus, an oblitus ſe, dictionem illam *μόριον*, mutato genere, tranſtuliſſe *particulam*, an ad propinquiora reſpiciens; poſuit relatiuum *hoc*, dicens; *Et hoc ſolum immortale eſt ac perpetuum*: vbi ſi ſibi cõſtaret, quemadmodũ illud ſubſtantiuum *μόριον*, vertit *particulam*, ita tex. 20. *καὶ τοῦτο*, quod eſt relatiuum dictionis illius, *μόριον*, ponere debebat, *& hæc*, vt eſſet relatiuum illius dictionis, *particula*, quæ erat propoſitio: quo pacto Philoſophi mens clara, apertaque omnibus redderetur: Et hæc ſola particula, qua cognoſcit anima, & ſapit, eſt immortalis, ac ſempiterna; reliquæ verò, an partes, an gradus animæ, neutiquam ſunt immortales.

Hic ergo, adhibitis quoq; rationibus (quas Diſput. proximè ſuccedente pro viribus enucleamus) determinatè ſancit, quod alijs in locis ex ſententia innuebat: vt lib. 1. de Anima tex. 65. *Intellectus autem videtur innaſci, & non corrumpi.* tum etiam: *intellectus fortaſsè diuinius quid, & impaſſibile eſt.* tum lib. 2. tex. 21. *Intellectus autem videtur aliud animæ genus: & hoc ſolum poteſt ſeparari, ſicut perpetuum a corruptibili:* tum ſexcentis alijs in locis, quæ alias tetigimus.

Fare age, potuit vnquam Diuinus præceptor clarius, apertiuſque humanæ animæ immortalitatem aperire? & quam ab omni antiquitate, rametſi inuolutã hauſerat, enucleatã, probatãq; relinquere poſteritati? vt meritò deploranda ſit multorũ conditio, qui dum ſe Ariſtot. interpre-

terpretari, plenis, quod aiunt, buccis proſ- rentur, ac iactitant, & eum mortalitatis animorum faciunt aſſertorem, ac parricidam, tantum a vera germanaque eius intelligentia relinquuntur poſteriores, quantum ab æthere tellus.

Ex his facili etiam negotio confutabis prauam quorundam interpretationem, qui præfatum textum non de anima noſtra, ſed de intellectu agente, quem ponunt eſſe Deum, aut ſubſtantiam aliquam ſeparatam; interpretati ſunt.

Primo, ex noſtra verſione: nam intellectus de quo Philoſophus ait. *poſtquam fuerit ſeparatus eſt* &c. dicit actualem coniunctionem cum alio, & potentialem ſeparationem ab eodem, vt dudum aiebam. Atqui nec Deus, nec ſeparata quæpiā ſubſtantia eſt huiuſmodi: ſunt quippè actu, a quacunq; concretione materiali ſeiūctæ, ac ſeparatæ. Ad hæc, inſtat Philoponus, nā quomodo dicit Ariſt. quod intellectus ſolus eſt immortalis, ac ſempiternus? ait enim *& hoc ſolum eſt immortale, ac perpetuum*: ſiue enim primā cauſam intellexerimus, non eſt ſola immortalis, ſunt enim & alia immortalia: nec ſi ſubſtantiam aliquam ſeparatam intellexeris, ea eſt rurſus ſola immortalis: nam & prima cauſa immortalis, & adhuc multa alia; erit itaque id affirmandum, de intellectu humano, eiuſque radice, anima, quæ ſola dicitur immortalis; ex his omnibus, quæ ſunt in homine.

Perpendenda etiā nobis eſſent ſubſequentia Philoſophi verba; *non reminiſcimur autem, quia hoc quidem impaſſibile eſt, paſſiuus autem intellectus corruptibilis eſt, & ſine hoc nihil intelligit*: quorum tamen exactam expoſitionem, alias proſecuti ſumus: nunc ne te diutius morer verbum non addam.

SECTIO SEPTIMA.

Eadem veritas, ex alijs Ariſtotelis operibus comprobatur.

QVamuis Philoſophi mens, ac ſententia, ex libris eius de anima, vtpotè proprio huius argumenti loco, hucuſque à nobis veniat explicata; ita planè, apertèque animæ noſtræ immortalitatem adſtruentis, vt nemo dehinc, niſi proterue de ea ambigere, nedum inficias ire quear; age nihilominus ſis, in alijs eiuſdē Philoſophi operibus, ceu in amœniſſimo aliquo campo, vel tantiſper mecum expatiare: quò tibi Antagoniſtæ, longè facilius porrigant herbam.

Primò itaque occurrit magni ponderis textus 16. duodecimi diuinorum, vbi poſtquam Philoſophus aſſeruerat, mouētes, efficientesq; cauſas exiſtere quidem antea ortas, formales verò, ſimul oportere eſſe, cum ijs, quorum ſunt cauſæ: *ſimul enim eſt forma aneæ ſpheræ atq; aneæ ſpheræ*: ad hæc omninò ſubnectit. Εἰ δὲ καὶ ὕστερόν τι ὑπομένει, σκεπτέον. Ἐπ' ἐνίων γὰρ οὐδὲν κωλύει, οἷον εἰ ἡ ψυχὴ τοιοῦτον, μὴ πᾶσα, ἀλλ' ὁ νοῦς· πᾶσαν γὰρ ἀδύνατον ἴσως. φανερὸν δὴ, ὅτι οὐδὲν δεῖ διά γε ταῦτα εἶναι τὰς ἰδέας. ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ ὁ καθ' ἕκαστον τὸν τινά, latinè habētur; *Si autem aliquid poſterius permanet, conſiderandum eſt: in quibuſdam enim nihil prohibet, veluti ſi anima tale ſit, non omnis, ſed intellectus: omnem namque fortaſſis impoſſibile eſt: manifeſtum itaque eſt, quod præter hæc* (hic lapſus eſt interpres, vt mox videbis) *non oportet ideas eſſe, homo namque hominem generat, ſingularis aliquem.*

Principio, procul hinc obigatur inane illud Alexandræorum refugium, ad intellectum agētem, ſiue Deum: nulla hic de eo mentio: tum, quia in præſentia quæritur, num eorū aliquid, quæ ſunt vt forma, & ratio, de quibus erat ſermo, remaneat, corrupto toto. Atqui intellectus agens, ad eorum etiam placita, nec forma cuiuſquam, nec ratio eſſe poteſt. Tum, quia ſi Philoſophus de intellectu agente loqueretur, quid opus eſſet, conſiderare an poſtea remaneat? quid rurſus, quod nihil prohibeat remanere? potuit fortaſse in dubium verti, nū Deus, ens abſolutè neceſſarium, ſuperſit homine extincto? nugas ageret: quæ ab Stagiritæ ingenio quàm procul abſunt: quocirca omni ambiguitate remota, loquitur de anima intellectiua, quæ eſt vera hominis forma, & eſt ſimul cū illo, quemadmodum reliquæ cæterorum animanlium formæ: & de hiſce formis quærit, an aliqua remaneat, corrupto toto? Aſſerit nihil prohibere, aliquam formam poſt totius interitum, remanere. Tùm aperiens, quam vnquam formam dicat remanere, ait non omnem, ſed intellectum, ſeu formam intellectiuam: quippè quamcumque remanere extincto compoſito, fortaſsè (inquit) eſt impoſſibile, qui

qui-

quidem locus adeò clarè animorum immortalitatem conuincit, vt Alexander etiam ipſe Aphrodiſienſis veritate coactus (tanta eſt enim veritatis vis, vt vel ex inuito pectore tandem erumpat) in expoſitione huius textus, fuerit faſſus, Ariſtotelem, & de anima intellectiua in præſens ſermonem habere, & eam aſſerere immortalem; Verba eius ſunt: *Nam, cum anima animantiũ ſit forma, nihil obſtat, quominus anima quæpiam, vt intellectus, ſiue anima rationis compos maneat: expertes enim rationis mortales ſunt*: Vnde præter æquum Auerr. dicit in expoſitione huius loci, Alexand. aliquando dicta verba retuliſſe ad intellectum agentem.

Quòd ſi quiſpiam obijciat, commentarios illos in Ariſtotelis Metaphyſicam, qui Alexandri Aphrodiſienſis nomine vulgo circumferuntur, non eſſe germanos, ac legitimos Alexandri; ſed falsò illi adſcriptos: quod multis non ineruditis viris placuit, inter quos eſt Franciſcus Patricius; qui in lib. 3. tomi 1. diſcuſſionũ Peripateticarum, coniecturis quibuſdam adductus, ſcribit, comentarios hoſce fuiſſe compoſitos ab Alexandro Aegeo Neronis Imperatoris præceptore, & Soſigenis auditore.

Minimè verò me fugit, quoſdam alios e regione ſtare, inter quos eſt Ioan. Geneſius Sepulueda in præfatione commentariorum 6. libri illius operis ad Clementem VII. Pont. Maxim. vbi præfata Commentaria verè Alexandri Aphrodiſæi eſſe, cùm ex ſtylo, ac dicendi modo, tùm ex opinionum conformitate ſatis probabiliter eruere ſibi videtur.

Verùm opinio, & coniectura Sepuluedæ, vt alias rationes prætercam, hac vna penitus iugulatur. Nam auctor illorum Commentariorum in Metaphyſ. lib. 7. comment. 6. meminit Soſigenis præceptoris ſui. Atqui Soſigenes ante Alexandrum Aphrodiſæum ſeptuaginta ſupra centum, & hoc amplius annos vixerat: quippè floruit temporibus C. Iulij Cæſaris: cuius quoque iuſſu, atque imperio cyclum Solaris anni reſtituit. Alexander verò Aphrodiſęus viguit tempeſtate Seueri, & Antonini Cæſarum, vt ex eius ipſius præfatione in libellum de Fato, quem dictis etiam Imperatoribus nuncupauit, liquidò conſtat. Quare &c.

Sed nos ad Ariſtotelem reuertamur, video quippè aliquos, ad dictam auctoritatem ex 12. Diuinorum, reſponſuros; ex ea non elici abſolutè animæ immortalitatem: quippè Stagirites, non ait preciſè, animas diſſolutis corporibus remanere, ſed cum dubitatione, & conditionaliter οἷον εἰ ἡ ψυχὴ τοιοῦτον, μὴ πᾶσα ἀλλ' ὁ νοῦς, *veluti ſi anima tale ſit, non omnis: ſed intellectus*. En conditionalis, ac dubitatio: *veluti ſi aĩa.*

Reſpondeo, nullum hic agitari dubitationis ſermonem, ſed abſolutum, ac determinatũ: neque verò ille conditionalis dicendi modus, quicquam negotij faceſſit: quoniam hac loquẽdi nota, quamſæpiſſimè vtitur Ariſt. in rebus & certiſſimus, & a ſe nõ ſemel determinatis. Quod equidem multis oſtenderem: nunc tamen vno, vel altero eius teſtimonio ſim contentus: in libro 4. de generat. animal. cap. 4. de principio partium animalis verba faciens, ait, οἷον εἰ τοιοῦτόν τι ἐστὶν ἡ καρδία μόριον, *veluti ſi talis aliqua pars ſit cor*. Et tamen cor, talem eſſe partem, & ipſe pro conſtituto habuit; & prioribus libris, maximè verò in libro de partibus animalium, longè probauerat. Vt ergo in allato exemplo, tametſi conditionali dicendi vtatur modo, nihilominus, non dubitando, ſed determinatè aſſeuerat, cor eſſe principium partium animalis, ſic in præſentia determinatè, & ex ſententia aſſerit, animam intellectiuam, extincto corpore remanere; quamuis præfato modo *veluti ſi anima tale ſit* loquatur. Et lib. 2. de Aima tex. 11. ὅτι μὲν οὖν οὐκ ἔστιν ἡ ψυχὴ χωριστὴ τοῦ σώματος, ἢ μέρη τινὰ αὐτῆς, εἰ μεριστὴ πέφυκεν, οὐκ ἄδηλον. ideſt. *Quod igitur non ſit anima ſeparabilis a corpore, aut partes quædam ipſius, ſi partibilis nata eſt, non immanifeſtum eſt*. Et nihilominus Philoſophus in 1. lib. eiuſdem operis tex. 90. & deinceps, multis aduerſus Platonem patefecerat, animam haud eſſe partibilem. Quid itaque rei eſt, vt in præfato loco conditionaliter dicat, *ſi anima partibilis nata eſt?* hunc ipſum dicẽdi modum ſexcenties apud Philoſophum reperies.

Præterea, nam ſi dicta particula dubitationem vllam Stagiritæ verbis inijceret, inijciat profectò maiorem, id quod ſequitur, *omnẽ namque* ſcilicet formam, *remanere fortaſſè impoſſibile eſt*. quaſi verò is anceps, dubinsuè fuiſſet, omnẽ animam, corruptis corporibus, minimè poſſe remanere. Adde, nã ſi in quibuſdã nihil prohibet aliquid remanere: cur non remanet?

Poſtremò, haurio ex græco fonte, illud οἷον εἰ, quod eſſet, *veluti ſi*, ſumendum eſſe, pro vna dictione οἱονεὶ, quod atticè ſignificat, *ſicut*, *vt*, *videlicet*. Habe teſtem eundem Philoſophum, 3. de Anima tex. 23. vbi de intellectu ſic loquitur διαιρεῖ καὶ τὸν χρόνον ἅμα, τότε δὲ οἱονεὶ μήκη, ideſt *diuidit, & tempus ſimul, tunc autem ſicut longitudines*: Adi Theſaurum linguæ Græcæ. Quamobrem legitima allati illius textus intel-

ligentia eſt. Ἐπ' ἐνίων γὰρ οὐδὲν κωλύει, οἷον εἰ ἡ ψυχὴ τοιοῦτον, μὴ πᾶσα, ἀλλ' ὁ νοῦς: ideſt, *in quibuſdam enim nihil prohibet*, (ſcilicet remanere formã poſt corporis corruptionem) *ſicut tale eſt anima, non omnis, ſed intellectus.* Euge, quàm planus, quàm limpidus Philoſophi ſenſus, quàm ipſe determinatus, & firmus in animæ ſuæ immortalitate, toties repetenda.

Sequitur Ariſtot. Φανερὸν δὴ ὅτι οὐδὲν δεῖ διά γε ταῦτα εἶναι τὰς ἰδέας: vbi, ſiue latinus interpres, ſeu typographus, turpiter offendit: vertit enim, *manifeſtum itaque eſt, quod præter hæc, non oportet ideas eſſe*: ineptè illud, *præter hæc*: nam διά γε ταῦτα, eſt notio cauſalis, atque idẽ oratio pollet, ac propter hæc: nimirum quæ dixi; remanere aliquid formæ, nõ ſequitur dari ideas.

Sed quorſum hæc? eò. Philoſophus rimabatur, hic poſſe quempiam, ita ſibi obijcere: dixiſti Ariſtoteles, poſt totius corruptionem, remanere aliquam formam, & eam quidem ſine materia, illa igitur erit idea, quippè ideę Platonis, formæ erant ſubſiſtentes a ſocietate materiæ ſegregatæ: eas verò tu, *cane peius, & angue vitaſti,* non igitur cohærentia dicis.

Ad hanc tacitam obiectionem, reſpondens Philoſophus ait, manifeſtum eſſe propter ea, quæ dixi, quia ſcilicet aſſerui nihil prohibere remanere aliquam animam, nempè intellectũ; non ſequi, dari ideas: annectit huius rationẽ; *homo enim hominem generat, ſingularis aliquem*, quę quidem ratio, ſic formari poteſt; Idea eſt forma communis multis. Atqui id, quod dixi remanere, non eſt commune multis, ſed hoc aliquid, ac ſingulare: quod probat; quia homo generat hominem, & ſingularis aliquem: quare non ſequitur, dari ideas, etiam ſi aliquid poſt corruptionem totius remaneat. Hanc puto germanam intelligentiam huius loci, quicquid cõtendant alij, quorum expoſitiones collectas ferè videre poteris apud Hieron. Pontanum, lib. 1. de animæ immortalitate: nec enim mihi propoſitum eſt, aliorum otia, aut labores conglomerare.

Ex his omnibus tria collige: Primum, animam intellectricem, ſeu intellectum, eſſe ſimul cum homine: quia eſt eius ratio, atque forma; Alterum, eandem animam remanere poſt animalis interitum. Poſtremum, id quod remanet, non eſſe ideam, & multis commune, ſed hoc aliquid, ac ſingulare.

Secundum teſtimoniũ habetur 8. Metaph. tex. 3. vbi Philoſ. repetens ſubſtantiæ diuiſionem, quam in 2. de Anima tradiderat; *Subſtantia*, inquit, *aliud quidem eſt materia, aliud verò forma, & ſpecies, aliud denique, quod ex his.* Subnectit formarũ aliquas eſſe ſeparabiles, ſcilicet a materia, aliquas aũt non. *Eſt autem ſubſtãtia id ipſum, quod ſubijcitur, aliter quidem materia, aliter autẽ ratio, & forma; Tertium verò, quod ex his eſt; cuius generatio ſolius, & corruptio eſt, & ſeparabile ſimpliciter: Earum autem ſubſtantiarum, quæ ſunt ſecundũ rationem,* (nota) *quædam ſunt ſeparabiles, quædam verò non*; vbi accurata conſideratione opus: nã Ariſt. lib. 2. citato, poſtquam ſecuerit ſubſtantiam, accepit formam, eamque definiuit eſſe actum, & corporis Phyſici ἐντελέχειαν. Atqui in præſentia, præiacta ſubſtantiæ eadem diſtinctione, ait, formarum aliquas eſſe ſeparabiles, ergo intelligit aliquam formã, & corporis phyſici actum, & Entelechiam, eſſe ſeparabilem. Huiuſmodi autem forma, nulla eſt alia præter animam rationalem, quę & verè eſt forma, Entelechiaque hominis, & tamen eſt a materia ſeparabilis, ac immortalis.

Vrgetur vlterius, nam aut formarum ſeparabilitas, de qua hic ſermo; capitur ſecundum rem, & eſſe ab ipſa materia, aut ſecundum conceptum ſolum, ac rationem. Si poſterius dixeris, falſum erit, aliquas formarum eſſe ſeparabiles, aliquas autem non: quandoquidem hoc pacto, omnes formæ erunt ſeparabiles. Aequa. n. conditione poſſum concipere formam equi, ſine materia, eamque intellectus ope ſeparare, atq; hominis &c. Sin autem dederis prius, habeo, quod volo. Vt igitur formarum aliæ quidem educuntur de ſinu, gremioq; materiæ, alię verò forinſecus accedunt, vt alibi a nobis oſtenſum eſt, ita earũdem, hæ quidem ab eadem materia ſeparabiles ſunt, illæ verò nequaquam.

Quòd ſi quiſpiam illud, *ſeparabiles* extorquere voluerit, pro eo, quod eſt, corruptibiles, quo quidẽ intellectu eadẽ vox capitur hic ab Ariſt. de compoſito; cum dicitur: *Cuius generatio ſolius, & corruptio, & eſt ſimpliciter ſeparabile*: ideſt diſſolubile; & corruptioni obnoxium.

Adhuc viget argumẽtũ, nam ſi formarum quædam ſunt ſeparabiles, ideſt, corruptibiles; aliæ erunt non ſeparabiles, (quod eſt alterum membrum) ideſt, non corruptibiles, atque adeò neceſſariò datur forma & ratio alicuius, quę eſt à materia ſecundũ eſſe ſeparabilis, ac immortalis, & ideo. Alexãder ille, auctor Cõmentariorũ in Metaphy. in expoſitione huius loci veritate coactus; hæc verba protulit. *Nã cum aĩa cuiuſq; ſit ipſius forma; talis enim forma nunquã eſt ſine materia, anima verò non omnis ſeparatur, ſed particeps*

rationis tantum: iecircò quaſdā ſeparari ait, quaſdā verò ſecus: quod ẽt paullò īferius multis repetit.

Tertio loco, occurrit mihi aliud apertiſſimū, & ineluctabile Philoſophi dictum, ex libro itidem duodecimo tex. 51. quo loci, cū de Deo, eiuſque intellectione, ac ſubſtantiarum a materia ſeiunctarum diſſeruiſſet, decreuiſſetque intelligens, ac intellectum, inibi eſſe idem; hanc excitat difficultatem.. *Item reſtat dubitatio, vtrū compoſitum ſit, quod intelligitur; mutaretur enim in partibus totius*. Annectit ſolutionem, ἢ ἀδιαίρετον πᾶν τὸ μὴ ἔχον ὕλην, ὥσπερ ὁ ἀνθρώπινος νοῦς; ideſt, vt verbum verbo reddatur, quemadmodum reddidit etiam Beſſarion, *an indiuiſibile omne, non habens materiam, quemadmodum humanus intellectus*: quæ tamen verba non expreſſit Argyropolus dum vertit. *An id omne eſt indiuiſibile, quod materiam non habet, atque, vt humana mens*. Coniunctio quippè, quam ipſe addidit; ſenſum illorum verborum perturbauit: Tu verò hinc habe hæc duo; Alterum, quod intellectus humanus, nec Deus, nec vlla vnquam intelligentiarum eſt; quippè cum Ariſtot. de ijs hic diſſerat, ineptus omninò foret, adducendo intellectum humanum exempli loco, ſi ille id ipſum eſſet, de quo inſtabat ſermo. Alterum, quod idem ipſe intellectus humanus, eſt indiuiſibilis, & immaterialis (ad hoc enim illuſtrandum affertur) atque adeò immortalis, quandoquidem omne indiuiſibile, eſt immateriale, & omne immateriale incorruptibile.

Adde ex 2. Phyſic. tex. 26. vbi Philoſophus ait, vltimam formarum naturalium, ad quam terminatur conſideratio Philoſophi naturalis, quæ eſt anima humana, eſſe quidem ſeparabilem; & tamen in materia: idque probat, quia homo in materia generat hominem, & Sol, *quouſque*, inquit, *ergo phyſicum oportet cognoſcere formam, & ipſum quid eſt? an ſicut medicum, neruum, aut fabrum æs, vſque ad aliquid? alicuius enim gratia, vnumquodque, & circa ea, quæ ſunt ſeparabilia quidem forma, in materia autem: homo .n. hominem generat, & Sol, quomodo autē ſe habeat, hæc ſeparabilis, & quid ſit, philoſophiæ primæ eſt officiū*.

Perquire, quid eſt illud, quod eſt ſeparabile, ſpectatque ad Metaphyſicum, & tamen eſt in materia? De quo vide S. Thomam, & ſuper hunc locum, & in prima par. quæſt. 76. artic. 1. ad 1. Eam ipſam, quam habet phyſicus, conſiderationem, repetens Ariſtot. libro 5. Metaphyſ. tex. 2. ait, compertum eſſe in phyſicis, qui vnquam oporteat, ipſum quodquid eſt inquirere, ac definire. *Et cur etiam de quadam anima ſpeculari phyſici eſt, quæcunq;* (aduerte) *nō ſine materia*: ergo datur aliqua anima, quæ eſt ſine materia: quamque conſiderare non erit Philoſophi naturalis officium.

Adde ex lib. 1. de partibus animalium, cap. 1. vbi Stagirites animam intellectiuam a phyſica conſideratione ſecludit: Et quia, inquit, eſt intelligibilium quid, & quia etiam non eſt principium, vel augumentationis, vel ſenſationis; vel lationis. Adde etiam decantatum illud; ex 2. de generat. animalium, cap. 3. *Mens autem, ſeu intellectus, ſolus foriuſecus accedit, non enim cum actione illius, communicat actio corporalis*. Cuius exactam explicationē, vide in Diſputat. 3.

Adde textum 45. libri 2. de ortu, & interitu, vbi Philoſophus pro inconuenienti ducit, animam humanam ex elementis, aut illorum quiepiam eſſe; *inconueniens autem eſt, & ſi anima ex elemētis, aut vnum aliquid illorum*: Cuius quidem aſſertionis rationem, potes ibidem videre. Et lib. 4. de partib. animal. cap. 10. reddens cauſam, quamobrem natura pro anterioribus cruribus, in homine manus conſtituerit, ita ſcribit: *A collo, & capite crura priora, pectuſque habentur: ſed homo vice pedum priorum, brachia, & quas dicimus manus habet: ſolus enim animalium omnium erectus eſt: quoniam eius natura, atque ſubſtantia diuina: officium autem eſt diuiniſſimum, ipſum intelligere, & ſapere: quod non facilè foret, ſi vaſta corporis moles aſſideret*; quod deinde extulit Ouid. Metamorph. 1.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Adde permulta loca ex libris de moribus; vt lib. 10. cap. 7. & cap. 8. & deinceps, vbi animorum immortalitas, paſſim inculcatur: Equidem hoc vno, quin os τοῖς ψυχοθνήτοις iſtis diuerberem, temperare mihi non poſſum. Iacet in 1. libro Nicomachiorum, capit. 11. quo loci Philoſoph. quęrit, nū vita functi, boni cuiuſpiā, aut mali participes eſſe queunt? Reſpondet, rationi conſentaneum eſſe, vt, ſi quid ad eos pertingit, id exile, & quamparuum eſſe, ità, vt nec illos, ſi ſunt beati, reddere valeat non beatos: nec contra, qui non ſunt beati, eos facere beatos. Audi ipſum. *Magis autem fortaſſe dubitandum de vita defunctis, an boni alicuius, vel contrarij poſſint eſſe participes: conſentaneum enim ex his, etiam ſi pertingat ad ipſos quippiam, ſiuè bonum, ſiuè contrarium, exile quoddam, ac paruum,*

id eſſe, vel abſolutè, ac ſimpliciter, vel ipſis: ſin minus, tantum ſaltem, ac tale; vt neque fœlices eos, qui non ſunt facere, neque eos, qui ſunt, priuare fęlicitate poſſit. Iccircò in problemat. ſect. 29. quęſt. 9. ita quærit. *Cur iuſtius habitum eſt, hominibus vita functis opem ferre, quàm viuis? An quia viui præſidio (ſibi) eſſe poſſint, mortuus autem nihil præterea poſſit.* Quibus verbis manifeſtè apparet, eum exiſtimaſſe, & mortuos ſupereſſe, quòd à viuis opem etiam conſequi poſſent; & iuſtius eſſe eis opitulari. Iuſtius autem haudquaquã foret, ſi auxilium, & opera illa ad eos minimè peruenirent. Equidem amplius, quamquam multa poſſem, ne Dionis, quod aiunt, gry addiderim: tu omnia quæ adduxi, ſedula diligentique adhibita conſideratione, ad æquilibrium æſtimato.

Addunt plerique tractatum illum, de myſtica Philoſophia, ſiuè de Theologia ſecundum Aegyptios: in quo quidem non modo toties aſſeritur, ſed multis etiam, & ſignis, & rationib. animorum immortalitas comprobatur: ſi tamẽ libellus ille, legitimus Ariſtotelis fętus cenſendus ſit: Nam, & ſi inter alios Lęlius Vincentius Caprin. in lib. de Animæ immortalitate, parte 2. non paucis nitatur, eum facere germanum Ariſtot. in id tamen non equidem ita facilè iuerim.

Addere poſſem permulta huius generis Stagiritæ eloquia; ſed quia mihi non fuit animus, manifeſta, & in propatulo poſita, vano labore tentare; ſed latentia, quæ pauci animaduerterunt; quid ſi aliqua, quæ nemo, quod ſciam, in lucem protulerim: vt hac noſtra induſtria, non inanem, & caſſam oſtentationem, verùm aliquã litterariæ Reipublicæ vtilitatẽ quęſiſſe videamur. Quod quidem ſi probè ac iudicio a me factum eſt, nemo damnet: num laudet quoque? ſin aliter, tùm ego etiam nihil negem, *Quiſquilias volantes, & venti ſpolia*, vt Cæcilius ait, hæc eſſe. Non enim audeo (quod quidam de ſe) nec volo gloriari:

Μωμεῦνταί μ' ἔμε πολλοὶ ὁμῶς κακοὶ, ἠδὲ καὶ ἐσθλοὶ,
Μιμεῖσθαι δ' οὐδεὶς τῶν ἀσόφων δύναται.

Nunc vel a Methodo ipſa monemur, vt Antagoniſtarum tela, quæ iamdudum in ſectione prima huius Diſput. parauimus, obiecto veritatis clypeo, confringamus: Idque rurſus ſtylo philoſophico: non quòd *balbus*, vt prouerbio dicitur, *melius balbum intelligat*, ſed quia ex quadam corruptela, graditati Philoſophiæ, rerumque retruſarum difficultatibus, humilẽ, ac pęnè dixerim proſtratum dicendi modum, cõuenire temerè exiſtimatur. Verùm *Mos, & regio*: ſit igitur.

SECTIO OCTAVA.

Confutantur duo priora Aduerſariorum argumenta, tùm aperitur, quænam ſit propria animæ, operatio? idque duplici modo.

PRIOR MODVS.

OMNINO' tria ſunt, ex quibus intellectricis animę immortalitas, quaſi τρισοφαῖ τινι λαμπάδι oſtendi poteſt. Eius operatio: Eſſentia atque aptitudo: Et ea, quæ ipſam nexu corporis abſolutam comitantur. Hinc etiam Alexandræi, & quotquot impudentiſſimi animorum parricidæ extitere, vt eos nefariè perimant, ex ijſdem capitibus, quaſi trifauces cerberi allatrant, *Et triplici horrendùm ſtrident ore*. At verò, quia in Peripato tritum eſt, *quod operatio arguit formam, tranſmutatio verò materiam*. merito, optimoque iure ex animę intellectricis operatione, tùm nos potiſſimùm oſtendimus eam immortalem, & ab interitu liberam: tùm aduerſarij vano labore, oppoſitum tentant. Enimuerò *ſi eſt aliqua animæ operatio, aut paſſionum propria, continget vtique ipſam ſeparari: ſi verò nulla eſt propria ipſius, non vtique erit ſeparabilis*: ex vera regula Stagiritæ: quam quidem, dum in argumento, in cuius confutatione verſamur, pro maiore aſſumitur, non modò concedimus, ſed ambabus, vt aiunt, vlnis etiam amplexamur.

Cum verò ſubnectitur, Atqui anima, ſeu intellectus nullam ſortitur, ita propriam operationem, quæ a corpore non dependeat: hoc omninò negamus: immò habet: immò Philoſophus quoque eam, & cognouit, & probauit: vt a nobis ſæpè alibi; maximè verò Diſputatione proximè ſequenti, dum Ariſtotelis rationes, hac ipſa de re enucleamus, probatum, ac patefactum eſt. Quod interim, vel ex ipſo loquendi modo dignoſce: quandoquidem haud dicimus, animam iraſci, confidere, deſiderare &c. *dicere enim iraſci animam, ſimile eſt, ac ſi quis eam dicat texere, aut ædificare: melius enim fortaſſis*

taſſis

iuſſi s eſt, non dicere animam miſereri, aut addiſcere, aut cogitare; ſed hominem anima. At verò rectè, ac preſsè loquimur, animam intelligere, ſpeculari, ſapere: auctore eodem Philoſopho in ipſo limine tertij libri de Anima. *De parte autē animæ, qua & cognoſcit anima, & ſapit &c.* Optas cauſam diuerſitatis? ea eſt: quia ira, confidentia, deſiderium, cogitatio, idque genus opera, *ſunt habentis*, communia animæ, & corporis: At verò intelligere, ſpeculari &c. haud ſunt actiones vtrique cōmunes, ſed animæ propriç. Verùm quæ nā propria iſta animæ operatio, quæ ita ſit animæ, vt a corpore minimè dependeat, id in præſens aperiendum eſt.

Principio, cum aliqua operatio a duobus pēdere queat: tùm a ſubiecto, vt viſio v.g. pendet ab oculo: tùm, vt ab obiecto; ſicut eadem viſio a pariete viſo; communis increbuit hac tēpeſtate opinio, eam eſſe propriam animæ operationem, quę non pendet a corpore tanquam a ſubiecto, & organo, quamuis pendeat veluti ab obiecto, a phantaſmate. Quocirca vt anima, ſeu intellectus, verè ac preſsè dicatur gaudere operatione propria, ſufficere, ac requiri, quod ea non dependeat a corpore, vllaue corporis parte, ſubiectiuè: tametſi aliunde dependeat. Tale eſt intelligere, & ſpeculari: quod quidem, quia nullo corporeo otgano celebratur, vt oſtenditur 3. de Anima, minimè dependet a corpore, vt a ſubiecto: benè autem obiectiuè; quia *qui non ſentit aliquid, nihil vtique addiſcet, nec intelliget: Et cum ſpeculatur, neceſſe eſt ſimul phantaſma aliquod ſpeculari*: inquit Ariſt. 3. de Anima, tex. 39. Et auctore S. Thoma in prima parte, quæſt. 84. art. 7. *impoſſibile eſt, intellectum, ſecundum præſentis vitæ ſtatum, quo paſſibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in actu, niſi conuertendo ſe ad phantaſmata.*

Hanc autem operationem, ita acceptam dici, ac eſſe animæ propriam, ſuadēt: Primò, quia communis animę, & corporis operatio ea eſt, quæ tanquam a ſubiecto dependet a corpore iuxta effatum Ariſtotelis in eo ipſo tex. 12. cōmemorato, qui cum in dubium reuocaſſet: *Vtrum omnes animæ paſſiones ſint communes, & habentis, an ſit aliqua, & ipſius animæ propria?* dilucidans anteriorem partem, ſubnectit: *Videtur autem plurimarum nullam ſine corpore pati, neque agere: vt iraſci, confidere, deſiderare, & omninò ſentire.* Quid ita? quia ira, quę eſt accenſio ſanguinis circa cor; & viſio, eſt quidem ab aīa, ceu a principio tadicali, nihilominus non niſi medio inſtrumento corporeo: ob id ab vtroque velut a ſubiecto dependet, atque adeò vtrique communis eſt: ergo operatio, quæ non dependet a corpore tanquam a ſubiecto, erit, animæ propria.

Præterea, illa eſt operatio communis, quæ fit cum corpore, illa fit cum corpore, per quam corpus patitur, ab illa corpus patitur, quæ in corpore ſubiectatur: ergo illa ſolummodo eſt communis, quæ pendet etiam a corpore ſubiectiuè: quamobrem oppoſita vice, ea quæ non dependet a corpore ſubiectiuè, cuiuſmodi eſt intelligere, haud eſt communis, ſed animæ propria. Ad extremum, nam Philoſophus tex. 14. eiuſdem libri, ita ſcribit. *Videntur autem, & animæ paſſiones omnes eſſe cum corpore, ita manſuetudo, timor, miſericordia, confidētia, adhuc gaudiū, & amare, & odiſse; ſimul enim* (en ratio) *cum his patitur aliquid ipſum corpus.* Atqui ex intellictione corpus neutiquam patitur, ergo, &c. Adi, ſi lubet, hac de re S. Thomam in primo de anima ſuper tex. 11. & libro ſecūdò, cont. Gent. cap. 79. Ferrarien. ibidem Ioann. de Ianduno in quæſtionibus ſuper 1. de anima quæſt. 11. Niphū, Hieronym. Onuphrium in libris de anima tractatu primo diſput. 2. quæſt. 2. Soncinatē Captendonum, Bannes, Pontanum, &c.

Hoc verò ſenſu expoſitam propriam animæ operationem, cognitam, ac perſpectam fuiſſe Philoſopho, ambiget nemo, quicūque tertium eius librum de anima, vel e limine ſolutauerit. Enimuerò in eo ennixè probat, intellectionem haud vnquam pendere à corpore, aut vlla eius parte tanqam à ſubiecto, tunc enim deberet medio aliquo otgano corporeo celebrari; quod nihilominus ne imaginatione concipi poteſt. Cum itaq; (vt tandem colligam) anima intelletrix ſortita ſit propriam operationęm, quæ à corpore non dependet ſubiectiuè, erit à corpore ſeparabilis, ſecundum præfatam Ariſtotelis regulam.

Quod ſi obijcias, fac intellectionem eſſe ptiam animæ operationem, hoc modo explicatam, id profectò, neque argumenti vires effugit, nec animæ a corpore ſeparationem, ac immortalitatem tuetur: ſiquidem anima, vel ſi mauis intellectus, vt in hac ſolutione aſſeritur, in ſua propria operatione pēdet a phantaſmate, ceu ab obiecto: ergo nunquam potis eſt abſque phantaſmatum concurſu intelligere: eòque ne ſine phantaſmate, quod ſenſuum ope paratur, otioſa torpeat, haud erit a corpore ſepara-

para-

parabilis: iamque ſiſyphi ſaxum voluitur.

Reſpondent pręfatæ ſententiæ fautores, animam pendere etiam hoc pacto a phantaſmate, non conuenire ei abſolutè, qua ſubſtantia intellectualis eſt, ſed prout duntaxat eſt corporis phyſici actus, & forma, caducum & corruptibile corpus informans. Verum enimuero, anima, vt docet S. Thomas multis in locis, pręſertim verò in prima parte, quæſt. 75. art. 6. ad 3. & quæſt. 84. art. 7. & 2. contra Gent. cap. 81. in reſponſione ad 8. gemino modo conſideratur. Primò ſecundum præſentis vitæ ſtatum: & hoc pacto non niſi interuentu phantaſmatũ intelligit. Secundò, vt a corpore abiuncta eſt, & ſic intelligit, inquit S. Thomas *per ſe ipſam, per modum ſubſtantiarum, quæ ſunt totaliter ſecundum eſſe a corporibus ſeparatæ: a quibus etiam, tanquam a ſuperioribus influentiam recipere poterit ad intelligendum.*

Hoc verò inde colligit S. Doctor, quia modus operandi, ſequitur modum eſſendi; vnumquodque enim ſecundum hoc agit, ſecundum quod eſt: quare anima, ſicuti alium eſſendi modum habet, dum eſt a corpore ſeiuncta, ita aliũ quoque ſortitur operandi modum, qui eſt, vt operetur ſine vllo phantaſmatum interuentu. Stagirites autem, quia in libris de Anima, ſermonem de ea habet, iuxta primam conſiderationem, quippè cum eo loci agat, vt naturalis philoſophus, iure merito aſſeuerat; eam hoc pacto acceptam, non intelligere abſque phantaſmate: abſolutè autem minimè negat.

Rurſum obijcies, hac reſponſione omninò peti principium: quippè quod in quæſtione vertitur, id ea ſupponit. Supponit duplex eſſe ipſius animæ: hoc quidem in corpore, hoc extra corpus: tum duplicem eius ſtatum: duplicẽ eſſendi, & operandi modum: hinc quidem cũ phantaſmate, dum corporis compagibus detinetur, hinc verò abſque vllo phantaſmatũ concurſu, ſed per ſe ipſam, ac per modum ſubſtantiarum, quę ſunt vſquequaque a corporibus ſegregatę. Vnde hęc tam ſpecioſa nomina in Peripato? in quo vnquam Ariſtotelicę doctrinę angulo, vel elonginquo eorum quicquam inſinuatur?

Syncerè tamen dicendum eſt, nullum hic peti principium: Si enim oſtenſum eſt, quod huc uſque abundè etiam ex Ariſtotele fecimus, animã intellectus participem eſſe immortalem, atque incorruptibilem, liquidò cõſequitur, eam, pręter eſſe quod habet in corpore, aliud etiam extra corpus ſortiri. Quod ſi aliud eſſe, alium quoque operandi modum: quando operandi modus, conſequitur modum eſſendi.

Duplicem hanc intellectricis animę conſiderationem, pręter ea, quę diximus, adhuc colligunt viri docti e textu 26. libri 2. Phyſic. quo loci, ita Philoſophus: *Amplius, eorum, quæ ad aliquid, materia eſt, ad aliam enim formam alia materia. Quouſque ergo Phyſicum oportet cognoſcere formam, & ipſum quid eſt? An quemadmodum Medicũ neruum: aut fabrum æs, vſque ad aliquid? alicuius enim gratia vnumquodque: & circa ea, quæ ſunt ſeparabilia quidem forma, in materia autem: homo .n. hominem generat, & Sol. Quomodo autem ſe habeat τὸ χωριστὸν, hoc ſeparabile, & quid ſit, Philoſophia prima eſt officium determinare.* Cum Stagirites ſanxiſſet, ad naturalem ſpectare vtriuſque naturæ, nempè formæ, & materiæ conſiderationem: nunc *ſeparat*, vt Philoponus loquitur, *naturalẽ a Theologo*: At quonam pacto? quia cũ inquit, vna aliqua forma, plures ſubeat conſiderationes; naturalis perpendit quidem eam, at non vſquequaque, ſed vſque ad aliquẽ terminum: exinde ſuccedit Metaphyſica. Hoc illuſtrat exemplis: nam Faber ærarius, non ſingulas rationes æris conſiderat, V. g. ſi quicpiã conferat ad medendi peritiam, ſed quod ſit liquabile, & fluxibile, & quęcumque conferunt ad res ei ſubiectas. Tum medicus, cum ſpeculatur neruum, haud rimatur in illo, omnes eius rationes, exempli cauſa, quomodo compactus ſit ex materia, & forma, quomodo quãtus, quomodo diuiſibilis &c. ſed eius complexionem, & quæ medices ſunt facultatis: *quomodo accidat alijs ſiccius eſſe, vel frigidius*, Eodem pacto naturalis non de omni forma ſecundum quamuis eius rationem diſputabit, ſed procedit vſq; ad aliquem terminum: ideſt, quatenus a materia non ſeparatur.

Hinc deducit, ſi ſunt aliquæ formæ propria ratione, & idea ſeparabiles: in materia verò exiſtentes, eas a naturali Philoſopho, ea duntaxat ratione perpendi, qua incubant in materia. Exemplum adhibet de humana forma; quæ quidem etſi ſuaptè natura ſeparabilis ſit, eatenus tamen a naturali conſideratur, quatenus in materia inſidet. Homo enim, & Sol generant hominem, qui non eſt forma tantum, ſed forma in materia. Quomodò autem talis forma ſeparabilis ſe habeat, & quid ſit, Philoſophiæ primę officium, eſſe inquit, determinare. Quonam videlicet pacto ſe habeat, & quid ſecundum

pro-

propriam eſſentiam,& ideam ſit, qua ſeparabilis eſt: hoc ad naturalem minimè ſpectat,ſed ad Metaphyſicum.

Hoc ipſum teſtabatur in 6. Metaphyſ. tex. 2. quo loci, cum naturalia eſſe dixiſſet, vt ſimum; & ob id, eorum rationem haud eſſe abſque motu, & materia, ſubdidit *Manifeſtum eſt, quomodo in naturalibus oportet ipſum quid eſt, quærere, & definire; & cur etiam de quadam anima ſpeculari, naturalis eſt; quæcunque non ſine materia*. Clariſſimè innuens, animam intellectus participem, cuius contemplatio ad naturalem, non niſi ea ratione attinet, qua eſt in materia. Quod etiam in 1. de partib. animal. cap. 1. cum ſua quoq; probatione repetijt. Quippè cum propoſuiſſet difficultatem; Num ad naturalem attineat, de omni anima tractare? adiecta difficultatis cauſa; quia tunc de intellectu quoque tractaret, quare etiam de intelligibili: atque adeò nulla relinqueretur Philoſophia præter naturalem: tandem diluens difficultatem ait; non omnem animam phyſices eſſe conſiderationis. Quid ita? *quia*, inquit, *non omnis anima principium motus eſt: neque partibus animæ omnibus, id tribui debet*. At quæ vnquam anima non eſt principiũ motus? *intelligendi vis*. Quod ſi intelligendi vis, ſeu anima intellectrix non eſt principium motus, quonam pacto ſubit phyſicam conſiderationem? Hoc pacto, qua eſt corpori vnita, verè eſt principium motus, & hac rõne de ea in Phyſicis agitur: qua aũt ſeparabilis, aut ſeparata, nõ eſt principium motus, neq; naturalis eſt contemplationis: lege alias duas huius ipſius rei rationes eodem in loco.

Cum itaque apud Stagiritem, gemina hæc intellectricis animæ cõtemplatio, ac diſtinctio liquidò conſtet, quod ea aliquando capitur, vt ſeparabilis, aut ſeparata, & hac ratione eius cõtemplatio haud attineat ad naturalem; ſed potius ad Metaphyſicum: aliquando verò, prout eſt in materia, & ita Phyſici partes ſunt, eã cõſiderare, quo pacto etiam ab ipſo Philoſopho perpenditur in libris de anima, qui omniũ Peripatericorum conſenſu, atque ſuffragio inter naturales connumerantur; nulli vnquam dubium relinquitur, quin ei duplex eſſe, & duplex operandi modus, in corpore nempè, & extra iſtud, attribuatur, vt dicebamus.

Ex quibus omnibus habes, quod anima intellectrix habeat propriã operationem: Quod ea ſit, quæ non dependet a corpore ſubiectiuè, quamuis pendeat ab obiecto, & phantaſmate: Quod hoc non conueniat animæ abſolutè, ſed pro huiuſce vitæ curriculo: Quod deniq; ei duplex conſideratio, cùm Phyſica, tùm Metaphyſica, duplex eſſe, duplex operandi modus conueniat. Quocirca vides, nec principium vllum hic peti; Et primum argumentum, quemadmodum vana Antagoniſtarum imaginatio, quàm *ſubuentanea pariat*: vt mihi propemodum excidat illud Ariſtophanis in Auibus.

Τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον νὺξ ἡ μελανόπτερος ᾠόν. ideſt:

Parit primum ſubuentaneum nox nigripennis ouum.

POSTERIOR MODVS.

Oſtenditur alio modo, eam eſſe propriam animæ operationem, quæ a corpore, nec velut a ſubiecto, nec vt ab obiecto dependet: Et huiuſmodi actionem elici ab intellectu noſtro, etiam in ſtatu huius vitæ.

VT ardua, & ſalebroſa hæc difficultas plenius, quoad eius fieri poteſt, enucleetur, prælibanda prius ſunt nonnulla. Primò itaq; duplex in nobis ſtatuitur intellectus: Agẽs, & patiens, ſeu poſſibilis: quia in omni natura, quę quandoque eſt in potentia, quãdoque in actu, ponendum eſt aliquid quaſi materia, quod ſit in potentia ad omnia illius generis: & aliquid, quod ſit agens, reuocans illam potentiam ad actum. Anima autem noſtra, ſecundum partẽ intellectiuam, nunc quidem eſt in potentia intelligendi: nunc verò in actu intellectionis, ergo *neceſſe eſt, in anima has eſſe differentias. Et eſt quidam talis intellectus, quia omnia fit: quidam verò, quia omnia facit*. quæ eſt ratio Ariſtotelis 3. de Anima tex. 17.

Eſt itaq; intellectus potentia in eo poſitus, vt omnia fiat: nihilque actu eorum, quæ ſunt, antequã intelligat, & omninò quaſi abraſa tabula, in qua nihil depictum eſt: neque eius vlla eſt natura (eo ſenſu quo Diſput. 9. expoſuimus) niſi hæc, ὅτι *δυνατόν. quod poſſibile*. Sicut ergo in eſſe entitatiuo, triplex inuenimus rerũ genus. Hæ quippè ſunt merus, ac purus actus, vt Deus Opt. Max. nam Ἐκεῖνος ἡ ἐνέργεια. ἐνέργεια δὲ ἡ καθ' αὑτὴν, ἐκείνου ζωὴ ἀρίστη καὶ ἀΐδιος. *Ille*, hoc eſt Deus, *eſt ipſemet actus* (& quidem ſecundus,

hoc

Digitized by Google

hoc enim pollet *ἡ ἐνέργεια) actus verò per ſe, illius vita optima, & perpetua eſt*. inquit Diuinus præceptor lib.12. Metaphyſ. tex. 39. Hæ verò ſunt pura, ac nuda potentia: vt eſt materia prima: Alia denique permixta, atque cōflata ex actu, & potentia: vt homo, vel etiam intelligentiæ: Ita in eſſe intelligibili, quædam ſunt purus actus: quemadmodum eſt itidem Deus: in quo idem eſt intelligens, res intellecta, & intellectus, ex eodem loco Philoſophi. *Et cuius intellectio, eſt intellectionis intellectio*. tex. 51. Alia verò ſunt pura potentia, inſtar materiæ primæ, talis eſt intellectus humanus poſſibilis: qui ſuaptè natura, nihil habet actualitatis in eſſe cognoſcibili. Medius gradus ex actu, & potentia permixtus eſt: ita vt a primæua ſui conditione quandam actualitatem obtineat permixtam potentialitati. Hunc in Peripato neſcio, num offendas. Nos ex vero dicimus, huiuſmodi eſſe intellectum Angelicum, qui ex affinitate ad ſupremum intellectum, a ſui creatione actuatus eſt omni forma intelligibili, quæ ad ordinem Vniuerſi ſpectat, & omnibus ſcientijs naturalibus: Adhuc tamen eſt in potentia ad multa alia, in dies intelligenda: vt in materia de Angelis DD. Scholaſtici explicant.

Cū itaq; intellectus potentia talis ſit, habebit ſe ad hanc, illamue rē percipiendā omninò indiſcriminatim: perinde ac materia prima ad hanc, aut illam formam naturalem. Quò fit, vt neceſſariò expoſtulet aliquam formam, qua actuetur, & aliquod formale principium, vt potius ad hoc, quàm ad illud intelligendum determinetur. Tum, quia id omne, quod eſt in potentia, prius reduci debet ad actum, quàm operetur: ſiquidem vnumquodque agit inquantū eſt actu: Tum etiam, quia a cauſa indifferenti, qua indifferens eſt, nullus exit determinatus effectus. Huiuſmodi autē forma, & formale principium, eſt ſpecies intelligibilis: quæquidem auctore S. Thoma in 1. parte, quæſt. 84. art. 2. *eſt ſimilitudo rei intellectæ, ſecundum quam intellectus intelligit: ſicut ſimilitudo rei viſibilis eſt forma, ſecundum quam viſus videt*. Denique, quia vt aliquod obiectum attingatur, debet vtiq; coniungi facultati cognoſcenti: non ſecundum qđ in ſemetipſo eſt, ſed per ſui ſimilitudinē, *nam neceſſe eſt, aut res ipſas eſſe in anima, aut formas: ipſas igitur non: non enim lapis in anima eſt, ſed forma*. inquit Ariſt. 3. de Anima tex. 38. Vt ergo intellectus poſſibilis intelligat, omninò eget eiuſmodi ſpecie intelligibili.

Spècies verò intelligibilis formatur āb intellectu agente; cui hæc tria munia communi Peripateticorum ſuffragio tribuuntur. Primum est, illuſtrare phantaſmata. Secundum, efficere obiectum intelligibile actu. Tertium, producere in intellectu poſſibili ſpecies intelligibiles. Et quamuis tria hæc officia, re ipſa in vnum, idemq; recidant, quia tamen vocabulis, & conſideratione diſcriminantur, operæpretium eſt, ea ſingillatim perpendere.

Intellectus itaque agens dicitur illuſtrare phantaſmata, quia ex ijs efficit ſpeciem intelligibilem: qua quidem actu repreſentatur obiectum, quod ſub phantaſmatibus erat intelligibile tantummodo in potentia, vtpotè, quod ſub conditionibus indiuidualibus latitabat. Hoc, vel ex eo apparet, quia intellectus agens, auctore Philoſopho in 3. de Anima tex. 17. *eſt quale lumen*. Inter effectus autem luminis, hic quoque annumeratur, quod det ipſis coloribus, & obiectis viſibilibus virtutem, quò poſſint aſpectum immutare, per immiſſionem ſpecierum viſibilium: *quodam enim modo, & lumen facit potentia exiſtentes colores, actu colores*. inquit Stagirites eodem in loco: ſic ergo intellectus agens actiuè efficit, vt phantaſma eleuetur ad producendam ſpeciem intelligibilem, in qua communis natura relucet, exuta differētijs indiuidualibus: eòque manet a ſolo intellectu perceptibilis. lege hac de re S. Thomam in 1. par. quæſt. 79. art. 3. & ibi eius expoſitores.

Alterum huius intellectus officium eſt, facere obiectum intelligibile actu. Enimuerò obiecta, ſecundum eſſe, quod a parte rei ſortiuntur, ſunt in potentia, & quidem remota, vt intelligantur: ſiunt in potentia proxima, dum incubant in phantaſmate: poſtremò redduntur intelligibilia actu, ſecundum eſſe intelligibile, quod in ipſa ſpecie intelligibili adipiſcuntur. Quippè tunc intellectus poſſibilis reſpectu illorum, eſt in actu primo intellectionis. Efficere itaque obiectū intelligibile actu, nil aliud eſt, quàm efficere, vt obiectum repreſentetur in ipſa ſpecie intelligibili. Adi S. Thomam in quæſ. de Anima art. 4. & quæſt. de ſpiritual. creat. art. 20. & in 1. par. quæſt. 64. art. 4. & quæſt. 79. art. 3. & quæſt. 84. art. 2.

Tertium munus intellectus agentis, nempè producere ſpecies intelligibiles in intellectu patiente, ex hiſce liquet. Enimuerò dum illuſtrat, depuratque phantaſma, redditque obiectum intelligibile actu, efficitque ſpeciem, in

qua

qũa illud ipſum relucet, eam vtique promit in intellectu poſſibili.

Si igitur patiẽs intellectus, vt intelligat, omninò eget aliqua forma, ac ſpecie intelligibili: hæc verò præſtetur ab intellectu agẽte ex phãtaſmate, eo quo enucleaui modo: phantaſma formatur a Phantaſia: in hanc immittitur, ac miniſtratur a ſenſu communi: hic depromit ex aliquo ſenſuum externorum; fit, vt nihil ſit in intellectu, quin prius fuerit in aliquo ſenſu: *Et ob hoc, qui non ſentit aliquid, nihil vtique addiſcet nec intelliget: Et cum ſpeculatur, neceſſe eſt, ſimul phantaſma aliquod ſpeculari.* 3. de Anima tex. 39. Hanc appello primam intellectionem, in quaquidem elicienda, intellectus proculdubio pẽdet a phantaſmate, tanquam ab obiecto, vt ex præfata ſerie conſpicis.

Præter hanc, eſt alia intellectio, quã lubeat appellare ſecundam: nempè cum intellectus poſſibilis, abſtractis iam, atque habitis ſpeciebus intelligibilibus, & apud ſe ſe conſeruatis, effectusq; in habitu, ſeu vt dici ſolet, adeptus, & vt tandem cum Ariſtotele 3. de Anima tex. 8. loquar, *factus eſt ſingula*; tunc abſque vllo phãtaſmatum interuentu, vllaue conuerſione ad ea, optimè elicere poteſt aliquam intellectionẽ, nempè ſimplicem earum rerum, quas apud ſe obtinet, contemplationem; quæ a corpore, non modo tanquam a ſubiecto, verùm etiã vt ab obiecto, haudquaquam dependeat.

Quod in præſens aſſerimus, præterquãquod eſt Simplicij, Philoponi, Themiſtij cęterorumque Græcorum, exiſtimamus de mente, ſententiaque Philoſophi apprimè aſſeri. Etenim hic in tex. illo 8. quaſi diſcrimen quoddam conſtituens inter intellectum, quoad primam intellectionem, cuius naturam ſanxerat eſſe, *hanc quod poſſibile eſt*, & intellectum in habitu; hęc omnĩnò profert. *Cum autem ſic ſingula factus eſt, vt ſciens dicitur, qui ſecundum actum: hoc autem tum accidit, cum poteſt operari per ſe ipſum.* Quid eſt, tum intellectum operari poſſe per ſe ipſum? quia nimirum antea, in conquirenda prima intellectione, haud valebat operari per ſe ipſum: ſed planè ope, adminiculoque phantaſmatum indigebat. Quod ſi in ſecunda intellectione, ex ſemetipſo potis eſt operari, in ea, ad mẽtem Philoſophi, minimè pendet a phantaſmate, quemadmodum in anteriore.

Ratio etiam in promptu ſuppetit. Quandocumque eſt aliqua potentia, non impedita; & eius obiectum ritè propoſitum, ea abſque vllo alterius cuiuſquam concurſu, commodè poteſt exire in actum, iuxta ſuæ naturæ conditionem. Atqui in caſu, de quo verba facimus, intellectus poſſibilis, ſuaptè natura eſt facultas intellectrix, nec a quoquam impedita: ſuppetit prætera illi, & quidem præſens, obiectum: hoc eſt ſpecies intelligibiles, iamdudum abſtractæ, & in ipſomet intellectu poſſibili (nam memoria intellectiua, haud eſt alia vis diſtincta ab intellectu poſſibili, vt demonſtrat S. Thomas in 1. par. quæſ. 79. ar. 7. Et ideò intellectus ab Ariſt. 3. de Anima tex. 6. dicitur locus formarum,) exiſtentes, in quibus ipſum quoque relucet obiectum: ergo is abſque vllo rei alterius interuẽtu, commodè poteſt promere intellectionem.

Et quidem intellectum potentia, eſſe ſuaptè natura facultatem intellectricem, nec a quoquam impeditam, nulli, opinor, non liquet. Obiectum verò ipſius eſſe ſpecies intelligibiles, in quibus intelligenda res ab omni concretione materiali denudata cognoſcitur, præterquamquod elegantiſſimè illuſtratur a S. Thoma in parte nuper commemorata, quæſt. 89. art. 2. ex eo etiam apparet; quia intellectus percipit intelligibilia abſque materię conditionibus, auctore Philoſopho 3. de Anima tex. 9. 10. & 11. *Omninò enim, vt ſeparabiles ſunt res a materia, ſic quæ circa intellectum.* Nihil autem eiuſmodi immateriale ibi interuenit prę ter ſpeciem, quæ eſt formalis ſimilitudo obiecti: nam phantaſmata, nequeunt conſtitui obiectum intellectus; quia ſunt cum conditionibus materię, vtpotè ſimulachra, ac ſimilitudines rerum particularium. Quocirca, nec niſi particulariter repreſentant. Quamobrem reliquum eſt, vt intellectui ſolæ ſpecies obijciantur, ceu obiectum: in quibus, veluti in ſpeculo res intelligibilis cognoſcitur: quare &c.

Quid verò? cum quiſpiam contemplatur naturam aliquam vniuerſalem, an genus, an ſpeciẽ: cum de vno aliquo vniuerſali aliud prædicat: vt ens eſt bonum, vel animal eſt ſenſibile; cum ſpeculatiuè perpendit, vniuocè ne, an analogicè ens dicatur de ſubſtantia, & accidenti, idque genus alia; quod vnquam phantaſma eò pertingit? quodnam eius miniſterium in hiſce actionibus intercedit? vtique nullum: cũ phantaſma, vti aiebam, ſit rei particularis ſimulachrum: & ibi omnia vniuerſalia.

Prętereа, longè nobis veriſimilior videtur opinio aſſerentium, ſpecies generum, ſi impedimenta remoueantur, produci a ſolo intelle-

ctu

Digitized by Google

ctu poſſibili: ita vt abſtracto a phantaſmate, ope intellectus agentis conceptu, & natura infimæ ſpeciei, ſiſtat: nec enim quod vlterius illuſtret quicquam habet: ex qua dein natura ſpecifica, intellectus poſſibilis abſtrahat, formetq; naturam genericam. Quod ſi hic haurit naturam vniuerſalem, genericam, ab alia vniuerſali, ſpecifica, nullus vtique ibi concurſus phantaſmatum: atque adeò in contemplatione naturę a ſe met abſtractæ a nullo phantaſmate pendebit, niſi antecedenter. Quid cum intelligit ſe ipſum? qua vnquam hic phantaſmatum ope eget? quippè intelligens ſpecies intelligibiles, immateriales in ipſo exiſtentes, intelligit ſui ipſius naturam immaterialem.

Ad extremum, *cum phantaſmata*, vt auctor eſt Philoſophus 3. de Anima tex. 39. *ſint veluti ſenſibilia, præterquamquod ſunt ſine materia*, eo phãtaſmata, ac ſenſibilia inter ſe diſcriminantur, quod hæc ſint in materia, illa abſque materia. Senſibilia verò haud ipſa per ſe attingunt ſenſus, ſed per ſpecies emiſſas: quæquidem ab aliquo ſenſuum exteriorum acceptæ, mox in ſenſum communem, demum immittuntur in phantaſiam: vbi, quamuis ſenſibilia prætereant, penitusue aboleãtur, tñ eorum ſenſatæ ſpecies, ac ſimulachra, remanent, per quæ quidem phantaſia, ſi ita libuerit, poteſt eas ipſas res ſenſibiles, abſque vllo, an ſenſus communis, an alicuius alterius interuentu, cognoſcere: vt euenit, dum rem aliquam particularem abſentem, vel etiam extinctam percipimus, ac memoramur. Quo poſito ita progredior: Qđ tribuitur cuipiam facultati minus perfectæ, id longè maiori cum ratione tribui debet facultati perfectiori: *enimuerò ſi cui minus ineſſe debet, ineſt, magis inerit, cui magis ineſſe debet*. Conceditur verò phantaſię, facultati extenſæ, ac materiali, vt per ſolas ſpecies, iamdudum erutas, & apud ſe cõſeruatas cognoſcat, abſque vllo ſenſus communis, vel alicuius alterius, a quo hauſtæ ſunt, cõcurſu: ergo multò magis concedendum eſt intellectui, potentię immateriali, ac pręſtantiſſimę, quod per ſpecies intelligibiles, aliàs habitas, & conſeruatas, intelligat abſque phantaſmatum concurſu, aut vlla conuerſione ad ea.

Hinc diſpice, quàm futili argumento, nonnulli conuincuntur, vt tueantur huius rei oppoſitum: ſic illi. Illarum virtutum, quarum naturalis eſt connexio, poſterior & perfectior, nunquam operari poteſt abſque priore, & imperfectiore: Atqui ſenſus, & intellectus naturalem habent connexionem: quare intellectus, qui perfectior eſt, & poſterior, nunquam poteſt operari ſine ſenſu.

Prima propoſitio, locum habet in prima facultatum operatione, non abſolutè: Etenim, vt poſterior vis, & facultas operetur primò, indiget vtique prioris ope, & miniſtratione: at vbi ſemel mutuata eſt ſpecies, commodè citra illius miniſterium, per ſe ipſa operari valet, vt diximus. Exemplo rem illuſtro. Princeps quiſpiã, dum in magnificis ſuarum ædium penetralibus degit, nunquam rumores, lites, negotiaque in plateis, ac foro excitata ſciet, ni ſibi a quoquam ſuorum fuerit nunciatum: ideòque nihil de nouo, niſi eorumdem ſuggeſtione addiſcet. Verùm, vt ab eis rerum geſtarum ſeriem, ſemel accepit, nil prohibet, quominus per ſe ipſe earũdem rerum hanc, aut illam, tum ſingillatim, tũ vniuerſim iterum atque tertiò, animo repetat. Ita diuinæ auræ particula intellectus, in hoc corporis ergaſtulo detruſus, nihil omninò recens addiſcet, nec intelliget primò, niſi ſenſuũ exteriorum, interiorumue diligentia; qui rerũ intelligendarum internuncij, & quaſi apparitores, ei famulantur: At vbi ſpecies ab eis hauſit, nihil officit, quin per ſe ipſe, abſque famulorum interuentu, ea ipſa quæ accepit, & ſæpè, & diligentius repetat.

Quæ hucuſque ediſſeruimus, perpende quã vnicè conueniant cũ doctrina Philoſophi textu illo 39. tertij libri de Anima, quoquidem ſe Antagoniſtæ, quaſi Herculea quadam claua armari putant, quam nemo poſſit de manibus extorquere, textus ita iacet. *Quoniam autem neque res vlla eſt præter magnitudines, vt videntur ſenſibilia ſeparata, in formis ſenſibilibus intelligibilia ſunt; & quæ in abſtractione dicuntur, & quæcunque ſenſibilium habitus, & paſſiones ſunt. Et ob hoc, qui non ſentit aliquid, nihil vtique* (aduerte) *addiſcet, nec intelliget:* nempè prima intellectione. Præterquamquod, vt hoc innuam, malè in codice latino, *nec intelliget*: nam græcè οὐδὲ ξυνίοι. quod eſt, nec caperet, nec cõprehenderet, quæ haud ſunt munia ſolius intellectus: quocirca Philoponus interpretatur; ſignificare, inuenire aliquid ad ſcientiam, & cognitionem. *Deinde*, inquit Philoponus *poſtquam dixit, qui nihil ſentit, nihil didicerit; ſubiungit, nec comprehenderit, ideſt, nec inuenerit: duæ enim ſunt viæ cognitionis, diſciplina, & inuentio.* Subdit Stagirites: *Et cum ſpeculatur, neceſſe eſt ſimul phantaſma aliquod ſpeculari* prima videlicet contemplatione.

Quid?

Quid? nonne ex vero dicimus, ſenſum abſque ſenſibilibus, nihil ſentire? nihilominus remotis, extinctiſque ſenſibilibus, ipſa phantaſia, vti dicebam, ſpecies ſibi ab illis impreſſas, percipit? ita, & longè melius philoſophare de intellectu.

Audi, quàm præclarè concinit nobiſcũ Simplicius, dum ſuper textum 66. primi libri de Anima, *duplex*, ait, *eſt animæ noſtræ intelligere: Alterũ, quod a phantaſmate dependet: Alterum verò contemplatiuum, haud egens phantaſmatis*. Dein addubitat, (eſt argumentum, quo poſtea vtitur S. Thomas in prima parte, quęſt. 84. art. 7. vt oſtendat, intellectum, ſecundum præſentis vitæ ſtatum, minimè poſſe actu intelligere, niſi conuertendo ſe ad phãtaſmata) *At ſi non vtitur*, nempè corpore, ceu obiecto, *quo omninò pacto, cum aliud aliquid intus corrũpatur, aut ſpiritus ſcilicet, aut temperatio, tabeſcit ipſum intelligere?* ſoluit. *Propter reſpectum ſcilicet ad ipſum, & coordinationem illam, atque in quibuſdam actionibus vſum, licet non in ijs, quæ contemplandi vim habent.* Ob nexum itaque, & coordinationem, quæ inter animam, & corpus internenit, corpus impedimento fit animæ, in ijs etiã actionibus, quas ipſa per ſe elicere poteſt: Illuſtrat hoc elegantiſſimo exemplo, ita ſubnectẽs: *Quemadmodum, & gubernator a ventis, & fluctibus impeditur, non modò quatenus ad ſolum nauis pertinet vſum; ſed & quatenus ad eas ſpectat actiones, quæ a naui ſeparabiles exiſtunt, eum propter perturbationem, ne illas quidem exercere queat.* Vt ergo nauis rector, ingruẽte tempeſtate, dum nimborum furor erigitur, fit fluctuũ incurſus, cęlũ vndiq; contrahitur, diripitur mare, vndarũ æſtus, æſtum vrget, totum fretum ab ipſis ſedibus auulſum in ſublime portatum, frangitur; iamque quatiuntur cornua, raptantur antennæ, malum concidit, tota denique rates labefactatis lateribus huc, atque illuc agitata, ſummo in fluctu pẽdet, *Cui vnda dehiſcens, terram inter fluctus aperit*. tunc inquam nauis rector, non modo in ijs impeditur actionibus, in quibus ipſe ab ea, depẽdet, vt illam flectere, ac moderari; ſed in illis etiam, quas ipſe extra nauim edere poſſet, incedere, dormire, veſci, idque genus alia: Sic obuenit animæ intellectrici, ac intellectui, dum corpus varijs affectibus, & ægritudinibus vexatur. Hoc docuit etiam Stagirites; dum ſect. 3. problemat. quæſt. vlt. conſtituens diſpoſitiones animæ, ſequi corporis mutationem, inter alia hæc omninò habet: *atque etiam propter corporis perturbationem, animus quieſcere nequit.*

Equidem continere me nequeo, quin aliud etiam Simplicij exemplum hac ipſa de re ſubiungam: *Hac eademque ratione* (ſubdit) *ſi quis acum disiungat a manu, cum ea ad ſuendum manus vtatur; non autem ad aliquid effingendum, cum nullo ad id indigeat inſtrumento. Verùm ſi magnitudinẽ ſecundum naturam, atque conuenientem acus habeat grauitatem, nihil ad huius vſum, neque ad aliquid effingendum manus impeditur. Quod ſi ea grauitatem multam aſſumpſerit, non ſolum facultati illi, quæ conſuere valet, ſed & ei, quæ effingere, impedimentum affertur. Hoc igitur modo, & anima, quæ rationis particeps exiſtit, in agentibus quidem cognitionibus corpore vtitur; non autem in ijs, quæ contemplandi vim habent; quæ, cum illud ingraueſcit, atque præter naturã afficitur, iam perturbata impeditur.* Hæc Simplicius.

Ex his, quæ hucuſq; diſcuſſimus, habes; quænam ſit propria animæ operatio: Et quo pacto intellectus non in omni ſua operatione pendet a corpore, etiam obiectiuè. Sicut ergo intelligẽtiæ, vt ſunt motrices orbium, dependent quidẽ ab orbibus; ſed quia in functione intelligendi, quæ eſt earum propria, non pendent a Cęlo, nõ ſunt ab eo inſeparabiles; ita intellectus noſter, & ſi in aliqua intellectionę, nempè prima, depẽdet a phantaſmate, & corpore, quia tamen gaudet alia, eaque propria operatione, meritò poterit a corpore ſeiungi: *nam ſi eſt aliqua animæ operatio, aut paſſionum propria, continget vtique ipſam ſeparari. Si verò nulla eſt propria ipſius, non vtique eſſet ſeparabilis*: Hæc in confuctationem primi argumẽti dixiſſe ſatis, quod a quamplurimis magni ponderis exiſtimatum eſt.

Ex his dilutum quoque manet ſecundum argumentum. Quippè ſi prima reſponſio arridet, dicendum eſt, animam, ſecundum præſentis vitæ ſtatum, pendere quidẽ in omnibus ſuis actionibus a facultatibus præparantibus, phantaſia, aut memoria: ſed hanc eſſe depenpentiam ex obiecto: prout nempè illinc ſenſatæ ſpecies ſuppeditantur. Cæterùm quia non dependet a corpore velut a ſubiecto, icircò ad huius interitum diſſolutis corporeis facultatibus, anima manet ſuperſtes. Vel dicito, falſum eſſe, generatim, ac vniuerſim animã, etiam corpori coniunctam, indigere facultatibus præparantibus in omnibus ſuis actionibus. Enimuerò, vt nuper oſtendebamus, intellectus noſter gaudet propria aliqua operatione, quæ præciſè, ac formaliter, nec etiam velut ab obiecto dependet a corpore. Verùm, vt ad alia progrediamur, ſit.

SECTIO NONA.

Obuiam itur alijs tribus argumentis, & eorum confirmationibus in eadem ſectione confectis.

ARgumentum, tertio loco a nobis adductum, non minorum virium, quàm primum, a nonnullis exiſtimatum eſt; adeò, vt non modò Alexand. Aphrod. lib. 1. de Anima, cap. 4. ex eo collegerit, omnem animam inſeparabilem, caducam, & mortalem ſtatui oportere; ſed Iuſtinus etiam Philoſophus ac Martyr, loco quem initio Diſputationis indicaui, tũ Greg. Nyſſenus lib. de Anima, & reſurrectione, nec non Aeneas Gazeus lib. de immortalitate animæ, ob hoc ipſum opinati ſunt, Ariſtotelem, omnem animam mortalem ac diſſolubilem cenſuiſſe; quòd eam appellauerit Entelechiam.

Quod tamen argumẽtum gemino modo, nec multo negotio depelli poteſt: vt non ſine ratione docti quipiam huius tempeſtatis viri mirentur, cur præclara illa ingenia, tam facilè huic dederint manus. Itaque Simplicius, Philoponus, & alij Græcorum non pauci, diſtincta, prius ac partita, Entelechia, & actu ſubſtantiali in eum, qui informat, dat eſſe rei, & eſſentiã perficit: atque in eum, qui aſſiſtat, & operationes duntaxat perficiat; aiunt, omnem Entelechiam, & actum primæ conditionis, eſſe quidem inſeparabilem ab eo, quod actuat. At verò Entelechiã, aſſiſtentem, optimè poſſe ab eo, cui aſſidet ſegregari. Poſteriorem hanc; & ſeparabilem Entelechiam, habes in eo ipſo primo cap. lib. 2. de Anima tex. 11. dum nauta appellatur Entelechia nauis. Ἐπεὶ ἄδηλον, εἰ οὕτως ἐντελέχεια τοῦ σώματος ἡ ψυχὴ, ὥσπερ πλωτὴρ πλοίου. id eſt, *Amplius autem immanifeſtum, ſi ita* (eſt) *corporis Entelechia anima, ſicut nauta nauis*. Ita his auctoribus ſtatuitur anima rationis, conſilijque compos Entelechia corporis: Nec vna aliqua in omnibus hominibus, ſed ſingularis in ſingulis.

Quæ cum ita ſint, colligunt, animæ definitionem ab Stagirite datam, non conuenire omni animæ vniuocè, ſed analogicè, quia corruptibili, & incorruptibili: ſeparabili a materia, & inſeparabili, nihil commune vniuocè ſtatui poteſt: vt dicitur 10. Metaphyſ. tex. 26. Quæ quidem reſponſio non incommodè, etiam apud Ariſtotelem, ſuſtineri fortaſsè poſſet, ni nobis longè verius videretur, animam intellectus participem, eſſe veram hominis formam, & informantẽ Entelechiam, vt ſuo loco multis aperuimus.

Iccircò, commodius alio pacto occurrendum eſt: quod Entelechia, alia quidem eſt, quæ educitur de ſinu gremioq; materię: Cuiuſmodi ſunt omnes brutorum animantiũ formæ: & iſtæ ſunt omninò a materia inſeparabiles. Alia verò, quę non extrahitur de poteſtate materiæ, *ſed foriuſecus aduenit, ſolaque diuina eſt*; cum cuius etiam *actione non commiſcetur actio corporalis*. Hæc, vt perè *aliud animæ genus*, optimè eſt a corpore ſeparabilis, *veluti æternum a corruptibili*. Talis eſt anima intellectrix, quæ ſola id peculiare ſortitur, vt & ſit actus corporis phyſici, organici, potentia vitam habentis, vt Diſputat. proximè præcedenti vidimus; & tamen quia non propagatur cum ſemine, neq; de poteſtate materiæ educatur, vt Diſput. 2. oſtendimus, poſſit a corpore ſeiungi, & per ſemet exiſtere.

Quamobrem inſeparabilitas a materia, non competit formę in communi, prout forma eſt; (hæc enim abſtrahit ab eo, quod a corpore ſeparabilis, vel inſeparabilis ſit) ſed prout contrahitur per haſce differentias, educi, vel non educi de potentia materiæ, conuenit ſeparari, aut non ſeparari. Quemadmodum ens V. g. analogum abſtrahit ab eo, quod per ſe, vel in alio ſit: eòq; non omni enti competit eſſe per ſe, neque etiam omni enti conuenit eſſe in alio: ſed tali enti cõtracto in particulari, nempè accidenti, eſſe in alio: ſubſtantiæ, eſſe per ſe: ita non omni actui, & Entelechię competit eſſe a corpore ſeparabilem, nec etiam omni eſſe inſeparabilem: ſed materialis quidem, quia eſt de ſubiecto euocata, ab eoque in eſſe, fieri, & conſeruari dependet, eſt inſeparabilis a materia, ſecus autẽ intellectrix.

Cum itaq; cõmunis formæ ratio, id ſolum habeat, vt ſit perfectio, & terminatio (idq; vel actu vel aptitudine, vt mox audies) & Philoſophus in 2. de Anima intendebat, definitione complecti, communiſſimam animæ rationem, ideò dixit eam eſſe *actum, & Entelechiam corporis &c.*

Vnde nec etiam eſt neceſſe, quod forma ſecũdũm communem ſui rationem, actu quicquam informet, & actuet: ſed vel actu, vt faciunt omnes formæ, dum in corporibus inſunt; vel ſaltem aptitudine: & hoc relinquitur in anima humana etiam a corporis compedibus abſoluta. Ex quibus etiã depellitur exẽplum Alex. de termino: Quod nimirum terminus alicuius rei, cohærere nequit abſque re illa, cuius eſt terminus, cum eſſentia termini in eo poſita ſit, vt terminet. Atqui eſſentia animæ ſita eſt in eo, vt actuet, terminetque materiam; quare ſine hac conſiſtere, & conſeruari minimè poterit. Dicendum enim eſt, forma vel terminat actu, vel ſaltem aptitudine:

dine: priori modo competit formis, dum in corporibus inſunt: poſteriori verò ſoli animę intellectrici, dum eſt a corporis nexu ſeiuncta.

Sed hic veluti cornuti, quod aiunt, Satyri inſurgunt nonnulli, itruuntq; nam vel hęc animæ intellectricis aptitudo informandi corpus, aliquando naturæ viribus reducetur ad actum, vel nunquam. Si prius, ergo ex præſcripto naturæ, reſurrectio mortuorum erit poſſibilis; quod tamē procul abeſt a veritate, cum reſurrectio ſit mirandum, & admirandum diuinæ potentiæ opus. Si poſterius, ergo erit æterno tempore otioſa, & fruſtratoria. *Fruſtra enim eſt potentia, & aptitudo, quæ non reducitur ad actum.*

Hanc obiectionem fusè diluimus Diſputat. ſequenti, ſect. vlt. in reſponſione ad 10. argum. præter illa omnia, nunc dicimus, quod etſi huiuſmodi animæ ſeparatæ aptitudo ad corpus, nunquam reduceretur ad actum, nihilominus non eſſet æterno tempore otioſa, nec fruſtratoria; quia, vt aliqua potentia non dicatur otioſa etiam ſempiterno ęuo, ſat eſt, eam aliquando fuiſſe reductam ad actum; vt videre licet in virtute informatrice, quæ abſoluto fætu, non amplius operatur: & tamē neutiquam dicitur otioſa. Et in facultate augumentatiua, quæ pari pacto, acquiſito augumētationis termino, qui debetur formæ, nō amplius operatur, nec tamē idcircò dicitur otioſa: ita præfata animę ſeparatæ aptitudo. Ad illud verò quod in eodem argumento obijcitur, quod ad cuiuſcunq; remotionem remouetur definitio, remoueri debeat, & definitum. Et anima definitur per corpus; vnde ad eius remotionem, illa quoque remoueri debeat: dicendum eſt, maiorem propoſitionem veram eſse, in definitione duntaxat quidditatiua: hæc enim cum ex intimis rei principijs detur, ad cuiuſcunq; remotionem remouetur definitio, remouentur etiam principia definiti; atq; adeò definitum ipſum: non autem eſſe veram, præſertim in deſcriptionibus. Præfatam verò animæ definitionē, quod ſit *actus corporis organici &c.* non eſſe quidditatiuam, pleriq; volunt, de quo vide Eciet. lib. 2. de Anima cap. 1. ibi circà tertiam concluſionem occurrit dubium. Themiſtius in paraphraſi huius tex. ait, hanc animę finitionē, potius deſcriptionē quandā, q̄ definitionem eſſe. Quod fortaſsè fuit in cauſa, cur Philoſ. tex. illo 1 idicat τύπῳ μὲν οὖν ταύτῃ διωρίσθω, καὶ ὑπογεγράφθω περὶ ψυχῆς, *figura igitur ſic determinatū, & deſcriptum ſit de anima:* τύπῳ verò *ſeu figura*, quicpiam definire, inquit Alexander non eſt aliud, q̄ non exactè explicare: ducta metaphora à picturis, primò obſcurius adumbratis, deinde illuſtrius expreſſis. Et ideò Perionius interpres, τύπῳ, tranſtulit *pingui Minerua*; vt adnotauimus etiam Diſputatione 4. vt interea ſileam Plotinum, & Proclum, quorum ille lib. 2. Enn. 4. acriter vellicat Ariſt. quaſi non tam explicarit, quàm implicarit quid ſit anima. Alter verò cap. 5. in Timęum aſſeuerat, Stagiritē non docuiſſe quid ſit anima, ſed potius cuius ſit: ſcilicet corporis organici. Et tandem Auicenn. 6. naturalium aſſerit pleno ore, dictam animę definitionē non aperire eſſentiā animę, ſed potius exiſtentiam eius: Ideſt, non quid ſit anima, ſed quomodo exiſtat in corpore: Et ob id fortaſsè ipſe etiam Ariſt. ac ſi dicta definitione parum contentus, ſubnectit aliam, dicens tex. 24. *anima eſt id, quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, &c.*

Vel, ſit eſſe eſſentialem; nihilominus non ſequitur, ſubiectum, ſcilicet corpus, ita eſſe de eſſentia animæ, vt citrà hoc, illa non poſſit cohærere: nam formæ definiuntur quidem per ſubiecta, vt dicitur ſeptimo Diuinor. tex. 2. ſed aptitudinaliter, non verò per actualem informationem: ideò ceſſante actuali animæ informatione anima rationis particeps a corpore ſeiūcta ſua ptè natura eſt actus, & forma: quia quoties ipſum corpus informauerit, poteſt ei habilitatem vimque conferre ad actiones vitæ eliciendas.

Quod ſi obijcias, auctore S. Thoma multis in locis; præcipuè verò quæſt. 7. de potentia ar. 2. ad 9. forma, & actus dicunt ordinem intrinſecum, ad id, quod actuant, & inde ſpecificantur: quò ſit, vt etiam in definitione formæ, & actus conſtitui debeat ſubiectum quod actuatur, tanquam ſpecificans actum. Et hoc eſt, quod docet Ariſt. 7. Metaph. citato, in definitione formæ poni oportere proprium ſubiectū; ergo in præfata animæ definitione, ſubiectum, ſcilicet corpus, ita eſt illi intrinſecū, vt illo remoto, remoueatur & definitio: atq; adeò, & anima ipſa.

Dicitur, ſubiectum non eſſe de eſſentia formę, & actus, cum ſit reipſa ab ea ſeiunctum, ſed benè ordinem tranſcendentalem ad ipſum ſubiectū; & per hunc ſpecificatur intrinſecè: per illud autem extrinſecè tantum: Ille ordo remanet in anima ſeparata, per quem etiam indiuiduatur. Hoc explicuit S. Thomas loco citato, inquiens, *quod eſſe humanum, differt ſpecie ab eſſe equi, per ordinem ad eſſentiam humanam, quam actuat.*

De voce ἐντελέχεια Entelechia, multa cùm Veteres, tùm recentiores. Eius pater, & conflator reuera extitit Stagirites: quāuis Franciſcus Floridus in Apologia contra linguæ latinę ca-

lumniatores ſecus opinetur. Porrò, quia vis, & ſignificatio huius vocis aliquantulum ſubobſcura videbatur, auſi ſunt nonnulli affirmare, eam eſſe ex induſtria, & dolo ab Stagirite excogitatam, quaſi fugæ vehiculum, & inſcitiæ inuolucrum: nec tam ad detegendam, quàm potius inuoluendam abditam, & retruſam animæ naturam. Quam tamen calumniæ notam eregiè delet Iulius Scaliger Exercitat. 307. in Cardanum cap. 12. & 39.

Verùm in ea vertenda, (vt cætera ſilentio voluam) vanè ac inaniter lapſus eſt M. Tullius, dum in primo Tuſcul. quæſt. per δ, ſeu d. transfert, Endelechia: deceptus priſcæ vocis etiam tum apud Græcos vſitatę ἐνδελέχεια. Ciceronis hæc ſunt verba. *Ariſtoteles, longè omnibus (Platonem ſemper excipio) præſtans, & ingenio, & diligentia, cum quatuor illa genera principiorum eſſet complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam cenſet eſſe, e qua ſit mens: cogitare enim, & prouidere, & diſcere, & docere, & inuenire aliquid, & tam multa alia meminiſſe; amare, odiſſe, cupere, timere, angi, lætari, hæc, & ſimilia eorum, in horum quatuor generum nullo ineſſe putat: quintum genus adhibet, vacans nomine: & ſic ipſum animum ἐνδελέχειαν appellat, nouo nomine.* (quamuis in alio codice legatur τ, ἐντελέχεια) *quaſi quandam continuatam motionem, & perennem.*

Circa quæquidem verba, multa ſun tadnotãda, ne nos quoque decipiamur. Primum, tam abeſt a veritate, quàm quod maximè, Ariſtotelem, præter quatuor elementa conſtituiſſe quintam quandam naturam vacantẽ nomine *ex qua ſit mens*. Nec conſtituit vnquam, nec ſomniatus eſt. Ex quoquidem Ciceronis loco ſuſpicor fuiſſe inductum D. Auguſt. vt lib. 22. de Ciu. Dei, cap. 11. aſſereret, *Ariſtotelem cenſuiſſe, animam eſſe quintum quoddam corpus, Platonem verò nullum*. De quaquidem re hęc, & meritò ſcribit Magiſt, Bannes in 1. par. S. Tho. quæſt. 75. art. 1. *S. Aug. vel hoc legit in aliquo exemplari vitiato, vel certè nullibi legerat, ſed ad aures eius falsò a ſic opinantibus peruenerat. Nihil enim eſt in doctrina Ariſtotelis apertius dictum, quàm animam non eſſe corpus, ſed actum corporis.*

Deinde, dum Cicero poſuit ἐνδελέχειαν Endelechiã per d. falsò ait, eam *nouo nomine* ab Stagirite appellatam: quandoquidem ἐνδελέχεια vox antiqua; & apud Græcos ante Ariſtotelẽ maximè vſitata, vt adnotauit Iulius Scalig, capite illo 39. Tu verò, vel ex vno Luciani teſtimonio id ipſum diſcito, qui in ſermone, cuius titulus. δίκη φωνηέντων, iudicium vocalium, Endelechiam prius dictam, mox in Entelechiam declinaſſe ait. Accuſatur ibi T. vbi ait, ἀκούετε φωνήεντα δικασταὶ, τοῦ μὲν δ: λέγοντος, ἀφείλετό μου τὴν ἐνδελέχειαν, ἐντελέχειαν ἀξιοῦν λέγεσθαι, παρὰ πάντας τοὺς νόμους. hoc eſt, *Audite, vocales iudices, hoc quidem δ, dicente, abſtulit mihi Endelechiam, Entelechiam contendens dici, contra vniuerſas leges*. lege Cęlium Rhodig. lib. 10. cap. 22. & Adagiographum adag. *Gutta cauat lapidem*: vbi hunc etiam Chærili verſum affert.

Πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείη.

Præterea, Ariſtotelis Entelechia, haud vnquam eſt, vt Tullius tranſtulit, *continuata quadam motio, & perennis*, vt cuique vel leuiter in Peripato erudito liquet; ſed τελειότης, εἶδος, μορφὴ, λόγος, τὸ τί ἦν εἶναι, perfectio, ſpecies, forma, ratio, quod quid erat eſſe; ſiue ἐντελέχεια ſit ἐντελοῦς συνοχὴ, perfecti, nempè corporis, comprehenſio: ſiuè ἐντελὲς ἔχειν, quod eſt, vt verbum verbo reddam; perfectum habere: quia ſcilicet perfectionem omnẽ, quæ in animali reperitur, ipſa anima, & habet, & illi tribuit. Iccircò Ariſtoteles primo de Anima tex. 82. aiebat, *animam autem aliquid eſſe melius, & præſtantius, impeſſibile eſt*. Hinc Hermolaus Barbarus, & aliqui alij Entelechiam, traſtulerunt perfectihabiam, ſeu tandem ἐν τέλος, ἔχειν: de qua audi Scaligerum exercit. 307. cap. 12. *Cum igitur formam dixeris; intelliges immaterialitatem, ſimplicitatem, poteſtatẽ, perfectionem, informationem. Hoc enim eſt* ἐν: *quod innuit maximus Poetarum: Totoſque infuſa per artus. Hoc eſt*, τέλος: *quia eſt vltima forma ſub cęleſtibus: & princeps inferiorum, finis, ac perfectio. Hoc eſt*, ἔχειν; *poſſe. Vt ipſa ſit auctor omnium functionũ, omnium motuum, etiam contrariorum in eodem corpore, cuius potens eſt.*

Nec me fugit, nonnullos exiſtimaſſe, Tulliũ, Platonis ſtudio, hæc ſcripſiſſe, quem volebat cũ Ariſtotele ſentire idẽ. Alij omninò negarũt, id interpretamentũ, eſſe Tullij, vt Cęlius Rhodig. qui lib. 10. cap. 22. vbi in hunc locum incidit, ita ſubnectit: *ſuboles tamen eruditioribus, interpretamentum illud, de perenni motione, ſubdititium eſſe: nec de ſummi auctoris officina propagatum; ſed ab ſciolis, & malè feriatis inſertum; quod genus multa tùm gracè agnoſcimus, tùm latinè.*

Maximè verò omniũ mihi ſæpenumero mirari ſubijt, Angelum Politianum; quiquidem in ſuis Miſcellaneis cap. 1. haud veritatis ſtudio, *pro cuius ſalute*, vt diuinus præceptor lib. 1. Ethic. cap. 3. ait, *rectius eſt, & oportere videtur, vt vnuſquiſque, & præſertim Philoſophi, ſua quoq; propria refutent. Nam licet amici ſint, ſanctum eſt veritatem*

veritatem

Digitized by Google

ritatem ipſis in honore anteponere. haud ſtudio, inquã, inueſtigandæ Veritatis, ſed acri quadam contentione, compulſus, dum Ciceronis partes æquo vehementius tueri contendit, ipſa cõtentionis ſuſpitione, & Argyropyli æmulatione cauſam perdit. Diſpice hominis ingenium ex eius ipſius ſermone. *Tum quidem ſuis ſectatoribus perſuaſerat,* ideſt Argyropylus: *ita vt, quod penè dictu quoque nefas, pro conceſſo inter nos haberetur, nec philoſophiam ſciſſe M. Tullium, nec literas Græcas. Enimuerò re deìn tota diligentius peruestigata, meas eſſe partes, & item cuiuſcumque Latini profeſſoris exiſtimaui, Ciceronis gloriam, quã vel maximè contra Græcos ſtamus, etiam vice capitis, & omni contentione defenſare.* Macte doctrina, & veritate: etiam vice capitis, & omni contentione. Itane? ſed nos procul ab omni contentione, Veritatem nudam, ac ſolam inquirimus: & Ciceroni, vt ingenuè fateamur, in rebus philoſophicis, maximè verò in doctrina Ariſtotelis parum fidei damus. *Nec mirum; eum, qui ſe tumultuariæ vitæ, & agendis cauſis penitus dedidiſſet, in multis Ariſtotelis locis eſſe deceptũ:* ait vir egregiè doctus Petrus Victorius, initio Comment. in Rhetor. Ariſt. Hæc περὶ ἐντελεχείας, de Entelechia dixiſſe lubuit: quanquam plura, & poſſem, & vellem. Sed μηδὲν ἄγαν.

Veruntamen, ne temerè, & inconſultò hanc maculam eloquentiſſimo auctori inurere videamur, haud erit ab re, vnum vel alterum eius locum indicare, ex quibus, quàm ſint vera, quæ dicimus, tute ipſe dignoſcas. In primo ſermone de Natura Deorum, non procul ab initio, Ariſtotelem, ait, in 3. de Philoſophia ſcribere, Deum eſſe ardorem Cęli, aut mundum ipſum. Deinde eius accuſat inconſtantiã: Hęc ſunt Ciceronis verba. *Ariſtoteles quoq; in tertio de Philoſophia libro, multa turbat, a magiſtro Platone vno diſſentiens: modo enim menti tribuit omnem diuinitatem; modo mundum ipſum Deum dicit eſſe; modo quendam alium præficit mundo; eique eas partes tribuit, vt replicatione mundi quadam motum regat, atque tueatur: Tum Cęli ardorem Deum dicit eſſe, non intelligens, cęlum mundi eſſe partem; quem alio loco ipſe deſignarit Deum.*

Ariſtoteles, Deũ dicit ardorem cęli, aut mundum? Teſtor equidem eruditorum virorum fidem, poſt calumniam natam, apertiore calumnia neminem eſſe petitum. Te mi Cicero alloquor, ſed non meis verbis, ſed viri ſtrenuè docti Iulij Cęſaris Scaligeri, exercitat. 365. cap. 5. (cuius hic eſt titulus, *quòd M. Tullius non viderit libros de Cælo, & de Aeuo.*) *Excute libros de cęlo: tum de Ariſtotele aliter ſentias: tum de Natura Deorum acutius loquare, quàm locutus es. Deum enim, aliaſque a motricibus agnoſcit ſupra Cęlum intelligentias.* Id probat ex aureis illis Ariſtotelis verbis primo de Cęlo tex. 100. φανερὸν ἄρα, ὅτι οὔτε τόπος, οὔτε κενὸν, οὔτε χρόνος ἐστὶν ἔξωθεν. διόπερ οὔτε ἐν τόπῳ τἀκεῖ πέφυκεν, οὔτε χρόνος αὐτὰ ποιεῖ γηράσκειν, οὐδ᾽ ἐστὶν οὐδενὸς οὐδεμία μεταβολὴ τῶν ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φοράν. quæ ſunt, *Manifeſtum igitur eſt, quod neque locus, neque vacuum, neque tempus eſt extrinſecus. Quapropter neque ea, quæ illic ſunt, nata ſunt in loco eſſe, neque tempus ipſa facit ſeneſcere, neque vlla tranſmutatio vllius eorum eſt, quæ ſunt diſpoſita ſuper extima latione, &c.* Quibus verbis planè diuinè docet, ſupra vltimum, & extimum motum, eſſe tum Deum, tum alia: nempè intelligẽtias: id, quod videmus in numero plurali τἀκεῖ.

Quæ verba ſi Ciceroni cognita fuiſſent, non tam frigidè in ardorem illum exarſiſſet: inquit præfatus Scaliger: qui ſibi temperare nõ potuit, quominus carpere proximè præcedenti, cuius hic eſt titulus, *Quod M. Tullius inſcitè carpat Ariſtotelem* in eum ipſum auctorem, quem alias integra oratione laudauit, hæc omninò profunderet. *Minus exercitato in libris diuini viri M. Tullio (quẽ ſine vlla venia aduerſum tam temerarias iactantem voces dictum volo) in re ignota licuit exultare. Quis enim putet, vel ab Ariſtotele, vel ab alio mediocriter ad res naturales accõmodato ingenio, dictam aliquando vllam Cęli replicationem. Quare, vt πτύξιν, aut non intellexit, aut neſciuit exprimere quid eſſet apud Philoſophum: ita ne ardorem quidem illum. Nõ enim veriſimile eſt ab illo, Deũ ardorem appellatum, quod accidens eſt, aut ardorem in Cęlo poſitum, a quo cunctas ſummouit corruptionis neceſſitates.* Omninò vide, quàm præclarè, vltraque humanæ conditionis metam, diuini ingenij vir Stagirites, cũ ſentiat, tùm loquatur de Deo Opt. Max. in lib. 12. Diuinorum, tex. 39. & inde.

Vin', & aliud Tullianæ fidei teſtimonium? Hem piget, & pudet, bonum in alijs auctorem, tam prodigialiter hic mentientem audire. In calce primi libri Academicarum Quæſt. Platonem ait, nihil in ſuis libris affirmaſſe: omnia vtramque in partem agitauiſſe; nihil certi, & cõſtituti pronunciaſſe. Excipe Ciceronis verba. *Siquidem Platonem ex illa vetere Academia numeramus: cuius in libris nihil affirmatur, & in vtranque partem multa diſſeruntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur.* Itane Tulli?

Plato ille tuus, quem tu admirare, quem omnibus anteponis, quem maximè diligis, vt in libro de legibus primo loqueris: Ille, qui tibi *eſt, vir doctiſſimus, atque idem grauiſſimus Philoſophorum omniũ*. lib. 2. eiuſdem operis. Ille, *qui cum errare mehercle malebas, quàm cum cæteris vera ſentire*. in primo Tuſculan. quæſt. *quem quaſi quendam Deum Philoſophorum audiendum præcipis*, lib. 2. de Natura Deorum, nihil certi vlla vnquam de re dicit? Nihil in Phædro, ſeu de anima, vbi tam ſolidè, & enucleatè animorum immortalitatem oſtendit, vt qui, vel teipſo teſte in primo Tuſcul. quæſt. lib. *euoluit diligenter eius eum librum, qui eſt de animo, amplius quod deſideret nihil erit*? Nihil certi dicit is, *qui princeps de Republica conſcripſit, idemq; ſeparatim de legibus eius, idq; tibi credis eſſe faciendum*? lib. 2. de legibus. Nihil in Timæo, quem ipſe latinè integro opere, de Vniuerſitate inſcripto, completi tentaſti? quẽ vnũ Platonis dialogũ, Ariſtoteles imitatus, vt auctor eſt Proclus, vniuerſam ſuam Philoſophiam molitus eſt. Quid? ille ne nihil certi dicit, *qui, & Socrates eorum* (qui nimirum Philoſophiam perturbant) *e numero tollendus eſt: Plato, quia reliquit perfectiſſimam deſciplinam; Peripateticos, & Academicos, nominibus differentes, re cõgruentes*, vt habes in 2. Academ. Quæſt.

Quæ cum ita ſint, immeritò in auctorem planè diuinum impingis, & hæc nobis adeò contraria, & inter ſe pugnantia pingis: quemadmodum, dum de eodẽ auctore in lib. 1. de Natura Deorum ſcribis. *Iam de Platonis inconſtantia, longum eſt dicere &c.* Veruntamen Ciceroni hoc effatum veniſſet in mentem, *fluctum quempiam in ſcopulum impingentem, quantò violentius ſe ſe inferat, tantò miſerius diſſipari*: ſed iam ad alia argumenta.

Quod pro tertia confirmatione adiungebatur, arduam tangit difficultatem; ſola ne forma ſit eſſentia alicuius rei, an verò ad eã, ipſa quoque materia pertineat? Fuit Platonis opinio, formam ſolummodo eſſe eſſentiam rei, materiam verò non ingredi cuiuſpiam quidditatem. Hinc aiebat, hominem in rigore ſumptũ, non ſignificare compoſitum aliquod ex anima, & corpore; ſed animam ſolam: quæ vtitur corpore, ceu inſtrumento: quemadmodum, & Petrus veſtitus, nõ eſt quid compoſitum ex ipſo, & indumento, ſed vtens indumento. Sic habes apud eum, cùm alijs in locis, tùm maximè in Phædone, qui inſcribitur de anima, & in dialogo 1. Alcibiades. Cui deinde ſententiæ adhæſit commentator in 7. Metaphyſ. tex. 4. & 6. cui poſtea plerique alij: De qua tamen controuerſia, vide S. Thomam in prima parte, quæſt. 75. art. 4. & quæſt. 85. art. 1. ad 2. & 7. Metaph. tex. 34. Bannes in 1. par. S. Thomæ, quæſt. dicta, art. 1. dub. 2. Caietanum cap. 2. de ente, & eſſentia, quæſt. 4. Soncinatem in 7. Metaphyſ. quæſt. 27. Ferrarien. 1. cont. Gent. cap. 21.

Cum quibus omnibus nos pro tempore dicimus, quod materia in omnibus rebus naturalibus, eſt vera pars quidditatis, ac eſſentiæ: & homo formaliter, non eſt anima ſola, ſed cõflatum quicpiam ex ea, & corpore. Atque adeò forma, non eſt tota eſſentia viuentis, ſed pars formalis, actuans eius materiam. Ratio huius rei hęc ſit, ꝗ eſſentia rei, eſt illud, quod per eius definitionem ſignificatur: Atqui in definitione phyſica, non importatur ſola forma, ſed etiam materia, vt cuique compertum eſt: ergo de eſſentia rei naturalis, non eſt ſola forma, ſed etiã materia. Adhæc, illud eſt homo, quod habet operationes hominis, cum actiones ſint ſuppoſitorum: Anima autem ſola, nec ſuppoſitũ eſt, nec hominis elicit operationes: ſi quidem homo iraſcitur, miſeretur, addiſcit, & omninò ſentit: *dicere autem*, inquit Philoſophus primò de Anima, *iraſci animam, ſimile eſt, ac ſi quis dicat, eam texere, vel ædificare: melius enim fortaſſis eſt, non dicere animam miſereri, ſed hominem anima*. Itaque forma eſt id, quo: homo autem, id, q̃d operatur: qui in ſe concernit intrinſecè materiam, veluti alteram ſui partem. Et hoc, non modò de homine in particulari aſſerimus, ſed de eodem etiam ſpecificè ſumpto, in illius nimirum quidditate includi materiam, non quidem ſignatam, quæ ſecundum aliquos eſt principium indiuiduationis: ſed materiam communiter ſumptam: Quia ſicut de ratione huius hominis, ſunt hæ carnes, cum iſtis oſſibus; ita de ratione hominis, eſt habere carnes, & oſſa. Itẽ, quod neceſſariò conuenit omni indiuiduo ſub aliqua ſpecie comprehenſo, illud eſt de eſſentia ſpeciei: Atqui materia intrinſecè conuenit oĩ indiuiduo viuẽti; ergo eſt de eſſentia ſpeciei.

Ad argumentum itaque negatur antecedẽs; & cum dicitur, forma dat eſſe rei, & illam in vna aliqua determinata ſpecie conſtituit; fatemur; ſed nulla eſt conſecutio hinc illata: nam etiam albedo conſtituit album, & tamen non illa ſola eſt eſſentia albi: cum album ſit aliquid concretum; quare non ſequitur, quod deſtructa re, remaneat eius eſſentia.

Po-

Poſtremò, ad illud, qđ ibi ſubnectebatur, relatiua eſſe inuicē inſeparabilia, facilis eſt reſpõſio. Relatiua gemino modo capi poſſunt; Vno quidem, vti relatiua formaliter: & ſic ab inuicē ſeiungi nequeunt, quo pacto de ijs Ariſtoteles loco in argumento adducto, & alibi ſæpè, eſt locutus. Altero verò, vt res quædam ſunt: & ita optimè ſeparantur. Et profectò ſi quid præfatum argumentum concluderet; concluderet etiam, materiam equi, quia eſt correlatiua illius formæ, aut ab ea ſeparari non poſſe, aut vna cũ illa extingui.

Quando autem Philoſophus in 4. Phyſic. tex. 17. ait, locum non eſſe formam, quia forma eſt inſeparabilis: ſermonem habet de formis, vt ſæpè contingit, non vt ſemper. Vel de ijs, ſecundum communem, ac genericam formę rationē: non autem ſecundum ſpecialem, vt in reſponſione ad 5. dicetur. Adde, quòd Ariſt. eo loci, ſic omninò loquitur: *forma enim atque materia, non ſeparantur à re; locum autem contingit.* Vbi nulla vnquam mentio de ſeparatione formæ à materia, ſed ſenſus eſt, quod forma, & materia non ſeparantur à re, cuius ſunt forma, & materia, manēte re illa, ſicut contingit in loco, à quo ſeparatur locatum. Quapropter ineptè locus hic ab hiſce ψυχοθνήτων ad animæ ſuæ interitum, ac perniciem ſtabiliendam, & corroborandam affertur.

Quartum argumentum, erutum ex duodecimo Diuinorum, nullã huic materię ingerit difficultatem. Enimuerò dum Ariſtoteles ait, *Degentia verò qualis nobis paruo tempore, optima illi* nempè Deo, *ineſt*: clariſſimè loquitur de intellectione: at non de animæ intellectione, ſed noſtra; qui præſentem hanc vitam tranſigimus, quæ tam paruo, & perexiguo tempore, quaſi ſucciſus flos occidit. Sic enim ibi Stagirites: *qualis ea, quæ optima nobis paruo tempore, ſic illi ſemper: nobis enim impoſſibile.* Nobis mortalibus exiguo tempore ſuppeditat optima degentia, & ſpeculatio; non animæ: cui, cum a corporis compedibus auolauerit, inerit ſemper. Hoc omninò eſt, quod idem auctor de nobis itidem aiebat, lib. 10. Ethic. cap. 8. *Dijs enim beata tota vita eſt, hominibus verò eatenus, quatenus ſimilitudo quædam eiuſmodi operationis in ipſis ineſt: At cæterorum animalium nullum eſt fœlix: propterea, quia cõtemplationis particeps nullomodo eſt. Quouſque igitur protenditur contemplatio, eouſque etiam fœlicitas ſeſe extendit: & quibuſcumque magis ineſt contemplatio: ijs magis quoque ineſſe fœlicitatem conſtat &c.* Vt ergo hoc in loco de hominis, non verò de animæ contēplatione, & fœlicitate diſſerit, ſic in illo 12. Metaphyſ. *Degentia qualis nobis &c.* Adde, quod Ariſt. loquens de fęlicitate hominis in hac vita, intelligit ſolam ſpeculationem, in qua quidem ille beatitudinem hominis collocauit, quæ ſanè, quemadmodum in nobis, ob varias cauſas impedita, perbreuis admodum eſt, ita in Deo ſempiterna.

Ad quintum admittimus, Philoſophũ, quando dicit, ſe acturum de phyſicis, & corruptibilibus formis, comprehendere etiam animam rationalem, ob rationem in argumento adductam; ſed non ideò ſequi, eam quoque inſtar cæterarum, eſſe caducam, & corruptibilem. Cũ Philoſophus formas phyſicas appellat corruptibiles, materiales, & a materia inſeparabiles intelligit de ijs, vt in plurimum, non vt ſemper contingit. Id, quod ipſemet expoſuit 5. Metaphyſ. tex. 1. vbi ait, *phyſicam eſſe circa ſubſtantiam ſecundum rationem*, ideſt formam, *vt plurimum inſeparabilem.* Quare vt plurimum? quia etiam eſt aliquando circa ſeparabilem: Quod habet octauo quoque Metaphyſ. tex. 3. & 12. Metaphyſ. tex. 10. Quid enim? nonne formæ cęlorũ, eorumque accidentia, & formæ elementorum, ſecundum totalitatem eorum, ſunt phyſicæ? quæ tamen ſunt omnis corruptionis expertes: quamuis hoc diſcrimen inter eas, & animam rationalem intercedat, quòd illæ, licet ſint incorruptibiles, ſunt tamen corporeæ, materiales, & a materia, quam actuant, inſeparabiles. Hæc verò eſt immaterialis, & a ſua materia ſeiungibilis. Nec verò Philoſophus ſine ratione, phyſicas formas, ſimpliciter appellat corruptibiles, & caducas: quia cum denominatio deſumenda ſit a potiori: poriores autem, & plures phyſicæ formæ, interitui ſint obnoxiæ, ideò rectè ait, *De phyſicis autem, & corruptibilibus &c.*

Eodem etiam pacto explanandum eſt illud ex tex. 12. ſecundi Phyſic. vbi dicitur: *formam non exiſtere ſeparabilem, niſi ſecundum rationem*, & tex. 19. res phyſicas minus eſſe abſtractas a materia, quàm mathematicas. Ex tex. 26. Phyſicus de ijs agere dicitur, quæ ratione queunt ſeparari, quãuis re ipſa ſint in materia: & huiuſmodi alia: loquitur enim Philoſophus a potiori: atque adeò de caducis, & corruptibilibus formis; non it tamen inficias, eſſe etiam aliquam formam corporis phyſici ſeparabilem, ac immortalem! Adde, Philoſophum perpetuò dicere, de formis phyſicis, quæ nimirum omninò

phy-

Digitized by Google

phyſicæ ſunt conditionis: anima autem ratio- nalis,quamuis ſecũdum aliquam rationem ad naturalem Philoſophiam attineat,qua eſt pars corporis phyſici, tamen vndique non ſubditur eius contemplationi; ſed quoniam anima rationis,conſilijque particeps, vt Triſmegiſtus in Aſclepio ait,eſt veluti orizon æternitatis, & temporis: atque intelligibilis,corporeæque naturæ nexus,& confiniũ: Vel vt alij dixerũt, totius mundi ſumma,ſiquidem natura media,extrema repreſentat,ſuperiorem vt imago, inferiorem,vt exemplar,fit vt non modò ad philoſophiam naturalem, ſed ad aliam etiam altiorem ac diuiniorem,eius contemplatio pertineat: Quinimò perpende parum in textu illo allato, hanc diſiunctiuam (&) dum ait, *de phyſicis autem, & corruptibilibus*, vbi Philoſophus penè innuit reperiri aliquid phyſicum, quod non ſit côrruptibile; & ideò addidit, *& corruptibilibus*. Ex his dijudica, quàm vanis, quàmque ſubtilibus argumentis, oppoſitæ ſententiæ fautores, animæ ſuæ interitum, ac mortalitatem ſtruere adnitantur: quod vt clarius appareat, alia etiam, quæ ſequuntur argumenta, diluamus.

SECTIO DECIMA.

Satisfit reliquis argumentis in prima itidem Sectione factis.

VT ſextum argumentum, quod ex 52. textu, octaui Phyſicorũ eruebatur, diluerent aliqui, non ſunt veriti affirmare, animam rationis participem, nõ moueri, etiam per accidens, moto corpore: quorum rationes videre potes apud Hieronym. Pontan. lib. 4. de animæ immortalitate cap. 1.

Sed oppoſitum huius docuit Ariſtoteles in præceden. tex. 51. octaui phyſic. & in libris de Anima paſſim; vnde tex. 61. primi libri concludit. *Quod igitur neque harmoniam, poſſibile eſt, eſſe animam; neque circulariter moueri, manifeſtum eſt ex dictis: ſecundum accidens autem moueri, vt diximus, eſt mouere ſeipſam, & moueri quidem id, in quo eſt*: quod etiam dixerat tex. 43. eiuſdem libri, qui eſt locus, mea quidem ſententia, quẽ hic citat. Idem docuit S. Thomas lib. 2. cont. Gent. capit. 65. & quæſt. de Anima art. 10. ad 12. & in quæſtionib. diſputatis, quæſt. 10. art. 10. ad 3. & in 1. diſt. 37. quæſt. 4. art. 1. & ſæpè alibi. Capreol. in 2. diſt. 2. quæſt. 1. art. 3. Caiet. ad artic. 8. quæſt. 76. primæ partis. Bannes ſuper eandem partem, quæſt. 76. artic. 8. dub. 2. in reſponſione ad 3. argumentum, primæ opinionis, & communiter Scholaſtici omnes. Et profectò omninò videtur impoſſibile, vt totum corpus ita moueatur, vt acquirat alium locum, & non moueatur etiam totum id, quod in illo reperitur; quamuis in eo reperiatur definitiuè. Adeò, vt ſupradicti auctores, affirment fore, vt intelligentiæ quoque mouerentur per accidẽs, ſi cęli, quibus aſſiſtunt, mutarent locum relicto priore: quemadmodum mutat noſtrum corpus. Modo autem non mouentur, quia cęlum non mutat locum ſubiecto, ſed ſolummodo partes eius ſphærica latione cientur.

Pręterea, non video, quomodo humana anima, forma naturalis eſſe, & ad naturalem philoſophum pertinere poſſit, vt reuera pertinet, & de ea, in partibus phyſiologiæ tractatur: ſi ea nec per ſe, nec ex accidenti mouetur: ſiquidem, vt ſæpè teſtatum reliquit Philoſophus, nihil immobile pertinet ad philoſophum naturalem. Vnde ſecundo phyſic. tex. 71. dicitur: *Quæcunque mota mouent, eſſe phyſicæ conſiderationis, quæcunque verò non, non eſſe amplius phyſicæ*; & tex. 72. & ſæpè alibi; quare impoſſibile eſt, vt ad motum corporis, non moueatur anima, ex accidenti.

Cęterùm, ſi animam etiam rationis compotem, ex accidenti moueri ſtatuimus, & hoc a ſe ipſa, quid ad Philoſophi propoſitionem erit dicendum, qui de caducis ſolum, atque corruptibilibus hoc affirmare videtur? Dicimus, eam veriſſimam eſſe, eo intellectu, quo a Philoſopho profertur: Profertur autem, non in vniuerſùm de omnibus, ſed de plurimis. Ita nimirum apparet quamplurimùm: vt, quæ per accidens ex ſe ipſis mouẽtur, ea obnoxia ſint corruptioni. Nec debuit Ariſt. ab hoc dicendi modo, excipere animam intellectiuam: tum ob rationẽ, quam in ſolutione præcedentis argumenti dicebamus: tum maximè, quia non fuit congruũ ſolitæ Stagiritæ modeſtiæ, vt hic formam humanam exciperet, eamque ab interitu vindicaret, cum nondum eſſet manifeſtum; ſed ab eo inferius erat demonſtrandum, intellectum humanum, eſſe incorruptibilem. Iccircò merito, atque optimo iure, eum in præſentia non excepit; ſed locutus eſt, vt apparet in plurimis.

Et certè lubens quæſiuerim a ſectatoribus Alexandri,qui quidem corpora cęleſtia defendunt animata,eaque moueri ex apprehenſione intelligentiæ: non ne formæ illæ ęlentur ex accidenti,& a ſeipſis? etiamſi circulariter moueãtur? an ergo illæ quoque caducæ, & corruptibiles?

Septimum argumentum,nihil aduerſus noſtram opinionem concludit; nam Philoſophus loco in argumento citato,perpendit animas, qua ſunt,vel poſſunt in corpore eſſe: eaſque ad inuicem conferendo ait, quia anima intellectiua eſt ſuperius quicpiam,vtpotè, quæ vegetatiuam,& ſenſitiuam complectitur,non ſecus, atque tetragonum continet trigonum, vt idem Philoſophus explicabat lib. 2. de Anima tex. 31. ideò optimè poſſe vegetatiuam ſolam in aliquo reperiri,abſq; alijs,ut contingit in plantis. Poſſe itidem conſiſtere ſenſitiuam,ſine intellectiua. Secus autem verſa vice, neque intellectiuam ſine ſenſitiua,neque hanc, ſine vegetatiua. Vbi mentio nulla de ſeparatione animæ a corpore. Adde ex Angelico Doctore prima par,quæſt.76.art.3. ad primum,quia in homine vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua, non niſi vna eſt anima ſubſtantialiter, ratione duntaxat ab inuicem diſtincta, quando extincto corpore ſeparatur anima intellectiua,ſeparati etiam per concomitantiam alias: vnde etiam ſenſitiua, & vegetatiua, quæ in homine cum intellectiua identificatur,ſunt incorruptibiles. Verba S, Doctoris hæc ſunt. *Nam anima ſenſitiua,non habet incorruptibilitatem ex hoc, quod eſt ſenſitiua,ſed ex hoc quod eſt intellectiua, et incorruptibilitas debetur: quando ergo anima eſt ſenſitiua tantum,corruptibilis eſt,quando verò cum ſenſitiuo intellectiuum habet, eſt incorruptibilis: licet enim ſenſitiuum incorruptionem non det, tamen incorruptionem ab intellectiuo auferre non poteſt.* Ex quo etiam patet ad confirmationem.

Sed,hinc mea quidem ſententia, maxima oboritur difficultas,quomodo potentiæ animæ vegetatiuæ,& ſenſitiuæ erunt perpetuò priuatæ actibus ſuis? qui ſine corporis adminiculo exerceri non poſſunt.

Ad hanc difficultatem, pro tempore dico, non eſſe inconueniens,vt aliquid,quod in alio ſuperiori continetur, non eliciat operationes; ſi illud ſuperius habeat ſuas proprias: & ita cõtingit in præſenti. Nam anima intellectiua ſeparata,in qua virtutes reliquæ continentur,intelligit, vult, & ſimpliciter operatur, vt diximus. Addo, potentias animæ ſenſitiuę non remanere in anima ſeparata: Adi omninò S.Thomam in prima parte, quæſt.77. art. 8.vbi ſic quærit; Vtrum omnes potentiæ animæ,remaneant in anima a corpore ſeparata? ad quod duobus aſſertis reſpondet dicens,eas animæ potentias,quæ immediatè ſubiectantur in ipſa anima, manere in illa a corpore ſeparata: potentias verò,quæ ſubiectantur in ipſo cõiuncto,non manere in anima ſeparata, niſi virtute, vt in principio,& radice.

Ad octauum argumẽtum,dum Philoſophus 2.de Anima tex.26. eos carpit, qui animam, aut corpus, aut non ſine corpore poſuerunt: commendat verò illos, qui oppoſitum ſanxerunt: Primò, ſunt qui dicunt,Ariſtotelem,eo loci ſermonem habere de animabus duntaxat, vegetatiua,& ſenſitiua; quæ profectò citra corpus cohęrere non poſſunt: ita Ammonius, Philoponus, & alij nonnulli. Sed quia hæc reſponſio,non leuibus vrgetur incommodis,pręſertim quia cum id inferãt Stagirites, ex his; quæ ſuperius oſtenderat; nimirum animam eſſe actum corporis,idque eſſe communi omni animę,vt per eundem Philoſophum tex.7. & inde liquet,cum inquam,hic inferat, *& propter hoc,benè opinantur, quibus videtur, quod neque ſine corpore eſſe,neque corpus aliquod anima*: proculdubio,id etiam de intellectiua capit. Ideò alij inter quos eſt quoq; Philoponus, & videtur etiã Simplicius aiunt, hic a Philoſopho includi quidem etiam animam rationalem: ſed adnotant,eam duobus modis poſſe conſiderari. Altero quidem quatenus anima, & Entelechia, & hoc pacto inſeparabilis eſt,a corpore. Altero verò quatenus eſt intellectus,ac ſubſtantia, quædam ſuaptè natura exiſtens: & hoc pacto citrà corporis adminiculum eſſe poteſt. Illuſtrat hoc eleganti exemplo Philoponus: *ac veluti gubernator*, inquiens,*qui nauis, cum ſit entelechia,quatenus gubernator eſt,a naui ſeparari non poteſt: verùm quia non ſolum gubernator eſt,ſed etiã homo,vt homo quidem non vt Entelechia ab naui ſeparabilis eſt. Hoc etiam modo anima noſtra; qua, quatenus entelechia eſt corporis, non poteſt eſſe ſine corpore, ſed quoniam quaſdam a corpore ſeparabiles operationes habet, ſcilicet circa intelligibilia, in qua non modò corpus non confert, verùm etiam in illis eſt impedimento,id patet, quòd ſubſtantiam ſeparabilẽ habebit: cum eatenus anima ſit, & dicatur intellectus,non ſanè amplius anima, niſi potentia*. Hæc ille. Ariſtoteles ergo hic loquitur de Anima

ratio-

Digitized by Google

rationali,primo modo; non abſolutè. Et hæc reſponſio eſt optima, quam aſſignat etiam S. Thomas multis in locis: addito quod anima ſit forma informans.

Reſpondent alij,nec ineptè fortaſſe (ſuppoſito,Philoſophum hic carpere Pythagoreos, qui quidem animas, ſine vllo vnquam ordine, diſpoſitione,ac delectu,ita in diuerſa animantium corpora intrudebant, vt illæ nunc in humana, nunc verò in ferina vagarentur: vnde etiam omnes animas tam hominum, quàm brutorum, fecerunt eiuſdem ſpeciei), aliquid eſſe ſine corpore, bifariam obtingere. Aut quia nec actu, nec habitudine eſt in corpore: & hoc pacto ſunt intelligentiæ. Aut quia actu quidem non eſt in proprio determinatoq; corpore,nihilominus habitudine eſt: ita animę ſeparatæ dicunt habitudinem ad propria corpora,ex quibus etiam indiuiduantur. Pythagorici igitur, animas in nullo proprio corpore aptatas,nec actu,nec habitudine, ſed caſu, atq; fortuitò per corpora vagari dixerunt. Ariſtoteles autem vult omnem animam eſſe in proprio corpore,aut actu,aut habitudine.Senſitiua enim ac vegetatiua anima,ſine corpore eſſe nō poſſunt: quinimò tandiu ſunt, quandiu ſunt in corpore. Intellectiua verò, cum ſit alterius generis,ac naturæ ab his, licet habitudine ſine corpore eſſe non poſſit; actu poteſt. Hoc itaque modo intelligendo, nulla anima eſt ſine corpore.

Quòd ſi obijcias,expoſitionem hanc,non eſſe ad mentem Philoſophi,cum ab eo nulla fiat habitudinis mentio. Ad hoc reſpondet Auguſtinus Sueſſanus,ſuper eundem tex. *Eum,qui hoc obijceret, eſſe malum Ariſt. interpretem*: quia Ariſtoteles hic non contendit, niſi contra Pythagoricos, qui dixerunt animam poſſe eſſe cuiuſlibet corporis: atque adeò habere habitudinem ad omne corpus. Eam ergo reſpicere determinatum corpus: an actu,an habitudine: ſatis, ſuperque eſt Ariſtoteli, ad refellēdam Pythagoreorum opinionem.

Arbitrater equidem,apprimè ad mentē Philoſophi fore,ſi dixeris,animam eſſe ſine corpore,duplici ratione contingere poſſe. Vel ita, vt præextiterit ante hoc, illudue corpus; idque ſiuè humanum,ſeu quoduis aliud. Vel ſit ſine corpore,poſt huius corruptionem. Ariſtoteles negat duntaxat animam eſſe ſine corpore primo modo,quo a Pythagoricis ſtatuebatur; quos & meritò reprehendit,contenditq; animam,quia eſt forma huius, fieri in hoc determinato corpore. Minimè verò inficiatur, eam poſſe cohærere abſque corpore,eo iam diſſoluto: nulla huius rei in præſens mentio. Hoc ſolum, nec quicpiam aliud Philoſophum intelligere, conuinco ex eius probatione: *actus enim quiſq; vniuſcuiuſque in eo, quod eſt in potentia, & in propria materia, eſt aptus natura fieri* per peculiare illud, *eſt aptus natura fieri*. annecte minorem, atqui anima eſt actus corporis: ea igitur eſt apta natura fieri in proprio ſuſceptiuo, proprioq; materia: atque adeò, nec præexiſtit, nec per diuerſa corpora peterrat, vt dicunt Pythagoræi: idē colligas ex ijs verbis eiuſdem textus: *Et non ſicut priores in corpore aptabant ipſam, nihil prorſus definientes, in quo, & quali*. Carpit illos, quod animam indebito corpori, indifferenter aptabant: Aptari non eſt, niſi rei preexiſtentis. Hos itaque ob id ipſum reprehendit. Approbat verò eorum opinionem, qui animas, quia ſunt actus & ratio, in proprijs corporibus fieri aſſerebant; quod etiam ipſe docuit 12. Metaphyſ. tex. 16. Nihil verò hic de immortalitate, & exiſtentia animorum poſt corpora: non enim ipſe intruderet eas in alia corpora. Quod ſi, non niſi in humana.

Ad nonum ex libro de longitudine, & breuitate vitæ, dicimus Ariſtotelem in illa propoſitione, animam non poſſe corrumpi alia corruptione, præter eam, qua corrumpitur corrupto corpore; loqui de Anima, quæ non habet ſuum eſſe proprium, ſed illud emendicat a corpore, a quo dependet in eſſe, fieri, & conſeruari: cuiuſmodi ſunt anima vegetatiua, & ſenſitiua: minimè verò de intellectiua; quæ cum ſuum eſſe non trahat a corpore, quinimò huic tribuat eſſe, quo iſtud exiſtat, fit, vt etiam extincto corpore, illa neutiquam extinguatur.

Dici etiā poteſt, animam quoque rationalē in corruptione totius, dici corrumpi, non quidem abſolutè, ſed quoad modum informandi: quia definit eſſe actu Entelechia. Sed hoc etiā ſcito, quod Ariſtoteles eo loci, hoc ſolum inferre contendit, animam non ita eſſe in corpore, ſicuti ineſt accidens in ſubiecto: quod dicit aduerſus eos, qui animam harmoniā quandam fecerunt. Ex quo quidem Ariſtotelis propoſito, quid contra noſtrum ſequetur? nihil profectò. Poſſem hoc luce clarius reddere, niſi prolixitatem vererer in re clariſſima: reddes tu, ſi textum inſpexeris.

Ad decimi argumenti auctoritates, ſingillatim

tim dicendum eſt. Et quidem ad tex. 66. primi de Anima, cum dicitur, *ipſum igitur intelligere, & ipſum ſpeculari corrumpitur, alio quodam interius corrupto*: gemino modo occurrit S. Thom. 1. parte, quæſt. 89. art. 1. ad primum; vel quod Ariſt. eo loci loquatur, ex quadam ſuppoſitione prius facta: videlicet, quod intelligere ſit quidam motus coniuncti, ſicut, & ſentire. Et hoc propterea, quia nondum differentiam oſtẽderat, inter intellectum, & ſenſum. Quod ſi ita eſt, nulla manet difficultas: quia motus corrumpitur ad corruptionem coniuncti, Sed quia reuera huiuſmodi ſuppoſitio, non apparet in textu: iccircò idem auctor reſpondet ſecundò, corrupto aliquo interiori, corrumpi etiam intelligere noſtrum, nõ abſolutè, ſed quo ad modum, quem habet per conuerſionem ad phantaſmata: ſeparata enim anima intelligit per conuerſionem ad ſuperiora, vt alio loco dicemus.

Cęterùm aio, temerè ab aduerſarijs dici intelligere corrumpi: & malè codices aliquos habere *ipſum intelligere, & ipſum ſpeculari corrumpitur, alio quodam interius corrupto*. Philoſophus hoc non dicit; græcè, & clariſſimè iacet, καὶ τὸ νοεῖν δὴ, καὶ τὸ θεωρεῖν μαραίνεται, ἄλλου τινὸς ἔσω φθειρομένου. verto, *& ipſum intelligere, & ipſum ſpeculari, langueſcit, alio quodam interius corrupto*. langueſcit, non ita nimirum viget, ac floret, corrupta facultate aliqua ei ſubminiſtrante: ipſum verò ſecundum ſe, incorruptibile eſt; quod ibidem modo non clamat Philoſophus, αὐτὸ δὲ ἀπαθές ἐστιν. *ipſum autem impaſſibile eſt*. Quomodo autem corrupta aliqua facultate etiam ſenſitiua, ipſum intelligere, adeò langueſcit, vt exerceri nequeat, explicat Sanctus Thomas prima parte quæſt. 81. artic. 7. & patet euidenter in phreneticis. Miror tamẽ ego, & quidem vehemẽter, textum hunc ab aliquibus, ad animæ interitũ, & mortalitatem cõprobandam, tam perfricta fronte adduci: cum Philoſophus in hoc ipſo textu, eius immortalitatem apertè probet, vt in huius text. explicatione vidimus ſect. 2.

Secunda auctoritas ex vltimo tex. ſecundi de Anima, corroborat ſententiam noſtram, Non enim ait Ariſtoteles, intellectum lædi alterari, aut corrumpi, ſed dicit, cum ἐπικαλύπτεσθαι, velari, & obtegi: non ſecus nimirum, ac Sol, quando obducitur, ac tegitur nubibus, nec læditur, nec alteratur, ſed eius irradiatio, quoad nos præpeditur illæſo ipſo: ſic præpeditur actio intellectus, quia quamuis ipſe ſit impaſſibilis, tamen ſeu corporis aliqua paſſione, ſiue aliquo impedimento velatur; Ex quo quidem loco, non ſolum habemus Ariſtotelem, animæ immortalitatis aſſertorem, ſed etiam modum ſoluendi, & explicandi quamplurimas dubitationes, inter quas eſt etiam illa præcedens, *intelligere langueſcit &c.*

Ad illud, ex ſecundo Politic. dico, neque hic, nec alibi vſpiam ab Stagirite inueniri dictum, mentem, & intellectum noſtrum conſeneſcere. Atqui dices, loco citato, ita iacet; *Eſt enim vt & corporis, mentis quoque ſenectus*: fateor, ita legi latinè, ſed malè: græcè & verè non ita, ſed ἔστι γὰρ ὥσπερ σώματος, καὶ διανοίας γῆρας. verto, *eſt enim ſicuti corporis, ita & ratiocinationis ſenectus*: nam διάνοια dianæa, idem pollet atque cogitatio, ratiocinatio, intelligentia, ingenium, ſententia, vel ſi mauis diſcurſus, quæ omnia in confecto ſenio debilitantur, ob defectum ſpirituum, & debilitatem facultatum ſenſitiuarum ſubminiſtrantium intellectui: quamuis mens ipſa, & intellectus in ſe, nihil perpetiatur: quinimò ſecundum ſe in ſenectute perficiatur, vt ſcribit Ariſt. ſect. 30. problematum, problemate quarto, quando quærit, *cur ſeniores amplius mente valeamus, iuniores ocyus diſcimus*? inter alia ait: *ita etiam mens quæ res naturalis eſt, non protinus, ſed in ſenectute maximè nobis contingit, atque tunc potiſſimùm conſumatur, atque abſoluitur*: Quod etiam docuit primo de Anima, tex. 65. Hinc diſpice arguẽtis errorem. Et profectò miſeret me conditionis eorum, qui græcas litteras, nec ſciunt, nec magni pendunt. Quòd ſi aliquando διάνοια. dianæa a Gręcis pro mente capitur, id erit impropriè, quemadmodum & latini, mentem quandoque pro conſilio, decreto, voluntate, idque genus alijs, ponere conſueuerunt.

Preſsè autem, ac propriè quid διάνοια polleat, diſce ex Platone, qui in Dialog. Sophiſta eam ex inſtituto his omninò verbis explicat. οὐκοῦν διάνοια μὲν καὶ λόγος ταὐτόν, πλὴν ὁ μὲν ἐντὸς τῆς ψυχῆς πρὸς αὑτὴν διάλογος ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος, τοῦτ᾽ αὐτὸ ἡμῖν ἐπωνομάσθη διάνοια, τὸ δὲ ἀπ᾽ ἐκείνης ῥεῦμα διὰ τοῦ στόματος ἰὸν μετὰ φθόγγου κέκληται λόγος. Latinè ſic iacent; *Nonne cogitatio, & oratio idem? niſi quod cogitatio dicitur illa ipſa ſine ſtrepitu vocis interior collocutio, qua ſe ſe animus noſter alloquitur: effluxus autem ab ea, per os procedens cum ſono, dicitur oratio*. Hinc διανοεῖσθαι cogitare, vt videre licet ſæpè apud Ariſtotelem,

ſtotelem, maximè verò in primo de Anima, tex.64. βέλτιον γὰρ ἴσως μὴ λέγειν τὴν ψυχὴν ἐλεεῖν, ἢ μανθάνειν, ἢ διανοεῖσθαι, *melius enim fortaſſe eſt, non dicere animam miſereri, aut addiſcere, aut cogitare*: quia igitur ἡ διάνοια dianœa, ſeu cogitatio eſt quidem opus intellectus, ſed tamen coniuncti cum ſenſu, procedit enim, qui diſcurrit, ab vniuerſalibus ad particularia, meritò, inquit Ariſtoteles εἶναι ὥσπερ σώματος, καὶ διανοίας γῆρας, *eſſe ſicuti corporis, ita & cogitationis*, ſeu *ratiocinationis ſenectam*.

Ad confirmationem ex libro Phyſiognomicorum dicitur, cum anima rationis particeps ſit humani corporis forma, mirum ne videtur, quod illa, & corpus plurimarum paſſionũ cauſæ fiãt ad inuicem? vt animi habitus alteratus, & corporis quoque formam alteret; Et forma corporis commutata, commutet animi habitũ? quinimò mirum eſſet, ſi ſecus eueniret. Cæterũ hoc non ita contingit, vt ipſa animæ ſubſtantia, corporis paſſionibus, & affectibus in ſemet afficiatur, aut læſionem vllam perpetiatur; eſt enim alterius ordinis, quò corpus pertingere nequit: ſed offenditur ſolum in functionibus ſuis, ſicuti videmus contingere in ebrietatibus, & in morbis; vt ab Sragirite explicatum habes in primo de Anima, tex. 65. ipſa mente illæſa omninò, atque impaſſibili exiſtente. Hinc non ineptè Alexan. in lib. 2. problem. quæſt.64. *Quemadmodum inquit, fidibus in Cithara, & foraminibus in tibia rectè conſtitutis, artifex optimè modulatur; malè autem diſpoſitis, perperam agat neceſſe eſt, cum ipſe nulla in re ſit immutatus; eodem modo anima noſtra agit pro corporis conſtitutione. Et cerebro per intemperiem depranato, anima rationalis nequit ſuo munere probè fungi. Cum tamen ipſa paſſione vacet, & permaneat immutabilis.* Hæc ille; ſi tamen Alexander. Vt ergo deprauatus citharæ ſonus, non arguit artificis deprauationem, vel corruptionem, ita in animę functionibus, ob corporis defectum.

Addo præterea, quòd cum Philoſophus in illo tractatu, Phyſiognomica aperire inſtituiſſet, vt oſtẽderet ex varia corporis conſtitutione, temperie, figura, idque genus alijs exterioribus ſignis, modo aliquo poſſe hominum ingenia, mores, inclinationes, & animos ipſos introſpici, ac dignoſci, *quia mores*, vt aiunt, *ſequuntur humores*, ea protulit, quæ ibi habentur: Quæquidem vera ſint in pluribus, non erunt in omnibus. Nec enim ſemper id, ad quod in nobis propendit corporis conſtitutio, operamur: quinimò plerunque oppoſitum. Cum enim vires ſenſitiuæ, vt inquit, S. Thomas 2.2. quæſt.95. artic. 5. & patet ex Ariſtotele tertio de Anima, tex.42. & 47. & lib. 1. Ethic. capit. vlt. obediant rationi; poteſt homo per rationem, non modo illud operari, ad quod corporis affectus eum trahunt, ſed eius etiam oppoſitum. Nonne quamplurimi cordati viri, corporis paſſiones, ſiue temperiei propriæ, ſiue cuiuſpiam habitus antea iam contracti, calcaribus concitatas, rationis habenis compeſcunt: & acres libidinum, ac vitiorum flammas erumpentes, extinguunt rationis, & prudentiæ rore? Quod profectò argumento eſt, animas noſtras, non in omnibus obſequi, & obtẽperare corporis affectibus atque temperiei: neque illi perpetuò compati: Quæ res ſi ita habet, hinc quoque animorum immortalitas elucet: alias enim ſemper affectus corporis ſequerentur.

Quod ſi plurimos videmus, ſemet, quò corporis paſſiones pelliciunt, eò præcipites dare: & quampauciſſimos rationem amplecti; recolamus Philoſophi dictum, in 2. Ethic. cap.6. *malum eſſe in pluribus, bonum autem in paucioribus*, cuius rationem aſſignat S. Thom. 1. parte quæſt. 63. art. 9. ad primum. *Quia malum contingit ex hoc, quod homines ſequũtur bona ſenſibilia, quæ ſunt pluribus nota, deſerto bono rationis, quod paucioribus notum eſt.*

Vndecimum argumẽtum, & eius confirmatio facilè expeditur: nam, & Solon, & Ariſt. eo loci ſermonem habet de fęlicitate temporaria, & huius vitæ: quam profectò fatuum eſt, poſt huius vitæ terminum conſtituere.

Eodem modo diluitur duodecimum argumentum ex tertio eiuſdem operis, cap.9. Mors, quia eſt vltima rerum omnium linea; & vitæ noſtræ extremum, haud immeritò cuicunque habetur horribilis: quocirca etiam viro forti non abs re cenſeri debet moleſta: eòque magis, vt ibidem ait Philoſophus; ob mortem dolebit aliquis, quò virtute fuerit ornatior: quapropter, etſi anima noſtra, diſſolutis corporibus, ſuperſtes maneat; at non nos: & iccircò nobis poſt hanc vltimam pęnam, neq; boni, neq; mali quicquam poteſt contingere: de anima verò ab Stagirite eo loci mentio nulla: ſic enim ibi: *Mors autem maximè omnium rerum eſt horribilis: quippè cum terminus ſit; & nihil amplius homini mortuo neque bonum, neque malum eſſe videtur.*

Tu verò cum Seneca, & rectè ita habe: quod dies iſte, quem tãquam extremum reformidas,

æterni natalis eſt. Et quicumque nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam nõ poteſt colere. *Pompa mortis magis terret, quàm mors ipſa*, quòd tam naturale ſit homini mori, atque naſci. Vnde verè, ac ſenſatè ille.

Qui finem vitæ extremum inter munera ponit.
Naturæ.

Quid ſi mors obueniat bona? quæ vitam nõ aufert, ſed transfert in melius? Porrò iuſti, ac pij hominis mors, vt quidam loquitur, eſt bona propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter ſecuritatem, vel potius ſalutem æternam: quæ vt bona obtingat, vita bona opus eſt.

Itaque.

Viue pius, moriere pius.

Atque.

Vt tibi mors fęlix contingat, viuere deſce:
Vt fęlix poſſis viuere, diſce mori.

Enimuerò.

Vna eſt viuendi, ac moriendi regula rectè:
Vt moiare pius, viuere diſce piè.

Repete ſæpius tecum hoc dictum: *Quomodo fabula, ſic vita, non quamdiu, ſed quàm benè acta ſit, refert: nihil ad rem pertinet, quo loco deſinamus: quocumque voles, deſine: tantum bonam clauſulam impone.* Atat diuagati ſumus; mortis meditatio fecit: ad rem redeo: quare.

Ad 13. dico mentem noſtram, nullum habere temperamentum: alias enim eſſet ex elementis, & qualitatibus. Quid? ſi intellectui vllum ineſſet temperamentum, porrò non intelligeret omnia: Et qualis quidam vtique fieret: eique ad agendum aliquod eſset inſtrumẽtum, vt arguit Ariſtoteles 3. de Anima, & nos Diſputatione proximè ſuccedente id ipſum multis proſequimur. Cum verò Philoſophus ait, exceſſus peruertere eius temperamentum, intelligit non mentis ſecundum ſe, ſed quò ad eius operationes: quippè cum in corporis temperatione, magnum ſit momentum ad perficiendas intellectus noſtri operationes, quòd iſtæ ſine opera imaginatiuæ non exerceantur, cui facultati proximè ſeruit corporis temperatio, ſit, vt euerſo corporis temperamẽto, impediatur etiam mens ipſa à functionibus ſuis, ideòque dicatur peruerti, eo ſenſu, quo in primo de Anima, tex. 65. aſſeritur, *intellectũ marceſcere, alio quodam interius corrupto.*

Præterquamquod, in græco non habetur, *mentis* ſed *διανοίας*. Dianæas, ratiocinationis, de qua ſuperius dixi. Idem etiam intelligit Ariſtot. in alio loco: nempè Sectione trigeſima, problemate 5. dum ait, mentem lędi, ac lacerari, non enim ita capit, vt mens ipſa in ſubſtantia lædatur, ac detrimento aliquo laceretur: ſed quia in ſui muneris functione: offenſionem accipit, ob id dicitur lædi: ita reſpondent ad hoc communiter auctores: Sed ego profectò miror, vnde nam latinus interpres, ex cuiuſue cerebro excogitauerit illud: *niſi detrimento aliquo lacera, læſaque ſit*. cum gręcè ſolummodo habeatur. *ἂν μὴ ὑπό τινος πηρωθῇ.* quod verto. *niſi ab aliquo orbetur*, ſiue, *fuerit orbata.* *πηρωθῆναι*, enim valet, orbari: vnde Ariſt. lib. 3. de Anima tex. 45. in axiomate illo, quod natura, nec fruſtra quicquam faciat, neq: in neceſſarijs deficiat, ait, *πλὴν ἐν τοῖς πηρώμασι, καὶ τοῖς ἀτελέσι*: *niſi in orbatis, & imperfectis*: Vt igitur cum quiſpiam orbatur oculis, quia organo viſus deſtruitur, impeditur quidem ab actione videndi, ſed tamen viſiua facultas in ſe manet illæſa, ita dicito de mente. immò multo magis, cum ea nulli organo ſit affixa.

Ad vltimum, ſunt qui dicunt, Ariſtotelem in illo libello de morte animæ inſcripto, minimè de animæ noſtræ interitu, ac mortalitate egiſſe: ſed de necromantia; Ita Franciſcus Storella in libello de quinquaginta contradictionibus cõtradicere vltima, & Lælius Vincentius, citatus in argumento, ſic vero opus illud nuncupatum fuiſſe, quia hæc diuinandi ſpecies, petatur ab animis mortuorũ. Id enim pollet Necromantia, *νεκρομαντία* à voce *νεκρὸς* mortuus, & *μαντία* diuinatio.

Cæterùm ego, & ſi librorum helluo, tamen huiuſmodi libellum, nec ipſe vidi, nec à graui aliquo auctore citatum: quinimò à probatiſſimis viris, quibus abrogare fidem omnino nefas; teſtatum inuenio, Ariſtotelem multa, & præclara de animæ noſtræ immortalitate elaboraſſe, quæ quidem (ò nos ter, & amplius fęlices, ſi haberemus) edaci temporum iniuria fuerunt abſorpta: conſcripſerat ille librum integrum de anima ad Eudemum Cyprium, cui & libros de moribus, dictos Eudemiorum: quos etiam nunc retinus, dedicauit, in quo quidem libro, vt auctor eſt Themiſtius in Paraphraſi ad tertiũ lib. de Anima, cap. 37. multa ille, ac varia argumenta congeſſit, vt animos

ctu poſſibili: ita vt abſtracto a phantaſmate, ope intellectus agentis conceptu, & natura infimæ ſpeciei, ſiſtatnec enim quod vlterius illuſtret quicquam habet, ex qua dein natura ſpecifica, intellectus poſſibilis abſtrahat, formetq; naturam genericam. Quod ſi hic hautit naturam vniuerſalem, genericam, ab alia vniuerſali, ſpecifica, nullus vtique ibi concurſus phantaſmatum: atque adeò in contemplatione naturę a ſemet abſtractæ a nullo phantaſmate pendebit, niſi antecedenter. Quid cum intelligit ſe ipſum? qua vnquam hic phantaſmatum ope egetè quippè intelligens ſpecies intelligibiles, immateriales in ipſo exiſtentes, intelligit ſui ipſius naturam immaterialem.

Ad extremum, *cum phantaſmata*, vt auctor eſt Philoſophus 3. de Anima tex. 39. *ſint veluti ſenſibilia, præterquamquod ſunt ſine materia*, eo phãtaſmata, ac ſenſibilia inter ſe diſcriminantur, quod hæc ſint in materia, illa abſque materia. Senſibilia verò haud ipſa per ſe attingunt ſenſus, ſed per ſpecies emiſſas: quæquidem ab aliquo ſenſuum exteriorum acceptæ, mox in ſenſum communem, demum immittuntur in phantaſiam: vbi, quamuis ſenſibilia prætereant, penitusue aboleãtur, tñ eorum ſenſatæ ſpecies, ac ſimulachra, remanent, per quæ quidem phantaſia, ſi ita libuerit, poteſt eas ipſas res ſenſibiles, abſque vllo, an ſenſus communis, an alicuius alterius interuentu, cognoſcere: vt euenit, dum rem aliquam particularem abſentem, vel etiam extinctam percipimus, ac memoramur. Quo poſito ita progredior: Qđ tribuitur cuipiam facultati minus perfectæ, id longè maiori cum ratione tribui debet facultati perfectiori: *enimuerò ſi cui minus ineſſe debet, ineſt, magis inerit, cui magis ineſſe debet*. Conceditur verò phantaſię, facultati extenſæ, ac materiali, vt per ſolas ſpecies, iamdudum erutas, & apud ſe cõſeruatas cognoſcat, abſque vllo ſenſus communis, vel alicuius alterius, a quo hauſtæ ſunt, cõcurſu: ergo multò magis concedendum eſt intellectui, potentię immateriali, ac pręſtantiſſimę, quod per ſpecies intelligibiles, aliàs habitas, & conſeruatas, intelligat abſque phantaſmatum concurſu, aut vlla conuerſione ad ea.

Hinc diſpice, quàm futili argumento, nonnulli conuincuntur, vt tueantur huius rei oppoſitum: ſic illi. Illarum virtutum, quarum naturalis eſt connexio, poſterior & perfectior, nunquam operari poteſt abſque priore, & imperfectiore: Atqui ſenſus, & intellectus naturalem habent connexionem: quare intellectus, qui perfectior eſt, & poſterior, nunquam poteſt operari ſine ſenſu.

Prima propoſitio, locum habet in prima facultatum operatione, non abſolutè: Etenim, vt poſterior vis, & facultas operetur primò, indiger vtique prioris ope, & miniſtratione: at vbi ſemel mutuata eſt ſpecies, commodè citra illius miniſterium, per ſe ipſa operari valet, vt diximus. Exemplo rem illuſtro. Princeps quiſpiã, dum in magnificis ſuarum ædium penetralibus degit, nunquam rumores, lites, negotiaque in plateis, ac foro excitata ſciet, ni ſibi a quoquam ſuorum fuerit nunciatum: ideòque nihil de nouo, niſi eorumdem ſuggeſtione addiſcet. Verùm, vt ab eis rerum geſtarum ſeriem, ſemel accepit, nil prohibet, quominus per ſe ipſe earũdem rerum hanc, aut illam, tum ſingillatim, tũ vniuerſim iterum atque tertiò, animo repetat. Ita diuinæ auræ particula intellectus, in hoc corporis ergaſtulo detruſus, nihil omninò recens addiſcet, nec intelliget primò, niſi ſenſuũ exteriorum, interiorumue diligentia; qui rerũ intelligendarum internuncij, & quaſi apparitores, ei famulantur: At vbi ſpecies ab eis hauſit, nihil officit, quin per ſe ipſe, abſque famulorum interuentu, ea ipſa quæ accepit, & ſæpè, & diligentius repetat.

Quæ hucuſque ediſſeruimus, perpende quã vnicè conueniant cũ doctrina Philoſophi textu illo 39. tertij libri de Anima, quo quidem ſe Antagoniſtæ, quaſi Herculea quadam claua armari putant, quam nemo poſſit de manibus extorquere, textus ita iacet. *Quoniam autem neque res vlla eſt præter magnitudines, vt videntur ſenſibilia ſeparata, in formis ſenſibilibus intelligibilia ſunt; & quæ in abſtractione dicuntur, & quæcunque ſenſibilium habitus, & paſſiones ſunt. Et ob hoc, qui non ſentit aliquid, nihil vtique* (aduerte) *addiſcet, nec intelliget*: nempè prima intellectione. Præterquamquod, vt hoc innuam, malè in codice latino, *nec intelliget*: nam græcè οὐδὲ ξυνίοι. quod eſt, nec caperet, nec cõprehenderet, quæ haud ſunt munia ſolius intellectus: quocirca Philoponus interpretatur; ſignificare, inuenire aliquid ad ſcientiam, & cognitionem. *Deinde*, inquit Philoponus *poſtquam dixit, qui nihil ſentit, nihil didicerit; ſubiungit, nec comprehenderit, ideſt, nec inuenerit: duæ enim ſunt viæ cognitionis, diſciplina, & inuentio*. Subdit Stagirites: *Et cùm ſpeculatur, neceſſe eſt ſimul phantaſma aliquod ſpeculari* prima videlicet contemplatione.

Quid?

Quid? nonne ex vero dicimus, ſenſum abſque ſenſibilibus, nihil ſentire? nihilominus remotis, extinctiſque ſenſibilibus, ipſa phantaſia, vti dicebam, ſpecies ſibi ab illis impreſſas, percipit? ita, & longè melius philoſophare de intellectu.

Audi, quàm præclatè concinit nobiſcũ Simplicius, dum ſuper textum 66. primi libri de Anima, *duplex*, ait, *eſt animæ noſtræ intelligere: Alterũ, quod a phantaſmate dependet: Alterum verò contemplatiuum, haud egens phantaſmatis*. Dein addubitat, (eſt argumentum, quo poſtea vtitur S. Thomas in prima parte, queſt. 84. art. 7. vt oſtendat, intellectum, ſecundum præſentis vitæ ſtatum, minimè poſſe actu intelligere, niſi conuertendo ſe ad phãtaſmata) *At ſi non vtitur*, nempè corpore, ceu obiecto, *quo omninò pacto, cum aliud aliquid intus corrũpatur, aut ſpiritus ſcilicet, aut temperatio, tabeſcit ipſum intelligere?* ſoluit. *Propter reſpectum ſcilicet ad ipſum, & coordinationem illam, atque in quibuſdam actionibus vſum, licet non in ijs, quæ contemplandi vim habent*. Ob nexum itaque, & coordinationem, quæ inter animam, & corpus internenit, corpus impedimento fit animæ, in ijs etiã actionibus, quas ipſa per ſe elicere poteſt: Illuſtrat hoc elegantiſſimo exemplo, ita ſubnectẽs: *Quemadmodum, & gubernator a ventis, & fluctibus impeditur, non modo quatenus ad ſolum nauis pertinet vſum; ſed & quatenus ad eas ſpectat actiones, quæ a naui ſeparabiles exiſtunt, eum propter perturbationem, ne illas quidem exercere queat*. Vt ergo nauis rector, ingruẽte tempeſtate, dum nimborum furor erigitur, fit fluctuũ incurſus, cœlũ vndiq; contrahitur, diripitur mare, vndarũ æſtus, æſtum vrget, totum fretum ab ipſis ſedibus auulſum in ſublime portatum, frangitur; iamque quatiuntur cornua, rapiuntur antennæ, malum concidit, tota denique rates labefactatis lateribus huc, atque illuc agitata, ſummo in fluctu pẽdet, *Cui vnda dehiſcens, terram inter fluctus aperit*. tunc inquam nauis rector, non modo in ijs impeditur actionibus, in quibus ipſe ab ea, depẽdet, vt illam flectere, ac moderari; ſed in illis etiam, quas ipſe extra nauim edere poſſet, incedere, dormire, veſci, idque genus alia: Sic obuenit animæ intellectrici, ac intellectui, dum corpus varijs affectibus, & ægritudinibus vexatur. Hoc docuit etiam Stagirites; dum ſect. 3. problemat. quæſt. vlt. conſtituens diſpoſitiones animæ, ſequi corporis mutationem, inter alia hæc omninò habet: *atque etiam propter corporis perturbationem, animus quieſcere nequit*.

Equidem, continere me nequeo, quin aliud etiam Simplicij exemplum hac ipſa de te ſubiungam: *Hac eademque ratione* (ſubdit) *ſi quis acum diſiungat a manu, cum ea ad ſuendum manu vtatur; non autem ad aliquid effingendum, cum nullo ad id indigeat inſtrumento. Verum ſi magnitudinẽ ſecundum naturam, atque conuenientem acus habeat grauitatem, nihil ad huius vſum, neque ad aliquid effingendum manus impeditur. Quod ſi ea grauitatem multam aſſumpſerit, non ſolum facultati illi, quæ conſuere valet, ſed & ei, quæ effingere, impedimentum affertur. Hoc igitur modo, & anima, quæ rationis particeps exiſtit, in agentibus quidem cognitionibus corpore vtitur; non autem in ijs, quæ contemplandi vim habent; quæ, cum illud ingraueſcit, atque præter naturã afficitur, iam perturbata impeditur*. Hæc Simplicius.

Ex his, quæ hucuſq; diſcuſſimus, habes; quænam ſit propria animæ operatio: Et quo pacto intellectus non in omni ſua operatione pendet a corpore, etiam obiectiuè. Sicut ergo intelligẽtiæ, vt ſunt motrices orbium, dependent quidẽ ab orbibus; ſed quia in functione intelligendi, quæ eſt earum propria, non pendent a Cęlo, nõ ſunt ab eo inſeparabiles; ita intellectus noſter, & ſi in aliqua intellectione, nempè prima, depẽdet a phantaſmate, & corpore, quia tamen gaudet alia, eaque propria operatione, meritò poterit a corpore ſeiungi: *nam ſi eſt aliqua anima operatio, aut paſſionum propria, continget vtique ipſam ſeparari. Si verò nulla eſt propria ipſius, non vtique eſſet ſeparabilis*: Hæc in confutationem primi argumẽti dixiſſe ſatis, quod a quamplurimis magni ponderis exiſtimatum eſt.

Ex his dilutum quoque manet ſecundum argumentum. Quippè ſi prima reſponſio arridet, dicendum eſt, animam, ſecundum præſentis vitæ ſtatum, pendere quidẽ in omnibus ſuis actionibus a facultatibus præparantibus, phantaſia, aut memoria: ſed hanc eſſe depenpentiam ex obiecto: prout nempè illinc ſenſatæ ſpecies ſuppeditantur. Cæterùm quia non dependet a corpore velut a ſubiecto, iccircò ad huius interitum diſſolutis corporeis facultatibus, anima manet ſuperſtes. Vel dicito, falſum eſſe, generatim, ac vniuerſim animã, etiam corpori coniunctam, indigere facultatibus præparantibus in omnibus ſuis actionibus. Enimuerò, vt nuper oſtendebamus, intellectus noſter gaudet propria aliqua operatione, quæ præcisè, ac formaliter, nec etiam velut ab obiecto dependet a corpore. Verùm, vt ad alia progrediamur, ſit.

SECTIO NONA.

Obuiam itur alijs tribus argumentis, & eorum confirmationibus in eadem ſectione confectis.

ARgumentum, tertio loco a nobis adductum, non minorum virium, quàm primum, a nonnullis exiſtimatum eſt: adeò, vt non modò Alexand. Aphrod. lib. 1. de Anima, cap. 4. ex eo collegerit, omnem animam inſeparabilem, caducam, & mortalem ſtatui oportere; ſed Iuſtinus etiam Philoſophus ac Martyr, loco quem initio Diſputationis indicaui, tũ Greg. Nyſſenus lib. de Anima, & reſurrectione, nec non Aeneas Gazeus lib. de immortalitate animæ, ob hoc ipſum opinati ſunt, Ariſtotelem, omnem animam mortalem ac diſſolubilem cenſuiſſe; quòd eam appellauerit Entelechiam.

Quod tamen argumẽtum gemino modo, nec multo negotio depelli poteſt: vt non ſine ratione docti quipiam huius tempeſtatis viri mirentur, cur præclara illa ingenia, tam facilè huic dederint manus. Itaque Simplicius, Philoponus, & alij Græcorum non pauci, diſtincta, prius ac partita, Entelechia, & actu ſubſtantiali in eum, qui informat, dat eſſe rei, & eſſentiã perficit: atque in eum, qui aſſiſtat, & operationes duntaxat perficiat; aiunt, omnem Entelechiam, & actum primæ conditionis, eſſe quidem inſeparabilem ab eo, quod actuat. At verò Entelechiã, aſſiſtentem, optimè poſſe ab eo, cui aſſidet ſegregari. Poſteriorem hanc; & ſeparabilem Entelechiam, habes in eo ipſo primo cap. lib. 2. de Anima tex. 11. dum nauta appellatur Entelechia nauis. Ἐτι δὲ ἄδηλον, εἰ οὕτως ἐντελέχεια τοῦ σώματος ἡ ψυχὴ, ὥσπερ πλωτὴρ πλοίου. idest, *Amplius autem immanifeſtum, ſi ita* (eſt) *corporis Entelechia anima, ſicut nauta nauis*. Ita his auctoribus ſtatuitur anima rationis, conſilijque compos Entelechia corporis: Nec vna aliqua in omnibus hominibus, ſed ſingularis in ſingulis.

Quæ cum ita ſint, colligunt, animæ definitionem ab Stagirite datam, non conuenire omni animæ vniuocè, ſed analogicè, quia corruptibili, & incorruptibili: ſeparabili a materia, & inſeparabili, nihil commune vniuocè ſtatui poteſt: vt dicitur 10. Metaphyſ. tex. 26. Quæ quidem reſponſio non incommodè, etiam apud Ariſtotelem, ſuſtineri fortaſsè poſſet, ni nobis longè verius videretur, animam intellectus participem, eſſe veram hominis formam, & informantẽ Entelechiam, vt ſuo loco multis aperuimus.

Iccircò, commodius alio pacto occurrendum eſt: quod Entelechia, alia quidem eſt, quæ educitur de ſinu gremioq; materię: Cuiuſmodi ſunt omnes brutorum animantiũ formæ: & iſtæ ſunt omninò a materia inſeparabiles. Alia verò, quę non extrahitur de poteſtate materiæ, *ſed forinſecus aduenit, ſolaque diuina eſt*; cum cuius etiam *actione non commiſcetur actio corporalis*. Hæc, vtpotè *aliud animæ genus*, optimè eſt a corpore ſeparabilis, *veluti æternum a corruptibili*. Talis eſt anima intellectrix, quæ ſola id peculiare ſortitur, vt & ſit actus corporis phyſici, organici, potentia vitam habentis, vt Diſputat. proximè præcedenti vidimus; & tamen quia non propagatur cum ſemine, neq; de poteſtate materiæ euocatur, vt Diſput. 2. oſtendimus, poſſit a corpore ſeiungi, & per ſemet exiſtere.

Quamobrem inſeparabilitas a materia, non competit formę in communi, prout forma eſt: (hæc enim abſtrahit ab eo, quod a corpore ſeparabilis, vel inſeparabilis ſit) ſed prout contrahitur per haſce differentias, educi, vel non educi de potentia materiæ, conuenit ſeparari, aut non ſeparari. Quemadmodum ens V.g. analogum abſtrahit ab eo, quod per ſe, vel in alio ſit: eòq; non omni enti competit eſſe per ſe, neque etiam omni enti conuenit eſſe in alio: ſed tali enti cõtracto in particulari, nempè accidenti, eſſe in alio: ſubſtantiæ, eſſe per ſe: ita non omni actui, & Entelechię competit eſſe a corpore ſeparabilem, nec etiam omni eſſe inſeparabilem: ſed materialis quidem, quia eſt de ſubiecto euocata, ab eoque in eſſe, fieri, & conſeruari dependet, eſt inſeparabilis a materia, ſecus autẽ intellectrix.

Cum itaq; cõmunis formæ ratio, id ſolum habeat, vt ſit perfectio, & terminatio (idq; vel actu vel aptitudine, vt mox audies) & Philoſophus in 2. de Anima intendebat, definitione complecti, communiſſimam animæ rationem, ideò dixit eam eſſe *actum, & Entelechiam corporis &c.*

Vnde nec etiam eſt neceſſe, quod forma ſecũdùm communem ſui rationem, actu quicquam informet, & actuet: ſed vel actu, vt faciunt omnes formæ, dum in corporibus inſunt; vel ſaltem aptitudine: & hoc relinquitur in anima humana etiam a corporis compedibus abſoluta. Ex quibus etiã depellitur exẽplum Alex. de termino: Quod nimirum terminus alicuius rei, cohærere nequit abſque re illa, cuius eſt terminus, cum eſſentia termini in eo poſita ſit, vt terminet. Atqui eſſentia animæ ſita eſt in eo, vt actuet, terminetque materiam; quare ſine hac conſiſtere, & conſeruari minimè poterit. Dicendum enim eſt, forma vel terminat actu, vel ſaltem aptitudine:

dine: priori modo competit formis, dum in corporibus inſunt: poſteriori verò ſoli animę intellectrici, dum eſt a corporis nexu ſeiuncta.

Sed hic veluti cornuti, quod aiunt, Satyri inſurgunt nonnulli, inſtuuntq; nam vel hęc animæ intellectricis aptitudo informandi corpus, aliquando naturæ viribus reducetur ad actum, vel nunquam. Si prius, ergo ex præſcripto naturæ, reſurrectio mortuorum erit poſſibilis; quod tamē procul abeſt a veritate, cum reſurrectio ſit mirandum, & admirandum diuinæ potentiæ opus. Si poſterius, ergo erit æterno tempore otioſa, & fruſtratoria. *Fruſtra enim eſt potentia, & aptitudo, quæ non reducitur ad actum.*

Hanc obiectionem fusè diluimus Diſputat: ſequenti, ſect. vlt. in reſponſione ad 10. argum. præter illa omnia, nunc dicimus, quod etſi huiuſmodi animæ ſeparatæ aptitudo ad corpus, nunquam reduceretur ad actum, nihilominus non eſſet æterno tempore otioſa, nec fruſtratoria; quia, vt aliqua potentia non dicatur otioſa etiam ſempiterno æuo, ſat eſt, eam aliquando fuiſſe reductam ad actum; vt videre licet in virtute informatrice, quæ abſoluto fætu, non amplius operatur: & tamē neutiquam dicitur otioſa. Et in facultate augumentatiua, quæ pari pacto, acquiſito augumētationis termino, qui debetur formæ, nō amplius operatur, nec tamē idcircò dicitur otioſa: ita præfata animę ſeparatæ aptitudo. Ad illud verò quod in eodem argumento obiicitur, quòd ad cuiuſcunq; remotionem remouetur definitio, remoueri debeat, & definitum. Et anima definitur per corpus; vnde ad eius remotionem, illa quoque remoueri debeat: dicendum eſt, maiorem propoſitionem veram eſse, in definitione duntaxat quidditatiua: hæc enim cum ex intimis rei principijs detur, ad cuiuſcunq; remotionem remouetur definitio, remouentur etiam principia definiti; atq; adeò definitum ipſum: non autem eſſe veram, præſertim in deſcriptionibus. Præfatam verò animæ definitionē, q̄d ſit *actus corporis organici &c.* non eſſe quidditatiuam, pleriq; volunt; de quo vide Eſtiet. lib. 2. de Anima cap. 1. ibi circa tertiam concluſionem occurrit dubium. Themiſtius in paraphraſi huius tex. ait, hanc animę finitionē, potius deſcriptionē quandā, q̄ definitionem eſſe. Quod fortaſsè fuit in cauſa, cur Philoſ. tex. illo ita dicat *τύπῳ μὲν οὖν ταύτῃ διωρίσθω, καὶ ὑπογεγράφθω περὶ ψυχῆς*, *figura igitur ſic determinatū, & deſcriptum ſit de anima*: *τύπῳ* verò *ſeu figura*, quicpiam definire, inquit Alexander non eſt aliud, q̄ non exactè explicare: ducta metaphora à picturis, primò obſcurius adumbratis, deinde illuſtrius expreſſis. Et ideò Perionius interpres, *τύπῳ*, tranſtulit *pingui Minerua*, vt adnotauimus etiam Diſputatione 4. vt interea ſileam Plotinum, & Proclum, quorum ille lib. 2. Enn. 4. acriter vellicat Ariſt. quaſi non tam explicarit, quàm implicarit quid ſit anima. Alter verò cap. 5. in Timęum aſſeuerat, Stagiritē non docuiſſe quid ſit anima, ſed potius cuius ſit: ſcilicet corporis organici. Et tandem Auicenn. 6. naturalium aſſerit pleno ore, dictam animę definitionē non aperire eſſentiā animę, ſed potius exiſtentiam eius: id eſt, non quid ſit anima, ſed quomodo exiſtat in corpore: Et ob id fortaſsè ipſe etiam Ariſt. ac ſi dicta definitione parum contentus, ſubnectit aliam, dicens tex. 24. *anima eſt id, quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, &c.*

Vel, ſic eſſe eſſentialem, nihilominus non ſequitur, ſubiectum, ſcilicet corpus, ita eſſe de eſſentia animæ, vt citra hoc, illa non poſſit cohærere: nam formæ definiuntur quidem per ſubiecta, vt dicitur ſeptimo Diuinor. tex. 2. ſed aptitudinaliter, non verò per actualem informationem: ideò ceſſante actuali animæ informatione anima rationis particeps a corpore ſeiuncta ſua ptē natura eſt actus, & forma: quia quoties ipſum corpus informauerit, poteſt ei habilitatem vimque conferre ad actiones vitæ eliciendas.

Quod ſi obijcias, auctore S. Thoma multis in locis; præcipuè verò quæſt. 7. de potentia ar. 2. ad 9. forma, & actus dicunt ordinem intrinſecum, ad id, quod actuant, & inde ſpecificantur: quò fit, vt etiam in definitione formæ, & actus conſtitui debeat ſubiectum quod actuatur, tanquam ſpecificans actum. Et hoc eſt, quod docet Ariſt. 7. Metaph. citato, in definitione formæ poni oportere proprium ſubiectū; ergò in præfata animæ definitione, ſubiectum, ſcilicet corpus, ita eſt illi intrinſecū, vt illo remoto, remoueatur & definitio: atq; adeò, & anima ipſa.

Dicitur, ſubiectum non eſſe de eſſentia formę, & actus, cum ſit reipſa ab ea ſeiunctum, ſed benè ordinem tranſcendentalem ad ipſum ſubiectū; & per hunc ſpecificatur intrinſecè: per illud autem extrinſecè tantum: Ille ordo remanet in anima ſeparata, per quem etiam indiuiduatur. Hoc explicuit S. Thomas loco citato, inquiens, *quod eſſe humanum, differt ſpecie ab eſſe equi, per ordinem ad eſſentiam humanam, quam actuat.*

De voce *ἐντελέχεια* Entelechia, multa cùm Veteres, tùm recentiores. Eius pater, & conflator reuera extitit Stagirites: quāuis Franciſcus Floridus in Apologia contra linguæ latinę ca-

lumniatores ſecus opinetur. Porrò, quia vis, & ſignificatio huius vocis aliquantulum ſubobſcura videbatur, auſi ſunt nonnulli affirmare, eam eſſe ex induſtria, & dolo ab Stagiritę excogitatam, quaſi fugæ vehiculum, & inſcitiæ inuolucrum: nec tam ad detegendam, quàm potius inuoluendam abditam, & retruſam animæ naturam. Quam tamen calumniæ notam eregiè delet Iulius Scaliger Exercitat. 307. in Cardanum cap. 12. & 39.

Verùm in ea vertenda, (vt cætera ſilentio voluam) vanè ac inaniter lapſus eſt M. Tullius, dum in primo Tuſcul. quæſt. per δ, ſeu d, transfert, Endelechia: deceptus priſcæ vocis etiam tum apud Græcos vſitatę ἐνδελέχεια. Ciceronis hæc ſunt verba. *Ariſtoteles, longè omnibus (Platonem ſemper excipio) præſtans, & ingenio, & diligentia, cum quatuor illa genera principiorum eſſet complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam cenſet eſſe, e qua ſit mens: cogitare enim, & prouidere, & diſcere, & docere, & inuenire aliquid, & tam multa alia meminiſſe; amare, odiſſe, cupere, timere, angi, lætari, hæc, & ſimilia eorum, in harum quatuor generum nullo ineſſe putat: quintum genus adhibet, vacans nomine: & ſic ipſum animum ἐνδελέχειαν appellat, nouo nomine.* (quamuis in alio codice legatur t, ἐντελέχεια) *quaſi quandam continuatam motionem, & perennem.*

Circa quæquidem verba, multa ſunt adnotāda, ne nos quoque decipiamur. Primum, tam abeſt a veritate, quàm quod maximè, Ariſtotelem, præter quatuor elementa conſtituiſſe quintam quandam naturam vacantē nomine *ex qua ſit mens.* Nec conſtituit vnquam, nec ſomniatus eſt. Ex quoquidem Ciceronis loco ſuſpicor fuiſſe inductum D. Auguſt. vt lib. 22. de Ciu. Dei, cap. 11. aſſereret, *Ariſtotelem cenſuiſſe, animam eſſe quintum quoddam corpus, Platonem verò nullum.* De quaquidem re hęc, & meritò ſcribit Magiſt. Bannes in 1. par. S. Tho. quæſt. 75. art. 1. *S. Aug. vel hoc legit in aliquo exemplari vitiato, vel certè nullibi legerat, ſed ad aures eius falsò a ſic opinantibus peruenerat. Nihil enim eſt in doctrina Ariſtotelis apertius dictum, quàm animam non eſſe corpus, ſed actum corporis.*

Deinde, dum Cicero poſuit ἐνδελέχειαν Endelechiā per d. falsò ait, eam *nouo nomine* ab Stagirite appellatam: quandoquidem ἐνδελέχεια vox antiqua; & apud Græcos ante Ariſtotelē maximè vſitata, vt adnotauit Iulius Scalig. capite illo 39. Tu verò, vel ex vno Luciani teſtimonio id ipſum diſcito, qui in ſermone, cuius titulus *δίκη φωνηέντων*, iudicium vocalium, Endelechiam prius dictam, mox in Entelechiam declinaſſe ait. Accuſatur ibi T. vbi ait, *ἀκούετε φωνήεντα δικασταί, τοῦ μὲν δ· λέγοντος, ἀφείλετό μου τὴν ἐνδελέχειαν, ἐντελέχειαν ἀξιοῦν λέγεσθαι, παρὰ πάντας τοὺς νόμους.* hoc eſt, *Audite, vocales iudices, hoc quidem δ, dicente, abſtulit mihi Endelechiam, Entelechiam contendens dici, contra vniuerſas leges.* lege Cęlium Rhodig. lib. 10. cap. 22. & Adagiographum adag. *Gutta cauat lapidem:* vbi hunc etiam Chærili verſum affert.

Πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ.

Præterea, Ariſtotelis Entelechia, haud vnquam eſt, vt Tullius tranſtulit, *continuata quadam motio, & perennis,* vt cuique vel leuiter in Peripato erudito liquet; ſed *τελειότης, εἶδος, μορφή, λόγος, τὸ τί ἦν εἶναι,* perfectio, ſpecies, forma, ratio, quod quid erat eſſe; ſiue *ἐντελέχεια* ſit *ἐντελοῦς συνοχή*, perfecti, nempè corporis, comprehenſio; ſiuè *ἐντελὲς ἔχειν*, quod eſt, vt verbum verbo reddam; perfectum habere: quia ſcilicet perfectionem omnē, quæ in animali reperitur, ipſa anima, & habet, & illi tribuit. Iccircò Ariſtoteles primo de Anima tex. 82. aiebat, *animam autem aliquid eſſe melius, & præſtantius, impeſſibile eſt.* Hinc Hermolaus Barbarus, & aliqui alij Entelechiam, traſtulerunt perfecti habiam, ſeu tandem *ἐν τέλος, ἔχειν*: de qua audi Scaligerum exercit. 307. cap. 12. *Cum igitur formam dixeris; intelliges immaterialitatem, ſimplicitatem, poteſtatē, perfectionem, informationem. Hoc enim eſt ἐν: quod innuit maximus Poetarum: Totoſque infuſa per artus. Hoc eſt, τέλος: quia eſt vltima forma ſub cæleſtibus: & princeps inferiorum, finis, ac perfectio. Hoc eſt, ἔχειν; poſſe. Vt ipſa ſit auctor omnium functionū, omnium motuum, etiam contrariorum in eodem corpore, cuius potens eſt.*

Nec me fugit, nonnullos exiſtimaſſe, Tulliū, Platonis ſtudio, hæc ſcripſiſſe, quem volebat cū Ariſtotele ſentire idē. Alij omninò negarūt, id interpretamentū, eſſe Tullij, vt Cęlius Rhodig. qui lib. 10. cap. 22. vbi in hunc locum incidit, ita ſubnectit: *ſubolet tamen eruditioribus, interpretamentum illud, de perenni motione, ſubdititium eſſe: nec de ſummi auctoris officina propagatum; ſed ab ſciolis, & malè feriatis inſertum; quod genus multa tùm græcè agnoſcimus, tùm latinè.*

Maximè verò omniū mihi ſæpenumero mirari ſubijt, Angelum Politianum; quiquidem in ſuis Miſcellaneis cap. 1. haud veritatis ſtudio, *pro cuius ſalute,* vt diuinus præceptor lib. 1. Ethic. cap. 3. ait, *rectius eſt, & oportere videtur, vt vnuſquiſque, & præſertim Philoſophi, ſua quoq; propria refutent. Nam licet amici ſint, ſanctum eſt veritatem*

Digitized by Google

ritatem ipſis in honore anteponere. haud ſtudio, iniquã, inueſtigandæ Veritatis, ſed acri quadam contentione, compulſus, dum Ciceronis partes æquo vehementius tueri contendit, ipſa cõtentionis ſuſpitione, & Argyropyli æmulatione cauſam perdit. Diſpice hominis ingenium ex eius ipſius ſermone. *Tum quidem ſuis ſectatoribus perſuaſerat,* ideſt Argyropylus: *ita vt, quod penè dictu quoque nefas, pro conceſſo inter nos haberetur, nec philoſophiam ſciſſe M. Tullium, nec literas Græcas. Enimuerò re dein tota diligentius peruestigata, meas eſſe partes, & item cuiuſcumque Latini profeſsoris exiſtimaui, Ciceronis gloriam, qua vel maximè contra Græcos ſtamus, etiam vice capitis, & omni contentione defenſare.* Macte doctrina, & veritate: etiam vice capitis, & omni contentione. Itane? ſed nos procul ab omni contentione, Veritatem nudam, ac ſolam inquirimus: & Ciceroni, vt ingenuè fateamur, in rebus philoſophicis, maximè verò in doctrina Ariſtotelis parum fidei damus. *Nec mirum; eum, qui ſe tumultuaria vita, & agendis cauſis penitus dedidiſſet, in multis Ariſtotelis locis eſſe deceptũ:* ait vir egregiè doctus Petrus Victorins, initio Comment. in Rhetor. Ariſt. Hæc περὶ ἐντελεχείας, de Entelechia dixiſſe lubuit: quanquam plura, & poſſem, & vellem. Sed μηδὲν ἄγαν.

Veruntamen, ne temerè, & inconſultò hanc maculam eloquentiſſimo auctori inurere videamur, haud erit ab re, vnum vel alterum eius locum indicare, ex quibus, quàm ſint vera, quæ dicimus, tute ipſe dignoſcas. In primo ſermone de Natura Deorum, non procul ab initio, Ariſtotelem, ait, in 3. de Philoſophia ſcribere, Deum eſſe ardorem Cęli, aut muodum ipſum. Deinde eius accuſat inconſtantiã: Hęc ſunt Ciceronis verba. *Ariſtoteles quoq; in tertio de Philoſophia libro, multa turbat, a magiſtro Platone vno diſſentiens: modo enim menti tribuit omnem diuinitatem; modo mundum ipſum Deum dicit eſſe; modo quendam alium præficit mundo; eique eas partes tribuit, vt replicatione mundi quadam motum regat, atque tueatur: Tum Cęli ardorem Deum dicit eſſe, non intelligens, cęlum mundi eſſe partem; quem alio loco ipſe deſignarit Deum.*

Ariſtoteles, Deũ dicit ardorem cęli, aut mundum? Teſtor equidem eruditorum virorum fidem, poſt calumniam natam, apertiore calumnia neminem eſſe petitum. Te mi Cicero alloquor, ſed non meis verbis, ſed viri ſtrenuè docti Iulij Cęſaris Scaligeri, exercitat. 365. cap. 5. (cuius hic eſt titulus, *quòd M. Tullius non viderit libros de Cælo, & de Aeuo.*) *Excute libros de cęlo: tum de Ariſtotele aliter ſentias: tum de Natura Deorum acutius loquare, quàm locutus es. Deum enim, aliaſque a motricibus agnoſcit ſupra Cęlum intelligentias.* Id probat ex aureis illis Ariſtotelis verbis primo de Cęlo tex. 100. φανερὸν ἄρα, ὅτι οὔτε τόπος, οὔτε κενὸν, οὔτε χρόνος ἐστὶν ἔξωθεν. διόπερ οὔτε ἐν τόπῳ τἀκεῖ πέφυκεν, οὔτε χρόνος αὐτὰ ποιεῖ γηράσκειν, οὐδὲ ἐστὶν οὐδενὸς οὐδεμία μεταβολὴ τῶν ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φοράν. quæ ſunt, *Manifeſtum igitur eſt, quod neque locus, neque vacuum, neque tempus eſt extrinſecus. Quapropter neque ea, quæ illic ſunt, nata ſunt in loco eſſe, neque tempus ipſa facit ſeneſcere, neque vlla tranſmutatio vllius eorum eſt, quæ ſunt diſpoſita ſuper extima latione, &c.* Quibus verbis planè diuinè doçet, ſupra vltimum, & extimum motum, eſſe tum Deum, tum alia: nempè intelligẽtias: id, quod videmus in numero plurali τἀκεῖ.

Quæ verba ſi Ciceroni cognita fuiſſent, non tam frigidè in ardorem illum exarſiſſet: inquit præfatus Scaliger: qui ſibi temperare nõ potuit, quominus capite proximè præcedenti, cuius hic eſt titulus, *Quod M. Tullius inſciè carpat Ariſtotelem* in eum ipſum auctorem, quem alias integra oratione laudauit, hæc omninò profunderet. *Minus exercitato in libris diuini viri M. Tullio (qđ ſine vlla venia aduerſum tam temerarias iactantem voces dictum volo) in re ignota licuit exultare. Quis enim putet, vel ab Ariſtotele, vel ab alio mediocriter ad res naturales accõmodato ingenio, dictam aliquando vllam Cęli replicationem. Quare, vt πτύξιν, aut non intellexit, aut neſciuit exprimere quid eſſet apud Philoſophum: ita ne ardorem quidem illum. Nõ enim veriſimile eſt ab illo, Deũ ardorem appellatum, quod accidens eſt, aut ardorem in Cęlo poſitum, a quo cunctas ſummouit corruptionis neceſſitates.* Omninò vide, quàm præclarè, vltraque humanæ conditionis metam, diuini ingenij vir Stagirites, cũ ſentiat, tùm loquatur de Deo Opt. Max. in lib. 12. Diuinorum, tex. 39. & inde.

Vin', & aliud Tullianæ fidei teſtimonium? Hem piget, & pudet, bonum in alijs auctorem, tam prodigialiter hic mentientem audire. In calce primi libri Academicarum Quæſt. Platonem ait, nihil in ſuis libris affirmaſſe: omnia vtramque in partem agitauiſſe; nihil certi, & cõſtituti pronunciaſſe. Excipe Ciceronis verba. *Siquidem Platonem ex illa vetere Academia numeramus: cuius in libris nihil affirmatur, & in vtranque partem multa diſſeruntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur.* Itane Tulli?

Plato ille tuus, quem tu admirare, quem omnibus anteponis, quem maximè diligis, vt in libro de legibus primo loqueris: Ille, qui tibi *eſt, vir doctiſſimus, atque idem grauiſſimus Philoſophorum omniũ*, lib. 2. eiuſdem operis. Ille, *qui eum errare mehercle malebas, quàm cum cæteris vera ſentire*. in primo Tuſculan. quæſt. *quem quaſi quendam Deum Philoſophorum audiendum præcipis*, lib. 2. de Natura Deorum, nihil certi vlla vnquam de re dicit? Nihil in Phædro, ſeu de anima, vbi tam ſolidè, & enucleatè animorum immortalitatem oſtendit, vt qui, vel teipſo teſte in primo Tuſcul. quæſt. lib. *euoluit diligenter eius eum librum, qui eſt de animo, amplius quod deſideret nihil erit*? Nihil certi dicit is, *qui princeps de Republica conſcripſit, idemq; ſeparatim de legibus eius, idq; tibi credis eſſe faciendum*? lib. 2. de legibus. Nihil in Timæo, quem ipſe latinè integro opere, de Vniuerſitate inſcripto, compleri tentaſti? quẽ vnũ Platonis dialogũ, Ariſtoteles imitatus, vt auctor eſt Proclus, vniuerſam ſuam Philoſophiam molitus eſt. Quid? ille ne nihil certi dicit, *qui, & Socrates eorum* (qui nimirum Philoſophiam perturbant) *e numero tollendus eſt: Plato, quia reliquit perfectiſſimam diſciplinam; Peripateticos, & Academicos, nominibus differentes, re cõgruentes*, vt habes in 2. Academ. Quæſt.

Quæ cum ita ſint, immeritò in auctorem planè diuinum impingis, & hæc nobis adeò contraria, & inter ſe pugnantia pingis: quemadmodum, dum de eodẽ auctore in lib. 1. de Natura Deorum ſcribis. *Iam de Platonis inconſtantia, longum eſt dicere &c.* Veruntamen Ciceroni hoc effatum veniſſet in mentem, *fluctum quempiam in ſcopulum impingentem, quantò violentius ſe ſe inferat, tantò miſerius diſſipari*: ſed iam ad alia argumenta.

Quod pro tertia confirmatione adiungebatur, arduam tangit difficultatem; ſola ne forma ſit eſſentia alicuius rei, an verò ad eã, ipſa quoque materia pertineat? Fuit Platonis opinio, formam ſolummodo eſſe eſſentiam rei, materiam verò non ingredi cuiuſpiam quidditatem. Hinc aiebat, hominem in rigore ſumptũ, non ſignificare compoſitum aliquod ex anima, & corpore; ſed animam ſolam: quæ vtitur corpore, ceu inſtrumento: quemadmodum, & Petrus veſtitus, nõ eſt quid compoſitum ex ipſo, & indumento, ſed vtens indumento. Sic habes apud eum, cùm alijs in locis, tùm maximè in Phædone, qui inſcribitur de anima, & in dialogo 1. Alcibiades. Cui deinde ſententiæ adhæſit commentator in 7. Metaphyſ. tex. 4. & 6. cui poſtea plerique alij: De qua tamen controuerſia, vide S. Thomam in prima parte, quæſt. 75. art. 4. & quæſt. 85. art. 1. ad 2. & 7. Metaph. tex. 34. Bannes in 1. par. S. Thomæ, quæſt. dicta, art. 1. dub. 2. Caietanum cap. 2. de ente, & eſſentia, quæſt. 4. Soncinatem in 7. Metaphyſ. quæſt. 27. Ferrarien. 1. cont. Gent. cap. 21.

Cum quibus omnibus nos pro tempore dicimus, quod materia in omnibus rebus naturalibus, eſt vera pars quidditatis, ac eſſentiæ: & homo formaliter, non eſt anima ſola, ſed cõflatum quicpiam ex ea, & corpore. Atque adeò forma, non eſt tota eſſentia viuentis, ſed pars formalis, actuans eius materiam. Ratio huius rei hęc ſit, ꝙ eſſentia rei, eſt illud, quod per eius definitionem ſignificatur: Atqui in definitione phyſica, non importatur ſola forma, ſed etiam materia, vt cuique compertum eſt: ergo de eſſentia rei naturalis, non eſt ſola forma, ſed etiã materia. Adhæc, illud eſt homo, quod habet operationes hominis, cum actiones ſint ſuppoſitorum: Anima autem ſola, nec ſuppoſitũ eſt, nec hominis elicit operationes: ſi quidem homo iraſcitur, miſeretur, addiſcit, & omninò ſentit: *dicere autem*, inquit Philoſophus primò de Anima, *iraſci animam, ſimile eſt, ac ſi quis dicat, eam texere, vel ædificare: melius enim fortaſſis eſt, non dicere animam miſereri, ſed hominem anima*. Itaque forma eſt id, quo: homo autem, id, qđ operatur: qui in ſe concernit intrinſecè materiam, veluti alteram ſui partem. Et hoc, non modò de homine in particulari aſſerimus, ſed de eodem etiam ſpecificè ſumpto, in illius nimirum quidditate includi materiam, non quidem ſignatam, quæ ſecundum aliquos eſt principium indiuiduationis: ſed materiam communiter ſumptam: Quia ſicut de ratione huius hominis, ſunt hæ carnes, cum iſtis oſſibus; ita de ratione hominis, eſt habere carnes, & oſſa. Itẽ, quod neceſſariò conuenit omni indiuiduo ſub aliqua ſpecie comprehenſo, illud eſt de eſſentia ſpeciei; Atqui materia intrinſecè conuenit oĩ indiuiduo viuẽti; ergo eſt de eſſentia ſpeciei.

Ad argumentum itaque negatur antecedẽs; & cum dicitur, forma dat eſſe rei, & illam in vna aliqua determinata ſpecie conſtituit; fatemur: ſed nulla eſt conſecutio hinc illata: nam etiam albedo conſtituit album, & tamen non illa ſola eſt eſſentia albi: cum album ſit aliquid concretum; quare non ſequitur, quod deſtructa re, remaneat eius eſſentia.

Po-

Poſtremò, ad illud, qđ ibi ſubnectebatur, relatiua eſſe inuicē inſeparabilia, facilis eſt reſpōſio. Relatiua gemino modo capi poſſunt; Vno quidem, vti relatiua formaliter: & ſic abinuicē ſeiungi nequeunt, quo pacto de ijs Ariſtoteles loco in argumento adducto, & alibi ſæpè, eſt locutus. Altero verò, vt res quædam ſunt: & ita optimè ſeparantur. Et profectò ſi quid præfatum argumentum concluderet; concluderet etiam, materiam equi, quia eſt correlatiua illius formæ, aut ab ea ſeparari non poſſe, aut vna cū illa extingui.

Quando autem Philoſophus in 4. Phyſic. tex. 17. ait, locum non eſſe formam, quia forma eſt inſeparabilis: ſermonem habet de formis, vt ſæpè contingit, non vt ſemper. Vel de ijs, ſecundum communem, ac genericam formę rationē: non autem ſecundum ſpecialem, vt in reſponſione ad 5. dicetur. Adde, quòd Ariſt. eo loci, ſic omninò loquitur: *forma enim atque materia, non ſeparantur à re; locum autem contingit*. Vbi nulla vnquam mentio de ſeparatione formæ à materia, ſed ſenſus eſt, quod forma, & materia non ſeparantur à re, cuius ſunt forma, & materia, manēte re illa, ſicut contingit in loco, à quo ſeparatur locatum. Quapropter ineptè locus hic ab hiſce ψυχοφθόροις ad animæ ſuæ interitum, ac perniciem ſtabiliendam, & corroborandam affertur.

Quartum argumentum, erutum ex duodecimo Diuinorum, nullā huic materię ingerit difficultatem. Enimuerò dum Ariſtoteles ait, *Degentia verò qualis nobis paruo tempore, optima illi* nempè Deo, *ineſt*: clariſſimè loquitur de intellectione: at non de animæ intellectione, ſed noſtra; qui præſentem hanc vitam tranſigimus, quæ tam paruo, & perexiguo tempore, quaſi ſucciſus flos occidit. Sic enim ibi Stagirites: *qualis ea, quæ optima nobis paruo tempore, ſic illi ſemper: nobis enim impoſſibile*. Nobis mortalibus exiguo tempore ſuppeditat optima degentia, & ſpeculatio; non animæ: cui, cum a corporis compedibus auolauerit, inerit ſemper. Hoc omninò eſt, quod idem auctor de nobis itidem aiebat, lib. 10. Ethic. cap. 8. *Dijs enim beata tota vita eſt, hominibus verò eatenus, quatenus ſimilitudo quadam eiuſmodi operationis in ipſis ineſt: At cæterorum animalium nullum eſt fælix: propterea, quia cōtemplationis particeps nullomodo eſt. Quouſque igitur protenditur contemplatio, eouſque etiam fælicitas ſe ſe extendit: & quibuſcumque magis ineſt contemplatio: ijs magis quoque ineſſe fælicitatem conſtat &c*. Vt ergo hoc in loco de hominis, non verò de animæ contēplatione, & fælicitate diſſeruit, ſic in illo 12. Metaphyſ. *Degentia qualis nobis &c*. Adde, quod Ariſt. loquens de fęlicitate hominis in hac vita, intelligit ſolam ſpeculationem, in qua quidem ille beatitudinem hominis collocauit, quæ ſanè, quemadmodum in nobis, ob varias cauſas impedita, perbreuis admodum eſt, ita in Deo ſempiterna.

Ad quintum admittimus, Philoſophū, quando dicit, ſe acturum de phyſicis, & corruptibilibus formis, comprehendere etiam animam rationalem, ob rationem in argumento adductam: ſed non ideò ſequi, eam quoque inſtar cæterarum, eſſe caducam, & corruptibilem. Cū Philoſophus formas phyſicas appellat corruptibiles, materiales, & a materia inſeparabiles intelligit de ijs, vt in plurimum, non vt ſemper contingit. Id, quod ipſemet expoſuit 5. Metaphyſ. tex. 1. vbi ait, *phyſicam eſſe circa ſubſtantiam ſecundum rationem*, idest formam, *vt plurimum inſeparabilem*. Quare vt plurimum? quia etiam eſt aliquando circa ſeparabilem: Quod habet octauo quoque Metaphyſ. tex. 3. & 12. Metaphyſ. tex. 10. Quid enim? nonne formæ cęlorū, eorumque accidentia, & formæ elementorum, ſecundum totalitatem eorum, ſunt phyſicæ? quæ tamen ſunt omnis corruptionis expertes: quamuis hoc diſcrimen inter eas, & animam rationalem intercedat, quòd illæ, licet ſint incorruptibiles, ſunt tamen corporeæ, materiales, & a materia, quam actuant, inſeparabiles. Hæc verò eſt immaterialis, & a ſua materia ſeiungibilis. Nec verò Philoſophus ſine ratione, phyſicas formas, ſimpliciter appellat corruptibiles, & caducas: quia cum denominatio deſumenda ſit a potiori: potiores autem, & plures phyſicæ formæ, interitui ſint obnoxiæ, ideò rectè ait. *De phyſicis autem, & corruptibilibus &c*.

Eodem etiam pacto explanandum eſt illud ex tex. 12. ſecundi Phyſic. vbi dicitur: *formam non exiſtere ſeparabilem, niſi ſecundum rationem*, & tex. 19. res phyſicas minus eſſe abſtractas a materia, quàm mathematicas. Ex tex. 26. Phyſicus de ijs agere dicitur, quæ ratione queunt ſeparari, quāuis re ipſa ſint in materia: & huiuſmodi alia: loquitur enim Philoſophus a potiori: atque adeò de caducis, & corruptibilibus formis; non it tamen inficias, eſſe etiam aliquam formam corporis phyſici ſeparabilem, ac immortalem! Adde, Philoſophum perpetuò dicere, de formis phyſicis, quæ nimirum omninò phy-

phyſicæ ſunt condirionis: anima autem ratio-nalis, quamuis ſecũdum aliquam rationem ad naturalem Philoſophiam attinçat, qua eſt pars corporis phyſici, tamen vndique non ſubditur eius contemplationi; ſed quoniam anima rationis, conſilijque patticeps, vt Ttiſmegiſtus in Aſclepio ait, eſt veluti orizon æternitatis, & temporis: atque intelligibilis, corporeæque naturæ nexus, & confiniũ: Vel vt alij dixerũt, totius mundi ſumma, ſiquidem natura media, extrema repreſentat, ſupetiorem vt imago, infetiorem, vt exemplar, fit vt non modò ad philoſophiam naturalem, ſed ad aliam etiam altiorem ac diuiniorem, eius conremplatio pertineat: Quinimò perpende parum in textu illo allato, hanc diſiunctiuam (&) dum ait, *de phyſicis autem, & corruptibilibus*, vbi Philoſophus penè innuit reperiri aliquid phyſicum, quod non ſit cõrruptibile; & ideò addidit, *& corruptibilibus*. Ex his dijudica, quàm vanis, quàmque futilibus argumentis, oppoſitæ ſententiæ fautores, animæ ſuæ interitum, ac mortalitatem ſtruere adnitantur: quod vt clarins appareat, alia etiam, quæ ſequuntur argumenta, diluamus.

SECTIO DECIMA.

Satisfit reliquis argumentis in prima itidem Sectione factis.

VT ſextum argumentum, quod ex 52. textu, octaui Phyſicorũ etuebatur, diluerent aliqui, non ſunt veriti affirmare, animam rationis participem, nõ moueri, etiam per accidens, moto corpore: quorum rationes videre potes apud Hieronym. Pontan. lib. 4. de animæ immortalitate cap. 1.

Sed oppoſitum huius docuit Ariſtoteles in præceden. tex. 51. octaui phyſic. & in libris de Anima paſſim; vnde tex. 61. primi libri concludit. *Quod igitur neque harmoniam, poſſibile eſt, eſſe animam; neque circulariter moueri, manifeſtum eſt ex dictis: ſecundum accidens autem moueri, vt diximus, eſt mouere ſeipſam, & moueri quidem id, in quo eſt*: quod etiam dixerat tex. 43. eiuſdem libri, qui eſt locus, mea quidem ſententia, quẽ hic citat. Idem docuit S. Thomas lib. 2. cont. Gent. capit. 65. & quæſt. de Anima art. 10. ad 12. & in quæſtionib. diſputatis, quæſt. 10. art. 10. ad 3. & in 1. diſt. 37. quæſt. 4. art. 1. & ſæpè alibi. Capreol. in 2. diſt. 2. quæſt. 1. art. 3. Caiet. ad artic. 8. quæſt. 76. primæ pattis. Bannes ſuper eandem partem, quæſt. 76. artic. 8. dub. 2. in reſponſione ad 3. argumentum, primæ opinionis, & communiter Scholaſtici omnes. Et profectò omninò videtur impoſſibile, vt totum corpus ita moueatur, vt acquitat alium locum, & non moueatur etiam totum id, quod in illo reperitur; quamuis in eo reperiatur definitiuè. Adeò, vt ſupradicti auctores, affirment fore, vt intelligentiæ quoque mouerentur per accidẽs, ſi cęli, quibus aſſiſtunt, mutarent locum relicto priore: quemadmodum mutat noſtrum corpus: Modo autem non mouentur, quia cęlum non mutat locum ſubiecto, ſed ſolummodo partes eius ſphærica latione cientur.

Pręterea, non video, quomodo humana anima, forma naturalis eſſe, & ad naturalem philoſophum pertinere poſſit, vt reuera pertinet, & de ea, in partibus phyſiologiæ tractatur: ſi ea nec per ſe, nec ex accidenti mouetur: ſiquidem, vt ſæpè teſtatum reliquit Philoſophus, nihil immobile pertinet ad philoſophum naturalem. Vnde ſecundo phyſic. tex. 71. dicitur: *Quæcunque mota mouent, eſſe phyſicæ conſiderationis, quæcunque verò non, non eſſe amplius phyſicæ*; & tex. 72. & ſæpè alibi; quare impoſſibile eſt, vt ad motum corporis, non moueatur anima, ex accidenti.

Cęterùm, ſi animam etiam rationis compotem, ex accidenti moueri ſtatuimus, & hoc a ſe ipſa, quid ad Philoſophi propoſitionem erit dicendum, qui de caducis ſolum, atque corruptibilibus hoc affirmare videtur? Dicimus, eam veriſſimam eſſe, eo intellectu, quo a Philoſopho profertur: Profertur autem, non in vniuerſùm de omnibus, ſed de plurimis. Ita nimirum apparet quamplurimùm: vt, quæ per accidens ex ſe ipſis mouẽtur, ea obnoxia ſint corruptioni. Nec debuit Ariſt. ab hoc dicendi modo, excipere animam intellectiuam: tum ob rationẽ, quam in ſolutione præcedentis argumenti dicebamus: tum maximè, quia non fuit congruũ ſolitæ Stagiritæ modeſtiæ, vt hic formam humanam exciperet, eamque ab interitu vindicaret, cum nondum eſſet manifeſtum; ſed ab eo inferius erat demonſtrandum, intellectum humanum, eſſe incorruptibilem. Iccircò merito, atque optimo iure, eum in præſentia non excepit; ſed locutus eſt, vt apparet in plurimis.

Et certè lubens quæſiuerim a ſectatoribus Alexandri, qui quidem corpora cęleſtia defendunt animata, eaque moueri ex apprehenſione intelligentiæ: non ne formæ illæ cientur ex accidenti, & a ſeipſis? etiamſi circulariter moueãtur? an ergo illæ quoque caducæ, & corruptibiles?

Septimum argumentum, nihil aduerſus noſtram opinionem concludit; nam Philoſophus loco in argumento citato, perpendit animas, qua ſunt, vel poſſunt in corpore eſſe: eaſque ad inuicem conferendo ait, quia anima intellectiua eſt ſuperius quicpiam, vtpotè, quæ vegetatiuam, & ſenſitiuam complectitur, non ſecus, atque tetragonum continet trigonum, vt idem Philoſophus explicabat lib. 2. de Anima tex. 31. ideò optimè poſſe vegetatiuam ſolam in aliquo reperiri, abſq; alijs, ut contingit in plantis. Poſſe itidem conſiſtere ſenſitiuam, ſine intellectiua. Secus autem verſa vice, neque intellectiuam ſine ſenſitiua, neque hanc, ſine vegetatiua. Vbi mentio nulla de ſeparatione animæ a corpore. Adde ex Angelico Doctore prima par, quæſt. 76. art. 3. ad primum, quia in homine vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua, non niſi vna eſt anima ſubſtantialiter, ratione duntaxat ab inuicem diſtincta, quando extincto corpore ſeparatur anima intellectiua, ſeparari etiam per concomitantiam alias: vnde etiam ſenſitiua, & vegetatiua, quæ in homine cum intellectiua identificatur, ſunt incorruptibiles. Verba S, Doctoris hæc ſunt. *Nam anima ſenſitiua, non habet incorruptibilitatem ex hoc, quod eſt ſenſitiua, ſed ex hoc quod eſt intellectiua, ei incorruptibilitas debetur: quando ergo anima eſt ſenſitiua tantum, corruptibilis eſt, quando verò cum ſenſitiuo intellectiuum habet, eſt incorruptibilis: licet enim ſenſitiuum incorruptionem non det, tamen incorruptionem ab intellectiuo auferre non poteſt*. Ex quo etiam patet ad confirmationem.

Sed, hinc mea quidem ſententia, maxima oboritur difficultas, quomodo potentiæ animæ vegètatiuæ, & ſenſitiuæ erunt perpetuò priuatæ actibus ſuis? qui ſine corporis adminiculo exerceri non poſſunt.

Ad hanc difficultatem, pro tempore dico, non eſſe inconueniens, vt aliquid, quod in alio ſuperiori continetur, non eliciat operationes; ſi illud ſuperius habeat ſuas proprias: & ita cõtingit in præſenti. Nam anima intellectiua ſeparata, in qua virtutes reliquæ continentur, intelligit, vult, & ſimpliciter operatur, vt diximus. Addo, potentias animæ ſenſitiuę non remanere in anima ſeparata: Adi omninò S. Thomam in prima parte, quæſt. 77. art. 8. vbi ſic quærit; Vtrum omnes potentiæ animæ, remaneant in anima a corpore ſeparata? ad quod duobus aſſertis reſpondet dicens, eas animæ potentias, quæ immediatè ſubiectantur in ipſa anima, manere in illa a corpore ſeparata: potentias verò, quæ ſubiectantur in ipſo cõiuncto, non manere in anima ſeparata, niſi virtute, vt in principio, & radice.

Ad octauum argumẽtum, dum Philoſophus 2. de Anima tex. 26. eos carpit, qui animam, aut corpus, aut non ſine corpore poſuerunt: commendat verò illos, qui oppoſitum ſanxerunt: Primò, ſunt qui dicunt, Ariſtotelem, eo loci ſermonem habere de animabus duntaxat, vegetatiua, & ſenſitiua; quæ profectò citra corpus cohęrere non poſſunt: ita Ammonius, Philoponus, & alij nonnulli. Sed quia hæc reſponſio, non leuibus vrgetur incommodis, pręſertim quia cum id inferãt Stagirites, ex his; quæ ſuperius oſtenderat; nimirum animam eſſe actum corporis, idque eſſe communi omni animę, vt per eundem Philoſophum tex. 7. & inde liquet, cum inquam, hic inferat, *& propter hoc, benè opinantur, quibus videtur, quod neque ſine corpore eſſe, neque corpus aliquod anima*: proculdubio, id etiam de intellectiua capit. Ideò alij inter quos eſt quoq; Philoponus, & videtur etiã Simplicius aiunt, hic a Philoſopho includi quidem etiam animam rationalem: ſed adnotant, eam duobus modis poſſe conſiderari. Altero quidem quatenus anima, & Entelechia, & hoc pacto inſeparabilis eſt, a corpore. Altero verò quatenus eſt intellectus, ac ſubſtantia, quædam ſuaptè natura exiſtens; & hoc pacto citrà corpotis adminiculum eſſe poteſt. Illuſtrat hoc eleganti exemplo Philoponus: *ac veluti gubernator*, inquiens, *qui nauis, cum ſit entelechia, quatenus gubernator eſt, a naui ſeparari non poteſt: verùm quia non ſolum gubernator eſt, ſed etiã homo, vt homo quidem non vt Entelechia ab naui ſeparabilis eſt. Hoc etiam modo anima noſtra; qua, quatenus entelechia eſt corporis, non poteſt eſſe ſine corpore, ſed quoniam quaſdam a corpore ſeparabiles operationes habet, ſcilicet circa intelligibilia, in qua non modò corpus non confert, verùm etiam in illis eſt impedimento, id patet, quòd ſubſtantiam ſeparabilẽ habebit: cum eatenus anima ſit, & dicatur intellectus, non ſanè amplius anima, niſi potentia*. Hæc ille. Ariſtoteles ergo hic loquitur de Anima

ratio-

rationali,primo modo; non abſolutè. Et hæc reſponſio eſt optima, quam aſſignat etiam S. Thomas multis in locis; addito quod anima ſit forma informans.

Reſpondent alij,nec ineptè fortaſſe (ſuppoſito,Philoſophum hic carpere Pythagoreos, qui quidem animas, ſine vllo vnquam ordine, diſpoſitione,ac delectu,ita in diuerſa animantium corpora intrudebant, vt illæ nunc in humana, nunc verò in ferina vagarentur: vnde etiam omnes animas tam hominum, quàm brutorum, fecerunt eiuſdem ſpeciei), aliquid eſſe ſine corpore, bifariam obtingere. Aut quia nec actu, nec habitudine eſt in corpore: & hoc pacto ſunt intelligentiæ. Aut quia actu quidem non eſt in proprio determinatoq; corpore,nihilominus habitudine eſt: ita animę ſeparatæ dicunt habitudinem ad propria corpora,ex quibus etiam indiuiduantur. Pythagorici igitur, animas in nullo proprio corpore aptatas,nec actu,nec habitudine, ſed caſu, atq; fortuitò per corpora vagari dixerunt. Ariſtoteles autem vult omnem animam eſſe in proprio corpore,aut actu,aut habitudine. Senſitiua enim ac vegetatiua anima,ſine corpore eſſe nõ poſſunt: quinimò tandiu ſunt, quandiu ſunt in corpore. Intellectiua verò, cum ſit alterius generis,ac naturæ ab his, licet habitudine ſine corpore eſſe non poſſit, actu poteſt. Hoc itaque modo intelligendo, nulla anima eſt ſine corpore.

Quòd ſi obijcias,expoſitionem hanc,non eſſe ad mentem Philoſophi,cum ab eo nulla fiat habitudinis mentio. Ad hoc reſpondet Auguſtinus Sueſſanus,ſuper eundem tex. *Eum,qui hæc obijceret, eſſe malum Ariſt. interpretem*: quia Ariſtoteles hic non contendit, niſi contra Pythagoricos, qui dixerunt animam poſſe eſſe cuiuſlibet corporis: atque adeò habere habitudinem ad omne corpus. Eam ergo reſpicere determinatum corpus; an actu,an habitudine: ſatis, ſuperque eſt Ariſtoteli, ad refellẽdam Pythagoreorum opinionem.

Arbitrarer equidem,apprimè ad mentẽ Philoſophi fore,ſi dixeris,animam eſſe ſine corpore,duplici ratione contingere poſſe. Vel ita, vt præextiterit ante hoc, illud ue corpus; idque ſinè humanum,ſeu quoduis aliud: Vel ſit ſine corpore, poſt huius corruptionem. Ariſtoteles negat duntaxat animam eſſe ſine corpore primo modo,quo a Pythagoricis ſtatuebatur; quos & meritò reprehendit,contenditq; animam,quia eſt forma huius, fieri in hoc debiti ſui modo corpore. Minimè verò inficiatur, eam poſſe cohærere abſque corpore,eo iam diſſoluto: nulla huius rei in præſens mentio. Hoc ſolum,nec quicpiam aliud Philoſophum intelligere, conuinco ex eius probatione: *actus enim quib. vniuſcuiuſque in eo,quod eſt in potentia,& in propria materia,eſt aptus natura fieri*: per pende illud, *eſt aptus natura fieri*. annecte minorem: Atqui anima eſt actus corporis: ea igitur eſt apta natura fieri in proprio ſuſceptiuo,proprioq; materia: atque adeò,nec præexiſtit,nec per diuerſa corpora pererrat,vt dicunt Pythagoræi: idẽ colligas ex ijs verbis eiuſdem textus. *Et non ſicut priores in corpore aptabant ipſam, nihil prorſus definientes,in quo,& quali*. Carpit illos,quod animam indebito corpori,indifferenter aptabant. Aptari non eſt, niſi rei præexiſtentis. Hos itaque ob id ipſum reprehendit. Approbat verò eorum opinionem,qui animas, quia ſunt actus & ratio,in proprijs corporibus fieri aſſerebant; quod etiam ipſe docuit 12. Metaphyſ. tex. 16. Nihil verò hic de immortalitate,& exiſtentia animorum poſt corpora: non enim ipſe intruderet eas in alia corpora. Quod ſi, non niſi in humana.

Ad nonum ex libro de longitudine, & breuitate vitæ,dicimus Ariſtotelem in illa propoſitione,animam non poſſe corrumpi alia corruptione,præter eam, qua corrumpitur corrupto corpore; loqui de Anima,quæ non habet ſuum eſſe proprium,ſed illud emendicat a corpore,a quo dependet in eſſe, fieri, & conſeruari: cuiuſmodi ſunt anima vegetatiua, & ſenſitiua: minimè verò de intellectiua; quæ cum ſuum eſſe non trahat a corpore, quinimò huic tribuat eſſe, quo iſtud exiſtat, fit, vt etiam extincto corpore,illa neutiquam extinguatur.

Dici etiã poteſt,animam quoque rationalẽ in corruptione totius, dici corrumpi, non quidem abſolutè, ſed quoad modum informandi: quia deſinit eſſe actu Entelechia. Sed hoc etiã ſcito, quod Ariſtoteles eo loci, hoc ſolum inferre contendit, animam non ita eſſe in corpore,ſicuti ineſt accidens in ſubiecto: quod dicit aduerſus eos,qui animam harmoniã quandam fecerunt. Ex quo quidem Ariſtotelis propoſito, quid contra noſtrum ſequetur? nihil profectò. Poſſem hoc luce clarius reddere,niſi prolixitatem vererer in re clariſſima: reddes tu, ſi textum inſpexeris.

Ad decimi argumenti auctoritates,ſingillatim

tim dicendum eſt. Et quidem ad tex.66. primi de Anima, cum dicitur, *ipſum igitur intelligere, & ipſum ſpeculari corrumpitur, alio quodam interius corrupto*; gemino modo occurrit S. Thom. 1. parte, quæſt.89. art. 1. ad primum; vel quod Ariſt. eo loci loquatur, ex quadam ſuppoſitione prius facta: videlicet, quod intelligere ſit quidam motus coniuncti, ſicut, & ſentire. Et hoc propterea, quia nondum differentiam oſtẽderat, inter intellectum, & ſenſum. Quod ſi ita eſt, nulla manet difficultas: quia motus corrumpitur ad corruptionem coniuncti. Sed quia reuera huiuſmodi ſuppoſitio, non apparet in textu: iccircò idem auctor reſpondet ſecundò, corrupto aliquo interiori, corrumpi etiam intelligere noſtrum, nõ abſolutè, ſed quo ad modum, quem habet per conuerſionem ad phantaſmata: ſeparata enim anima intelligit per conuerſionem ad ſuperiora, vt alio loco dicemus.

Cęterùm aio, temerè ab aduerſarijs dici intelligere corrumpi: & malè codices aliquos habere *ipſum intelligere, & ipſum ſpeculari corrumpitur, alio quodam interius corrupto*. Philoſophus hoc non dicit; græcè, & clariſſimè iacet, καὶ τὸ νοεῖν δὴ, καὶ τὸ θεωρεῖν μαραίνεται, ἄλλου τινὸς ἔσω φθειρομένου. verto, *& ipſum intelligere, & ipſum ſpeculari, langueſcit, alio quodam interius corrupto*. langueſcit, non ita nimirum viget, ac floret, corrupta facultate aliqua ei ſubminiſtrante: ipſum verò ſecundum ſe, incorruptibile eſt; quod ibidem modo non clamat Philoſophus, αὐτὸ δὲ ἀπαθές ἐστιν. *ipſum autem impaſſibile eſt*. Quomodo autem corrupta aliqua facultate etiam ſenſitiua, ipſum intelligere, adeò langueſcit, vt exerceri nequeat, explicat Sanctus Thomas prima parte quæſt. 81. artic. 7. & patet euidenter in phreneticis. Miror tamẽ ego, & quidem vehemẽter, textum hunc ab aliquibus, ad animæ interitũ, & mortalitatem cõprobandam, tam perfricta fronte adduci: cum Philoſophus in hoc ipſo textu, eius immortalitatem apertè probet, vt in huius text. explicatione vidimus ſect. 2.

Secunda auctoritas ex vltimo tex. ſecundi de Anima, corroborat ſententiam noſtram. Non enim ait Ariſtoteles, intellectum lædi alterari, aut corrumpi, ſed dicit, cum ἐπικαλύπτεσθαι, velari, & obtegi: non ſecus nimirum, ac Sol, quando obducitur, ac tegitur nubibus, nec læditur, nec alteratur, ſed eius irradiatio, quoad nos præpeditur illæſo ipſo: ſic præpeditur actio intellectus, quia quamuis ipſe ſit impaſſibilis, tamen ſeu corporis aliqua paſſione, ſiue aliquo impedimento velatur; Ex quo quidem loco, non ſolum habemus Ariſtotelem, animæ immortalitatis aſſertorem, ſed etiam modum ſoluendi, & explicandi quamplurimas dubitationes, inter quas eſt etiam illa præcedens, *intelligere langueſcit &c.*

Ad illud, ex ſecundo Politic. dico, neque hic, nec alibi vſpiam ab Stagirite inueniri dictum, mentem, & intellectum noſtrum conſeneſcere. Atqui dices, loco citato, ita iacet; *Eſt enim vt & corporis, mentis quoque ſenectus*: fateor, ita legi latinè, ſed malè: græcè & verè non ita, ſed ἔστι γὰρ ὥσπερ σώματος, καὶ διανοίας γῆρας. verto, *eſt enim ſicuti corporis, ita & ratiocinationis ſenectus*: nam διάνοια dianæa, idem pollet atque cogitatio, ratiocinatio, intelligentia, ingenium, ſententia, vel ſi mauis diſcurſus, quæ omnia in confecto ſenio debilitantur, ob defectum ſpirituum, & debilitatem facultatum ſenſitiuarum ſubminiſtrantium intellectui: quamuis mens ipſa, & intellectus in ſe, nihil perpetiatur: quinimò ſecundum ſe in ſenectute perficiatur, vt ſcribit Ariſt. ſect. 30. problematum, problemate quarto, quando quærit, *cur ſeniores amplius mente valeamus, iuniores ocyus diſcimus?* inter alia ait: *ita etiam mens quæ res naturalis eſt, non protinus, ſed in ſenectute maximè nobis contingit, atque tunc potiſſimùm conſumatur, atque abſoluitur*; Quod etiam docuit primo de Anima, tex. 65. Hinc diſpice arguẽtis errorem. Et profectò miſeret me conditionis eorum, qui græcas litteras, nec ſciunt, nec magni pendunt. Quòd ſi aliquando διάνοια dianæa a Gręcis pro mente capitur, id erit impropriè, quemadmodum & latini, mentem quandoque pro conſilio, decreto, voluntate, idque genus alijs, ponere conſueuerunt.

Preſsè autem, ac proprie quid διάνοια polleat, diſce ex Platone, qui in Dialog. Sophiſta eam ex inſtituto his omnindò verbis explicat. οὐκοῦν διάνοια μὲν καὶ λόγος ταὐτόν, πλὴν ὁ μὲν ἐντὸς τῆς ψυχῆς πρὸς αὑτὴν διάλογος ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος, τοῦτ' αὐτὸ ἡμῖν ἐπωνομάσθη διάνοια, τὸ δὲ ἀπ' ἐκείνης ῥεῦμα διὰ τοῦ στόματος ἰὸν μετὰ φθόγγου, κέκληται λόγος. Latinè ſic iacent; *Nónne cogitatio, & oratio idem? niſi quod cogitatio dicitur illa ipſa ſine ſtrepitu vocis interior collocutio, qua ſe ſe animus noſter alloquitur: effluxus autem ab ea, per os procedens cum ſono, dicitur oratio*. Hinc διανοεῖσθαι cogitare, vt videre licet ſæpè apud Ariſtotelem,

ſtotelem, maximè verò in primo de Anima, tex.64. *βέλτιον γὰρ ἴσως μὴ λέγειν τὴν ψυχὴν ἐλεεῖν, ἢ μανθάνειν, ἢ διανοεῖσθαι, melius enim fortaſſe eſt, non dicere animam miſereri, aut addiſcere, aut cogitare*: quia igitur *ἡ διάνοια* dianæa, ſeu cogitatio eſt quidem opus intellectus, ſed tamen coniuncti cum ſenſu, procedit enim, qui diſcurrit, ab vniuerſalibus ad particularia, meritò, inquit Ariſtoteles *εἶναι ὥσπερ σώματος, καὶ διανοίας γῆρας, eſſe ſicuti corporis, ita & cogitationis*, ſeu *ratiocinationis ſenectam*.

Ad confirmationem ex libro Phyſiognomicorum dicitur, cum anima rationis particeps ſit humani corporis forma, mirum ne videtur, quod illa, & corpus plurimarum paſſionū cauſæ fiāt ad inuicem? vt animi habitus alteratus, & corporis quoque formam alteret; Et forma corporis commutata, commutet animi habitū? quinimò mirum eſſet, ſi ſecus eueniret. Cæterū hoc non ita contingit, vt ipſa animæ ſubſtantia, corporis paſſionibus, & affectibus in ſemet afficiatur, aut læſionem vllam perpetiatur; eſt enim alterius ordinis, quò corpus pertingete nequit: ſed offenditur ſolum in functionibus ſuis, ſicuti videmus contingere in ebrietatibus, & in morbis; vt ab Stagirite explicatum habes in primo de Anima, tex. 65. ipſa mente illæſa omninò, atque impaſſibili exiſtente. Hinc non ineptè Alexan. in lib. 2. problem. quæſt. 64. *Quemadmodum inquit, fidibus in Cithara, & foraminibus in tibia rectè conſtitutis, artifex optimè modulatur; malè autem diſpoſitis, perperam agat neceſſe eſt, cum ipſe nulla in re ſit immutatus; eodem modo anima noſtra agit pro corporis conſtitutione. Et cerebro per intemperiem deprauato, anima rationalis nequit ſuo munere probè fungi. Cum tamen ipſa paſſione vacet; & permaneat immutabilis*. Hæc ille; ſi tamen Alexander. Vt ergo deprauatus citharæ ſonus, non arguit artificis deprauationem, vel corruptionem, ita in animę functionibus, ob corporis defectum.

Addo præterea, quòd cum Philoſophus in illo tractatu, Phyſiognomica aperire inſtituiſſet, vt oſtēderet ex varia corporis conſtitutione, temperie, figura, idque genus alijs exterioribus ſignis, modo aliquo poſſe hominum ingenia, mores, inclinationes, & animos ipſos introſpici; ac dignoſci, *quia mores*, vt aiunt, *ſequuntur humores*, ea protulit, quæ ibi habentur. Quæquidem vera ſint in pluribus, non erunt in omnibus. Nec enim ſemper id, ad quod in nobis propendit corporis conſtitutio, operamur: quinimò plerunque oppoſitum. Cum enim vires ſenſitiuæ, vt inquit, S. Thomas 2.2. quæſt. 95. artic. 5. & patet ex Ariſtotele tertio de Anima, tex. 42. & 47. & lib. 1. Ethic. capit. vlt. obediant rationi; poteſt homo per rationem, non modo illud operari, ad quod corporis affectus eum trahunt, ſed eius etiam oppoſitum. Nonne quamplurimi cordati viri, corporis paſſiones, ſiue temperiei propriæ, ſiue cuiuſpiam habitus antea iam contracti, calcaribus concitatas, rationis habenis compeſcunt: & acies libidinum, ac vitiorum flammas erumpentes, extinguunt rationis, & prudentiæ rore? Quod profectò argumento eſt, animas noſtras, non in omnibus obſequi, & obtēperare corporis affectibus atque temperiei: neque illi perpetuò compati: Quæ res ſi ita habet, hinc quoque animorum immortalitas elucet: alias enim ſemper affectus corporis ſequerentur.

Quod ſi plurimos videmus, ſemet, quò corporis paſſiones pelliciunt, cò præcipites dare: & quampauciſſimos rationem amplecti; recolamus Philoſophi dictum, in 2. Ethic. cap. 6. *malum eſſe in pluribus, bonum autem in paucioribus*, cuius rationem aſſignat S. Thom. 1. parte quæſt. 63. art. 9. ad primum. *Quia malum contingit ex hoc, quod homines ſequūtur bona ſenſibilia, quæ ſunt pluribus nota, deſerto bono rationis, quod paucioribus notum eſt.*

Vndecimum argumētum, & eius confirmatio facilè expeditur: nam, & Solon, & Ariſt. eo loci ſermonem habet de fęlicitate temporaria, & huius vitæ: quam profectò fatuum eſt, poſt huius vitæ terminum conſtituere.

Eodem modo diluitur duodecimum argumentum ex tertio eiuſdem operis, cap. 9. Mors, quia eſt vltima rerum omnium linea, & vitæ noſtræ extremum, haud immeritò cuicunque habetur horribilis: quocirca etiam viro forti non ab re cenſeri debet moleſta: eòque magis, vt ibidem ait Philoſophus; ob mortem dolebit aliquis, quò virtute fuerit ornatior: quapropter, etſi anima noſtra, diſſolutis corporibus, ſuperſtes maneat; at non nos: & idcircò nobis poſt hanc vltimam pęnam, neq; boni, neq; mali quicquam poteſt contingere: de anima verò ab Stagirite eo loci mentio nulla: ſic enim ibi: *Mors autem maximè omnium rerum eſt horribilis: quippè cum terminus ſit; & nihil amplius homini mortuo neque bonum, neque malum eſſe videtur.*

Tu verò cum Seneca, & rectè ita habe: quod dies iſte, quem tāquam extremum reformidas,

æterni

æterni natalis eſt. Et quicumque nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam nō poteſt colere. *Pompa mortis magis terret, quàm mors ipſa*, quòd tam naturale ſit homini mori, atque naſci. Vnde verè, ac ſenſatè ille.

Qui finem vitæ extremum inter munera ponit.
Naturæ.

Quid ſi mors obueniat bona? quæ vitam nō aufert, ſed transfert in melius? Porrò iuſti, ac pij hominis mors, vt quidam loquitur, eſt bona propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter ſecuritatem, vel potius ſalutem æternam: quæ vt bona obtingat, vita bona opus eſt.

Itaque.

Viue pius, moriere pius.

Atque.

Vt tibi mors fęlix contingat, viuere deſce:
Vt fęlix poſſis viuere, diſce mori.

Enimuerò.

Vna eſt viuendi, ac moriendi regula rectè:
Vt moiare pius, viuere diſce piè.

Repete ſæpius tecum hoc dictum: *Quomodo fabula, ſic vita, non quamdiu, ſed quàm benè acta ſit, refert: nihil ad rem pertinet, quo loco deſinamus: quocumque voles, deſine: tantum bonam clauſulam impone.* Atat diuagati ſumus; mortis meditatio fecit: ad rem redeo: quare.

Ad 13. dico mentem noſtram, nullum habere temperamentum: alias enim eſſet ex elementis, & qualitatibus. Quid? ſi intellectui vllum ineſſet temperamentum, porrò non intelligeret omnia: Et qualis quidam vtique fierat: eique ad agendum aliquod eſset inſtrumētum, vt arguit Ariſtoteles 3. de Anima, & nos Diſputatione proximè ſuccedente id ipſum multis proſequimur. Cum verò Philoſophus ait, exceſſus peruertere eius temperamentum, intelligit non mentis ſecundum ſe, ſed quò ad eius operationes: quippè cum in corporis temperatione, magnum ſit momentum ad perficiendas intellectus noſtri operationes, quòd iſtæ ſine opera imaginatiuæ non exerceantur, cui facultati proximè ſeruit corporis temperatio, ſit, vt euerſo corporis temperamēto, impediatur etiam mens ipſa à functionibus ſuis, ideòque dicatur peruetti, eo ſenſu, quo in primo de Anima, tex. 65. aſſeritur, *intellectū marceſcere, alio quodam interius corrupto.*

Præterquamquod, in græco non habetur, *mentis* ſed διανοίας. Dianæas, ratiocinationis, de qua ſuperius dixi. Idem etiam intelligit Ariſtot. in alio loco: nempè Sectione trigeſima, problemate 5. dum ait, mentem lędi, ac lacerari, non enim ita capit, vt mens ipſa in ſubſtantia lædatur, ac detrimento aliquo laceretur: ſed quia in ſui muneris functione: offenſionem accipit, ob id dicitur lædi: ita reſpondent ad hoc communiter auctores: Sed ego profectò miror, vnde nam latinus interpres, ex cuiuſue cerebro excogitauerit illud: *niſi detrimento aliquo lacera, læſaque ſit.* cum gręcè ſolummodo habeatur. ἂν μὴ ὑπό τινος πηρωθῇ. quod verto. *niſi ab aliquo orbetur*, ſiue, *fuerit orbata.* πηρωθῆναι, enim valet, orbari: vnde Ariſt. lib. 3. de Anima tex. 45. in axiomate illo, quod natura, nec fruſtra quicquam faciat, neq; in neceſſarijs deficiat, ait, πλὴν ἐν τοῖς πηρώμασι, καὶ τοῖς ἀτελέσι: *niſi in orbatis, & imperfectis:* Vt igitur cum quiſpiam orbatur oculis, quia organo viſus deſtruitur, impeditur quidem ab actione videndi, ſed tamen viſiua facultas in ſe manet illæſa, ita dicito de mente. immò multo magis, cum ea nulli organo ſit affixa.

Ad vltimum, ſunt qui dicunt, Ariſtotelem in illo libello de morte animæ inſcripto, minimè de animæ noſtræ interitu, ac mortalitate egiſſe: ſed de necromantia; ita Franciſcus Storella in libello de quinquaginta contradictionibus cōtradicere vltima, & Lælius Vincentius, citatus in argumento, ſic vero opus illud nuncupatum fuiſſe, quia hæc diuinandi ſpecies, petatur ab animis mortuorū. Id enim pollet Necromantia, νεκρομαντία à voce νεκρὸς mortuus, & μαντία diuinatio.

Cæterùm ego, & ſi librorum helluo, tamen huiuſmodi libellum, nec ipſe vidi, nec à graui aliquo auctore citatum: quinimò à probatiſſimis viris, quibus abrogare fidem omnino nefas; teſtatum inuenio, Ariſtotelem multa, & præclara de animæ noſtræ immortalitate elaboraſſe, quæ quidem (ò nos ter, & amplius fęlices, ſi haberemus) edaci temporum iniuria fuerunt abſorpta: conſcripſerat Ille librum integrum de anima ad Eudemum Cyprium, cui & libros de moribus, dictos Eudemiorum: quos etiam nunc terimus, dedicauit, In quo quidem libro, vt auctor eſt Themiſtius in Paraphraſi ad tertiū lib. de Anima, cap. 37. multa ille, ac varia argumenta congeſſit, vt animos

noſtros, & primò ſuum propè diuinum, immortales,ac ſempiternos eſse oſtenderet. Er inter alia, quæ ibi ad animæ immortalitatem pertinebant, id etiam ſcribebat, vt auctor eſt Plutarchus in oratione conſolatoria ad Apollonium:animos eorum,qui ex hac vita deceſſerunt,fœlices eſſe,ac beatos; vt potè, qui melioris iam,præſtantiotiſque naturæ facti ſint compotes: & hoc ita peruetuſta opinione eſſe firmatum,vt eius initium,& auctor penitus ignorentur,ſed ab infinita vſque æternitate, hoc ita eſſe cenſeretur: audi Plutarchum,quinimò per Plutarchum,ipſum Ariſtotelem: *operæpretium autem eſt,ipſa Philoſophi verba attexere in libro, qui inſcribitur Eudemus,vel de anima; ſic ait. quapropter optime omnium,ac beatiſſime,non modo beatos, verùm etiam fœlices exiſtimamus eſſe defunctos;ac mentiri de ijs,aut ijs detrectare, vt qui meliores iã, & præſtantiores ſunt redditi, nefas ducimus: atque hac ita vetuſta, & antiqua apud nos opinione ſunt firmata,vt nemo prorſus,vel initium temporis, vel primum auctorem nouerit; ſed ab æterno in perpetuum,hæc ita fuiſse cenſeantur &c.* Hæc Plutarchus; Adi eundem in vita Dionis, vt interea ſileam M. Tullium, qui in primo ſermone de Diuinat. refert, Ariſtotelem litteris dediſſe quoddam eiuſdem Eudemi Cyprij ſomnium, adiecta illius interpretatione: cui quidem Eudemo grauiter extra patriam ægrotanti,viſum eſſe in quiete egregia facie iuuenem dicere,fore,vt breui conualeſceret;& quinquenio poſt domum eſſe rediturum. Quinto autem anno exacto,ad Syracuſas præliantem occidiſſe: *Ex quo ita illud ſomnium, Ariſtotelem eſſe interpretatum,vt,cum animus Eudemi ex corpore exceſſerit, tum domum reuertiſſe videatur.*

Quod ſi tc horum fides, & auctoritas, haud mouet; moueat ſanè viri integerrimi, ſanctiſſimi,& in omnẽ æternitatẽ decantandi D.Thomæ,qui opuſc. 16. teſtatur, ſe vidiſſe librum quendam Ariſtot.de Anima ſeparata compoſitum,qui tamen nondum erat latinitati donatus: Et omninò partem illam, vt inquit Sanctus Doctor loco quem dixi, in qua Philoſophus de formis agebat, quæ licet ſint in materia,tamen ſunt ſeparabiles, tabida vetuſtas inuidit nobis.

Cæterùm hoc nobis in præſentia ſufficit, ex ijs, quæ nunc extant Ariſtotelis operibus, humanam animam,incorruptibilem,& immortalem patefeciſſe. Hæc de prima diſceptationis parte, quod ad auctoritates attinet dixiſſe ſatis.

Quod ſi tandem obijcias tot præſtantiſſimorum virorum auctoritatem,quos initio Diſputationis,primo loco indicaui;quorum alij laboribus ac lucubrationibus ſuis,Peripatum illuſtrarunt: alij non pietate modo, ſed eruditione,ac doctrina magni,& admirabiles extitere: qui omnes Ariſtotelem,animorum mortalitatis aſſertorem exiſtimarunt.

Ad externos quidem ac tenuiores, recolendum puto ſenſatum illud Philoſophi dictum ex primo lib. Topic. cap. 9. *Quolibet proferente contraria opinionibus ſapientum, de quolibet ſollicitum eſſe, ſtultum eſt.* An neſcis vetus adagium? *velle ſuum cuique eſt.*

Alij verò, quorum nomina,& colimus,& veneramur, profectò auctoritate nos frangerent, niſi pro comperto haberemus, eos non vſqueadeò Ariſtotelis doctrinam fouiſse: immò verò ſpreuiſſe, & aliquando etiam deprimere, & labefactare tentaſſe: quod a me ne cuipiam temerè, & inconſultò videatur dictũ, priuſquàm alteram Diſputationem ineam, id hic apprendo.

APPENDIX.

Cur priſci Eccleſiæ Patres, ita Platonicam, Stoicam ve doctrinam, Ariſtotelicæ prætulerint, vt eam tentarint etiam oppprimere?

COGITANTI mihi ſæpenumero, atque vetera SS. PP. monimenta euoluenti, vehementer mirari ſubijt, quid rei fuit, quod olim Stagiritæa doctrina, tantopere priſcis Eccleſiæ Doctoribus diſplicuerit: vt ei,hi quidem effuſa Platonis dogmata, alij tetrica Stoicorum decreta longa intercapedine anteferrent: nonnulli vſqueadeò pertæſi, eam toto pectore confutare, penitusque euertere aggreſſi ſint. Legimus, Platonis doctrinam a clariſ-

ſima

Digitized by Google

ſima occidentalis Eccleſiæ face Auguſtino, & ſoliditatis, & veritatis cauſa, ita cæterorũ omnium doctrinis prælatam, vt lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 1. hæc omninò commendet litteris. *elegimus Platonicos, omnium Philoſophorum meritò nobiliſſimos.* & lib. 8. eiuſdẽ operis cap. 12. *Ideò*, inquit, *Platonicos potiſſimùm elegi, quoniam de vno Deo, qui fecit cęlum, & terram, quantò melius ſenſerunt, tantò cęteris glorioſiores, illuſtrioreſque habentur. In tantum alijs prælati iudicio poſterorum, vt cũ Ariſtoteles Platonis diſcipulus, vir excellentis ingenij, & eloquio Platoni quidem impar &c.* conſimilia haber, & lib. de vera relig. & epiſtol. 56. ad Dioſcorum, & ſexcentis alijs in locis.

Hieronymus verò ſolidæ eruditionis, ac pręcipuæ auctoritatis Doctor, Stoicos, cæteris Philoſophorum ſectis, cùm ſępè alibi, tùm maximè in Iſaiam ad cap. 11. abſque vlla hæſitatione præpoſuit. Quid eius præceptor, per Græciam facilè princeps Greg. Nazianzenus? cui ſingularis, & abdita doctrinarum cognitio, Theologi cognomen meritò atque optimo iure peperit. Is oratione prima de Theologia contra Eunomianos, vſque adeò deijcit opprimitque Stagiritęa decreta, vt Theologum hominem inſtituens, præcipiat omninò ea confutare. *Ariſtotelis*, inquit, *præparcam, & anguſtis finibus circumſcriptam prouidentiam, & artificium; mortales de anima ſermones, atque humana dogmata confuta.* Et orati. 26. quæ eſt de moderatione in diſputationibus ſeruanda, doctrinam Ariſtotelis κακοτεχνίαν artem malam, & ad perniciem hominum inuentam appellat, *& prauum Ariſtotelicarum artium artificium*. Epiſt. 58. ad Philagriũ, Ariſtotelis ieiunitatem in beatitudine definienda, ita carpit: *At illud non tam magnificè, ſed perquàm ſordidè, & abiectè, quod externam quoque bonorum abundantiam adiunxit: ita, vt ſi quis inops ſit, aut valetudinarius, aut obſcuro genere, aut patria extorris, propterea ipſe a beatitudine arceatur. At Stoicorum animi magnitudinem, ac præſtantiam laudo, quia &c.*

Accedit Magnus Baſilius, non mòdò idem argumentum, ſed fermè eadem verba nobis enarrans, epiſtola 18. ad Eudoxium rhetorem. *Quò verò etiam ego philoſopher parùm. Non laudo Ariſtotelis ſordes, qui fęlicitatem &c.*

Epiphanius lib. 3. contra hæres. Ariſtotelicam doctrinam, fabulamentum appellat. *Hæc*, inquit, *tollunt totum Syllogiſticum verborum tuorũ ò Aeti fabulamentum; & fieri nequit, vt nos impellas, quò diſcipuli fiamus præceptoris tui Ariſtotelis.* Tertullianus his multò vetuſtior, & Latinorũ ſcriptorum, D. Cypriano iudice, optimus, haud ſemel *miſerum vocat Ariſtotelem, doctrinæ cauſa.* Quid clariſſimum primitiuæ Eccleſię iubar, Iuſtinus Martyr, ac Philoſophus? integrum elaborauit opus, quo Stagiritæa decreta refelleret: Inſcriptio libri eſt, *Quorundam Ariſtotelis decretorum reprehenſio.*

Atque vt ſemel dicam, quæcunque generatim in Philoſophos iactabantur, *Philoſophos eſſe hæreticorum Patriarchas.* Tertullian. aduerſus Hermog. *Philoſophos in Eccleſia, veluti quaſdam Aegyptiacas plagas pernicioſè irrepſiſſe.* Gregor. Nazianz. orat. illa 26. *Philoſophum eſſe gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium.* Tertullian. lib. de Anima, & D. Hieronym. epiſt. ad Iulian. idque genus innumera: ea omnia in vnum Ariſtotelem, eiuſque ſectatores, & libentius, & acrius, & multò ſæpius inculcabantur.

Quodquidem has ob cauſas factitatum, viri docti autumant: quia Stagiritæa doctrina, ſi primo intuitu ſpectetur, porrò magis quàm Platonica, aut Stoica, a noſtra, nempè cęlitus inſpirata, diſſidere videtur. Enimuerò ſi de Mundi origine cadat quæſtio, cum Plato, quẽadmodum orthodoxa fides, initium a præpotente rerum omnium opifice Deo habuiſſe, luculenter affirmat in Timæo: Qui rurſus quemadmodum ab internis principijs diſſolui nequit, benè verò a molitore ſuo Deo, in nihilum redigi; *ita*, eodem auctore, *aptè cohæret, vt nequeat diſſolui vllo modo, niſi ab eodem, a quo eſt colligatus.* Quem nihilominus Ariſtoteles vſquequaque æternum fecit: vt 8. de Phyſic. auſcultat. 2. de Cęlo, 12. Metaphyſ. & alibi ſæpè digladiatur: quod ſe verè etiam demõſtraſſe forſaſsè exiſtimauit.

Si verò de prouidentia Dei loquare, eam Plato non modo teſtatur, ſed incredibili etiam facundia, quoad potuit, probat, illuſtratque. Excipe diuina eius verba ex Dialog. Phædon. ſeu de Anima. *Mihi verò*, inquit, *id rectè apparet dictum, Deos quidem curam habere noſtri: nos verò homines vnam aliquam ex poſſeſſionibus eſſe Deorum.* Et Dialog. 10. de legibus. *Non erit*, inquit, *forſan difficile, demonſtrare, Deos non minus minimarum rerum, quàm maximarum curam habere; præſertim &c.* vbi etiam diluit argumentum, quod vulgo in contrarium amat

obijci, *ex improborum, iniuſtorumque hominum publicè, priuatimque ſucceſſu.* Quam tamen Ariſtot. in rebus, quæ gignuntur, & intereunt, non vſqueadeò limpidam reliquiſſe viſus eſt.

Iam de bonorum poſt fata præmio, & malorum pęna, haud pauca Plato. In Dialog. 10. de Repub. poſtea quàm permulta, eaque egregia, & præclara premia, quæ probo, ac iuſto homini in hac vita obueniunt, ornatè, & copiosè agitauiſſet, ita concludit: *Hæc itaque ſunt præmia, merces, & munera, quæ iuſto viro, præter ea bona, quæ ipſa in ſe iuſtitia continet, a dijs, & hominibus tribuuntur. Egregia valde hæc ſunt, & certa: At enim hæc & numero, & magnitudine nihil ſunt, ſi ad ea comparentur, quæ vtrumque defunctum manent. Audienda verò, & iſta ſunt &c.* Porrò non ſunt condignæ paſſiones huius ſæculi, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Vbi verò apud Ariſtotelem, vel ſubolet tale quicquã?

Poſtremò, ſi de ijs ſermonem habeas, quæ ſunt ſupra humanum captum, ac ſolo cęlſti lumine illuſtrari queunt, legimus in Platone lib.6. de Repub. *bonũ genuiſſe filium, ſibi conſimilem:* quod aliqui de productione diuini Verbi, intellexere: quod perfectò eſt arcanorũ orthodoxæ fidei maximum. Quid? cape ex Auguſtino quid Platonici adhuc olfecerint: ita hic libro 10. de Ciuitate Dei, cap.29. alloquitur Porphyrium, cęteroſque Platonicis diſciplinis addictos. *Prædicas patrem, & eius filium, quem vocas paternum intellectum, ſeu mentem; & horum medium, quem putamus te dicere Spiritum ſanctam: & more veſtro appellas tres Deos. Vbi, & ſi verbis indiſciplinatis vtimini, videtis tamen qualitercumq; & quaſi per quadam tenuis imaginationis vmbracula, quò nitendum ſit.* Quæ tria ſic a Proclo, Iamblicho, Porphyrio, & Plotino digeſta reperio: τὸ πρῶτον ἓν. ὁ νοῦς ἓν πάντα. ψυχὴ ἓν καὶ πάντα. *Primum vnum: Mens vnum omnia; Anima vnum, & omnia.* Omninò adeundus eſt idem Auguſt. lib.7. confeſſionum capit.9. quo loci multa Orthodoxæ fidei arcana percenſet, quæ in Platonicis libris offenderat: orditur verò: *Ibi legi, nõ quidem his verbis, ſed hoc idem omninò multis, & multiplicibus ſuaderi rationibus, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum &c.* qua quidem de re adi S. Thomam in prima parte, quæſt.32. art. 1. At apud Ariſtotelem ne adumbratum tale quicquã inuenies.

Tandem quod ad vitam, & mores attinet, Stoicorũ ſancita propinquiora videbãtur noſtris. Quippè (vt reliqua ſileam) cum Ariſtoteles, cum duntaxat beatum aſſerat, cui cumulatione virtutum, ſatis bonorum, & corporis, & fortunarum ſuppeditet: Stoici verò bonum ſolummodo virum, beatum eſſe pronuncient, etiamſi in ara Buſiridis, aût Phalaridis tauro cõcremetur, hoc cum ſana, & Chriſti doctrina cõſentire videtur, qui eos eſſe beatos docuit, qui ob virtutis cultum labores, & ærumnas perferunt: illud aberrat longè. Hinc ergo Ariſtotelis doctrina poſthabita, atque ſpreta, alijs ſe penitus dediderant.

Verumenimuerò, poſtea tum ijdem, tũ ſubſecuti Eccleſiæ DD. (quæ in dies, & rerum cognitione proficit, & fidelium ruinis fit cautior) cum accuratius, penitiusque perpenderent: Primùm, orthodoxam fidem *loqui quidem ſapientiam inter perfectos: ſapientiam verò non huius ſæculi, neque principum* (Philoſophorum) *huius ſæculi; ſed loqui Dei ſapientiam in myſterio* 1. Cor.2.

Dein, quod ad Mundi attinet conditionem animaduerterent, quamuis grauiter offenderit Stagirites, haud leuius offendiſſe Platonẽ, ſi eum ex elementis, ſeu ex confuſo illo ac temerè vltro citroque infinitis ſæculorum ætatibus agitato ente, vt habet in Timæo, in temporis initio factum voluit.

Tum, quanquam ille peculiarem Dei prouidentiã haud ita perſpicuè explicuiſſet, quòd fortaſsè nondum compertum haberet, quid in ea re naturalis dictaret ratio, quam vnam ſibi ducem propoſuerat: Quid ſi in ijs operibus tractarit, quæ nobis iniuria temporum exciderũt? Porrò de ea in libro de Mundo ad Alex. cap. 6. (modò ſit eius) aptè, accommodatèq; videtur loqui. Nihilominus intelligerent Platonẽ etiam offendiſse, dum exempli gratia, animas in alia deterioris notæ corpora detruſit, vt antecactæ vitæ ſcelera luerent.

Ad hæc, quòd Ariſtot. nihil de pręmio bonorum poſt fata, nihil de malorum ſupplicijs, nihil de productione filij Boni, ſeu Verbi, nihil denique de ijs, quę omninò ſupra humanum ſunt captum ediſſeruerit, profectò id ei haud errori vertendum, qui nihil in humanã Philoſophiam admittendũ cenſuit, quod non humana probaret ratio, nũ prudentiæ quoq; & ſagacitati? quò tutò pertingere nequibat, maluit citra cõſiſtere. At Plato, multa ille quidẽ, vt eſt PP. conſenſus, hauſit ex ſacris voluminibus; adeò

vt

vt Numinius Philoſophus dixerit, *τί ἐσι πλάτων, ἢ μωυσῆς ἀττικίζων; Quid eſt Plato, niſi Moyſes atticiſsans?* & Ariſtobulus Iudæus, lib. 1. ad Philometora, *legem*, inquit, *noſtram, in multis Plato ſecutus eſt*: ſed homo Ethnicus male intellexit: & fortaſsè auſu quoque an humano, an temerario haud pauca corrigere auſus. Inde, malè factum, quod eſt omnium caput, eius doctrina, occaſio, & fons errandi fuit non Origini modo, ſed permultis hæreticis: vt non immeritò Tertullian. alioquin Platonis ſtudioſus, perpendens cunctas hæreſes ad eam vſque diem, vel ortas, vel auctas, & corroboratas, omnes ad illum, quaſi ad caput retulit, his omninò verbis: *Doleo bona fide Platonem, omnium hæreticorum condimentarium factum*.

Tandē, cū oēs illius tēpeſtatis Philoſ. nō de beatitudine in ſpe, ſed de ea, vt dici ſolet, in re, nēpè de ipſa in ſe diſquirerent, quibus in rebus collocanda foret, longè accōmodatius locutus eſt Ariſt. cum præſertim haud crediderit, quod pleriſque placet, ipſam beatitudinis eſſentiam conſtitui ex bonis corporis, aut fortunæ: verū hæc ad exercitium multarum virtutum, in quibus illa conſiſteret, neceſſaria eſſe: perinde ac manus ſunt homini neceſſariæ, vt integer ſit, non vt homo. Poſtremò, cum in Ariſtotele affatim inuenirent multa, & præclara documenta, naturali lumine cognita, acerrimum in inueniendis ac iudicandis rebus ingenium, aureum orationis flumen, incredibilem ſcriptorum varietatem, admirabile, ac penè diuinum in rebus tradendis artificium, quoquidem ille omnes quicumq; ab omni memoria humanas tractauerūt artes, lōgo interuallo poſt ſe reliquit: cum, inquam, hęc omnia, & innumera alia præclara, ac magnifica accurata trutina penſitarent, quaſi mutata velificatione, Peripateticas doctrinas omnibus alijs prætulerunt: vt vnus nunc iam cenſeatur Ariſt.

Quòd genus humanum ingenio ſuperarit: & omnes Preſtrinxit ſtellas, exortus vti æthereus ſol.

Hæc ego, nec ſtudio cōparādi Ariſtotelem cum Platone dixi: cum minimè ſim neſcius, eorum comparationem, diuerſis multorum ſtudijs ad inuidiam vſque eſſe diſtractam: nec animo laudandi Ariſtotelem: quòd huius præconia, iam per famam eminentia, & orbis vniuerſi gaudijs teſtata attingere, perinde ſuperuacanei laboris exiſtimem, atque in Sole poſitis, facem præferre, & accenſi luminum, claritatem diei adiuuare: ſed ob id ſolum, ne vllus vſpiam admiretur, ſi nonnullis, & ijs quidem priſcis Eccleſiæ PP. quos initio Diſputat. indicaui, Ariſtoteles vel non vſqueadeò clarè animorum immortalitatem ſanxiſſe, vel eos etiā perimere viſus ſit: quem nos ſecus omninò ſentire ex eius auctoritatibus oſtendimus; & adhuc id ipſum ex eiuſdem fundamentis oſtendere paramus. Et ſi ab ijſdem is aliquando ſugilletur, ac reprehendatur, quem poſteritas omnis venerata eſt: qui iā vnus in omni Philoſophia leges, ac iura moderatur: quem ſibi quiſque in quibuſuis humanarum artium præceptis tradendis, ducem, ac moderatorem habere geſtit: quem denique nos in his Diſputationibus, ita ſequendum propoſuimus, vt ab eius doctrina, per voluntatem noſtram, ne trāſuerſum, quod aiunt, vnguem diſcedamus: vt eum omninò ijſdem nunc verſibus affari lubeat, quibus Epicurum ſuum, minus profectò verè, ac dignè, Lucretius lib. 3. affatus eſt.

Te ſequor ò Graia gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis.
Tu pater es rerum inuentor, tu patria nobis
Suppeditas præcepta, tuis ex inclyte chartis
Floriferis, vt apes in ſaltibus, omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea perpetua ſemper digniſſima vita.

Finis Diſputationis Quintæ.

Digitized by Google

DISPVTATIO SEXTA.

De immortalitate Animæ rationalis, ex fundamentis, & rationibus Ariſtotelis.

SECTIO PRIMA.

Argumenta ad partem negatiuam.

REFERAM hic, non ea ſolũ argumenta, quę olim ψυχόθνητοι quidã vt animæ ſuæ interitũ comprobarent, ex Philoſophi fundamentis, præter omne æquum, extorſerant; ſed quaſdam etiam nouas inſtantias, & cauillos, quos quidem poſtea, neſcio qui, vt veterum argumẽtorum reſponſa, à probatiſſimis viris iamdudũ allata, infringerent, cõtentioſè potius, q̃ ingeniosè conſtruxerunt. Iis quippè omnibus confutatis, longè clarior, illuſtriorque nobis Veritatis nitor effulget, *quæ multorum improbitate depreſſa, tandem emergit: nec vllis machinis, aut cuiuſquam hominis ingenio, aut arte vnquam ſubuertitur*. Arguitur itaque.

Primò, firmum eſt apud Philoſophũ, intellectũ, nõ poſſe intelligere ſine phantaſmatũ ope: ita in 3. de Aĩa, tex. 39. *qui non ſentit aliquid, nihil vtique addiſcet, nec intelliget: Et cum ſpeculetur, neceſſe eſt ſimul phantaſma aliquod ſpeculari*. Et tex. 20. de Anima, *nihil intelligit, ſine intellectu paſſiuo*. hoc eſt cogitatiua. Et lib. 1. eiuſdem operis, tex. 65. *intelligere corrumpi, quodam interius corrupto*, & lib. 3. tex. 30. *Quapropter nunquã ſine phantaſmate intelligit anima*, & ſæpè alibi. Atqui ſi anima, corrupto corpore, maneret ſuperſtes, cum illi phantaſmata haud ſuppeditarent, maneret ſine intellectione, & torpeſceret in otio: otioſum autem in rerum natura, natura ipſa horret, teſte Philoſopho lib. 1. de Cœlo, tex. 32. & in 2. de Cœlo, tex. 50. & 59. & in 3. de Anima tex. 45. Et ſanè vnumquodque eſt propter ſuam operationem. Accedit, quod ſi anima, poſt animalis interitum intelligeret, amaret etiam; cum amor ſequatur cognitionẽ: ita vt vbicumq; eſt cognitio cuiuſpiam rei conuenientis; fieri nequeat, quin conſequatur amor: cùm voluntas regatur ab intellectu. Animam verò, extincto corpore poſſe amare, omninò negat Ariſt. 1. de Anima, tex. 66. *Cogitare enim, aut amare, non ſunt illius*, ſcilicet intellectus, *paſſiones, ſed huius, habentis illud: quare & hoc corrupto, neque meminit, neque amat.*

Quod ſi quiſpiam trita illa, iamq; communi hominum ore protrita ſolutione reſpondeat, Philoſophum loqui de Anima, pro præſenti ſtatu, & prout eſt in corpore: quo pacto citra phantaſmata fac, nihil intelligat: cæterùm abſolutè, à corporis nexu abiuncta, ſortitur alium ſtatum: & tunc ſine phantaſmatum concurſu intelligit; nec de ea, ſecundum hanc rationem loquitur Stagirites.

Contra, & ſit alterum argumentum. Si humana anima, quæ eſt in corpore, intelligit cum dependentia à phantaſmatibus, ab eo autem ſeparata, fungitur actione intelligendi, ſine huiuſmodi dependentia; vtiq; habebit duos operandi modos: & cum operandi modus, intrinſecè conſequatur modum eſſendi; quia vnum-

quod-

quodque agit prout eſt,& in quãtum eſt actu; neceſſariò habebit etiam duos eſſendi modos. Hoc autem apparet impoſſibile: compertum enim eſt vnius rei, vnum etiam eſſe modum eſſendi: quia modus eſſendi ſequitur eſſentiam rei,& quemadmodum vnius rei, vna eſt eſſentia, ita & vnus eſſendi modus. Quamobrem ſi anima exuta corpore, haberet aliũ eſſendi modum ab eo, quem hic habet, haberet quoque aliam eſſentiam. Quæ omnia, cum ſint impoſſibilia, impoſſibile etiam erit id, vnde ea conſequuntur.

Præterea, operatio eſſentialis aliculus naturæ, nuſquam ſeparari poteſt, permanente eadẽ natura: ſiquidem mutatio operationis eſſentialis, infert mutationem naturæ. Atqui intelligere cum phantaſmare, eſt eſſentialis operatio animæ humanæ: vtpote, quæ perfectionem eſſentialem,& naturalem acquirit à ſenſu: quamobrem vbicunque manet natura animæ, ſi ea manet, maneat quoque eius operatio cum dependentia,& conuerſione ad phantaſmata, omninò neceſſe eſt.

Ad hæc, modus intelligendi, cum dependẽtia à phantaſmatibus, qui competit intellectui humano, nullo pacto conuenire poteſt intelligentijs, quòd eæ,& cuiuſcunque materiæ, & cuiuſuis potentiæ ſenſitiuæ expertes ſint; ergo verſa vice, modus intelligendi ſine dependentia à phantaſmatibus, qui eſt proprius intelligentiarum, nunquam competet intellectui humano: conſequentia videtur euidens à paritate rationis: antecedens verò certo certius eſt.

Tertiò, omnes partes, quæ diſſoluto compoſito remanent, ſunt materiales: quod probatur ex Ariſt. 7. Metaphyſ. cap. vlt. quo loci ait, compoſitum conſtitui ex partibus materialibus, vt ex terrà, & igne, quemadmodum ſyllaba componitur ex elementis: præterea verò adeſſe quandam formam totalem, quæ inde reſultet, & ipſi toti elargiatur eſſe. Vnde ſyllaba, *ba*, nõ eſt ſolum *b*,& *a*, ſed aliud quicpiam: per quod quidem intelligit formam ſubſtantialem. Excipe Stagiritæ verba. *Cum verò, quod ex aliquo compoſitum, ita vt vnum totum ſit, non eſt vt cumulus, ſed vt ſyllaba: ſyllaba verò non eſt ipſa elementa, nec idem b, & a, nec caro ignis, & terra*. Quod quidem ea ratione confirmat, quia diſſolutis compoſitis terra quidẽ, & ignis remanent, *hæc autem amplius non ſunt*, concludit; *Eſt ergo ſyllaba aliquid, non ſolum elementa, vocalis & muta, ſed etiam aliquid aliud*: *Et caro non ſolum ignis, & terra, aut calidum, & frigidum, ſed etiam aliquid aliud*: idest forma ſubſtantialis totalis, quæ impertitur eſſe carni, & ſyllabæ: hanc ait, corrumpi, elementa autẽ, & partes materiales remanere. Atqui ſi poſt homines, animæ remanerent, tunc non modo partes materiales, quod contendit Philoſophus, verùm etiam formales, poſt totius interitum remanerent. Quare &c.

Deinde, altera compoſiti pars, materia prima, nequit cohærere abſque vlla forma ſubſtãtiali: quia non eſt hoc aliquid, & ſubſtantia completa: quod probat Ariſtoteles ſexcentis in locis; præcipuè verò 7. Metaphyſ. tex. 7. & lib. 8. text. 4. de quo omninò adeundus eſt S. Thomas, quolibeto 3. artic. 1. & prima par. qu. 65. art. 2. Eadem igitur ratione, nec altera compoſiti pars, forma, poterit ſine vlla materia remanere. Conſecutio ex eo videtur clara, quia vtraque eſt ſubſtantia incompleta, quæ ſimul vnam aliquam ſubſtantiam, nimirum compoſitum, conſtituunt. Hinc optimè Alexander Aphrodiſ. lib. 2. quæſt. nat. cap. 11. concludit ambas haſce, materiam & formam, eſſe à ſe inuicẽ inſeparabiles, in eo, quòd attinet ad exiſtentiã. Immò verò forma magis dependet à materia, quàm hæc à forma: propterea quod illa ſubijciatur huic; ſubiectum autem minus pendet ex eo, cuius eſt ſubiectum, quàm ex ſubiecto, id quod eſt in ſubiecto: Enimuerò minus dependet paries in exiſtendo ab albedine, immò ne dependet quidem, quàm hæc ab illo. Si itaque materia citra vllam formam cohærere nequit, multò minus forma, cum magis ab illa dependeat.

Quartò, inconcuſſum eſt apud Philoſophũ, & multis ab eodem firmatum. Omne, quod eſſe incępit, neceſſariò deſinere eſſe: Quo quidẽ principio vtitur lib. 1. de Cęlo, tex. 102. & 126. aduerſus Platonem, qui mũdum incępiſſe quidem opinabatur, ſed à parte poſt incorruptibilem, æternumque fore. In hoc inuit Ariſtoteles, impoſſibile inquiens eſſe, vt quod eſſe incęperit, non aliquando deſinat. Atqui animam rationis participem, cum ſit actus corporis, vt in ſuperioribus oſtendimus, vnà cum corpore incępiſſe, colligitur ex Ariſtotele lib. 12. Metaphyſ. tex. 16. quo loci probat, nullam formam poſſe eſſe priorem eo, cuius eſt forma, nam *ſimul forma æneæ ſphæræ ſimul eſt, atque ænea ſphæra.*

Quod ſi dicas, argumentum cõcludere quidem de eo, quod incipit eſſe per generationẽ,

ac motum phyſicum: nõ verò de eo, quod alio pacto nanciſcitur eſſe. Anima autem humana, *cum nobis forinſecus adueniat*, haud incipit eſſe per generationem: quamobrem, nec ſequitur, illam debere quoque deſinere, atque corrumpi.

Contra, hæc reſponſio deſtruitur per rationes Ariſtotelis, qui tex. 125. præfati libri declarat, quid intelligat per ingenitum, quid per incorruptibile, quid genitum, quid corruptibile, & ait, ingenitum eſſe illud, quod eſt nunc, & antea de eo, non erat verum dicere, non eſt. Et incorruptibile eſſe id, quod nunc eſt, & de eo poſterius non erit verum dicere, non eſt: oſtẽditque, hæc duo ingenitum, & incorruptibile ſe mutuò conſequi: Et in ijs, qui ſequuntur textibus, patefecit pariter, genitũ, & corruptibile ſe mutuò ſequi: Cuius ratio in hoc ſita eſt, datur aliquod, quod ſemper fuit, ſemper eſt, & ſemper erit: & hoc dicitur ſemper ens; datur aliud, quod nunquam fuit, neque eſt, nec vnquam erit, & hoc dicitur ſemper non ens. Inter hęc duo extrema, datur medium, quod quidem eſt genitum, & corruptibile: hæc quippè non ſunt ſemper, atque adeò non ſunt ſemper ens: neque ſemper non ſunt, ac per conſequẽs non ſunt ſemper non ens: ergo aliquãdo ſunt, aliquando non ſunt; & hac ratione probat Ariſtoteles, genitum, & corruptibile ſe mutuò ſequi, ergo vniuerſaliter quod incipit eſſe, quocunque modo, etiam neceſſariò corrumpi debet.

Præter quam quod, Ariſt. non cognouit aliquem alium modum, quo quicpiã poſſet produci, niſi per generationem, & motum phyſicum.

Quintò, cum Philoſophus ſanxerit, mundũ à parte ante, & poſt, ęternum: id quod videmus lib. 8. Phyſic. & lib. 1. de Cęlo, & 12. Metaphy. eòque omnes animi conatus contulerit: idque aduerſus communem veterum Philoſophum opinionẽ ſtruxerit accuratè: id liquidò in eius doctrina conſequitur, infinitas hominum generationes, atque homines ipſos infinitos ad hãc vſque diem præceſſiſſe; ergo ſi eorum animæ forent immortales, ac ſingulares in ſingulis hominum, iam eſſent actu infinitæ. Infinitum autem actu, apud Ariſtotelem eſt impoſſibile, vt videre eſt 3. Phyſic. à tex. 40. vſque ad 56. vbi neque in continua, neque in diſcreta quantitate, infinitum actu dari poſſe oſtẽdit: Quod colligitur etiam ex ſecundo phyſic. à textu 75. vſque in finem, vbi multis probat, naturam agere propter finem: & in libris de Cęlo, & paſſim alibi; ergo animas rationis participes gaudere immortalitate, penes eundem, eadem ratione fuerit impoſſibile.

Quod ſi reſpõdeas, Stagiritem 3. Phyſic. & in libris de Cęlo, negare ſolummodo infinitũ actu, in mole corporea: non autem inficiari infinitum in rebus immaterialibus, & intelligentia libus; de quibus ſanè eo loci, nę verbum quidem, cum ibi ſermonem, vt naturalis duntaxat Philoſophus haberet: & quia animæ ſunt materiei, & molis expertes, haud exiſtimatum eſt ab eo inconueniens, in ijs dari infinitam aliquã multitudinem etiam actu, quod eſt infinitum per accidens.

Hæc reſponſio multis machinis oppugnatur: quia non ſatisfacit argumento, nam Ariſt. ſexcẽtis in locis ſimpliciter, nullaque facta diſtinctione ait, naturam reſpuere infinitum; & ſemper præfert finitum ipſi infinito; ita primo Phyſic. tex. 50. contra antiquos Philoſophos, ponentes infinita principia; ait, *infinita autem non: quoniam neque ſcibile erit, quod eſt*: tum etiã, *melius ex finitis, quàm ex infinitis*. & 8. Phyſic. tex. 48. ait, motores orbium, qui ſunt ſeparati à materia, non eſſe infinitos: *Vnum autem magis, quàm multa, & finita, quàm infinita oportet exiſtimare. Eiſdem enim accidentibus ſemper finita magis accipere oportet*: quid ita Stagirites? *quia in ijs, quæ natura ſunt, oportet finitum, & id, quod melius eſt, ſi contingat eſſe magis*: ergo falſum eſt, Ariſtotelem negare ſolum infinitum in corpore, cum id abſolutè inficietur.

Quid? Ariſtotelem, infinitum quocunque modo negaſſe, vel ex vnica eius ratione, lib. 11. Metaphyſ. cap. 9. conuincitur; quo loci aduerſus Pythagoręos, & Platonicos, qui quidẽ infinitum quoddam à ſenſibilibus ſeparatum intrudebant, abſolutè probat, haud vnquam dari poſſe infinitum actu, etiam à ſenſibilibus, materiaque abiunctum, Quia ſi daretur infinitum actu exiſtens, vel eſſet ſubſtantia, vel accidens. Non ſubſtantia, quia tunc infinitum non erit multitudo, aut magnitudo: quod eſt contra rationem infiniti; cum de eſſentia infiniti ſit diuiſibilitas, hæc autem eſt paſſio quantitatis: atque adeò in ſubſtantia, nequit dari infinitum actu. Neque illud infinitum poſſet eſſe accidens, quia antiqui, & præſertim Platonici, ponebant illud eſſe principium rerum omnium: Atqui accidens nequit eſſe principium omniũ rerum.

rerum. Quare &c. Et paullò inferius abſolutè probat, infinitum non poſſe eſſe accidens, quia illud accidens infinitum, vel eſſet magnitudo continua infinita, vel numerus infinitus: Non prius, vt dicebamus, & 3. Phyſic. fusè probatur: Nec poſterius, quia omnis numerus, vel habens numerum, eſt numerabile: ſi verò daretur numerus actu infinitus, haud eſſet numerabilis: neque etiam, ſi cuipiam ineſſet, illud eſſet numerabile: quare numerus actu infinitus dari nullo pacto poteſt.

Sextò, compertum eſt apud Ariſtotelem, & omnium veterum Philoſophorum conſenſu firmatum, *ex nihilo, nihil fieri*. Animæ autem immortalitas, hoc effatum actutū infringit, quia, vt anima immortalitate gauderet, vtique ex nihilo promi, ac procreari deberet: cum enim de ſinu gremioque materiæ educi minimè poſſet, quia tunc penderet ab ea in eſſe, fieri, & conſeruari: & alius producendi modus haud detur, id conſequitur, vt ea ex nihilo producatur. Huiuſmodi verò productionem, quæ creatio eſt, & productio totius entis ex nihilo, conſtanter negaret Philoſophus: nam primo Phyſic. tex. 33. & 34. commendat commune illud decretū omnium Philoſophorum, *quod nihil fit ex eo, quod non eſt*, tex. 75. *mirabile autem eſt hoc, & impoſſibile, fieri aliquid ex eo, quod non eſt*. Et lib. 7. Metaphyſ. tex. 22. *omne, quod fit, ex aliquo, & aliquid fit*. Et 3. de Cęlo tex. 35. & lib. 5. Metaph. tex. 17. & ſexcentis in locis: quare &c.

Deinde, quia eadem eſt ratio de vna, ac de altera eſſentiali parte alicuius compoſiti, quoad productionem: ita vt ſi vna, e nullo præſuppoſito ſubiecto produci poſſit, poſſit & altera. Atqui Ariſtoteles conſtanter inficiatur, materiam primam, quæ eſt altera compoſiti pars, poſſe produci ex nihilo: cum in calce 1. Phyſic. tex. 82. probet, eam eſſe ingenerabilē, & incorruptibilem; quia ſi eſſet genita, eſſet antequā eſſet. Quæ quidem ratio illicò rueret, ſi materia prima poſſet per creationem produci: eadem igitur ratione negaret Ariſtoteles, animam poſſe ex nihilo produci: quinimò eò magis, quò anima eſt perfectior, quàm materia.

Rueret etiam eius demonſtratio, qua libro 8. Phyſic. a tex. 4. conatur demonſtrare motus æternitatem: eo enim loci volens oſtendere, nō dari motum aliquem nouum, & primum, ſed quocumque motu, qui fingatur eſſe primus, dari ſemper alium priorem; ex definitione motus, & ipſa rerum euidētia accipiebat, id, quod mouet, & quod mouetur, debere præexiſtere, vt ſit motus: *quare prius oportet combuſtibile eſſe, antequam comburatur, & combuſtiuum, priusquam comburat. Ergo, & hac neceſſarium eſt, aut facta aliquando eſſe, cum non eſſent, aut perpetua eſſe. Si igitur factum eſt mobilium, ac motiuorum vnumquodque, neceſſarium eſt, prius quàm accepta, aliam factam eſſe mutationem, & motum, ſecundum quem factum eſt id, quod poteſt eſſe motum, aut mouiſſe*. Cuius vis in eo poſita eſt: Vel illud mobile, & mouens ſunt facta, vel ſunt ſempiterna: ſi facta, neceſſè eſt ante illum, qui fingitur eſſe primus motus, fuiſſe alium motum, ac mutationem, per quam ſunt facta, mobile, & mouēs: quare ille, qui accipiebatur eſſe primus motus, non erit primus, ſed alius ipſum anteibit. Quod ſi Ariſtoteles conceſſiſſet, poſſe aliquid produci ex nullo præſuppoſito ſubiecto, & ſine motu, cuiuſmodi eſt creatio, ridiculo ſanè, & pudendo errore irretitus eſſet: Quippè iret quiſpiam obuiam, qui poneret motum eſſe de nouo factum, inquiens, mobile & mouens eſſe quidem facta, non tamen anteire aliam mutationem, per quam ſint facta: propterea quod, facta ſint ex nullo antecedente ſubiecto, & per creationem: quemadmodum fit anima, quæ quidem neque eſt motus, neque mutatio.

Ad extremum, ſi anima rationalis deberet produci ex nullo præſuppoſito ſubiecto, hoc non poſſet fieri ab alio, quàm ab ipſo Deo: quod etiam docuit S. Thomas 1. parte quæſt. 45. art. 5. vbi oſtendit, creare, ita eſſe proprium ſolius Dei; vt in nullā vnquam creaturam, non modò, vt cauſam principalem, ſed nec etiam vt inſtrumentum cadere queat. Si autem crearentur a Deo, omnes ab omni æternitate producerentur: Quippè, cum Philoſophus in ea verſaretur opinione, quod Deus eſſet agens naturale, & in agendo neceſſarium (quod pleriq; Peripateticorum aſſeruerunt) atque huiuſmodi agens, agat ſecundùm vltimum, quod aiunt, ſuum poſſe, produceret omnes animas ſimul ab æterno, quotquot producere poſſet. Animæ autem non ſunt ante corpora, quorum ſunt formæ, ergo &c.

Septimò, nullum indiuiſibile apud Ariſtotelem per ſe vllo motu moueri poteſt: Patet hoc in 6. Phyſic. tex. 80. vbi contra Democritū concludit, *demōſtratis autem his, dicimus, quòd id, quod eſt impartibile, non contingit moueri, niſi ſecundum accidens, vt corpore moto, aut magnitudine, in qua eſt*. Si autem anima eſt immortalis vtiq; etiam

etiam immaterialis, atque adeò indiuiſibilis; & tamen oporteret eam moueri: ſiquidem cũ a corpore ſeparatur, recipienda eſſet alicubi: quò peruenire nequiret, niſi per motum: quapropter indiuiſibile per ſe moueretur. Corroboratur id ipſum, & explicatur magis: Si anima poſſet moueri, aut per ſe, aut ex accidenti moueretur: Non per accidens, nam illæ formæ mouentur per accidens, quæ motione ſubiecti mouentur: animæ autem, per mortẽ adimitur corpus, & ſubiectum. Neque etiam poſset moueri per ſe, quod apertè probat Ariſtot. 1. de Anima: Audi ipſum in tex. 61. *ſecundum accidens autem moueri, vt dicimus eſt, & mouere ſeipſam, vt moueri quidem id, in quo eſt, hoc autem moueri ab anima, aliter autem non eſt poſſibile, moueri ſecundum locum ipſam*, perpendat hoc accuratè, quicunq; animam ſine corpore moueri poſſe contendit, & tunc aſſerat immortalitatem. Tum etiam, cum anima e corpore decidit, qua tandem, obſecro, differentia motus cietur? mouebitur ne ſurſum, an deorſum, an circulariter? Si eruperit ſurſum, erit aer, vel ignis: ſi deorſum, erit aqua, vel terra: ſi rotetur circulariter, erit ex his, & corruptibilis. Nec tibi hoc argumentum leuiuſculum videatur; nam eodem prorſus modo arguit Stagirites contra veteres Philoſophos aſſerentes, animam per ſe moueri: ſic verò inſurgit lib. 1. de anima tex. 40. *Amplius autem ſi quidem ſurſum mouebitur, ignis erit: ſi verò deorsũ, terra: horum autem corporum motus hi: eadem autẽ ratio, & de medijs.* Quare, quicunque dicit, animam ſine corpore moueri, id fingit potius, quã intelligit.

Octauò, ſi diſſolutis corporibus, animæ manerent ſuperſtites, illæ non haberent vnde numericè diſtinguerentur, propterea quod eſſent ſine materia: numerica autem diſtinctio prouenit a materia, ſicut ratio conuenientię a forma. Id, quod docuit Ariſtoteles 12. Metaphyſ. tex. 49. quo loci ait, ſi darentur duo prima principia, quæ ſolo numero differrent, illa debuiſſe conſtare ex materia: quia *quæcunque multa numero, materiam habent*: animæ ergo nexu corporum abſolutæ, differrent inter ſe ſpecie, ſicut intelligentiæ modo, propter eandem rationem differunt ſpecie; vt docet S. Thom. prima parte quæſt. 50. art. 4. & in quæſt. de ſpiritualibus creaturis art. 8. & 2. cõtra Gent. cap. 93. Et multi Theologi propter hoc ipſum ſuſtinent, nec de potentia, quod aiunt, abſoluta Dei, poſſe multiplicari Angelos ſub eadem ſpecie ſpecialiſſima. Quinimò ex eodem fundamento, Themiſtius, & Auerr. poſuerunt vnum intellectum qui omnibus aſſiſteret. Dicere autem animas, a corporibus ſegregatas, differre ſpecie, nõ modò abſurdum, verùm etiam impoſſibile eſt: nã, vel illæ incipiunt de nouo differre ſpecie, cùm a corporibus abiunguntur, vel etiam antea, cũ eſſent in ijs, ſpecie differrebant: ſi primum, ergo illæ corrumpuntur prius: quia nihil poteſt mutari in aliam ſpeciem, niſi prius corrumpatur. Si ſecundum; ergo Petrus, & Paulus modo differunt ſpecie, cum vnumquodque differat ſecundum ſuam formam. Quæ omnia cum ſint abſurda: illud in ſententia Ariſtotelis erit affirmandum, hominum animas, vnà cum corporibus euaneſcere. De qua quidem argumentatione, omninò videndus eſt Auerr. lib. Deſtructio deſtruct. in diſput. 1. in ſolutione 7. dubij; quo loci poſtquam Algazelem, & Auicennam multis exagitarit; quòd animas rationales, & in eadem ſpecie multiplicari, & poſt corporis interitum, ita diſtinctas remanere poſuerint, hęc adiecit. *Nos dicimus, quod ponere animas ſeparatas a materia plures in numero, eſt opinio inconceſſa ab omnibus Philoſophis: immò eſt opinio valdè dubitabilis*: cuius etiam dicti rationem annectit, *cauſa enim pluralitatis, ſeu numeralitatis eſt materia apud Philoſophos, & cauſa conuenientia in multitudine numerali eſt forma*: de qua propoſitione, vide M. Antonium Zinaram in Theorematib. propoſitione 97.

Quò etiam facit, quia ratio ob quam indiuidua multiplicantur in eadẽ ſpecie eſt, quia ſunt caduca, atque corruptibilia: quippè cùm natura V. g. humana in vno aliquo indiuiduo perpetuari nequeat, vt perpetuò conſeruaretur, *compleuit Deus totum, continuam faciens generationem*, inquit Ariſt. lib. 2. de ortu, & interitu textu 59. & Comentator in 2. de Anima, tex. coment. 38. adhæc omninò ſcribit. *Quia igitur Philoſophi viderunt, multitudinem entium in eadem ſpecie, in habentibus formam in materia, ex ſua imperfectione proficiſci, quia natura non poteſt perpetuari ſecundum indiuiduum, ex diuina ſolicitudine, & miſericordia datum fuit, vt alia ſecundum ſpeciẽ perpetuentur.* Et hoc ſanè liquidò apparet in rebus etiam corporeis: quippè Sol, Luna, & reliqui cęlorum, quia corruptioni non ſunt obnoxij, haudquaquam in ſpecie multiplicantur: Si igitur ex hominum animis a corporibus ſeparatis, exploditur omnis corruptibilitas, explodatur oporter etiam omnis eorundem in eadẽ

ſpecie

ſpecie multiplicatio: ad quid enim illas multiplicari, ſi natura animæ, vel in vnica ſolum anima, in omnem æternitatem poſset durare? Præterea, nam omnes rectè philoſophantes, cum introſpicerent, naturam nihil facere fruſtra, euitauerunt multitudinem entium, quoad fieri potuit: & ideò Philoſoph. 1. Phyſic. tex. 50. prætulit opinionem Empedoclis, ponẽtis principia finita, opinioni Anaxagoræ, & Democriti; quiquidem ſanxerunt principia rerum eſse infinita: quia, quod fieri, & ſaluari poteſt cum paucitate principiorum, melius eſt, quam ea, ſine neceſſitate multiplicare. Et ibidem Commentr. hoc ipſum illuſtrat exemplo, ex arte medendi depromptos: quare, ſi anima eſſet incorruptibilis, eiuſque natura, vel in vna poſſet ſaluari, re vera illas non multiplicabuntur in eadem ſpecie.

Nonò, nulla eſt via, quæ Philoſophum eò manuducere queat, vt intelligat, animam eſſe ſubſtantiam aliquam abſtractam, incorruptibilem, atque immortalem: Siquidem, ſi vias omnes, ac rationes, quibus ille in cognitionẽ ſubſtantiarum abſtractarum ductus eſt; ſeduló perpendere velis, reperies, eas non modo minimè conuenire, ſed potius repugnare animæ intelligenti. Triplici hic via, & 8. de Phyſic. auſcult. & 12. Diuinorum eas inueſtigauit. Ex æterna, conſtantique earum operatione, perpetuoque cęlorum motu. Ex eo, quod ſunt aliorum principia, ex quibus omnia pendent: At demum, quod eſſe oporteat aliquid, quod, nec per ſe, nec ex accidenti moueatur. Anima autem intellectiua, neque illam habet conſtantem, ac perpetuam operationem, ſed interruptam, & pauco tempore: quod præterquamquod ſenſu percipimus, docuit Stagirites 12. Metaphyſ. tex. 39. cum de actu intelligendi ait, ita ſe habere Deum ſemper, vt nos aliquando: *& degentia illi optima eſt, qualis nobis pauco tẽpore*. Neque aliorum materialium entium eſt principium, quinimò ipſa de nouo producitur, atque à primis illis, ac ſupernis entibus pendet: & denique, ex accidenti mouetur cum corpore: ex quo igitur is potuit colligere, animam eſse immortalem, ac ſempiternam?

Adhæc, ſi Ariſtoteles 12. Metaphyſ. tex. 30. ſic argumentatur: Intelligentiæ ſunt ſempiternæ, ergo ſunt ſine materia: iam licet ex oppoſito conſequenris, inferre oppoſitum antecedentis: Anima humana eſt in materia, ergo illa non eſt ſempiterna. Item, ſi Philoſophus eodem textu 30. ex eo potiſſimùm capite reprehendit Platonis Ideam, quia illa, cum non haberet, quod cieret corpus; eſſet otioſa, quod, vel ab ipſa natura reſpuitur: eadem ratione reprehenderet animas, à corporibus ſeparatas: quia non haberent corpora, quæ mouerent: atque adeò, ex hac parte eſſent otioſæ. Quid? ſi Stagirites nullam vſquam intelligentiam ſine corpore poſuit, cui ſicuti moto non applicarit; quod etiam in cauſa fuit, vt eodem 12. Diuin. ex numero corporum, motuumque cęleſtium, numerum intelligentiarum venetur: quomodo animas ab omni corpore ſeparatas concederet? præſertim, cum iſtæ ſint minus abſtractæ à materia, quam intelligentię: atque adeò facta comparatione, magis conueniat, eas eſſe cum materia, quàm intelligentias. Si itaq; intelligentiæ, quæ ſunt magis abſtractæ à materia, ſine corpore eſſe nequeunt; multò minus poterunt animæ. Præterea, in 8. Phyſic. tex. 53. ita Philoſophus ratiocinatur; mouens eſt æternum; ergo & mobile æternum: licet & nobis deſtruendo conſequens, ita colligere: corpus, quod mouetur ab anima, caducum eſt, & non æternum, ergo & anima, illud mouens, caduca eſt, & non æterna. Poſtremò, ita ſe habet virtus eſſendi ad eſſe, quemadmodum virtus mouendi ad motum: ſed ex perpetuitate motus colligit Ariſt. infinitatem virtutis mouendi in primo motore, vt 8. Phyſic. & 12. Diuin. videmus; ergo ex perpetuitate eſſendi, ſi anima eſſet in mortalis, colligeretur in ea, infinita virtus eſſendi. Hoc autem eſt impoſſibile, quia infinitas virtutis eſſendi, exigit infinitam eſſentiam.

Decimò, ſi Ariſtot. animam intellectricem conſtitueret immortalem; lubens equidem ſciſcitarer ex eo, an anima iam exuta corpore, eſſet ne perpetuò extra corpus, an verò poſt aliqua ſæcula iterum corpori reunietur? Neutrum ſanè horum admitteret. Quippè eam citra corpus in omnem æternitatem durare, vel ex eo apparet impoſſibile, quia anima naturaliter propendet, & inclinatur ad proprium corpus, eiuſq; vnionem: Et modo rem ita obtingere, docet S. Thomas prima parte quæſt. 76. art. 1. ad 6. & prima ſecundæ quæſt. 4. art. 5. Et ratio in manu eſt: tum quia eſſe in corpore, eſt animæ naturale: vide *ſicut corpus leue manet quidem leue, cum a loco proprio fuerit ſeparatum, cum aptitudine tamen, & inclinatione ad proprium locum: ita anima humana, manet in ſuo eſſe, cum fuerit à corpore ſepa-*

ſeparata, habens tamen aptitudinem, & inclinationem naturalem ad corporis vnionem, inquit Sanctus Thomas in illa reſponſ.ad 6. Tum etiam, quia anima ex vnione ad corpus, obtinet quandam perfectionem extenſiuam. Omnia verò naturaliter inclinantur ad ea, vnde ſibi perfectionem aliquam nanciſcuntur. Et denique, quia anima eſt pars; pars autem naturaliter fertur ad totum. Cum itaque anima ſuperſtes haberet naturalem propenſionem, ad corporis vnionem, ſequitur quod extra illud violẽter detineretur, & cum nullum vnquam violentum perpetuetur, vt 2. de Cęlo, tex. 18. docet Ariſt. & latè Zimara theoremate 19. profectò anima non poſſet extra corpus infinita ſæcula permanere, Et propter hanc fortaſsè rationem, quidam Philoſophi, qui animas fatebantur immortales; dixerunt eas, quamuis vnà cum corporibus haudquaquam intereunt; nihilominus, vel paullò poſt, vel longo poſt tempore emori, & extingui: inter quos Stoici crediderunt ineruditorum animas, corporibus ſolutas paulatim debilitari, ac perire: ſapientum verò vſque ad vniuerſi conflagrationem perſeuerare.

Neque etiam alteram argumentationis partem, nempè animam, aliquando corpori reuniri admitteret Ariſtoteles, cum ille pro firmiſſimo habuerit, à priuatione ad habitum non eſſe regreſſum; quinimò lib. 1. de Anima tex. 41. ſpeciatim de anima id pro impoſsibili ducit; quando aduerſus antiquos Philoſophos probare contendit animam per ſe non moueri: *Si anima, inquit, mouetur, & egreſſa iterum ingredi continget: ad hoc autem ſequitur, vt reſurgant mortua animalium.*

Vltimò, Stagirites eundem exiſtimauit ortum, & interitum hominis, & ceterorum animantium: ergo, quemadmodum illorum formę extrahuntur de potentia materiæ, vnàque cum corporibus corrũpuntur, & euaneſcunt: ita hominis forma ſimul cum eo orietur, & ſimul occidet. Antecedens vel ex eo apparet, quia in vno, eodemque libro, cui inſcriptio de generatione animalium, complexus eſt, & hominis, & reliquorum animalium ortus, & interitus. Si autem anima eſſet illi immortalis, eiuſque ortus ab eo diſsimilis, ac diuerſus, quo aliæ formę producuntur; alio ſanè loco, hoc argumentum tractaſſet.

Tandem, ſi vnquam Stagirites intelligentẽ animam corruptionis expertem, exiſtimaſset: de illa vtique, eiuſque ſtatu poſt corporis interitum diſſeruiſſet alicubi: qui enim credi poteſt, vt Ariſtoteles, tam ſedulus diligenſque naturæ operum indagator, qui in arduis quibuſque naturæ arcanis, quoad eius fieri potuit enucleandis, tantum inſudauit, hanc tam arduã, tamque celebrem difficultatem de anima, de eius ſeparatione, actione, ſtatu poſt corporis diſſolutionem, tacitus prætererit? non ne hęc diſceptatio illis adhuc temporibus vehementer agitabatur? Hinc Stoici, ac Pythagoræi, poſt eos, Socrates, ac demum Plato animorum immortalitatis non aſſertores modo, ſed acerrimi etiam propugnatores, ac vindices ſtabãt. Hinc humanam animam interitui obnoxiam eſſe, perfractè ac pertinaciter tenuit Epicureorum grex, quem etiam tunc plurima ſequebatur turba: Inter hæc opinionum diſſidia, & acres ſectarum altercationes, Ariſtoteles tacuiſſet? minimè ſanè; quinimò poſteriori ſententiæ adhæſiſſe apertè viſus eſt, quando 2. de anima tex. 26. concludit; *iccirco rectè admodum putant ij, quibus anima neque eſſe ſine corpore, neque corpus aliquod eſſe videtur.* Quò etiam illud facit; quòd ea tempeſtate magna diligentia vulgò peragebantur inferiæ, & ſacrificia pro animabus, earundem euocationes, campi elyſij, pęnæ, præmia, idque genus alia, de quibus ideo Philoſophus ne verbum quidem protulit, quia omnia fabuloſa, ac nugatoria exiſtimauit. Et ideò ſecundo Diuinorum aiebat; in legib. plurima eſſe puerilia. Et multa fortaſsè pro animæ interitu, ac mortalitate etiam ex induſtria ſcripſiſſet, niſi iudicium publicum timuiſſet. Hæc ex Philoſophi fundamentis colliguntur: Enimuerò quæcumque alia, ſeu Pomponatius, ſeu Portius, ſeu quiſquis alius conglomerauit argumenta, ad hæc omninò, (aut ergo fallor) reducuntur: & horum ipſorum confutatione, illa etiam confutantur. Quæ quidem etſi ſatis denſas errorum tenebras Stagiritæo ſplendori offundunt, obruent nunquam: quinimò hiſce omnibus diſruptis, longè clarior, illuſtriorque erumpit: quod vt præſtetur, ſit.

SE-

SECTIO SECVNDA.

Expenditur prima Ariſtotelis demonſtratio, ex tertio de Anima, qua probat, intellectum poſſibilem eſſe corpori immixtum, eóque immortalem.

INTER omnia, quæ de anima & quæri, & negotium facessere conſueuerant, illud præcipuum, ac veluti palmare ab Stagirite in exordio librorum de Anima proponebatur, num oẽs animæ eſſent eiuſdẽ, vel diuerſi generis? *Et verũ ſit ſimilis ſpeciei omnis anima, an non: ſi autẽ non ſimilis ſpeciei; vtrum ſpecie differant, an genere?* tex. 7. An videlicet omnes ſint materiales: an verò hæ quidem, hæ autem non? & quia ſatis oſtenderat vegetatiuam, & ſenſitiuã eſſe eiuſdem generis, quoniã vtraq; materialis; idcircò ſermonem facturus in 3. lib. de anima intellectiua, neceſſe habuit, quęſtionẽ hanc enodare, & præcipuam differentiam inter animam Intellectricem, & alias animæ partes in mediũ afferre: Et quamuis in lib. 2. tex. 21. obiter mẽtem ſuam hac de re indicaſſet, quando aiebat, intellectum videri, ſeu apparere aliud animæ genus, & hoc ſolum poſſe ab alijs ſeparari, non quidem loco, & ſubiecto, ſed ſicuti perpetuum a corruptibili: nihilominus in 3. libro, vbi erat proprius locus agendi de intellectu, debuit ex profeſſo ſententiam ſuam, non aperire modò, ſed quoad eius fieri poſſet, rationibus etiã comprobare: nempè intellectum eſſe formam immaterialem, & ideò eſſe *aliud animæ genus*, & *nõ ſimilem ſpeciei*. Hæc ergo eſt concluſio ibi Ariſtotele ad demõſtrandum propoſita, nimirũ intellectum non eſſe mixtũ cum corpore: quod eſt, non eſſe formam materialem: vt tandem ſit aliud animę genus. Quod quidem ſtruit tribus potiſſimùm rationibus (quicquid alij dicant) quarum vna depromitur ex intellectus capacitate: altera ex eiuſdem immutabilitate: tertia demum a defectu, & carentia organi.

Age nunc, diuina ope, & implorata, & freti, vnamquamque ſingillatim perpendamus. Prima iacet in tex. 4. his omninò verbis. *Neceſſe eſt itaque, quoniam omnia intelligit, immixtum eſſe, ſicut dicit Anaxagoras, vt dominetur: hoc autem eſt, vt cognoſcat: nam iuxtà apparens prohibet alienum, & intercludit.* Ita formamus; Si intellectus humanus, non eſſet forma immixta corpori, non intelligeret omnia: (nempè formas materiales, reſque corporeas.) Atqui intelligit omnia, eſt igitur forma corpori immixta: Quod ſi immixta, ergo immaterialis, & aliud animæ genus. Primam enuntiationem, in qua rei vertitur cardo, probat auctoritate, & ratione: auctoritas eſt Anaxagoræ; qui ſolus, vt Diſput. proximè præcedenti, ſect. 5. vidimus, poſuit intellectum haud eſſe compoſitum, & ex principijs rerum omnium commixtum, ſicuti reliqui Philoſophorum arbitrabantur. *Anaxagoras enim ſolus impaſſibilem dicit eſſe intellectum, & nihil commune vlli aliorum haberet* 1. de Anima, tex. 13. & 31. Ratio autem eſt, quia *intus*, ſeu, *iuxtà apparens prohibet extraneum, & intercludit*.

Veruntamen verò, priuſquam hanc Ariſtotelis rationẽ accurata trutina penſitemus, nõ oſcitanter animaduerte, S. Thomam ita hunc locum expoſuiſſe, quod Anaxagoras poſuerit intellectum eſſe principium totius motus, a quo omnia mouerentur, ſecundum eius imperiumq; potiſſimum ratione permotus, quia, ſi ille eſſet mixtus ex naturis corporalibus, vel ſi vnam aliquam earum determinatè haberet; non poſſet vtiq; omnia imperio ſuo mouere: quocirca intelligit hoc de intellectu primo, nimirum Deo. *Et hoc eſt*, inquit S. Thom. *quod dicit Ariſtoteles, Anaxagoram poſuiſſe intellectum, vt imperet, vt ſuo nimirum imperio omnia moueat; ita vt quaſi dicat Ariſt. per comparationem ſicut Anaxagoras poſuit intellectum eſſe immixtum, ad hoc, vt imperet, ita oportet nos ponere intellectum eſſe immixtum, ad hoc, vt cognoſcat.* Hæc S. Tho. quam quidem interpretationem amplexati ſunt poſtea ſexcenti alij.

Sed profectò, venia tanti viri, ſecus eſt Philoſophi mens. Primò, quia nulla in textu apparet comparatio, imò verò tantum abeſt, quod Ariſt. quicquam hic comparet, vt potius vocẽ illam Anaxagoræ, *vt imperet*, ſeu, *vt dominetur*, (de qua tamen mox nonnihil audies) explicet ſubnectens: *hoc autem eſt, vt cognoſcat*: quod longè aliter fieri deberet; ſi quicquam hic compararetur; vt nemo neſcit.

Præterea, quænam foret proportio, quiue docendi modus, vt Philoſ. ſermonem hic inſtituens de intellectu noſtro, quo anima ſapit, & cognoſcit omnia; intruderet intellectũ primũ, ac diuinum? Quod quidem adeò clarum, & conſpicuum eſt, vt ipſe etiã S. Th. hæc omninò ſubnectat: *Sed quia nunc nos nõ loquimur de intellectu, qui omnia mouet, ſed de intellectu, quo anima intelligit, illud medium non eſt opportunum ad oſtendendum intellectum eſſe immixtum.* Ita

O eſt

Digitized by Google

eſt Sanctiſſime Doctor: non vtique eſſet opportunum: quinimò abſonum, maximèque importunum, ſi de primo intellectu, ac Deo, intelligeretur: ſed quia non de eo, ſed de humano capitur; ideò quammaximè opportunum; nec Ariſt. id attuliſſet, niſi apprimè foret accommodatum, & opportunum.

Quod ſi dicas, quo vnquam pacto in rem cadit, ſi Anaxagoras nomine intellectus, intelligebat primum intellectum, & cauſam rerum omnium effectiuam, Deum?

Oſtendi jam in Diſputatione præcedenti, Sectione 5. Anaxagoram, nomine intellectus, duo intellexiſſe, primam rerum omnium cauſam effectricem; & intellectum humanum; quē etiam poſuit incorruptibilem, atque immortalem: De hoc ſecundo capit hic Ariſtoteles intellectum, vbi agit de intellectu humano. Quia verò, quoad intellectus immortalitatē, iuit in ſententiam Anaxagoræ; ob id vtitur eius auctoritate, *& eum ſuper hoc laudat*, vt inquit Auerr.

Sed explicatio illa S. Thomæ, quantum equidem conijcio, vim hauſiſſe videtur, ex illis verbis Anaxagoræ, hic ab Stagirite allatis: *vt imperet, ſeu vt dominetur* (quippè hoc non niſi in primum intellectum cadere videtur) Vtrunque latini codices habent. Sed vtrunque parum ſyncerè translatum: Quid ita? græcè iacet *ἵνα κρατῇ*: modo hæc vox, *κρατῶ*, non ſolum vulgari illa ac pertrita ſignificatione pollet *imperare*, ac *dominari*, ſed inter alia ſignificat, teneo, capio, apprehendo. Vide theſaurū linguæ Græcæ. Itaque Anaxagoras poſuit intellectum noſtrum impermixtum a corpore *ἵνα κρατῇ*, vt teneat; (dicimus verò communi conſuetudine, teneo, ideſt intelligo) capiat, & apprehēdat.

Eo magis inclinor ad hoc aſſerendum, quia cum Anaxagoras hac de re carminibus loqueretur, conſonum videbatur, vt verba communiori ſignificatu tātiſper euitaret; ita enim hac in parte fieri amat. Quia igitur Philoſophus videbat in illo Anaxagoræ verbo, *ἵνα κρατῇ*, ineſſe quādam obſcuritatem, ac dubietatem, ob id, vt optimus magiſter expoſuit annectens, *hoc autem eſt, vt cognoſcat*. Hinc vides, & quomodo omnia ad intellectum humanum accommodētur; & quàm parum aptè habeant latini textus, *vt imperet, &, vt dominetur*. Hanc meam ſtructuram, ſi tibi arriſerit; boni conſule: ſin aliter, in veteri maneas æquo animo.

Sed iam ad rationem Ariſt. accedamus, qua illam ipſam maiorem propoſitionē confirmat: Si intellectus non eſſet immixtus corpori, non intelligeret omnia, *quia quod intus apparet, alienum prohibet, & intercludit*: ita formetur. Omne quod eſt in potētia ad aliquod, & receptiuū illius, denudatum eſſe debet ab eo, ad quod eſt in potentia, & cuius eſt receptiuum. Intellectus noſter poſſibilis eſt in potentia ad res omnes ſenſibiles, & corporeas, earumque receptiuus; denudatus igitur eſt ab omni natura ſenſibili, & corporea. Vlterius, omne denudatum a quacunq; natura ſenſibili, & corporea, eſt ſeparatū & corpori immixtū: ergo ſi intellectus eſt denudatus, erit ſeparatus, & immixtus corpori.

Vtramque propoſitionem huiuſce Ariſtotelicæ demonſtrationis, per ſe notam exiſtimat Commentator com. 4. & quod intellectus poſſibilis ſit formarum, rerumque omnium materialium receptiuus (quid enim ille non capiat) & quod omne recipiens debeat eſſe denudatum a natura recepti. *Si enim recipiens*, inquit ille, *eſſet de natura recepti; tunc res reciperet ſe, & tunc mouens eſſet motum: vnde neceſſe eſt, vt ſenſus recipiens colorem, careat colore, & recipiens ſonum, careat ſono; & hæc propoſitio eſt vera, & ſine dubio.* Et ex 3. de Cęlo, com. 67. hæc colligūtur: ſi fuerit aliquod ſubiectum receptiuum omnium formarum, oportet vt illud abſolutè, ac ſimpliciter ſit ſpoliatum omnibus formis, ita vt nec earū aliquid ſit, nec ex illis ſibi proprium quicquam habeat; ſed habeat ſe indifferenter ad omnes: quo pacto materia prima, quia eſt receptiua omnium formarum, ita eſt omnibus formis exuta, ac denudata, vt nullam vnquam ſubſtantialem formam, an perfectam, an imperfectā contineat: ſi verò fuerit aliquod ſubiectum, quod non ſit receptiuum omnium formarum ſimpliciter, ſed quarumdam ſolummodo; non oportet huiuſmodi ſubiectum eſſe denudatum ab omni forma ſimpliciter; ſed ab ea ſolum, vel ab ijs formis, reſpectu quarū dicitur receptiuum: Et hoc pacto elementa, quæ ſunt ſubiecta receptiua formarum mixtorum corporum, ab illis ſolum oportet eſſe denudata; ſed non eſt opus, vt omni forma abſolutè ſpolientur: habēt enim hæc proprias formas. Quia igitur intellectus poſſibilis eſt abſolutè receptiuus omnium formarum, rerumque materialium; erit profectò ab omnibus illis denudatus, ac impermixtus, quò poſſit illas recipere, ac intelligere.

Experitur hoc quiſq: dum manus calida, æqualem ſibi calorem non ſentit; Hinc Ariſt. 2. de Anima tex. 118. *æqualiter calidum, & frigidū*

aut

Digitized by Google

[illegible] *non ſentimus*; nam ſenſus tactus percipit excedentes qualitates; & quouſque ſonus aliquis in auribus noſtris ex percuſſione cuiuſpiam tiniat; alium non poſſumus audire; quocirca Philoſophus in eodem 2. de Anima, tex. 71. *Eſt autem coloris ſuſceptiuum, quod ſine colore: ſoni autem abſonum*, & tex. 83. *per ſe igitur ſoni expers eſt aer.* Et ex Cõment. ibi, quemadmodum, ſi diaphanum haberet colorem, non reciperet colores; ita, ſi aer haberet ſonos, non reciperet ex ſe ſonos. Et ſicut lingua alicuius febre vexati, quæ amaro quopiam humore eſt infecta, nequit percipere dulcẽ ſaporem, quod eſt exemplum S. Thomæ ſuper hunc Ariſt. locum, & in prima parte quæſt. 75. art. 2. Et ſicut ſi quiſquam determinatus color ſit, non ſolum in pupilla, ſed etiam in vaſe vitreo; liquor infuſus eiuſdem coloris videtur, vt inquit idem S. Doctor prima parte, quæſt. 75. art. 2. Sic intellectus, ſi haberet aliquam naturam determinatam corpoream: natura illi congenita, prohiberet eum à cognitione aliarum naturarum. Immò verò ipſe Aphrodiſienſis lib. 2. de Anima, cap. 13. de intellectu materiali loquens; ſic habet. *Id enim quod omnia apprehendere debet, nullũ ex ijs propria natura actu eſſe oportet; apparens enim oblata propria forma illius in externarum rerum apprehenſionibus, earum intellectionibus eſſet impedimento: neque enim ſenſus ea percipiunt, in quibus ipſorum eſſentia verſatur; propterea igitur viſus, qui colores apprehendit, habet organum coloris expers, in quo verſatur, & per quod apprehendit; quin etiam olfactus ex aere, qui inodorus eſt, cum ſit odorum apprehenſiuus, atque etiam tactus, ea, quæ æquè ac ipſe calida, vel frigida, ſeu dura, ſeu mollia ſunt, non ſentit: ſed ea ſentit, ac percipit, quæ magis aut minus immutata ſunt.* Adeò, vt iam in Scholis commune dominetur enunciatum, *omne recipiens, debere eſſe denudatum a natura recepti*: de quo paullò inferius, non nihil.

SECTIO TERTIA.

Propelluntur Aduerſariorum euaſiones: tum confutantur nonnulla dubia, quæ circa præfatam Ariſtotelis rationem excitantur.

CAETERVM hæc Ariſtotelicę demonſtrationis ſtructura, ita a nobis compacta, & illuſtrata, multiplici machina ab Aduerſarijs quatitur. Principio, Alex. vt refert Philoponus in 3. de Anima ad tex. 1. aiebat, intellectum idcirco vocari immixtum, quia omninò careat conditione, quam mixta participare debent, & ea eſt, vt quæ miſcenda ſunt, prius in ſe, ac ſeparata fuerint: inde miſceantur. *Ecce enim in mulſo primùm quidem erat mel per ſe, & vinum, & ſic deinde commixta ſunt.* Atqui intellectus haud eſt ante corpus, ſed cum eo ſimul fit: ob id ergo ab Stagirite appellatur immixtus.

Equidem, vt ingenuè fatear, nunquam adduci poſſem, vt crederem hanc reſponſionem eſſe Alexand. ni eam auctor, & fide, & auctoritate integerrimus, Philoponus adduxiſſet. Huius quippè abſurditas, vel ex eo apparet, quia hac ſignificatione etiam ſentiens, ac vegetans anima, earum facultates, & omninò quæuis caduca, atque abiecta forma, immixta dicenda foret, cum nulla forma præſit ei, cuius eſt forma: nam, *quæ ſunt vt ratio, ſimul ſunt*, ex lib. 12. primæ philoſophiæ tex. 16.

Quapropter alij, vt Pomponatius lib. de immortalitate Animæ, cap. 9. Portius libello de mente humana cap. 13. Zabarella de mẽte itidem humana cap. 9. & nonnulli recentiorum aiunt, intellectum appellari ab Stagirite immixtum, reſpectu obiectorum intelligendorũ: non autem ſecundum eſſe: ex qua quidem immixtione obiectiua, haudunquam deduci poteſt, eum eſſe abſolutè, & ſecundum eſſe a corpore ſeparabilem. Cum ſit principium operãdi toti corpori.

Quam quidem doctrinam, vt penitius introſpicias, & nos validius ſyncerinſque impugnare poſſimus, lubeat ipſis eorum verbis explicatam audire; quia verò inter omnes eius fautores, planius, ac fuſius eam proſequitur Zabarella, eum audi, capite illo 9. in reſponſione ad ſextum argumentum. *Ad ſextum argumentum, ſumptum ex contextu quarto, & ſexto, tertij libri de Anima, dicimus, intellectum dici poſſe commiſtum corpori, vel immiſtum duobus modis: Vno modo ſecundum eſſe: altero modo ſecundum operationem. Et hoc adhuc duobus modis, vel enim ratione obiecti recipiendi, vel ratione corporis, quo vtatur ad recipiendum: adeò vt tribus modis poſſit dici intellectus commiſtus, vel immiſtus: ſed primus modus non fuit ab Ariſtotele conſideratus in tertio libro de Anima: quoniam ibi propoſuit ſibi conſiderandam naturam intellectus reſpectu operationis tantum, non ſecundum ſuum eſſe, iam dixerat in principio ſecundi libri,*

omnem animam eſſe actum primum corporis naturalis organici, hoc eſt, formam informantem: quare neceſſe eſt, intellectum hac ratione eſſe cum corpore commiſtum: non quidem vera mixtione, quæ non eſt niſi corporis cum corpore, ſed illa, quæ competere poteſt incorporeo cum corporeo: nam forma, corpus aliquod conſtituens, inſinuat ſe in omnes partes materiæ, in qua ineſt: & ita dicitur commiſceri cum materia. Sic igitur intellectus ſecundum ſuum eſſe non eſt immiſtus, ſed potius commiſtus cum corpore, prout nomine commiſtionis nil aliud denotamus, quàm veram materiæ informationem, & conſtitutionem ſpeciei. Ratione autem obiectorum recipiendorum, intellectus eſt immiſtus: quia in ſua natura non habet aliquod ex obiectis recipiendis: nam intus apparens prohibet alienum, vt inquit Ariſtoteles in illo contextu quarto tertij libri. Quare ſi in ipſa eſſentia intellectus contineretur aliquod ex obiectis recipiendis, prohiberetur alia recipere: quemadmodum materia prima, ſi in ſua natura formam aliquam haberet, nullam poſſet aliam recipere. De hac tantum immiſtione loquitur Ariſtoteles in eo contextu quarto, tertij libri, vt manifeſtiſſimum eſt: neque ex illa poteſt inferri immiſtio cum corpore ſecundum eſſe, quoniam etiam cuilibet ſenſui competit talis immiſtio, reſpectu ſui obiecti: organum enim viſus, recepturum colores, debuit eſſe ſine colore: & ſic de alijs. Attamen certũ eſt, ſenſum eſſe formam materialem, & verè informantem materiam. Quare ex illo quarto contextu, nullum poteſt argumentum pro Auerr. ſumi, ad probandum, intellectum non eſſe formam informantem. In ſexto autem contextu loquitur Ariſtoteles de altera immiſtione reſpectu operationis: nempè quæ opponitur illi commiſtioni, ex qua inferretur, intellectum eſſe organicum. Huc uſque Zabarella: in quaquidem ferè permulta ſunt, quæ veritati aduerſantur: ex multis quàm pauca tangam, & ea quidem, quæ rem de qua agimus, apprimè concernunt.

Primum itaq; manifeſtè falſum eſt, id quod hi ceu ſolidum totius machinationis ſuæ fundamentum iaciunt: nempè Ariſtotelem in 3. de Anima libro, haudquaquam conſiderare intellectum, quoad immixtionẽ, & ſeparationem ſecundum eſſe: ſed quoad operationem duntaxat. Immò verò vtrumque conſiderat, & de vtroque inſtituit agere: Audi eius propoſitionem. *De particula autem animæ, qua & cognoſcit anima, & ſapit, ſiue ſeparabili exiſtente, ſiue non ſeparabili ſecundum magnitudinem, ſed ſecundum rationem, conſiderandum eſt, quam habet differentiam*: Hic eſt de ſeparatione ſecundum eſſe, *& quomodo tandem fiat ipſum intelligere*. Itaut Ariſtot. duo hic enucleanda proponat; Quo pacto hæc particula a cæteris diſtinguatur. Et quomodo fiat intellectio. Prius ad eſſe, poſterius ad operationem attinet.

Quidſi ſi accuratè perpendas præfatum textum, trimembris videtur: adeò vt auctor ſibi proponat agenda: nempè, conſiderandum eſt de particula animæ, qua anima cognoſcit, & ſapit, ſiue ſeparabilis ſit ſecundum magnitudinem, ſiue non: ſed ſecundum rationem. Tum, quam habet differentiam. Poſtremò, & quomodo tandem fiat ipſa intellectio. Cuiquidem expoſitioni, præterquamquod eſt Simplicij, & Philoponi, apud quem hæc legimus: *Itaque in anima rationali, tria quærit Ariſt. Primùm quidem, an ſit corruptibilis, vel incorruptibilis. Secundò autem, rationalem animam diſcernit a ſenſu. Tertiò, quomodo fiat ipſum intelligere.* Suffragantur etiã duo. Alterum, quòd particula expletiua, *tandem*, minimè amat apponi in altera parte orationis bimembris. Alterum, in oratione, quæ multis inciſis coaleſcit, non niſi in vltimo colo adijcimus particulam, *&*. Vtrunque in hoc textu perpende. Hinc, vide, quàm ſtolidum (ſolidum volebam dicere) fundamentum ſuæ machinæ iaciunt: Quod Ariſt. in 3. lib. de Anima: *haud ſibi propoſuerit conſiderare intellectum, ſiue eius immixtionem, & ſeparationem ſecundum eſſe: ſed propoſuerit conſiderandam naturam eius, reſpectu operationis tantum.*

Propius iamque ipſam obiectiuam intellectus immixtionem, quaquidem illi, veluti orci, quod aiunt, galea ſeſe obtegunt, paucis penſitemus. Et primò, immixtio intellectus ſubiectiua, neceſſariò conſequitur ex illa obiectiua: quod oſtendi poteſt, per locum ex oppoſito conſequentis, ad oppoſitum antecedentis. Enimuerò, ſi intellectus eſſet materiæ, & corpori commixtus ſubiectiuè, tunc eſſet quoque commixtus rebus intelligibilibus; atque adeò obiectiuè: ſiquidem eſſet immixtus corpori, diſpoſitionibus materialibus, & alijs accidentibus. Hæc autem omnia ſunt res intelligibiles, cum intellectus omnia intelligat. Quamobrem ſi hic eſt immixtus omnibus rebus intelligibilibus, & obiectiuè, erit etiam immixtus a corpore, & ſubiectiuè.

Præterea, ſi intellectus poſſibilis haud eſſet ſubiectiuè, & ſm̃ eſſe, corpori impermixtus, eſſet [illegible]

forma

forma materialis: Hoc ψυχόδωται illi etiam contendunt: ergo non intelligeret, niſi particularia: omne quippè materiale, non niſi particularia recipere, non ſemel teſtatum reliquit Philoſophus. Nec ſanè alia ratione ſenſus attingunt ſolummodo particularia, niſi quia ſunt formæ materiales. Quid? ſi hic eſſet forma materialis, quid opus abſtractione rerum a materia, vt intelligeret? Porrò abſtractio a materia, illi foret impedimento, quia res redderet illi improporcionatas: cum tamen auctore Philoſopho 3. de Anima tex. 11. *omninò vt ſeparabiles res ſunt a materia, ſic quæ circa intellectum.*

Nec Antagoniſtarum euaſio vllam huic argumento fert opem, aientium, cognitionem vniuerſalium eſſe quidem propriã intellectus operationem, & fieri cum abſtractione: eòque in ipſo etiam intellectu, requiri quidem aliquã abſtractionem, non tamen ſecundum eſſe, verũ ſecundum operationem: Ea enim ratione eſt abſtractus, quatenus in operãdo eſt abiunctus ab organo: & hoc ſatis eſſe, vt vniuerſalia intelligere queat. Hinc Zabarella cap. 9. *quando, aiunt, dicunt, intellectus cognoſcit vniuerſalia, ergo eſt abiunctus a materia: ſi intelligant abiunctionẽ ab organo, in operando, concedimus omnia: at ſi intelligant ſecundum eſſe, negamus conſequentiam: quia ex abſtractione vniuerſalium, nil aliud inferri poteſt, quàm intellectum non eſſe organicum; nam organũ reſpicit operationem.*

Quid habeatur ex carentia organi intellectus, multis infra diſcutiemus: nunc præfata ſolutio ita refellitur. Intellectus poſſibilis eſt immixtus corpori, quo ad operationem, ergo immixtus etiam quo ad eſſe: conſecutio ex eo apparet, quia vnumquodque ita operatur, ſicut eſt: & modus operandi conſequitur modum eſſendi, ſi itaque intellectus eſt immixtus corpori in ſua operatione, erit & in ſuo eſſe.

Hæc ipſa opinio multis incommodis vrgeri poſſet, quæ nunc miſſa facio, quòd hoc vno exiſtimem, eam funditus, aut ego fallor, euerti. Intellectus poſſibilis, de quo idem ipſe Zabarella hæc omninò committit litteris in lib. de mente humana, cap. 13. *Senſus eſt inaffectus, atque immiſtus non omninò & abſolutè: ſed, vt aiunt, ſecundum quid: hoc eſt, non ratione omnium rerum, ſed ſolum ratione ſui obiecti, quod non eſt omne ens, ſed ſtatutum quoddam entis genus: quum enim viſus per proprium corporeum organum operetur, debuit quidem illud eſſe ſine colore, at non debuit eſſe ſine ſapore, & ſine tactilibus qualitatibus: quare viſus non eſt penitus immiſtus reſpectu rerum omnium, ſed eſt naturaliter affectus certis qualitatibus, quas cum alijs rebus communes habet: At intellectus, quia res omnes cognoſcere aptus eſt, debuit omninò, & abſolutè, & reſpectu omnium eſſe inaffectus, & cum nulla alia re quicquam habere commune: eſt igitur abſolutè, & penitus immiſtus cum aliarum rerum naturis, vt eas omnes intelligere poſſet:* Hic inquam intellectus, vel eſt in ſe ens quoddam reale, vel ſolum quæpiam animæ aptitudo, & præparatio ad res omnes percipiendas; vt opinatus eſt Alexand.

Eum non eſſe animæ aptitudinẽ, ac præparationem, Zabarel. ipſe immaniter deteſtatur, & ex eo etiam probat in cap. 14. Quia aptitudo non patitur, neque recipit, ſed eſt ratio patiendi, ac recipiendi: quemadmodum etiam id, quod materiales formas recipit, non eſt potentia primæ materiæ, ſed materia ipſa potens; potentia verò eſt ratio recipiendi: cum igitur Ariſt. in 3. lib. de Anima dicat, intellectum pati, & recipere, abſurdum eſſet, ſi de aptitudine, ac facultate animæ diceretur. Quanquam, vt hoc tangã, immeritò hic auctor confundit aptitudinem, & facultatem, atque adeò opinionẽ Alex. & S. Thomæ. *At nobis alia voce pſitacus, alia coturnix loquitur.*

Eundem, non eſſe formaliter ipſam animæ ſubſtantiam, vel hinc apparet, quia intellectus eſt immediatum principium intelligendi: *dico enim intellectum, quo intelligit, & exiſtimat anima,* inquit Philoſoph. 3. de Anima, tex. 5. At nulla ſubſtantia limitata, potis eſt eſſe immediatum principium operandi: quoniam ea indifferenter ſe habet ad munus intelligendi, volendi, ſentiendi &c. Quid? quomodo intellectus eſſet immixtus omnium aliarum rerum naturis, quemadmodum hic auctor fatetur, ſi eſſet forma, & ea quidem, ſi eos audis, materialis? quomodo omnia intelligeret? Porrò non intelligeret ſaltem alias formas, cum intus exiſtens, prohiberet extraneum. Relinquitur ergo vt intellectus, ens nempè illud reale; *& abſolutè, ac penitus immixtum, cum aliarum rerum naturis,* ſit animæ intellectricis facultas, an re ipſa, an ex naturâ rei ab ea diſcriminata: & quia immediatè in anima ſubſidet, meritò appellatur immixtus, non modo penes obiecta: verũm etiam ſecundum eſſe. Quodquidem diuinus præceptor, ſolicitus repetit in tex. 6. apertè inquiẽs. *Vnde non eſt rationabile, intellectum eſſe mixtum cum corpore:* Audin'? cum corpore.

Quinimò reticendum non eſt, Ariſtotelē multò artificioſius hic proceſsiſſe, dum ait, intellectum eſſe corpori immixtum, quàm ſi planè dixiſſet, illum eſſe immortalem: ſiquidem non eſſe mixtum cum corpore, eſt cauſa propria immortalitatis: ſicut e regione eſſe mixtum cum corpore, eſt cauſa interitus. Et quia magis ex arte, ac ſignificantius quiſpiam loquitur per cauſam, quàm per effectum, icircò longè artificioſius, longèque præclarius locutus eſt Ariſt. inquiens, intellectum non eſſe mixtum cum corpore, quàm ſi conceptis verbis dixiſſet, eum eſſe immortalem.

Erumpunt alij, qui ſe ſynceriores Aphrodiſæi ſectatores, ac penè iuratos profitentur; aientes, intellectum potentia nuncupari immixtū; quia eſt nullum ens actu, ſed tantum aptitudo quæpiam, eiuſmodi Entelechiæ, formarum, & intellectionū ſuſceptiua. Ecce *αὐτόφωτον* Alexandri in lib. 1. de Anima, cap. 24. *Solum igitur materialis intellectus facultas, & promptitudo quædam eſt, ad formas excipiendas; tabellæ nondum inſcriptæ perſimilis: quinimo ipſius tabellæ ἀγράφου, hoc eſt, inſcriptionis carentia, quàm tabellæ ſimiliori, &c.* quapropter intellectus, *qui nec per corpus res apprehendit, nec corporis poteſtas eſt, neque patitur, neque demum eſt aliquod ens actu, hoc aliquid fieri non poteſt*, inquit idem auctor lib. 2. eiuſdem operis cap. 14. eòque immixtū.

Hanc Alexandreorū opinionē, pluribus cōfutauimus Diſput. 9. ſect. 3. quæ nunc in mediū afferre, & longum eſt, & non neceſſarium: Si enim recolit qui hæc legit, quid ibi egerimus, nō etiam hic eadem repeti expectet. Enimuerò, etſi intellectus poſsibilis, in genere intelligibilium eſt pura potentia, nihilominus in genere entis, eſt hoc aliquid, actus, & forma. Quod quidem vel ex eo apparet, quia Philoſophus 3. de Anima, vt arguit Comment. ait, hunc intellectum eſſe ſeparabilem, nullum habere corporeum organum, eſſe ſimplicem, impaſsibilē, commendat Anaxagoram, quòd eum ſtatuerit corpori immixtum: Quæ omnia niſi de aliquo ente in actu, vera eſſe nullo pacto poſſunt: quare &c. ſed

Nunc diluendæ ſunt aliquæ difficultates, quæ dictam Philoſophi rationem vellicare videntur, potiſsimùm verò illam enūciationem, in qua tota eius vis inſidet, nempè. *Neceſſe eſt, quoniam intellectus omnia intelligit, immixtum eſſe: quia alienum iuxta apparens, prohibet, & obſtruit* hoc pacto. Si intellectus, quia eſt in potentia, & receptiuus formarum materialium, omniumque rerum corporearū, ita eſt ab ijs omnibus denudatus, vt nullam earum naturam in ſe contineat, vt dudum exponebamus; pari pacto, cum idem ipſe ſit in potentia ad res immateriales, earumque receptiuus, potis eſt enim illas intelligere, præſertim cum eius obiectum ſit ens intelligibile, quod omnes differentias, & ſpecies entis poſsibiles comprehendit, vt egregiè inter alios explicat S. Thomas 2. cont. Gent. cap. 96. Et auctore Auerroe in 1. de ortu, & interitu com. 16. *ens eſt comprehenſum: & non comprehenſum naturaliter, eſt non ens*. erit ab omni etiam natura rerum immaterialium denudatus: quia intus exiſtens, prohiberet extraneum: atque adeò intellectus noſter poſsibilis nullam vnquam naturam, nec materialē, nec immaterialem obtinebit. Quid? nonne intelligit ens? immò verò id ipſum eſt eius obiectum: erit igitur ab ipſo ente denudatus: eòque eius natura nihil erit actu. Et vt cum Ariſtotele 3. de Anima tex. 5. concludam, *neque ipſius vlla eſt natura, niſi hæc ἢ τὸ δυνατὸν, quod poſſibile.* Quo etiam facit, quia intellectus, ſic inſtitit Alex. vt hic refert Philoponus, intelligit ſe ipſum, ergo eadem ratione erit a ſemetipſo denudatus: quare effatum illud Stagiritæ, haud quem nos dedimus, habet ſenſum, ſed quem attulit Alex. vt ſit aptitudo &c.

De hoc enunciato, quod ex præfatis Philoſophi verbis effluxit: Omne recipiēs debere eſſe denudatum à natura recepti ſi hic extendere ſingula vellem, quæ ab auctoribus adducuntur, quæque adhuc adduci poſſent, res in immenſum traheretur. Adi, ſi otium, S. Thomam Albert. Mag. Philoponum, Simplic. Themiſt. Auguſt. Niphum ad eum Ariſt. locum: Ioan. de Ianduno ſuper 3. de Anima, quæſt. 4. omninò M. Anton. Zimaram Theoremate 84. Equidē ea tangam, quæ pro confutatione argumentorum, quæ ſtruximus, exiſtimo neceſſaria.

Ad primum itaque argum. neganda eſt cōſequentia: rectè habet, vt intellectus intelligat materialia, debet ab eorum natura denudari; at non idem calculus ferendus eſt de rebus immaterialibus. Ratio in manu ſuppetit, quia iuxta commune Philoſophorum decretum, impedimētum, quominus res aliqua intelligatur, oritur a materia: vnde immaterialitas minimè impedit cognitionem, quinimò promouet: qua quidem de re hæc Auerr. in libro Deſtruct. deſtruct. in diſput. 5. in ſolutione 2. dubij, *Vnde*

dici.

dicimus ex Philoſophorum concluſione, quod ens incorporeum eſt in ſe pura ſcientia tantum: ipſi enim opinati ſunt, quod formæ ſint inſcientes, prout conſiſtunt in materia; etſi fortè inueniretur aliquid in materia non conſiſtens, manifeſtum eſt, quod eſt pura ſcientia, & intellectus, & intellectū non eſt aliud in eſſentia a forma rerum a materia ſeparatarum. Lege Zimaram in calce illius Theorematis 84.

Cæterùm ad vberiorem huiuſce rei intellectū, adiunge: quod ſi de intellectu noſtro verba facimus pro præſentis vitæ ſtatu, vt re ipſa facimus, nulla omninò ſubſtantia ſeparata, & immaterialis poteſt per ſpeciem propriam, & vt in ſe eſt, ab intellectu noſtro cognoſci. Quod optimè demonſtrat S. Thomas ſex rationibus aduerſus quandam Auerrois opinionem, in prima parte, quæſt. 88. art. 1. & lib. 2. cont. Gent. a cap. 41. vſque ad 46. Et profectò cum beatæ illæ mentes nullo ſenſu, aut imaginatione attingi queant, quod vnquam ſui phantaſma, aut ſpeciem in nobis habebunt? cognoſcuntur itaque aut per negationem, aut per collationem ad hæc inferiora, aut denique per effectus ſenſibiles, ac materiales, quo pacto Philoſophus cùm ſæpè alibi, tùm maximè 8. Phyſic. & 12. Metaphyſ. ex motu æterno, atque continuo deuenit in earum cognitionē. Præterquamquod in 2. eiuſdem operis tex. 2. intellectus noſter, reſpectu rerum a materia ſeiunctarum, comparatur oculis Veſpertilionis. Hinc primo de partib. animal. cap. 5. his omninò loquitur: *Sed partem illam æternam, ac proinde nobilem, & diuinam, minus contemplari propterea poſſumus, quòd admodum pauca illius ſenſui patent, quorum beneficio, tum de ea ipſa parte diuina, tum de ijs, quæ noſſe cupimus, facultas nobis cognoſcendi, indagandique ſuppeditetur:* Cum itaque intellectus noſter, dùm iacet homines agimus, haudquaquam cognoſcat ſubſtantias immateriales, per proprias ſpecies, & immediatè, minimè neceſſe eſt; vt ab ijs ſit denudatus.

Tandem, ad hoc ipſum dici poteſt, obiectū intellectus noſtri, quod ad præſens attinet, eſſe duplex. Aliud quidem ſecundum omnem intellectus latitudinem, quod adæquatum, & ſpecificans conſueuit appellitari: id eſt ens in communi, vt docet S. Thomas in prima parte, quæſt. 5. art. 2. & quæſt. 55. art. 1. & quæſt. 79. art. 7. & quæſt. 82. art. 4. & quæſt. 87. art. 3. ad 1. & ſæpè alibi. Aliud verò eſt obiectum motiuum, ſeu proportionatum: hoc nihil eſt aliud, quàm quidditas rei materialis, auctore eodem S. Doctore in prima parte, quæſt. 12. art. 4. quæſt. 85. art. 1. vnde in quæſt. 84. art. 7. ad 3. ita ſcribit: *dicendum, quod incorporea, quorum non ſunt phantaſmata, cognoſcuntur a nobis per comparationē ad corpora ſenſibilia, quorum ſunt phantaſmata: ſicut veritatem intelligimus, ex conſideratione rei, circa quam veritatem ſpeculamur: Deum autem, cognoſcimus vt cauſam, & per exceſſum, & per remotionem. Alias etiam incorporeas ſubſtantias, in ſtatu præſentis vitæ cognoſcere non poſſumus, niſi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia. Et ideò, cum de huiuſmodi aliquid intelligimus, neceſſe habemus conuerti ad phantaſmata corporū: licet ipſorum non ſint phantaſmata.* Ex quibus quidem verbis id, quod aſſerimus, quoad vtramque partem colligitur: quippè cum intellectus noſter dicatur cognoſcere Deū, cæteraſq; ſubſtantias a materia ſegregatas, liquidò apparet, eum extendi ad quodcunque ens. quandoquidem nulla vnquam facultas extra ſuum obiectum adæquatum protrahi poteſt. Cum autē huiuſmodi entia non niſi per ordinem ad res materiales, earumque ope percipiantur, non immeritò colligi poteſt, eiuſmodi res materiales, eſſe obiectum proportionatum, pro hoc ſtatu. Ad hæc, reſpondeo ex Auerroe in 3. de Anima tex. comm. 4. quod propoſitio aſſerens, omne recipiens debere eſſe denudatum a natura recepti, intelligenda eſt, a natura ſpecifica recepti, non autem a natura generis: & maximè remoti, & maximè eius, quod dictum eſt per æquiuocationē: ideſt analogicè, ſicut ſubſtantia, ens, vnum &c. Quamquidem reſponſionem fusè proſequitur Zimara Theoremate illo 84. Equidem hunc exiſtimo eius intellectum; quod recipiens haud debeat eſſe eiuſdē naturæ ſpecificæ cum re recepta: benè verò queat ſub eodem genere, vtique remotiori, aliove communiori contineri. Exemplo rem illuſtro: viſus, quia cuiuſuis coloris eſt receptiuus, a quacunque coloris ſpecie denudetur oportet: nihilominus æquè viſus, atque color eſt ens: quinimò vterque qualitas: modò viſum ita conſtituere velis: quocirca viſus neque ab ente, neq; a genere coloris, hoc eſt, qualitate expoliatur. Sic intellectus, quia recipit omnes formas materiales, erit vtique ab earum naturis ſpecificis, immò & proximis generibus, atq; adeò a ratione corporeitatis vſquequaq; ſeiunctus: conuenit autem ſaltem in ente, vel in ſubſtantia, aut accidente. Dum autem intelligat, fac ita eſſe, naturas a materia ſegregatas, eſt

quo-

quoque ab iiſdem ſecundum rationes earum ſpecificas, quin etiam & genericas denudatus (differt enim anima noſtra, & intellectus a ſubſtantijs ſeparatis pluſquàm proximo genere) conueniet verò cum illis in eſſe entis, & ſubſtantiæ ſpiritualis, ac immaterialis, quæ porrò eſt genus, vt aiunt, generaliſſimum reſpectu omnium creaturarum immaterialium. Hoc exiſtimo introſpexiſſe S. Thomam, dum in quæſt. 22. de veritat. art. 1. ad 8. ſcribit: *In apprehenſiuis potentijs non ſemper hoc eſt verum, quod potentia denudetur totaliter a ſpecie ſui obiecti: hoc enim fallit in illis potentijs, quæ habent obiectum vniuerſale: ſicut intellectus, cuius obiectum eſt quidditas; cum tamen habeat quidditatem: oportet tamen quod ſit denudatus a formis illis, quas recipit. Fallit etiam in tactu, propter hoc quod ſi habeat ſpecialia obiecta, ſunt tamen de neceſſitate animalis. Vnde organum eius non poteſt eſſe omninò abſque calido, & frigido: eſt tamē quodammodo præter calidum, & frigidum, in quantum eſt mediè complexionatum; medium autem neutrum extremorum eſt &c.* perpende, quomodo haud eſt denudatus *totaliter*: & tamen *oportet, quod ſit denudatus a formis illis, quas recipit.* Scio aliquos ſecus ſentire hic de S. Thoma.

Poſtremò, auctoritas Ariſt. quod neque intellectus vlla eſt natura, niſi hæc quod poſſibile, capitur in eſſe intelligibilium, non in eſſe entis: ſuper qua re, multa habes Diſput. 9. ſect. 8. Ex quibus omnibus abundè diluta, & confutata manent duo priora argumenta.

Porrò, vt argumentum vltimo loco confectum diluatur, paucis enodandum eſt, quomodo intellectus ſemetipſum intelligat. Atque illud te, vel in limine monitum volumus, nos in præſentia haud loqui de intellectu, iã a corpore ſeparato, vnàque cum anima per ſe exiſtente: quippè hoc pacto intelligit ille quidem ſeipſum per ſeipſum, quod faciunt reliquæ formæ ſeparatæ, vt docet S. Thomas cùm ſæpè alibi, tùm maximè in prima parte, quæſt. 89. artic. 2. ſed agimus de eo, qui eſt caduco, & mortali corpori conſociatus. In qua quidem re prætereo Platonis opinionem, qui in dialog. 1. Alcibiades, quemadmodum ait, facies hominis in oculum intuentis in oppoſiti viſu relucet velut in ſpeculo; vt oculus ita demum ſeipſum cernat, cum in oculum inſpicit: ſi autem in aliud quoddam hominis membrum reſpexerit, vel in quoduis aliud, præterquam id, cuius hoc eſt ſimile, haudquaquam ſeipſum percipiet: *Eodem pacto, & anima ſi ſeipſam noſcere vult, in animam intueatur &c.*

Prætereunda etiam eſt Plotini ſententia, qui duos in nobis poſuit intellectus: quorum alter ſeipſum perpetuò cognoſceret: alter quandoque otiaretur. Quod ſi ab eo quæſieris, quid rei eſt, quod nos experimur haud ſemper intellectum, & animam noſtram intelligere? Id, inquit, euenit, propter turbam, & tumultum corporis: De qua quidem re Philopon. ſuper 3. de Anima in tex. 9. Quemadmodum etiã Themiſtij 3. de Anima, cap. 18. exiſtimantis, intellectum ſeſe intelligere modo accidentali: quatenus intelligit ea, quæ cum ipſo accidentaliter facta ſunt vnum, & idem: Sicut eorum quoque opinio, qui arbitrantur, intellectum ex ſpeciebus, quas a rebus materialibus elicit, elicere aliam quandam abſtractiorem, magiſque immaterialem, per quam ille ſeipſum cognoſcat. Alio pacto philoſophatur Philoponus in tex. illo 9. ſed his omiſſis.

Opinamur, intellectum noſtrum, pro huiuſce vitæ ſtatu, haud intelligere ſe ſe immediatè, per ſeipſum: nec per vllam ſui ſpeciem, & directè: ſed reflexè, & ex alterius cognitione, & ſpecie. Quod ſe non noſcat per ſuam eſſentiam, habes expreſsè apud Ariſt. 3. de Anima tex. 15 *& ipſe etiam intellectus intelligibilis eſt, ſicut alia intelligibilia.* Manifeſtum autem eſt, res alias intelligi non per ſuas eſſentias, ſed per ſpecies. Huc etiam adducitur a nonnullis illud 12. Metaphyſ. tex. 39. *ſe ipſum verò intellectus intelligit, aſſumptione intelligibilis*: hoc eſt, per receptionẽ ſpecierum, rerumque aliarum. Porrò, ſi anima, & intellectus noſter ſemet per ſeipſum cognoſceret, cum ſibi præſens ſemper adſit, ſemper ſeipſum, & clarè cognoſceret, quid ipſe ſit: quod tamen experimur non eſſe.

Præterea, cum vnumquodque ſit cognoſcibile, in quantum eſt actu, & non ſecundũ quod eſt in potentia, vt dicitur 9. Diuinor. tex. 20. Et oſtendit S. Thomas in prima parte, quæſt. 87. art. 1. & 3. cont. Gent. cap. 46. ratione 4. nequit intellectus a ſe ipſo eſſe per ſemetipſum intelligibilis: quia ſecundum ſe eſt in pura potentia in genere intelligibilium: neceſſariò itaque vt ſemet intelligat actuari debet per aliquam ſpeciem: Species autem illa haudunquã poteſt eſſe an animæ, an intellectus. Quid ita? quia quæcunque ſpecies impreſſa conficitur ope intellectus agentis, abſtrahentis rerum naturas, & illuſtrantis phantaſmata: nequit autem ſiue anima, ſeu intellectus vllum habere phantaſma.

taſma. Ex quo fit, vt ſpecies qua intellectus actuatus ſemetipſum intelligit, eſt ſpecies alterius rei, externæque: quod optimè declarat S. Thomas 2. cont. Gent. cap. 98.

At cuius rei? obiectorum exteriorum: cognoſcit itaque ſeipſum intellectus per ſpeciem obiecti exterioris: Hoc ipſum eſt, quod ait S. Th. prima par. quæſt. 87. art. 1. cõmemorato, quod, *quia connaturale eſt intellectui noſtro, ſecundum ſtatum præſentis vitæ, vt ad materialia, & ſenſibilia reſpiciat, conſequens eſt, vt ſic ſe ipſum intelligat, ſecundum quod fit actu per ſpecies a ſenſibilibus abſtractas, per lumen intellectus agentis.*

Cæterùm, quamuis per hanc exterioris obiecti ſpeciem, ſe met cognoſcat, non tamen eodem actu, quo illud attingit; ſed alio diſtincto. Experimur, non ſemper, cum intelligimus, percipere, nos intelligere: quod indicio eſt, eſſe alium ac diuerſum actum. Clarius apparet in voluntate: ſiquidem alio actu deſideramus: aliò deſiderium deſideramus. Hoc ergo pacto intellectus ſeipſum intelligit, primò cognoſcit rem, quæ illi per ſpeciem intelligibilem repræſentatur: Deinde, reflectendo cognoſcit ſuum actum: & quia actus ille a quoquam oriri debet, cognoſcit ineſſe potentiam immaterialem, a qua ille proficiſcitur: Ad hæc, cum potentia neceſſariò in aliquo ſubiecto, inhæreat, cognoſcit etiam animam immaterialem, in qua præfata potentia inſideat, eòque tum ſe, tum animam cognoſcit reflexè, ac indirectè: Docuit id nos S. Doctor eum in illo, art. ita concludit. *Non ergo per eſſentiam ſuam, ſed per actum ſuum ſe cognoſcit intellectus noſter: Et hoc dupliciter, vnoquidem modo particulariter, ſecundum quod Sortes, vel Plato percipit ſe habere animam intellectiuam, ex hoc quod percipit ſe intelligere: Alio modo in vniuerſali, ſecundum quod naturam humanæ mentis ex actu intellectus conſideramus.* Verùm hac de re hæc dixiſſe ſatis.

Ex his liquet ſolutio ad vltimum argumentum: Siquidem cum intellectus noſter intelligat, ſe ſicut & alia, & per ſpeciem ſenſibilium, haud ſequitur; eum debere eſſe denudatum a ſemetipſo, ſed benè ab ijs, quorum ope, ſe intelligit. Habet quidem vim aliquam argumentum, aduerſus eos, qui intellectum, ſeipſum per ſeipſum cognoſcere arbitrantur: quamuis in hac etiam opinione reſpondeat Philoponus 3. de Anima tex. 4. *quod intellectus vt intelligens, ab eo quod intelligitur, eſt impermixtus, & alius.*

Sed adhuc audio neſcio quos, pro obiectiua illa intellectus immixtione, ita inſurgere, Ariſtot. ſtatuit intellectum immixtum, aduerſus veteres, maximè verò Empedoclem, & Platonē: propterea, quòd hic ſanxerat, omnes rerum ſpecies eſſe animæ congenitas, & connatas, ille poſuerat, intellectum ex omnibus rebus commixtum, vt omnia intelligeret. Vtrumque verò reſpicit operationem; quare Philoſophus in præſentia loquitur de intellectus immixtione tantummodo reſpectu operationis, & obiectorum intelligendorum, non autem ſecundum eſſe.

Fac, Ariſtotelem hic potiſſimùm verba facere contra Empedoclem: at hoc ipſum mirum in modum fulcit ſententiam noſtram: Enimuerò ille cenſuit, animam, & intellectum eſſe commixtum ex elementis, rebusque omnibus, vt omnia intelligeret: auctore Philoſopho 1. de Anima tex. 15. Immò verò conſtituerat, ſex principia, vt alio loco retulimus; quatuor materialia, terram, aquam, aerem, & ignem, & duo actiua, & paſſiua. Litem, & Amicitiam: ex quibus animam quoque, & intellectum conſarcinauerat, vt omnia cognoſceret; *quia ſimili cognoſcitur ſimile*. Quod autem hoc pacto eſt compoſitum, porrò compoſitum & commixtum eſt ſubiectiuè. Si igitur Ariſt. explodit hoc Empedoclis ſancitum, cequid intendit aliud, quàm intellectum eſſe quoddam ens poſitiuum, non commixtum ex elementis, neque ex rebus corporeis, ſed ab omni corpore denudatum, atque adeò immaterialem? vt intelligat omnia, quia intus exiſtens &c.

De Platone nullus hic ſermo: nec ille poſuit animam, & intellectum cum corpore mixtum: nec ab Stagirite vlla hic ſpecierum congenitarum mentio: quinetiam Platonis ſententiam laudat in tex. 6. cum ait, *Et benè vtique, qui dicunt, animam eſſe locum formarum*, quamuis in duobus illam corrigat, vt adnotauit Philoponus: Alterum eſt, *niſi quod non tota ſed intellectus*: alterum, *neque actu, ſed potentia forma*. Arat vela contraho: iam res, niſi nos animus fallit, in vado: nam ex his, quæ hucuſque ediſſeruimus, prima Philoſophi demonſtratio, quia intellectum noſtrum poſſibilem, ex eius capacitate oſtendit immixtum, quia omnia intelligit, enucleata, ab omnibuſque ambiguitatibus, & fallentium technis vindicata eſt: ad ſecundam eius rationē accedamus; quare ſit.

SECTIO QVARTA.

Expenditur ſecunda Philoſophi demonſtratio, qua itidem probat, intellectum poſſibilem eſſe corpori immixtum, ac immaterialem.

ANNECTIT Stagirites in text. 6. de eodem intellectu poſſibili, *Quocirca neque rationabile eſt, ipſum mixtum eſſe cum corpore: qualis enim quidam vtique fieret, calidus, aut frigidus.* Hæc eſt alia demonſtratio, inquit Auerr. quod intellectus materialis, ſeu poſsibilis, *non eſt hoc aliquid, neque corpus, neque virtus in corpore.*

Si intellectus, inquit Ariſtoteles, eſſet mixtus cum corpore, qualis vtique fieret, calidus, aut frigidus: conſequens eſt falſum, & impoſſibile ergo, & antecedens.

Conſequentia, ſi intellectus eſſet mixtus cū corpore, fieret qualis, vel ex eo fit conſpicua, quia omnis forma mixta cum corpore, afficitur affectione corporis; & omninò eiuſdem mutatione mutatur. Cuius rei, ea eſt ratio; quia, quæcunque forma, & virtus corporea, cum a corpore, eiuſque temperatura, in eſſe, & conſeruari dependeat, propterea quod oriatur ex proportione, & temperatura quatuor primarū qualitatum, ſi ſit forma mixti perfecti, neceſsè eſt, vt alterata illa temperatura, alteretur quoque forma, quæ ex illa dependet: Manifeſtum autem eſt, humanum corpus ſecundum diuerſas qualitates alterari: ita, vt modo caleat, modo frigeat: quocirca, & intellectus, ſi foret cū ipſo corpore commixtus, ex eiusque temperatura reſultaret, neceſſariò fieret calidus, aut frigidus. Quod exemplo etiam tactus comprobatur; qui, cum ſit virtus animæ materialis, corpori commixta, & organica, ratione ſui organi, fit calidus, frigidus, &c.

Eadem conſecutio patet ex verbis Philoſophi, in ſecundo de ortu, & interitu, tex. 45. quo loci aduerſus Empedoclem aiebat, animam haud eſſe vnum aliquod elementum, aut ex elementis conſtatam: Rationem reddebat. *Alterationes enim animæ, quomodo erunt; vt muſicum eſſe, & rurſus immuſicum: aut memoria, aut obliuio?* Ex quo quidem loco, ſic lubeat colligere: Si, per Ariſtotelem, quia alterationes animæ, non ſunt ſecundum alterationes corporis, aut alicuius elementi; idcircò anima non eſt elementum aut mixtum ex illis, ergo ex oppoſito; ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore, eius alterationes conſequerentur ad corporis alterationes: atque adeò fieret calidus, aut frigidus, calefacto, vel frigefacto corpore. Eapropter ſubnectit ibi Philoſophus, *manifeſtum enim eſt, quod ſi quidem ignis anima ſit, paſſiones erunt ei, quæcunque igni, ſecundum quod ignis: ſi autem mixtum, corporales*: quia nimirum paſsiones, affectioneſque animæ, eſſent corporales, & ſequerentur conditionem mixti, & omninò ad illius mutationem mutarentur.

Verùm, vt ea ipſa conſequentia penitius intelligatur, oſtendamus adhuc, quod ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore, non ſolùm mutaretur mutatione corporei temperamenti; ſed neceſſariò mutaretur: ipſumque corporeum temperamentum, non modò plerumque, ſed ſemper, & neceſſariò ſequeretur: Id verò, tùm exemplo ſenſus, tum ex ipſa materiæ natura. Exemplo quidem, quia quemadmodum ſenſus, & appetitus ſenſitiuus, eorumque operationes, quia ſunt mixti cum corpore, neceſſariò mutantur, mutatione corporei temperamenti, vt dicebamus. Sic intellectus, & appetitus intellectiuus, hoc eſt voluntas, eorumque operationes, neceſſariò mutatione corporei temperamenti mutarentur.

Ex natura verò materiæ, quia quælibet forma materialis, & immerſa materiæ in operando eſt cauſa neceſſaria; quippè cum neceſsitas, quæ ex materia proficiſcitur, ſit neceſsitas ſimpliciter; vt liquidò conſtat ex Ariſtotele 2. Phyſic. tex. 90. aiente, *Manifeſtum igitur eſt, quod neceſſarium eſt in phyſicis, quod vt materia dicitur, & motiones eius.* Fit, vt operationes formarum materialium, ſint neceſſariæ, & determinatæ. Et ideò virtus viſiua diſpoſito oculo, & præſente obiecto, nequit non videre: Et tactus, applicato tangibili, nequit non ſentire. Quod etiam videre eſt in facultatibus ſenſitiuis internis; non modo cognoſcitiuis, ſed etiam appetitricibus: quandoquidem concupiſcibilis, oblatâ iucunda aliqua re, non poteſt illam non appetere: & pari pacto iraſcibilis, iniecta re aliqua formidabili, nequit eam non timere.

Oppoſitum autem experimur in intellectu, & appetitu intellectiuo; cum propoſito quocunque particulari vero, & bono, commodè intellectus ab eo diſſentire, & voluntas hoc idem reſpuere poſsit. Huius diſcriminis ea eſt ratio; quia

quia formæ, ex quibus proficiſcuntur operationes vegetatiuæ,& ſenſitiuæ, ſunt materiales,& commixtæ corporibus: Anima verò rationis cõpos, & intellectus, eſt ſupra materiã: nec cũ corpore commiſcetur: Ex his ergo,quę hucuſque ediſſeruimus, probata manet conſequentia: quod ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore, mutaretur: & quidem neceſſariò mutatione ipſius corporis, fieretque calidus, aut frigidus.

Quod ſi obijcias, virtus viſiua exempli gratia,eſt forma materialis,& mixta cum corpore: Et nihilominus, mutato corpore, non mutatur, nec vnquam calida,aut frigida fit: quippè ne fingi quidem poteſt,quòd viſiua vis caleat, aut frigeat.

Reſpondeo, virtutem etiam viſiuam affecto corpore,affici; & fieri qualem: non quidem per ſe,ſed ex accidenti; ratione tactus, quem præſupponit, quiq; in eius organo eſt neceſſarius (& quod de facultate viſiua aſſerimus, idem de alijs facultatibus ſenſitiuis, non externis modo,ſed internis etiam aſſeueramus,cum omnes in ſuo organo indigeant tactu)quapropter id diſcriminis intercedit inter ſenſus,& intellectum; quòd illi quamuis per ſe non patiantur; patiuntur tamen per accidens; ratione ſenſorij, cui ſunt affixi: Intellectus verò, nec per ſe, nec ex accidenti patitur: Quodquidem diſcrimen aſſignabat Ariſtoteles in tex.7.huius tertij libri; inquiens. *Quod autem non ſimilis ſit impaſſibilitas ſenſitiui,& intellectiui, manifeſtum eſt ex ſenſorijs.* Cuius quidem rei illud erat indicio,quòd ſenſus, vbi vehemens aliquod ſenſibile attigerit, nequit alia imperfectiora ſentire: *Intellectus verò cum aliquid intellexerit valdè intelligibile,non minus intelligit inferiora, ſed & magis.* Et tandem cauſam redditurus, non aliam,quàm eam ipſam,quam explicamus,attulit, *Quia ſenſitiuum,non ſine corpore eſt, intellectus autem ſeparabilis eſt.* Quibus etiam verbis,pro immortalitate animæ noſtræ,nihil clarius optari poteſt. Cæterùm ad rẽ, de qua agimus, id ſatis:quod ſenſus, quia ſunt mixti cum corpore, fiunt quales,ſaltem ex accidenti: atq; adeò, ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore, neceſſariò hic quoque,ratione corporei temperamẽti fieret qualis.

Sed hic, hoc etiam eſt animaduertendum, quòd quamuis virtus viſiua fiat calida, aut frigida ex accidenti,non icircò impeditur à ſua functione,quia eſt potentia particularis: & calidum,aut frigidum non continentur intra eius obiecti latitudinem: Si verò hæc eſſent intra eius obiecta, vtique prohiberetur ab eorundẽ viſione: quod & de reliquis ſenſitiuis facultatibus aſſero. Cæterùm ſi intellectus fieret calidus,aut frigidus, proculdubio impediretur à functione ſua,quia eſt potentia vniuerſalis; & calidum,ac frigidum ſunt etiam obiecta intellectus; cum hic omnia intelligat.

Iam verò ſi intellectus qualis quidã fieret, calidus,aut frigidus,quod erat conſequens Ariſtotelicæ demonſtrationis; attende,quot, quã- que grauia ſequantur incommoda: Primò quidem illud ſe confeſtim offert, quod ſi intellectus fieret calidus, non intelligeret externam caliditatem, ſi frigidus, non frigiditatem ſimilem in gradu ei, qua ipſe fuiſſet affectus: Ita prorſus, quemadmodũ tactus, qui ratione ſui organi,eſt calidus,aut frigidus, non ſentit ſimilem caliditatem,aut frigiditatem, ſed earũ duntaxat exceſſus; quod etiam dicebamus ex Ariſtot.2.de Anima,tex.118.& 119. ita contingeret in intellectu: quia nimirum intus exiſtens prohiberet extraneum. Atqui,intellectũ intelligere omnia,eòque nullum vnquam eſſe qualitatis gradum,quem hic non capiat, quacumque an intenſione, an remiſſione,protulit Ariſtoteles ſuperius in tex.4. veluti omnium Philoſophorum cõſenſu firmatum, qua re &c.

Præterea; ſi intellectus, & anima rationalis eſset mixta cum corpore,ita ut mutatione corporis fieret qualis, eiuſque affectione omninò afficeretur: liquidò conſequitur, mores animi pendere ex temperatura corporis: Quippè ſi anima noſtra, & intellectus à corporis temperatura,& eius qualitatibus penderet, & neceſſariò afficeretur, vtique actiones etiam ipſius,ac mores à tali temperatura pendebũt; eruntque tales, quales ipſa temperatura eſt apta ipſos redere. Id quod etiam contendebat Galenus in libro de mutua conſecutione morum,& temperaturæ corporis: vbi ſupponens animam eſſe temperaturam, conſequenter aſſerebat, *mores ſequi humores.*

Si autem mores animi neceſſerò pendeant ab ipſa corporis temperatura, Deum immortalem,quænam abſurda non conſequentur?

Principio,funditus euerteretur omnis virtus moralis; nam ſi tales neceſſariò ſunt mores animi,quales affert ipſa temperatura, iam homines frigidi,& ſicci temperamenti, nunquam erunt fortes; nunquam liberales, nunquam ma-

magnanimi. Qui ſunt calidi, & ſicci temperamenti, nunquam manſueti, nunquam mites: Qui calidi, & humidi temperamenti, nunquam temperantes: & ita de alijs virtutibus dicendū foret: quæ tamen vel communi hominum cōſenſu, & rerum vſu damnantur.

Quid? ſi mores animi ex temperatura pendēt, haud erit in nobis, vt boni, aut mali ſimus; ſed omnes homines ex ipſa natura, aut boni, aut mali eſſent, quod repugnat veritati, repugnat etiam Ariſtoteli. Veritati, quoniam quiſque eſt faber morum ſuorum: Ariſtoteli, quia ſexcētis in locis, maximè verò primo magnorum moralium cap. 11. planè, ac plenè teſtatur, noſtræ facultatis eſſe, vt boni, aut mali ſimus. Vnde 2. Ethic. cap. 5. hæc omninò ſcribit: *Inſuper potentes quidem ſumus à natura: boni verò, aut mali, non efficimur, quemadmodum antea diximus:* antea verò dixerat in eodem lib. c. 1. cum virtus ſit duplex, intellectiua, atque moralis; intellectiuam quidem ex doctrina, & generationem, & incrementum habere: moralem autem ex aſſuetudine. Subiungebat, *Ex quo etiam liquidò conſtat, nullam in nobis natura fieri virtutem moralem*: cuius aſſerti illā aiebat cauſam, quòd nihil eorum, quæ ſunt a natura, aliter aſſueſcit: vt lapis, cui natura conuenit moueri deorſum, nunquam aſsueſcit ferri ſurſum: vt tandem concluderet, virtutes morales, neque natura, neque præter naturā in nobis fieri, ſed nos natura idoneos eſſe ad ipſas ſuſcipiendas.

Sed in contrarium ruit Galenus libello illo, cui nomen ex animi ſui inſtituto fecit, *Quod animi mores, ſequantur corporis temperaturam*, in quo quidem experimentis, & rationibus, tum Homeri, Platonis, Hippocratis, &, ſi Deo placet, nonnullis Philoſoph. locis congeſtis, ſuum conſilium nititur comprobare. Et eouſq; proceſſit, vt cap. vlt. veluti colophonem ſuæ machinationi imponens, abſurdè aſſereret, vnumquemque natura naſci bonum, aut malum: non autem fieri aſſuetudine, aut ab extrinſeco, nimirum à parentibus, educatione, vel etiam conuerſatione, quia frequenti, ait, erudimur experientia, pueros ex ijſdem parentibus natos, ijſdem inſtitutis, ac præceptionibus educatos, nec vllis adhuc externis, & aliunde hauſtis moribus imbutos, quàmmaximè inter ſeſe differre: ita, vt hic quidem modeſtus, ac timidus, ille impudens, & audax: hic docilis ac flexibilis, ille indocilis, ac refractarius: hic liberalis, ac munificus, ille auarus, ac ſordidus: hic iracundus, ac furens, ille mitis, ac blandus: hic temperatus, iuſtus, prudens, ille nimius, iniquus, inconſultus: & vt tandem dicam, hic ędipus, ille Dauus: prout nimirum quiſque diuerſam humorum harmoniam, ac temperaturam ſortitur. Quòdquidem argumentum poſtea multis amplificauit Ioannes Vuartes in Examine ingeniorum. Et quia, *fallacia alia, aliam trudit*, in alia ſe longè abſurdiora detrudit Galen. circa bonorum præmia, aut malorū pęnas, vt in illo ipſo capite vltimo videre licet.

Cuius tamen opinionis abſurditas, quoniā fundamenta totius probitatis, virtutis, & ſocietatis humanæ conuellit, labefactatque, merito optimoque iure iamdudum a multis Philoſophis patefacta eſt. Nos pro tempore vna duntaxat Platonis ratione contenti ſimus, qua diuinus ille vir in Phædone, inter alias vtitur, vt aduerſus Simmiam, & Cebetem oſtendat, animam neque harmoniam, ſeu temperaturam eſſe, nec eam ſequi: Quia ſi eſſet, non repugnaret ijs operationibus, quæ ex temperatura proficiſcuntur, quinimò indulgeret: Enimuerò id, quod ſequitur, & ab aliquo pendet, trahitur, vinciturque potius ab eo, ad quod ſequitur, & a quo pendet, quàm reluctetur, aut trahat, vel etiam vincat. Atqui *experimur, animam præcipuè prudentem, corporis perturbationibus repugnare, veluti ſi ſub æſtu ſitis angat, interea tamen aduerſatur animus, retrahitque in contrarium ne bibat: ſimiliterque ſi premat fames, ne edat: in alijſque quamplurimis videmus corporis affectibus repugnare*: ſequitur non longo interuallo. *Animaduerte omnia, ex quibus dixerit aliquis ipſam conſtitui: atque fermè omnibus per omnem vitam repugnat, multiſque dominatur modis, interdum rigidius quodam cum ſupplicio puniens per gymnaſticam atque medicinam: interdum verò mitius caſtigans comminando, aut monendo aduerſus cupiditates, & iras, atque timores, tanquam altera quadā res contra alteram loquens; quemadmodum Homerus tradidit in Odyſſea.*

Tum pectus pulſans, cor ſic affatur Vlyſſes:
Hoc quoque cor perfer, namque & grauiora tuliſti.

Hęc Plato: Poſtea Ariſt. 7. Polit. c. 13. *Cętera*, inquit, *animalia maximè viuunt ſecundū naturā: parum verò aliquid, & ſecundum conſuetudinem: homo autem & ſecundum rationem: ſolus enim rationem habet.* Bruta, vel natura tantum aguntur, vt canis ſuaptè natura inſequitur leporem, vel aſſuetudine, vt canes illi, qui proiecta pondera

ferunt:

Digitized by Google

ferunt: quia in ipſis eſt ſolum duplex agendi principium. Homo autem permulta tum præter naturam, tum præter mores edit, ſi ratio dictet, melius eſſe, ſecus agere: iratus abſtinet a vindicta, ad quam & ira, & naturale ipſius temperamentum ipſum inclinabat, quia ratio perſuadet, melius eſſe, abſtinere. Quid? ſingulis quibuſque diebus conſpicimus, multos ad diuerſa vitia ex temperamento, & conſtitutione corporis pronos, qui tamen virtutis amore, & honeſti ſtudio, vitiorum illecebris ſtrenuè reluctantur, & arduum virtutis capeſſunt iter. Extat illuſtre Socratis exemplum, de quo, cum Zopyrus phyſiognomon, abſurda quædam, & plurimum ab eius inſtituto in vita ſemota diceret, & ſuper his a Socratis auditoribus derideretur, *dixit Socrates, non eſſe mentitū Zopyrum: eram enim naturæ ratione huiuſmodi, niſi ex philoſophia ſtudio, meliorem fuiſſem naturā adeptus*. Lege Alexand. Aphrodiſienſem in libro de Fato, præcipuè capit. 4. & 9. Et ea quæ nos diximus ſupra Diſputatione 1. ſect. 4. nec enim in præſens lubet, in abſurda hac Galeni ſententia diutius immorari.

Pro eius verò argumento, id ſolum hic ex Ariſt. 3. de Anima, tex. 57. dixiſſe ſatis, *quod appetitus, vincit aliquando, & mouet voluntatem, aliquando autem illa hunc, ſicut ſphæra, appetitus appetitum, cum incontinentia facta eſt: natura autem ſemper ſuperior, principalior eſt, & mouet*. Ex quibus omnibus, liquido conſtat, neque animi motus, & actiones ſequi corporis conſtitutionem, aut temperaturam, & in homine eſſe tertium agendi principium, præter naturam, & conſuetudinem, nempè intellectum, qui non eſt cum corpore commixtus, quia ſecus, *qualis quidam fieret, calidus, aut frigidus*: & ſic enucleatam cum habes ſecundam Philoſophi demonſtrationem.

Sed contorquentur hic Antagoniſtæ, vt hanc quoque Philoſophi demonſtrationem, præter omne æquum extorqueant: Itaque ſuppoſita illa intellectus immixtione, reſpectu operationis; atque ea duplici, aut ratione obiecti recipiendi, aut ratione corporis, quo vtatur ad recipiendum; Iacobus Zabarella, hæc omninò ſcribit in capite illo 9. de Mente humana. *In ſexto contextu loquitur Ariſtoteles de altera immixtione, reſpectu operationis, nempè qua opponitur illi commiſtioni, ex qua inferretur, intellectum eſſe organicum: quum enim Ariſtot. prius docuiſſet, intellectum patiendo, ac recipiendo intelligere, ibi oſtendere vult, ipſum in recipiendo non eſſe commiſtum cum corpore: hoc eſt, non vti miniſterio corporis in recipiendis obiectis, ſed ipſummet recipere: Ad quod probandum hoc argumento vtitur, quia ſi in recipiendo eſſet cum corpore commiſtus, iam extaret aliquod eius organum in humano corpore, propterea quod, ſi in recipiendo egeret corpore ſimul recipiente, iam poſtularet certam aliquam corporis temperaturam, idoneam ad recipiendum, proinde ſtatutam aliquam corporis partem, in qua hæc receptio fieret: quod eſſet ipſum eſſe organicum: quoniam igitur nullum apparet organum proprium, quo vtatur intellectus in recipiendis obiectis, dicendum eſt, eum in operando non eſſe cum corpore commiſtum, ſed ipſummet recipere ſpecies*: hæc ille.

Verùm vt craſsè, ſed ſyncerè dicam, hic auctor, vel ipſe errat, vel alios vult errare: Enimuerò in textu illo 6. duo medij termini, huius conſecutionis: ſi intellectus eſſet omixtus cum corpore, ab Stagirite afferuntur: Hic quidem eſt: *qualis quidam vtique fieret, calidus, aut frigidus*: Hic verò. *Et etiam inſtrumentum aliquod eſſet, ſicut ſenſitiuo: nunc autem nullum eſt*. Præfatus verò auctor, poſteriorem, in cuius dilucidatione nunc opera noſtra verſatur, conniuentibus oculis tranſilit; (quamuis in eo ipſo opere cap. 13. ſic explicet, intellectum non eſſe qualem, quia naturaliter non eſt alligatus determinatæ naturæ, & certæ temperiei primarū qualitatū, de qua re nos infra) elfunditur verò in ea ratione, quæ ex carentia, & defectu organi intellectus deſumitur; quam nihilominus expoſitionem in Comment. ſuper 3. de Anima, tex. 6. mutato conſilio reijcit, damnatque, cum ita ſcribit, *poſſumus autem intelligere immixtionem intellectus cum corpore, hoc eſt cum organo corporeo: hoc enim eſt referre intellectum ad operationem, &c. Sed neque hæc expoſitio admitti poteſt: quia, licet ſimpliciter loquendo, intellectus non ſit commixtus cum organo in ſua operatione, tamen ſi Ariſtoteles hic talem immixtionem ſignificaret, nugationem committeret, & inferret idem ex ſeipſo: faceret enim conſequentiam talem: Si eſſet commixtus cum corpore, haberet organum: ſed non habet organum, ergo non eſt commixtus: quare ſi per non commixtum, ſignificaret organum non habentem, conſequentia eſſet hæc, non habet organum, ergo non habet organum*. Iam ſi hic ſe ipſe impugnat, non equidem vlterius, quanquam abundè poſſem, impugnabo. Vera illatio eſt, intellectus non habet organum, ergo eſt immixtus corpori ſecundum eſſe.

Paucis verò intericctis, aliam præfatæ im-

Digitized by Google

mixtionis expoſitionem annectit; quam a nemine ſe plenè declaratam vidiſse proijcit; ea eſt: *Superius cum Ariſt. diximus, quod intellectus in intelligendo patitur, quia recipit ſpecies: in hac igitur receptione, ſi ipſam conſideremus, videbimus corpus non interuenire; id eſt, nullam fieri in corpore receptionem ſpeciei intelligibilis: ſed in ſolo intellectu fieri: quamuis enim operatio intellectus ſupponat operationem partium ſenſitiuarum, quæ fiunt cum interuentu corporis recipientis, tamen ipſa per ſe, & formaliter accepta, operatio intellectus, fit ſine vllo concurſu corporis. Intellectio igitur formaliter accepta, non eſt receptio facta in corpore, ſed in ſola ipſa anima intellectiua &c.* Porrò hic cinerem vitans, in prunas incidit; nam, vt præteream, quod non ſatis explicat intellectus immixtionem a corpore; ita ex dictis verbis arguo: Anima intellectiua, ſeu intellectus, habet propriã aliquam operationem, formaliter independẽtem a corpore: quippè hic auctor fatetur, intellectionem, quamuis ſupponat operationem partium ſenſitiuarum, quæ fiunt cum interuentu corporis recipientis, tamen per ſe, ac formaliter acceptam, fieri ſine vllo concurſu corporis; ergo animã intellectiuam, ſeu intellectum, contingit a corpore ſeparari: eóq; immortalis eſt, & ab interitu libera: conſecutio eſt valida ex regula Ariſtot. primo de Anima tex. 13. *Si enim eſt aliqua animæ operatio, aut paſſionum propria, continget vtique ipſam ſeparari*: Antecedens verò iacet in ipſis Zabarellæ verbis. Verùm quia de carẽtia organi intellectus, inferius multis, hic te non equidem diutius morabor; cum in ea Philoſophi ratione enucleãda verſemur, quam diuinus ille vir, ex intellectus, vt ita dicã, inalterabilitate venatus eſt. Audi, quo ſe alij detruſerunt.

Petrus Pomponatius, acutè rimatus eſt vim, & neceſſitatem huius conſecutionis; Si intellectus eſſet commixtus corpori, calidus fieret, aut frigidus: Quapropter fatetur intellectum, qua intellectus eſt, abſolutè, ac ſimpliciter eſſe corpori impermixtum: Excipe eius verba ex capite 10. libelli de immortalit. Animæ: *Et, ſi inſtetur, nonne cõiungitur,* nẽpè intellectus, *materia per qualitates primas; qualis igitur vtique fiet: quare aut calor, aut frigus: non igitur omnia cognoſcet. Ad quod dicitur, intellectum, non coniungi materiæ, qua intellectus eſt; ſed qua coniungitur ſenſui: quare, & ſi in opere ſentiendi qualis fiat, non tamen in opere intelligendi propter quod, vt intellectus eſt, non eſt qualis: neque organicus &c.*

Iam hic auctor *coactus*, non vt ille ait, *voluntate ſua*, ſed veritate, concedit, intellectum, quà intellectus eſt, non eſſe cum corpore mixtum: hoc enim pollet, *intellectum non coniungi materiæ*: quia ſecus aut calor, aut frigus efficeretur. Rectè: hoc ipſum eſt, quod ex Ariſtot. & ex vero contendimus; ens nimirum illud reale, quem intellectum appellitamus, quà huiuſmodi eſt, nulli corpori eſſe affixum: At, *coniungitur*, inquit idem auctor in eo ipſo capite, *intellectus materiæ, quaſi per quandam concomitantiam*. Hoc, etſi quaſi fugæ vehiculum adijcitur, nihilominus, ſi probè intelligatur, non procul adhuc a veritate ſiſtit: Nam intellectus, hoc ſenſu dici poteſt, quaſi per quandam concomitantiam eſſe in materia, quia eſt differentia in anima intellectrice: Hæc autem re ipſa eadem eſt cum ſentiente; quæ eſt in materia; immò & intellectiua, prout humanum corpus informat: idcircò intellectus dici poteſt, quaſi mediatè eſſe in materia: Cæterùm quà intellectus eſt, nulli vnquam materiæ coniungitur; ſed ab omni cõcretione materiali ſegregatus eſt, ac independẽs. Si verò Pomponatius aliud quicpiã intelligeret per, *quaſi concomitantiam*, debebat id explicare: vnde liquidò conſpicis, quonam pacto Veritatis vis, vel ex inuito pectore ſemet eximat.

Præterea, contra eandem reſponſionem: Intellectus, qua intellectus eſt, non eſt coniunctus, neque commixtus materiæ, vt hic fatetur; ergo intellectus per ſe, immò & neceſſariò eſt immaterialis: conſequentia liquet, vel ex præceptis Philoſophi in Poſter. Analyt. quia prædicatum ſecundum quod ipſum, vel vt Scholæ loquuntur, reduplicatiuum, eſt prædicatum, & per ſe, & neceſſarium. Etenim, quia graue ſecundum quod graue, deſcendit; graue per ſe, & neceſſariò deſcendit. Si igitur intellectus, ſecundum quod intellectus, non coniungitur materiæ, ſeu non eſt (idem pollet vtrumque) forma materialis, intellectus per ſe, & neceſſariò erit non materialis, ergo immaterialis, atque adeò immortalis. Argumentum redditur ineuitabile, cum præfati auctores nolint, intellectum eſſe ſolam animæ præparationem, & aptitudinem ad formas intelligibiles recipiendas cum Alex. ſed eſſe aliquod ens actu.

Ad hæc, intellectus, etſi in opere ſentiendi qualis fiat, non tamen in opere intelligendi, vt hic auctor ait, ergo ſecundum intelligendi munus, non dependet a corpore;

ſed

Digitized by Google

ſed habet aliquam operationem ab eo independentem: atque adeò eſſe, pari pacto a corpore independens: quia vnumquodque ſicuti eſt, operatur: *Et operatio arguit formam, ita ſicut trāſmutatio materiam.*

Poſtremò, intellectus recipit res indiuiſibiliter, quod vel ipſe Pomponatius in capite illo 10. his omninò faſſus eſt: *Et ſi amplius quæratur, an humanus intellectus indiuiſibiliter recipiat; dicitur, quod quà intelligit, indiuiſibiliter recipit: quà verò ſentit, vel vegetat, diuiſibiliter.* Idque paullò ante ex eo probarat, quia ſi intellectus eſſet virtus exiſtens in corpore, tunc, vel non cognoſceret omnia, vt contingit facultatibus organicis, quæ in certa aliqua corporis parte reſident; vel ſi omnia cognoſceret, vt obuenit imaginatiuæ, non cognoſceret vniuerſaliter, ſed particulariter: eſt igitur actio intellectus indiuiſibilis, hoc eſt immaterialis: ergo & facultas, eam eliciens, erit immaterialis: quippè omninò fieri nequit, vt cauſa materialis, edat effectum immaterialem.

Hæc aduerſus Pomponatium obtendere libuit, & quidem ex eius ipſius verbis occaſione arrepta; qui porrò melius, quàm non nemo Ariſtotelicæ demonſtrationis vim inſpexit; quanquam eam quaſi deuitans, ad aliam ex carentia organi intellectus, veluti ad ſacrā confugit anchoram: quod quia plerique omnes huius claſſis homines efficiunt, ad eam quoque pro tenuitate ingenij noſtri enucleandam deueniamus: nam ex his, quæ adhuc in hac ſect. dicta ſunt, clarè, opinor, conſtat, & vis Ariſtotelicæ demonſtrationis, pro intellectus immixtione cum corpore, ſecundum eſſe; quia ſecus alteraretur. Et hanc eſſe longè aliam rationem ab ea, quæ deſumitur ex carentia organi. Et quàm denique vana, ac futilia ſint Aduerſariorum refugia: ſit ergo.

SECTIO QVINTA.

Explicatur tertia Philoſophi demonſtratio.

POSTREMO' adiungit Stagirites in eodem tex. 6. tertiam rationem, a defectu & carentia organi intellectus: Quaquidem non modo hic, ſed in ſecundo etiam de generatione animal. cap. 3. quaſi validiore, ac manifeſtiore vtitur. Ea eſt: ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore, *et inſtrumentum aliquod eſſet, ſicut ſenſitiuo: nunc autem nullum eſt.* Si intellectus, inquit, eſſet commixtus cum corpore, haberet inſtrumentum corporeum; certā aliquam corporis partem, ſitu, figura, & temperatura, ab alijs diuerſam, per quam intelligeret, & in qua ipſum intelligere celebraretur: conſequens eſt falſum; quare & id ex quo ſequitur. Conſecutionem prioris propoſitionis probat, ex ſimilitudine, ab anima ſenſitiua, quæ apparentiorem habet ſimilitudinem cum intellectu, quàm forma vlla ſublunaris, inquiens, *& ei inſtrumentum aliquod eſſet ſicut ſenſitiuo.* Vt enim ſenſitiua forma, quæ eſt mixta cum corpore, & materialis, habet determinata inſtrumenta, quibus ſuas operationes obit, ſic intellectus, ſi eſſet mixtus cum corpore, haberet inſtrumentum corporeum, per quod, & in quo fieret intellectio. Porrò nemo eſt, modò vel extremis labijs philoſophiam attigerit, qui neſciat, ſi intellectus, qui eſt determinata animæ facultas, eſſet corpori commixtus, eum omninò determinatam aliquam corporis partem, ſibi vindicaturum? ſicuti videmus reliquas potentias corpori commixtas, ac materiales.

Cæterùm, vt altera propoſitio Ariſtotelicæ demonſtrationis, intellectum videlicet, nulli eſſe affixum organo, per quod, & in quo ſuā exerceat operationem, penitius introſpicias, enitemur, primo quidem (quantum præſentis rei abſtruſitas ſuffert) eam explicare; dein quibuſdam etiam rationibus confirmare: tandem a praua nonnullorū interpretatione vindicare.

Quod itaque attinet ad primum, ſcire oportet, quòd cum nulla ſubſtantia creata poſſit eſſe immediatum, & proximum principium operandi, (vt alias multis oſtendimus, & hac etiā ratione commonſtratur; quia diuerſitas actuū, exigit diuerſitatem potentiarum: In quauis autem re creata ipſum eſſe, eſt quaſi actus eſſentiæ, operatio verò eſt actus virtutis operatiuæ; hæc autem in quacunque natura creata, longè diuerſa ſunt, atque adeò ea per aliud eſt, per aliud operatur) fit, vt cuicunque formę ſubſtantiali creatæ, ſuperaddendum ſit aliquid, quod ſit proximum, ac immediatum principium operandi, quòd tamen ab ipſa natura fluat. Hoc autem nequit eſſe ſubſtantia, niſi plures ſubſtantias in vno eodemque compoſito inducere velis; erit itaque accidens; non quidem qua accidens ponitur vnum-

quinque vniuerſalium, ſed quia omne, quod non eſt ſubſtantia, eſt accidens: & ita ponitur in ſecunda ſpecie qualitatis, quæ eſt naturalis potentia, & impotentia. Ita docet S. Doctor in prima parte, quæſt. 77. artic. 1. in reſponſione ad 5. argumentum. Et quia vnum aliquod, varias edit operationes, varia etiã huiuſmodi accidentia, & principia proxima in eo ponuntur: & hæc appellamus facultates animæ, ſeu potentias: quæ cum huiuſmodi ſint, neceſſariò exigunt ſubiectum aliquod, cui inhæreant.

Vt verò doctrinam hanc, quæ adeò latè patet, vt ex ea, in ipſis etiam ſubſtantijs ſeparatis, & Angelis, intellectum, voluntatem, & eſſentiam eorundem, inuicem eſſe diuerſa DD. colligant, nunc in homine contemplemur, ſicut triplex in eo eſt animæ gradus, vegetantis, ſentientis, & intellectiuæ: ſic & potentiæ ſunt in eo vegetatrices, ſentientes, & intellectiuæ. Priores, quia emanant, fluuntque a formis materialibus, & cum corpore mixtis: ſunt materiales: quocirca certum etiam aliquod corporeum, ſibique proportionatum ſubiectum, cui inhæreant, vindicarunt: & ſubiectum illud dicitur potentię organum, & inſtrumentum. Hęc clara fient, ſi per facultates animæ ſentientis, vtpotè nobis notiores, tantiſper expatiemur, vt interea vegetatrices facultates tranſiliamus, de qua tamen re, vide S. Thomam in prima parte, quæſt. 78. art. 2. & quæſt. 79. artic. 7. & lib. 2. cont. Gent. cap. 89. Dominicum Bannes ibidem. Albert. Magn. ſecunda parte ſummæ de homine, quæſt. de motu nutritiuo art. 3. Caietanum in 2. de anima ad tex. 5. Ianduonum q. 13. Iauellum quæſt. 18. & alios Ariſtotelis expoſitores, præcipuè ad tex. 34. libri 2. de Anima.

Potentiæ igitur animæ ſentientis, hæ quidē ſunt externæ, hæ verò internæ: omnes ſortię determinata quędam organa, ſitu, figura, & temperamento ab alijs corporis partibus diuerſa. Id primò in potentijs ſenſuum exteriorum apertè conſpicis. In potentia quidem viſiua, ſiue illa in congreſſu nerui optici, tanquam in proprio reſideat organo, & ſenſorio: vt docet S. Thomas lect. 5. de ſenſu, & ſenſato, & lect. vltima. Ianduonus quæſt. 11. de ſenſu, & ſenſato. Domin. Bannes ſuper primam partem S. Thomæ, quæſt. 78. art. 3. dub. 2. Auicen. 10. Rhodig. Cęlio lib. 4. cap. 20. & complures alij. Cum enim ad ſtructuram oculi duo etiam nerui, qui optici, ſeu viſorij nuncupantur, a cerebro proficiſcantur, ita vt alter a dextra, alter a ſiniſtra eius parte deſcendat, ſed aliquantulum progreſſi, inter ſeſe coeant, atque vniantur; rurſuſque, antequam ſubintrent oculos, ſeparentur, aiunt præfati auctores, in congreſſu horum neruorum, & vnione, ſitam eſſe facultatem viſiuam. Siue illa in humore Cryſtalloide oculi contineatur, ibique celebretur viſio, vt cum Galen. lib. 10. de vſu part. cap. 5. & lib. 8. capit. 6. tenent alij, & pro eadem ſententia adducunt Ariſtot. lib. 1. de generat. animal. cap. 5. & primo de Hiſtor. animal. capit. 9. Siue in diuerſis oculi partibus ſubiaceat, vt alij auctores contendunt; vbivbi reſideat, illud nō modò conſideratione, ſed admiratione etiam dignum eſt, quanto apparatu, & diligentia, natura huius potentiæ inſtrumentum, atque ſenſorium, ſitu, figura, & temperatura ab alijs corporis partibus differens, ac diuerſum, elaborauit. Accuratè illud ſeptem muſculis motoribus, quinque tunicis, tribus humoribus, duobus neruis (quicquid alij dicant) ornauit, ſepſit, diſtinxit. Quæ omnia, multa diligentia enucleata habes apud Galen. lib. 10. de vſu partium: habes etiam multa apud Ariſt. lib. 1. de Hiſtor. animal. cap. 9. habes etiam a medicis, & præcipuè Anatomiſtis.

Audi etiam de auditu, nam ſiue hic in aere illo congenito, & auribus inædificato, quem membrana quędam, tympanus dicta, concludit, ne foras expiret, inſideat tanquam in proprio, præcipuoque ſenſorio: vt Ariſtot. lib. 2. de part. animal. capit. 10. & Galen. lib. 8. de vſu part. cap. 6. exiſtimant: Siue in ipſa membrana præcipuè ſubiaceat, illud vnum conſidera, auditricem potentiam, certa aliqua corporis parte, proprioque organo ſitu, figura, diſpoſitione, & temperatura ab alijs diuerſo, eſſe donatam, per quod, & in quo ſuam obeat operationem.

Sic etiam olfactus, reſidet tanquam in ſuo organo in tuberculis, mamillaribus appellatis, vt auctor eſt Auicen. 5. Fen. 3. Can. 1. Albert. Mag. in ſecunda parte ſummę de homine, in tractatu de olfactu, Philoſophus capit. 9. libri ſecundi de Anima, & complures alij.

Ita guſtandi vis præcipuè eſt in lingua; & in eius acumine exiſtimatur acutior, vt docet Ariſt. lib. 1. de Hiſtor. animal. cap. 11. & lib. 2. de partibus animal. cap. 17.

Tactus

Tactus deniq; vel reſideat, tanquã in præcipuo ſuo ſenſiterio in carne, vt autumat Auerroës in lib. 2. de part. animal. cap. 1. & 8. & idẽ in eodem cap. 1. aſſerere videtur Ariſtot. Alex. Aphrodiſ. lib. 2. de anima, cap. de contactu. Aut eſt veluti in organo proprio, in ipſis neruis, vt docet S. Thomas lect. 32. ſuper 2. lib. de Anima. Albert. Magn. ſuper eundem librum tract. 3. cap. 31. Iandunus quæſt. 29. in ſecundum de anima. Fernelius in lib. de animæ facultatibus. Veſalius lib. 6. de humani corporis fabrica. Galen. lib. 1. de vſu part. cap. 16. & 18. & lib. 5. cap. 9. & lib. 12. cap. 2. & lib. 2. de temperamentis; quinimò Ariſt. lib. 2. de part. animal. cap. 10. hæc de tactus organo ſcribit. *Sed hoc in tactu incertum eſt, propterea quod primum ſenſoriũ non caro, non pars eiuſmodi aliqua eſt, ſed aliquid internum*: omnino adeundus eſt Auerr. loco, quem dixi.

Confer etiam mecum animum ad Interiorũ ſenſuum, facultatumque conſiderationem. Internos ſenſus, quaternario numero (ita nunc lubet) comprehendo: ſenſu communi, phantaſia, cogitatiua (hæc in brutis æſtimatiua nuncupatur) & memoria, quæ in homine proprio nomine reminiſcentia vocitatur. Ita probat S. Thomas in prima parte, quæſt. 78. artic. 4. & in opuſc. 43. capit. 4. & multi alij. Omnes hæ facultates habent propria, ac diuerſa inſtrumenta, quibus affixæ hærent, & per quæ operantur; quinimò in diuerſis etiam capitis locis, ad partibus reponuntur, vt nonnulli volunt; è quorũ numero eſt Galen. multis in locis (quicquid in oppoſitum dicant alij) & videtur etiam S. Thomas in illo q. artic. citato, loquens quippè de cogitatiua, ait: *Cui Medici aſſignant determinatum organum, ſcilicet mediam partem capitis*. Idem repetit lib. 2. cont. Gent. cap. 60. Conſtituunt itaque ex anatomes inſpectione in cerebro, vbi ſentiendi officinas collocatas eſſe aiũt, quatuor ſinus, atque ventriculos, ita vt vnus ſit in anteriori cerebri parte, penè ſub fronte, in hoc inſidet ſenſus communis, veluti quinque externorum ſenſuum centrum. De quo adi Galenum libro de Simptomatum cauſis cap. 8. & libro de vſu pulſuum; Fernel. lib. 5. Phyſiologiæ cap. 1. neq. in Ariſtotelem acriter inuehuntur, propterea quod in libro de iuuentute, & ſenectute cap. 2. & lib. 2. de partibus animal. cap. 1. & lib. 3. cap. 4. & de ſenſu, & ſenſili cap. 2. & de ſomno, & vigilia cap. 2. & alijs in locis, hunc ſenſum communem in corde, veluti in proprio organo collocaſſe viſus ſit; lege tamen, ſi vacat, Auerroem lib. 2. de partibus animal. cap. 7. pro Ariſtotele aduerſus Galenum, & alios medicos multis ediſſerentem. In ſecundo cerebri ſinu, ponitur phantaſia: In tertio, & media capitis parte cogitatiua; quæ etiam dicitur ratio particularis; & vt loquitur S. Thomas artic. illo 4. citato: *Eſt collatiua intentionum indiuidualium, ſicut ratio intellectiua intentionum vniuerſalium*, idem habet lib. 2. contr. Gent. capit. 60. In quarto, denique ſinu, & occipitio ineſt memoria.

Hæc ita eſſe, facilè perſuadẽt ea, quæ Galeno, hoc ipſum perſuaſere. Quandoquidem videmus nonnunquam lædi ſenſus internos quoad vnam operationem, & non quoad aliam; quod profectò non aliunde obuenire videtur; niſi, quia ij in diuerſa cerebri parte reſident: ſic enim diſſoluto in vna parte organi temperamento, in alia nihilominus integro remanente; fit, vt facultas, quæ partem integram organi occupat, probè munere ſuo fungatur: quæ verò partem læſam, non item. Iam verò contingere huiuſmodi principum facultatum læſionem in ægris, ita vt, quandoque penitus labefactata imaginatione, ac phãtaſia; integra maneat cogitatiua; & contra hac deprauata; illa illæſa maneat. ſic, quandoque in aliquibus memorandi vim penitus fuiſſe amiſſam, ſuperſtite apprehenſione, & iudicio; exemplis Galeni, ad hoc ipſum confirmandum allatis, quàm pauciſſimis illuſtremus.

Narrat itaque Galenus in libro de Symptomatum differentijs cap. 3. Theophilum medicum, morbo correptum, cum alioquin ad interrogata probè reſponderet; imaginatum fuiſſe tibicines quoſdam in angulo domus aſtantes, aſſiduè canere; ob id clamabat, vt foras eijcerentur. Ex quo colligit Galen. imaginandi vim hallucinatam in eo fuiſſe; cum ſe, & audire tibicines, & videre putaret: iudicium verò incolume; tum, quia probè, & appoſitè interrogabat, ac reſpondebat: tum, quia tibicines eijci iubebat, qui ſi adeſſent, nocere ei poſſent.

In libro autem quarto de locis affectis, cap. 2. refert, Romæ quendam inſanæ mentis, cum in cubiculo detineretur; è lectulo ſurrexiſſe, ad feneſtram, per quam, & ipſe à prætereuntibus videri, & prætereuntes cõtueri poterat, acceſſiſſe: Inde ex vitreis vaſis ſingula, quæ domi erãt;

foris aſtantibus oſtendiſſe; rogaſſeque, imperarent ne, vt foras proijceret? qui ridẽtes, plaudenteſque, vt ea proijceret, cum rogaſſent, illũ, actutum omnia arripuiſſe, foraſque deieciſſe: Quod, cum magnis acclamationibus, riſuque exceptum fuiſſet; ſubinde, num puerum quoq; quem apud ſe habebat, deturbari iuberent, interrogaſſe; quod cum illi, vt faceret, iuſſiſſent; puerum quoq; ex feneſtra dediſſe præcipitem. In hoc itaque ſenſus communis, & phantaſia, integra manſerunt, quia, & vaſa, & puerum, & acclamationes, ritè apprehendebat: ęgrotabat tamen iudicium, quia, & vaſa, & puerum proijciendum inſanè exiſtimabat, nec comminuenda, & interiturum puerum inferebat.

Iam verò memorandi vim in quibuſdã nonnunquam fuiſſe læſam, integra imaginatrice, atque iudicio; Thucydidis teſtimonio confirmat idem Galenus, libro de Symptomatum differentijs cap. 8. & lib. 2. de Symptomatum cauſis cap. vlt. vbi refert, euaſiſſe quoſdam à peſtilentia, qui neque ſe ipſos, neque alios ſibi prius apprimè notos agnoſcerent. Itemque refert alios, qui ſenio confecti, in eaſdem inciderunt affectiones, ac ſe etiam quoſdam vidiſſe, qui litterarum, & artium omninò obliti fuerant; immò, & (quod admirabile eſt) ſuorum quoq; nominum: quibus tamen alij interni ſenſus incolumes erant. Quæ omnia ita contingere minimè poſſent, niſi præfatæ internorum ſenſuũ facultates, & diuerſis organis, per quæ operantur, eſſent affixæ; & in diuerſis cerebri partibus vigerent; vt læſo vnius partis, & organi temperamento, lædatur facultas inibi reſidens, reliquis manentibus integris. Et propterea optimè Aetius medicorum poſt Hippocrat. & Galenũ præcipuus lib. 6. cap. 2. hæc habet; *anteriore cerebri parte læſa, imaginatio ſolum læditur; medio verò cerebri ventriculo læſo, ratio peruertitur; poſteriore autem circa occipitium parte læſa perit memoria*. Ob id nonnullos ex ictu aliquo in occipitio excepto, rerum omnium, quas norant, obliuio capit, vide plurima huius rei exempla apud Simonem Maiolum lib. Dier. Canicul. colloquio 4.

Hæc omnia, ea mente tetigimus (tetigimus tempori; nec enim hic locus eſt, ea decernendi) vt clarè conſpicias, vnamquamque ſenſuum, tã exteriorum, quàm internorum vim, & facultatem, proprium ſibi organum, ſitu, figura, diſpoſitione, ac temperatione, ab alijs corporis partibus diſtinctum, atque diuerſum ſortitam eſſe; per quod, & in quo, ſuas exercet operationes. Huiuſmodi autem organo, intellectus in nobis caret, nec eſt affixus alicui corporis parti, ſed ſolutus, liber, ac ſegregatus ab omni ſocietate corporea. Et hoc eſt, quod Ariſtoteles hic ait: *intellectui nullum eſſe organum*. Et in 1. de Anima aiebat, ne fingi quidem poſse, quã nam partem occupet intellectus.

Quod ſi quæras, probat ne vllo pacto Philoſophus, intellectum, nulli eſſe affixum organo, an verò profert ſolum; vel quaſi omnium confeſſione receptum proijcit? Hem nihil Ariſtoteles, quoad eius fieri poteſt, ſine ratione profitetur: vt meritò naturæ genius appellatus fuerit. Probat, & quidem vt viris grauiſſimis videtur, auctoritate, & ratione. Vbi enim dixit, intellectum, nullum habere organum; ſtatim annectit; *& benè vtique, qui dicunt, animam eſſe locum formarum, niſi quod non tota, ſed intellectiua, neque actu, ſed potentia forma*. Hic Platonem intelligit, qui, cum animam fecerit immortalẽ; ritè eandem ſtatuit formarum, ſiue ſpecierum locum: hucuſque rectè: ſed poſuit ad hæc, omnem animam eſſe huiuſmodi formarum locũ. Et etiam formas illas contineri actu: quapropter & animã, referente Philopono ſuper hunc textum, tabulæ pictæ aſſimilabat: vt tandem doctrinam, & diſciplinam omnem, reminiſcentiam appellaret. Ariſtoteles itaque in præſentia primum Platonis effatum, animam ſcilicet eſſe formarum locum, approbat; reliqua duo corrigit; neque omnem animam eſſe formarũ locum, ſed duntaxat intellectiuam, neque eam eſſe actu locum, ſed poteſtate: quia nimirum: *Intellectus nihil eſt actu eorum, quæ ſunt antequam intelligat*.

Iam verò, vt clarius huiuſce probationis robur appareat, ſic eam conſtruo. Si intellectus poſsibilis vllum haberet organum, ipſe ſolus non eſſet locus formarum; ſed coniunctum ex ipſo, & organo; quemadmodum ſola vis viſiua non eſt locus ſpecierum viſibilium; ſed coniunctum ex ipſa, & parte corporis: non enim ſpecies viſibiles in ipſa ſola recipiuntur, ſed potius in oculo, ipſa videndi virtute informato: Quippè cum ipſa ſit iuncta cum oculo, fieri non poteſt, vt recipiat ſpecies, quin ſimul cum ea oculus recipiat. Quod de alijs quoque potentijs dico. Si igitur intellectus, ſolus eſt locus ſpecierum intelligibilium, nullum profectò habebit organum.

Ratio verò Philoſophi, quæ id ipſum confirmat,

mat, ducitur, vt Simplicius loquitur; *ex comparatione intellectus cum ſenſu.* Si intellectus haberet organum corporeum, in quo aſſideret; læderetur ab excellenti obiecto; & poſt apprehenſionem excellentis intelligibilis, non poſſet obiecta, humiliora intelligere. Atqui tantum abeſt, vt ille ab obiecto excellēti lædatur, vt potius perficiatur; tantumque abeſt, vt poſt apprehenſionem excellentis obiecti, humiliora non intelligat; vt illa melius, & facilius apprehendat. Quippè contemplatus quiſpiā pro virili, an Deum, an ſubſtantias ſeparatas; quæ ſunt excellentiſſima intellectus obiecta: poſtea alias res minores, cognituque faciliores; longè facilius, quàm prius intelliget. Ideò optimè Simplicius; *Intellectio,* inquit, *confirmatur ex contemplatione illorum præſtantiorum, in ſecundorum iſtorum cognitionem:* & Ariſtoteles illis verbis. *Sed intellectus cum aliquid intellexerit, valdè intelligibile, non minus intelligit inferiora, ſed & magis.* Signum igitur eſt, intellectum non eſſe addictum alicui organo. Primam propoſitionem, nempè ſi intellectus haberet aliquod organū, læderetur ab excellenti obiecto, probat Ariſtoteles ex comparatione ſenſus; *quia ſenſus non poteſt ſentire, ex vehementi ſenſibili.* Hoc ipſum illuſtrat exemplis; *vt ſonum ex magnis ſonis, neque ex fortibus odoribus, & coloribus videre, aut odorari:* Experimur hoc, quādo nos ex patente aliquo, maximèque lucido loco; in ſuboſcurum recepimus, planè, & plenè in alijs exemplis.

Sed dic age Philoſophorum Optime; cur ſenſus e vehementi ſenſibili læditur: intellectus verò potius ex hoc ipſo, acquirit perfectionem? *quia,* inquit Ariſt. *ſenſitiuum non ſine corpore eſt; intellectus autem ſeparabilis eſt:* ita ne verò? quia ſentiendi vis, eſt affixa, & copulata ſenſorio, nec ſine corpore, aut eſt, aut agit, propterea ab excellenti ſenſibili læditur: intellectus verò non modò ab excellenti intelligibili haud offenditur, ſed longè etiam exacuitur, quia poteſt a corpore ſeparari omninò.

Quod quidem, vt adhuc penitius introſpicias ſcito; ſenſum omnem in quadam ſymetria, & proportione organi ſitum, & collocatū eſſe: dicitur enim 2. de anima tex. 43. *ſenſus eſt quadam proportio.* Excellentia verò obiecta, huiuſmodi proportionem, & ſymetriam corrumpunt, aut alterant: quòd maiorem ictum inferant, quàm vires organi ferre poſſint: *Et propter id corrumpit vnumquodque excuperans, & acutum, & graue auditum: ſimiliter autem, & in ſaporibus guſtum, & in coloribus viſum, valde fulgidū, & opacum, & in olfactu fortis odor, & dulcis, & amarus: tanquam ratio quædam ſit ſenſus:* inquit ibidem Philoſophus. Ita prorſus, quemadmodum; & fidium concentus a vehementi pulſatione corrumpitur. Sicut itaque forma corporea, alterato, deſtructoque toto, ratione illius, ex accidente alteratur, & euaneſcit; vt docet Ariſtoteles lib. de longitudine, & breuitate vitæ: ita ſenſus, cum ſit ratio, & veluti forma organi, eo alterato, vel læſo, is quoque ex accidenti alteratur, ac læditur. De qua quidem re omninò adeundus eſt Simplicius in hæc Ariſtotelis verba. At verò intellectus, nec per ſe, nec ex accidenti alterari, lædiue poteſt; quia, vt ex Ariſtotele diximus *eſt a corpore ſeparabilis.* Ita ſanè: & tamen aduerſus hanc, adeò claram, & euidentem Philoſophi ſanxionem, Alexandræi muſſant: immò propalam inuehūtur. Verùm vt æqua lance rem dirimas, iudiceſque ex æquo, accuratè hic eorum dicta audienda ſunt: ſic enim ex veteri verbo

περιφορᾷ, παρὰ τὴν πορφύραν...

SECTIO VI.

Quid in contrarium ad hanc Ariſtotelis rationem nonnulli afferunt, & quomodo refelluntur.

PRodit in primis ſcurra illa Alexandræorum manus, quæ toties eādem apponit crambem; exiſtimans, ſe vna eademq; reſponſione, cunctis Philoſophi rationibus, & locis mederi; porrò ne illi quidē, qui omnibus eodem collyrio. Dicunt, cum intellectus poſſibilis nihil aliud ſit, quàm illa animæ præparatio, & aptitudo formarum, & intellectionum receptiua, Ariſtotelem, hic docere ſolummodo, hanc vim, & aptitudinem, haud eſſe corpori commixtam: ſed in ſola anima reſidere: qua quidem in re differt a ſenſu, qui eſt animæ, corporique communis; ideòq; hic, vel toti corpori, vel cuidam corporis parti admixtus; intellectus verò nulli; ille organicus, hic nequaquam.

Cæterùm, cùm nos ſuperius, & etiam infra Diſput. 9. ſect. 5. ex inſtituto patefecerimus, intellectum poſſibilē haud eſſe hanc animæ aptitudinem, ſed ens verè ſolo, non eſt, quod in præ-

Digitized by Google

præſentia pluribus id ipſum agamus. Quanquam ex hac etiam Ariſt. ratione, quam exponimus, ita præfata opinio redarguatur: quia Philoſophus in hac ſua demonſtratione, intellectum, de quo loquitur, confert cum ſenſu: ponit ipſum, non eodem pacto, ac ſenſum pati ab excellenti intelligibili non debilitari: poſt excellentis obiecti apprehenſionem, perfici, validiuſque minora, & humiliora obiecta apprehẽdere. Quæ omnia num poſſint huic animæ aptitudini, & carentiæ conuenire, tute perpende: an aptitudo, & vacuitas illa, poteſt cum ſenſu conferri? an pati? an debilitari? an perfici? quo tandem pacto, cum ſit carentia quædam, & formaliter non ens?

Adde, quod Philoſophus hic loquitur de intellectu in recto, vt aiunt: fatuum verò eſt etiam in Alexandræorum opinione aſſerere, animæ aptitudinem, & formarum carentiam intelligere. Quid verò? an hæc eorum animæ vacuitas, & aptitudo poteſt aliquando a corpore ſeparari? quo pacto? Atqui Ariſtoteles conceptiſſimis verbis, de intellectu poſſibili clamat: *hic autem ſeparabilis eſt.* Eapropter eorum nonnulli, cum animaduerterent, parum firmitatis ineſſe præfatæ reſponſioni, ad aliam confugiunt.

Dicunt ſecundò, intellectum eſſe quidem aliquod ens actu; nec cuipiam corporis parti, & organo affixum, ſed ſe ſolo excipere rerum intelligibilium ſpecies, idque Philoſophi demonſtrationem conuincere, ſi bene [illegible], hanc conſequentiam non tenere: intellectus caret organo, & ſe ſolo excipit ſpecies intelligibiles; ergo eſt immaterialis, & à corpore ſeparabilis: Ita Petrus Pomponatius, qui [illegible] Aphrodiſiæſem, cùm in lib. temerè de Animæ immortalitate nuncupato, tùm in Apologia, & Defenſorio acerrimè pro animorũ mortalitate dimicaſſe, & ipſe putauit, & communiter ab alijs indicatus eſt: de quo quidem, ac de Iulio Caſtellano, Iacobo Zabarella, Simone Portio, huius ſectæ anteſignanis, multis, & piè diſſeruit Iulius Cæſar Lagalla lib. 2. de animorum immortalitate cap. 4. & 5. nos, equum, vt aiunt, iuxta nyſſam.

Pomponatius itaque, primò ſternit, vnam eſſe cuiuslibet hominis animam, eiuſdem omninò generis, ac ſubſtantiæ, non autem hanc quidem ortus, interituſque participem, hanc verò corruptionis expertem. De qua quidem vna, eademque anima, mortalitas, ac immortalitas quadrifariam poterit enunciari. Enimuerò, aut hæc vna hominis anima ſimpliciter eſt mortalis, & immortalis: Aut ſecundum quid mortalis, & ſecundum quid immortalis: Aut ſimpliciter immortalis, & ſecundum quid mortalis: Aut denique ſimpliciter mortalis, & ſecundum quid immortalis. Conſtat autem primum, & ſecundum dicendi modum, penitus eſſe impoſſibile, cum eidem ſimul, & ſecundum idem, duo contraria conuenire minimè queant: Tum, reliquis duobus examinatis, & reiecto altero, quod ea ſit ſimpliciter immortalis, & ſecundũ quid mortalis; amplectitur vltimum, quod humana anima ſimpliciter quidẽ caduca, & mortalis ſit, ſecundùm quid autem immortalis. Et quidem ſimpliciter mortalis, quia plures eius operationes mortalitatem atteſtantur, & plures eius potentiæ diſſolubiles, ac mortales ſunt, nempè vegetatiua, & ſenſitiua. At quia intellectus in ſua operatione non vtitur corpore, tanquam organo, poteſt ſecundum quid appellari immortalis, ſeu participare immortalitatẽ. Excipe, quæ diximus, ex eius ipſius verbis, libello de immortalit. Animæ cap. 9. *Cum itaque primus modus, ponens intellectiuum realiter diſtingui à ſenſitiuo in mortalibus, ſecundum omnes impugnatus ſit modos: & ſecundus ponens, quod intellectiuum, & ſenſitiuum ſunt idem re, & tale eſt ſimpliciter immortale, & ſecundum quid mortale, ſit valde ambiguum, nec conuenire videatur Ariſtoteli; reliquum eſt, vt ponamus vltimum modum, qui ponens ſenſitiuum in homine identificari cum intellectiuo, dicit, quod eſſentialiter, & verè hoc eſt mortale, ſed ſecundum quid immortale. Atque vt ordinatè procedamus, dicimus, primò quidem ſimpliciter concedimus, quod intellectiuum, & ſenſitiuum in homine identificatur in re; verùm diſcordamus, quia dicimus, quod tale, verè, & ſimpliciter eſt mortale, ſecundum quid verò, & impropriè immortale:* hæc Pomponatius.

In hoc dogma deſcendiſſe poſtea Zabarellam, ex libris de Mente humana, & ex Comment. in lib. de Anima, videre licet. Quippè cũ intellectum, ſeu animum, de mente Philoſophi interitui obnoxium opinaretur, neque in Alexandri ſententiam iret, quod intellectus ſit aptitudo quædam &c. omninò conſtanter aſſeueraret, cum eſſe formam hominis, verè informantem, eandem porrò, ac Pomponatius, ſententiam ſumptus eſt. Vnde in capite 10. lib. commemorati de Mente humana, in reſponſione ad 7. argum. hominem, ait, nuncupari, & eſſe me-

diæ naturæ inter corruptibilem, & incorruptibilem, ac diuinam, *non per veram extremorum participationem, ſed ſolum per eorum ſimilitudinem.* Quemadmodum aiebat, & Pomponatius. Hi igitur auctores (quibus dein vtinam nemo, an nominis celebritate, an auctoritate permotus adhæreſceret) planè fatentur, intellectum noſtrum, in ſua operatione, haud vllo corpore, ceu organo vti; ſed ipſum per ſe ſuſcipere ſpecies, & intelligere: Enimuerò, *intellectus in intelligendo patitur, quia recipit ſpecies: in hac ergo receptione, ſi ipſam conſideremus, videbimus corpus non interuenire, ideſt, nullam fieri in corpore receptionē ſpeciei intelligibilis, ſed in ſolo intellectu fieri: quamuis enim operatio intellectus, ſupponat operationem partium ſenſitiuarum, quæ fiunt cum interuentu corporis recipientis; tamen ipſa per ſe, & formaliter accepta operatio intellectus, fit ſine vllo concurſu corporis. Intellectio igitur formaliter accepta, non eſt receptio facta in corpore, ſed in ſola ipſa anima intellectiua, quæ ea ratione dicitur recipere, quatenus fit ipſamet res intellecta*: retulimus etiam ſuperius ex Zabarella in Comment. 3. de Anima circa tex. 6. Pomponatius etiam fatetur in capite 10. lib. de immortalit. Animæ, *quod intellectus humanus, qua intelligit, indiuiſibiliter recipit*. Et ipſum intelligere humanum, quod eſt accidens, & ſine ſubiecto eſſe nequit, *verè ſecundum eſſentiam, eſſe in intellectu, iuxta illud tertij de anima: Anima eſt locus ſpecierum, non tota, ſed intellectus*. Hi inquam, etſi ita de intellectus operatione philoſophantur, negant tamen, vti dicebam, conſequentiam, ergo intellectus eſt immaterialis, & a corpore ſeparabilis; quam quidem ita oſtendi poſſe, nos opinamur.

Forma, quæ per ſe habet operationem, cui non communicat corpus; habet quoque eſſe ab omni corpore independens: tùm quia, cuiuſmodi eſt operatio, eiuſmodi eſt, & natura formæ, a qua illa proficiſcitur, *quia ſicut ſe habet res ad eſſe, ita ſe habet ad operari*; tum, quia nihil poteſt per ſe operari, niſi quod per ſe ſubſiſtit, non enim eſt operari, niſi entis in actu, vnde eo modo aliquid operatur, quo eſt: iccircò non dicimus, quod calor calefacit, ſed calidum. Idque ex regula Ariſt. lib. 1. de Anima text. 13. *quia, ſi eſt aliqua animæ operatio propria, continget, vtique ipſam ſeparari.* Quod, vel ex modo etiam loquendi apparet; non enim dicimus animam ambulare, comedere, dormire, ſed benè dicimus; animam intelligere, vt etiam Ariſtoteles lib. 3. de Anima, *De particula autem animæ, qua anima intelligit, & ſapit.* Atqui intellectus, vt præfati etiam auctores concedunt, habet per ſe, ac ſine corporis interuentu operationem, habet igitur neceſſariò etiam eſſe, atq; ſubſiſtere a corpore independens, atque adeò ſeparabile.

Explicatur vlterius: Omnis forma exiſtens in aliquo ſubiecto, a quo dependet in eſſe, & conſeruari, non agit, nec patitur, niſi actione, vel paſſione eius compoſiti, cuius eſt pars; & a quo dependet in eſſe, & conſeruari; vel actione, aut paſſione, alicuius particulæ illius cōpoſiti, cuius ipſa eſt pars. Hoc enunciatum, nō modo ratione liquet, ſed etiam ſenſu; cum nullam videamus huiuſmodi formam, cuius actio non ſit compoſiti, aut particulæ compoſiti. Ergo ſi anima intellectiua, & intellectus, nō agit, aut patitur, actione, vel paſſione compoſiti, vel alicuius particulæ eius, quia in ſua operatione, nempè intellectione, nullo vtitur organo, nulla corporis parte; ſequitur cum, neque in eſſe, nec conſeruari a corpore dependere. Vnde cōſecutio illa euidenter conuincitur, ſi intellectus habet operationem, cui non communicat corpus; ergo habet etiam eſſe.

Circa quam, tñ peculatè animaduerte; eius non hunc eſſe ſenſum, vt temerè non nemo deduxit: Intellectus habet operationem propriā, quæ abſque corporis interuentu celebratur, ergo habet eſſe actu a corpore ſeparatum; ſeu eſt ſeparatus. Sic enim vel in Auerrois abſurditatem, de intelligentia nobis aſſiſtente; vel omninò in Platonicam aſſiſtentiam detruderere: præterquamquod, licet intellectus, haud operetur cum corpore, tamen operatur in corpore: ſi verò actu operatur in corpore, qui vnquā erit actu ab eo ſeparatus? Senſus itaque eſt, habet operationem independentem a corpore; ergo pari pacto habet eſſe ab eodem corpore independens: ſeu quod in idem recidit, a corpore ſeparabile, & quia immediatè eſt in anima intellectiua, vt intra latius explicamus.

Verùm occurrunt aliqui, inter quos eſt Zabarella in Comment. 3. de Anima ad tex. 6. eſſarum illud, cui tota ratio innititur, *vt res ſe habet ad eſſe, ita ad operari*, haud obtinere perpetuam veritatem: Addit inſtantiam: Intellectus ſecundum ſuum eſſe eſt actu in infante; nec tamen ſequitur, ergo actu operatur: haud itaque rectè inferretur ab eſſe, ad operationem. Nec contra, ab operatione ad eſſe; nam intelligentia operatur in orbe, dum efficit motum;

tum;

tum; nihilominus ſecundum ſuum eſſe non eſt in orbe, cum ei minimè largiatur eſſe. Interpoſitio terrę efficit eclipſim in Luna, nec tamen ſecundum ſuum eſſe eſt in Luna. Quamobrem tunc ſolummodo, ait, dictam regulam veritatē habere, *Cum poſito modo operandi diuerſo a modo eſsendi, ſequitur implicatio contradictionis: tunc enim ad euitandam contradictionem, necesſe eſt, ita ſe habere rem in eſse, ſicut ſe habet in operari: ſicuti videtur ea regula Ariſt in eo tex. 13. primi libri, quia ſi habet anima aliquam operationem propriam, id eſt, in qua nullus ſit corporis interuentus, & ſecundum eſse ponatur inſeparabilis a corpore, ſit implicatio contradictionis, quia ponitur eſse in corpore, & non eſse in corpore: quia dum ſine vllo corporis interuentu operatur, necesſe eſt, eam eſse a corpore ſeparatā. Sed quando ſine vlla contradictione, diuerſus ponitur modus eſsendi a modo operandi, nullum ſequitur inconueniens; nec amplius licet ea regula vti.*

Equidem non queo ſatis mirari, quænam in huius viri doctrina, (aut ego fallor) contrarietas: vt enim cętera ſileam, ita colligo;

Si habet anima aliquam propriam operationem, id eſt, in qua nullus ſit corporis interuentus; & ſecundum eſse ponatur inſeparabilis a corpore, ſit implicatio contradictionis: vt hic in pręfatis verbis plenè confitetur.

Atqui anima, ſeu intellectus (nam intellectus in huius ſententia eſt ipſa hominis forma) habet aliquam propriam operationem, intellectionem, abſque corporis interuentu: *nam ipſa per ſe, & formaliter accepta operatio intellectus, ſit ſine vllo concurſu corporis. Intellectio igitur formaliter accepta, non eſt receptio facta in corpore, ſed in ſola ipſa anima intellectiua*; ait idem auctor, loco paullò ante a nobis adducto: & tamen ponit animam a corpore inſeparabilem. Ergo inuoluit contradictionem.

Admirare etiam in hoc ipſo auctore, hanc cohærentiam: Hinc quidem intellectum poſſibilem conſtituit veram hominis formam: ita paſſim contendit, vnde lib. de Mente humana cap. 14 *omnia*, inquit, *quæ ab Ariſt. dicuntur in 3. de Anima, ſignificant animam, non ſolam facultatē, vt diſtinctam ab anima.* Et lib. de Mente agente cap. 13. *In hoc mundo inferiore, nulla eſt natura ſusceptiua intellectionis, niſi natura intellectus noſtri patibilis, qui forma hominis eſt.* Hinc verò eum ipſum intellectum aſſerit, ſe ſolo, & abſque corporis interuentu, recipere ſpecies intelligibiles; vt ex eodem ſuperius vidimus: quin etiam agere, citra corporis adminiculū; qua de re ita ſcribit in libro, nuper commemorato, de Mente agente, cap. 7. *Dicimus, verum quidem eſſe, abſtractionem eſſe actionem, ſed negandum, patibilis intellectus officium, eſſe ſolum pati; quia licet Ariſt. dixerit, intelligere eſse pati, quia ſecundum originem eſt pati, & facilius ad cognoſcendam eius naturam ducimur per pati, quàm per agere; tamen intelligere eſt etiam agere: nam cognoſcere, non in ſola ſpecierum receptione, quæ paſſio eſt, conſiſtit, ſed etiam in receptarum iudicatione, quæ eſt actio: quare patibilis intellectus, ſpeciem quidem recipiendo patitur, ſed eam iudicando agit; quo fit, vt intellectio dicatur actio immanens, quia fit ab ipſo patibili intellectu, & in ipſomet recipitur*: hæc ille.

At quæſo, ſi intellectus eſt vera humani corporis forma, quonam quam pacto quicquam recipiet ſine corpore, cuius eſt forma? quomodo aget? quomodo producet actionem abſque interuentu corporis, cuius eſt altera pars? quo tandem pacto eam ipſam in ſe ſe recipit ſine corpore? Didicimus, vel ex primis Philoſophiæ præceptis, formam haud eſſe id, quod an agat, an patiatur; ſed id quo aliud agit: pugnant ergo hæc inuicem, eſſe veram cuiuſpiam corporis formam, & agere, aut quicquam recipere, atq; pati abſque corpore, quod informat. At inquis, cum eodem Zabarella ſuper 3. de Anima ad tex. 6. quamuis intellectus ſit forma hominis, qua homo eſt homo, *tamen ita eſt ſublimis, & corpori imperans, vt ipſa recipiat ſpecies intelligibiles, corpore nihil recipiente.* Hoc nihilo plus valet, nam fac eſſe longè omnium formarum ſublimiſſimam, adhuc tamen qua forma informans, perpetuo eſt id quo, & altera compoſiti pars, ergo reuoluitur Siſyphi ſaxum.

Vin' adhuc? Idē, vt diximus, ſępè enixè molitur, quod intellectus poſſibilis ſit vera hominis forma informans; eòq; a corpore inſeparabilis: & nihilominus in lib. de Accretione, & nutritione cap. 15. in mentem ſibi veniſse ait, dum tex. 41. libri primi de ortu, & interitu conſideraret, & ex confeſsione Ariſt. humanam animam eſse immortalem. Excipe eius verba: *Non poſsum hic me continere, quin dicam id, quod mihi eum locum conſideranti, in mentem venit; quod non credo Ariſtotelem cogitaſse, quanquam illud cogitare maximè debuit: ſumitur enim ex eo loco, & ex Ariſt. confeſsione argumentum aliquod, vel ſaltē coniectura, de anima humana immortalitate: Quum enim de anima vegetante, quæ ignobiliſſima omnium animarum eſt, loquens ibi Ariſt. fateatur, eam eſse modo aliquo immaterialem, & eleuatam, & liberam*

a nexu

Digitized by Google

a nexu materiæ, quia poteſt ſaltem a partibus ſuæ materiæ ſeparari, credendum eſt, animam ſenſibilẽ, multò eleuatiorem eſſe; ſed maximè omnium animam rationalem; proinde, ita eſſe liberam a nexu materiæ, vt poſſit etiam a tota ſua materia ſeparari, ſi aliæ partes animæ ſunt a partibus ſaltem ſuæ materiæ ſeparabiles: eo enim negato, non haberet anima rationalis maiorem eleuationem, quàm anima vegetans; quod non videtur conſentaneum eſſe rationi.

Atat, de hoc auctore non plura ad rem venio. Porrò inſtantiæ ab eo adductæ, contra enunciationem illam, vt res ſe habet ad eſſe, ita ad operari, inanes & caſſæ ſunt. Prima, quia intellectus haud eſt in infante, in actu proximo; vt cum vult, poſſit operari; idque, quia non habet rectè diſpoſitas, & præparatas facultates, illi deſeruientes, præcipuè imaginatricẽ, quæ in pueris, ob nimiam humiditatem, vt aduertit Auerr. in 1. Phyſic. Comment. 5. confuſa eſt: ſed intellectus in eo, quoad operationem, eſt in actu remoto: perinde atque habitus phyſices in phyſico dormiente: vnde non rectè colligi poteſt, ergo actu operatur; ſed ſicuti eſt, ita operabitur. Secunda etiam de intelligentiis, nulla eſt: Siue enim conſtituas, intelligentiam mouere orbem, *tanquam amatum, & deſideratum*, 12. Metaphyſic. text. 36. inſtantia nullum habet pondus; quia finis mouet, vt apprehenditur, etiam ſi longiſſimè diſtet. Siue verius dicas, quod moueat orbem effectiuè, eſt in orbe per applicationem virtutis. Poſtrema, inſtãtia tanto viso parum digna exiſtimatur; Ecquem fugit, quod interpoſitio terræ, dum Lunæ defectum efficit, eatenus ſit in Luna, quatenus illum cauſate? quia nimirum proijcit vmbram in ipſã Lunam, & impedimento eſt, ne illa ab Sole irradietur? Quæ cum ita ſint, propoſitio illa perpetuæ veritatis eſt, & conuertibilis: tũ quòd ſtruximus argumentum, manet in ſuis viribus. Intellectus habet operationem, quæ formaliter ſit ſine corporis interuentu: ergo etiam eſſe, [illegible]

Occurrunt alij, aientes, effatum illud, forma, cuius eſt actio per ſe, & ſine corpore exercetur, natura ſui eſt a corpore ſoluta, ac ſeparabilis; eſſe quidem verum, ſi forma fuerit ſimplex, nec multis facultatibus onuſta; anceps verò, immò falſum, ſi forma ſit multis potentijs, ac viribus prædita: Huiuſmodi autem eſt anima rationalis, quæ tribus facultatum generibus, intellectiuo, ſenſitiuo, & vegetatiuo affecta, quorum illud citra vllum corpus in ſuo munere obeundo verſatur, ſenſitiuum autem, & vegetatiuum, nunquam ſine corpore agit. Itaque, quamuis anima noſtra, in eo, quod eſt intellectiua, poſſit à corpore ſeparari: fieri tamen nequit, vt actu ſeparetur, & ſine corpore maneat; quia impeditur a reliquis facultatibus, quæ, quòd in operando exigunt corpus, in ea ſeparata eſſent otioſæ. Et hoc arbitrantur, Ariſtotelem ſignificaſſe, quando in textu illo 13. citato, ait, ſi eſt aliqua animæ operatio propria, *contingere vtique ipſam ſeparari*, vbi cautè vſus eſt verbo, *contingere*, & non dixit neceſſarium eſſe; quia, ſi anima habet aliquod proprium officium, nihil vtique prohibet, vt hac ratione ſpectata, poſſit a corpore ſeiungi; cæterùm hoc non eſt neceſſarium, quia aliquid aliud poteſt eſſe impedimento, ne maneat ſine corpore: ita Pomponatius, & adhuc non nemo.

Verùm hæc aperta ſunt diuerticula, nec tamen vim argumenti confringunt, nam in vniuersùm vero verius eſt, vnumquodque operari ſecundum quod eſt actu; fieri autem actu, per ſuam formam; atque ideò conditionem actionis, prodere conditionem naturæ, ac formæ, a qua veluti a principio emanat: ita, vt cuiuſmodi eſt operatio, dependens, vel independens a materia, huiuſmodi ſit & eſſentia, a qua proficiſcitur: ergo quæcunque forma, ſiue illa fuerit ſimplex, ſeu multis viribus prædita, ſi habet operationem independentem a materia, habet etiam eſſe ab eadem materia independens.

Præterea, operatio, & potentia, a qua illa producitur, debet inuicem proportionari, velut effectus, & cauſa: impoſſibile enim eſt, vt actio vitalis excedat potentiam vitalem, a qua promitur, cum ab ea promatur, tanquam a cauſa principali. Et pari etiam ratione potentia, & natura, a qua emanat, inuicem proportionantur: Hinc commune illud verbum *operatio ſequitur naturam potentia operantis; potentia verò naturam, & eſſentiam, a qua effluxit*: Nemo etiam non nouit illud Ariſt. *vnaquæque res, declaratur ex ſua operatione, & virtute*. Quòd inductiuè conſpicitur; ex fructu cognoſcimus arborem: ex eo, quod aliquid ſe mouet, animam: ex ſpecie diuerſis actionibus, diuerſas ſpecies, &c. Et profectò, nec Ariſtoteles vſpiam; nec nos alia via venari poſſumus naturas, & eſſentias rerum, niſi ab operationibus, quas videmus; inueſtigamus potentias, & ab his, earundem naturas: ergo ſi intellectus, habet aliquam operationem, hoc eſt intelligere, ſupra cor-

corpus,eamque exercet abſque eius adminiculo,habet etiam naturam ſupra corpus, & ſine corporis fulcimento,optimè poterit cohærere; & ſic argumenta facta manent in ſuo robore.

Sed dicunt, verè ex hac parte intellectum, & intellectiuam animam,eſſe quidem a corpore ſeparabilem,vt reuera conuincitur, eam nihilominus, ne actu ſeparetur,impediri a reliquis facultatibus: propterea quod anima non modo eſt principium huius operationis, citra corpus exercitæ,ſed aliarum etiam ſenſitiuarũ, & vegetatricium(quippè non eſt in homine,niſi vna anima) quæ, quia ſine corpore exerceri minimè queunt,ne illa in hac parte ſit otioſa, impedimento ſunt,quo minus actu ſeiungatur.

Sed hoc non euitat argumentum: ſi enim in nobis reperitur actus,ſine corporis ope exercitus,arguit potentiam ſupra corporis cõditionem,vt dicebamus.

Ad hæc, ſumo huius actus principium,hoc eſt intellectum; quod eſt aliquod poſitiuũ ens, nec addictum corpori, vel cuipiam eius parti; petoque,eſt ne ſubſtantia,an accidens? ſi ſubſtantia, nec affixa corpori,per ſe nequit corrumpi; quia ſubſtantię nihil contrariatur; nequit etiam corrumpi ratione ſubiecti, quia non eſt affixa. Si accidens, aut eſt corporeum,aut non; ſi prius,quomodo corpori non inhæret? videmus quippè huiuſmodi accidentia omnia,alicui ſolido inhærere: ſi incorporeum,habet etiam ſubiectum in quo inſit,incorporeum; quomodo enim accidens incorporeũ, atque immateriale, ſubiectari queat in aliquo corporeo,& materiali? exigitur enim inter ſuſceptiuum, & ſuſceptibile proportio. Huius itaque actionis principium, intellectus, qui vtpote facultas animæ, ſubiacet in ipſa anima, ceu in proprio ſubiecto, quæ neceſſariò eſt illi proportionata, incorporea, immaterialis,atq; incorruptibilis.

Præterea; Si anima habet duplex facultatũ, & operationum genus,ita vt has quidem edat ſine corporis ope,& ratione harum poſſit a corpore ſegregari; alias verò citra corpus exercere nequeat; vt ſunt ſenſitiuæ,& vegetatiuæ;& ratione iſtarum non poſſit; eòque Antagoniſtæ colligunt,eam ex toto eſſe caducam, & mortalem,cur nos non rectius colligemus, ipſam,ratione illius excellentiſſimæ partis,totam a corpore ſepaſar. ? uemadmodum reuera, corrupto homine, diſcernitur ipſa quoque hominis anima ſenſitiua,& vegetatiua, quæ ſunt idem, & eminenter contentæ in intellectiua. Quomodo autem illa non ſit otioſa ad huiuſmodi operationes,dicetur infrà.

Præterea, quandocunque duo diuerſi ordinis vniuntur; quod eſt gradus ſuperioris, hoc vtique præualet;propterea quod huic ſubiacet, obſequiturque aliud: ſic etiam recto naturæ ordine paratum eſt,vt,quæ ſunt inferiora, ea ex ſuperioribus pendeant,hinc *minus principale, eſt propter principalius*: Atque, ne longè abeam in nobis ipſis conſpicitur,quando inferior animæ pars ſenſitiua,obſequitur, trahitur,laceratur ad imperium Voluntatis: Si igitur in anima noſtra,vt ad eorum etiam aures loquamur, duo facultatum genera, eaque diuerſi ordinis perpenduntur, quorum ſuperius ſeparabilitatem,& immortalitatem animæ vindicat; inferius verò caducitatem; profectò illud ſuperius præualebit, atque adeò ea, ex toto a corpore ſeparabitur.

Ad hæc,quamuis plures animæ operationes exerceantur dependenter a corpore; ſi tamen vna aliqua eius actio fuerit a materia independens, illa ſufficiet, quò totius animæ independentia deducatur: Ita prorſus dicebat Ariſt. in textu illo 13. *Si igitur aliqua animæ operatio eſt propria,continget ipſam ſeparari:* vbi notanter dixit, *ſi aliqua:* quia vna ſufficit,quo ſatis abundè pateſiat,animæ quoque ſubſtantiam a materia non dependere; Et profectò,ſi quando omnes animæ operationes ſunt a materia dependentes,vt contingit in brutis, optimè colligimus, animam, quæ eſt earum operationum principium, dependere a corpore, in eſſe, & conſeruari, optimè, ex oppoſito conſequentis colligitur animam, cuius non omnes operationes ſunt a materia dependentes, haud eſſe a materia dependentem in eſſe, & conſeruari, (ſed excellentius aliquid eſſe, atque illas operationes dependentes exercere, non tanquam principium proprium, & adæquatum illarum, ſed tanquam principium ſuperioris, & alterius ordinis,quæ ea quoq; facere poteſt, quæ fiunt a principio inferioris ordinis, quia eminenter continet animam ſenſitiuam,& vegetatiuam, ſicut tetragonum,continet trigonum.

Tùm præterea,hoc ens reale,intellectus, nõ dependet a corpore,vt a ſubiecto,quinimò ſeparatur ab eo, vt a ſubiecto: ſic pendeat, quaſi ab obiecto: id conceſſit Pomponiana claſſis, & ipſe in cap. 9. libri de immortalit. animæ his omninò loquitur, *Verùm omnia aperta ſunt*

ex

ex prædictis; intellectus enim abſolutè,& quà intellectus eſt, omninò immixtus,& ſeparatus eſt: vt humanus, vtrumque retinet; nam ſeparatur a corpore, vt ſubiecto; non ſeparatur verò, vt obiecto: ergo intellectus verè habet eſſe a corpore independens: Quod enim a corpore, vt a ſubiecto non pendet, ab intrinſeco,& ſecũdum ſuum eſſe ab eo nõ pendet: cur ergo corruptione illius, hoc debeat corrumpi? quod autem vt ab obiecto pendeat, hoc nihil officit, vt alias dictum eſt.

Quæſo, ens hoc reale, ſi corporeum quicquam eſt; quo vnquam pacto abſque corporis adminiculo operatur? quomodo a corpore tanquam a ſubiecto minimè pendet? quomodo actionem penitus ſupra corporis ambitum edit? Sin autem incorporeum, ac immateriale eſt, quì vnquam a corpore inſeparabile? quì verò caducum, ac mortale? Quid? eadem omninò res intellectus, quem hi cõſtituunt formam hominis informantem, ſimul foret corporea, & incorporea; diuiſibilis, & indiuiſibilis; caduca, & incorruptibilis; mortalis, & immortalis: quæ contradictoriè opponuntur, quare &c.

Nec verò huic argumento quicquã opis affert machinatio Pomponatij, qui in lib. nuper cõmemorato cap.3. id abſurdi percupiens euitare, quod eadem res, in vnum foret mortalis, ac immortalis; corruptibilis, & incorruptibilis, quæ tamen ab Stagirite lib.10. primæ Philoſophiæ genere diſſidere accepimus: *malum*, vt vulgò dici conſueuit, *medicatur malo*; dum ait, animam humanam, in ſe haud eſſe immortalem, ſiue non continere immortale, ſed ſolum participare immortale, ſiue proprietates immortalis. Nunc longè aliud eſt, eſſe quippiam tale, aliud participare tale? quippè nihil prohibet, quin res aliqua caduca, atque mortalis, participet immortalitatem. Hoc pacto Philoſoph. 2. de Anima, tex.34. & 35. aſſeruit, omnẽ quod ſibi ſimile producit, particeps eſſe immortalitatis. Et contra Luna, referente Auerroe 2. de Cælo Commen.49. ex Ariſt. lib. de animal. participat naturam terræ.

Vin' eius verba audere? Cũ in eo ipſo cap. in dubium reuocaſſet, quì vnquam animus ſecundũ quid immortalis appellandus ſit, ſi ſimpliciter eſt mortalis? vel .n. verè, ac propriè fuerit immortalis, & tunc impropriè mortalis, vel cõtra; cum inter hæc haud ſit mediũ, ita pergit: *Et ſi inter propriè, & impropriè non datur medium, tamen per participationem proprietatum, datur medium, ſicut licet inter ſubſtantiam, & accidens non datur medium, tamen aliquid ponitur participare de proprietatibus vtriuſque: ſicut & moueri ſecundum partem, ponitur medium inter moueri per ſe, & per accidens, vt dicitur 5. Phyſic. quare animus humanus, & ſi impropriè dicatur immortalis, quia verè mortalis eſt, participat tamen de proprietatibus immortalitatis.* hęc ille. Quam deinde reſponſionem medullitus hauſit Zabarella, qui in lib. de Mente humana cap.9. in reſpõſione ad 7. arg. cum actuario affirmat, hominem eſſe mediæ naturæ inter mortalem, & immortalem, *non per veram extremorum participationem, ſed ſolum per eorum ſimilitudinem.*

Deum immortalem, ecquis non ex intimo animi receſſu exclamet; ergo pictura, quæ non eſt homo per veram hominis participationẽ, ſed ſolum per eius ſimilitudinem, poterit edere actiones hominis? ergo Luna, quæ dicitur naturam terræ participare, gignet id, quod terra gignit? Atqui intellectus noſter verè elicit actionem ſupra corporis vires, verè indiuiſibilem, verè immaterialem, commentum igitur, & vanũ eſt aſſerere, eum nõ eſſe immortalem in ſe, ſed ſolũmodo per ſimilitudinem, & proprietatum participationem. Quid? ſi intellectus, eo pacto ex participatione immortalis eſt, quemadmodũ (vt eorum exemplo vtamur) omne ſibi ſimile productiuum, nuncupatur immortale, profectò nõ minus quæuis alia res, quàm intellectus dici poterit immortalis; ac proinde canis, Lupus, aſinus, perinde erunt immortales, atque intellectus. Hem piget, pudetque, tam immanes cogitationes, a viris alioquin magnis, ac ſolertibus prodigioſè effuſas audire.

Animaduerterũt, opinor, Antagoniſtæ, præcipuè Pomponatius, haſce reſpõſiones, vſquequaq; inanes, & aranearum textis eſſe perſimiles, ob id aliò tandẽ confugiunt; nempè intellectũ bifariam capi: Primò, vt intellectus eſt: Secundò, vt humanus intellectus. Priori modo, eſſe a corpore ſeparabilẽ, ac immortalem: poſteriore, non item. Ita Pomponatius cum ſæpè alibi, tùm maximè lib.1. Apolog. c.7. lõga verborum ſerie molitur: vbi tandem his omninò concludit. *Dicimus itaq; intellectum, & poſſe præcedere, & ſubſequi corpus, loquendo de intellectu per ſe: cũ enim nullus intellectus indigeat corpore, vt ſubiecto, non ſibi repugnat, quà intellectus eſt, & præcedere, & ſubſequi: veluti omnis motus, quà motus eſt, poteſt in infinitum velocitari, & tardari, vt 6. Phyſic. dicitur. At, quà humanus, neq; poteſt præcedere, neq; ſubſequi, &c.* Audi cũ ipſum in lib. de immortal. aĩæ ca.9. q̃ ſe ingenioſè contorquet, dũ enodare admititur, vnde eſt, quòd intellectio nõ ſit in

Digitized by Google

organo, quodque intellectus ſupra ſeipſum reflectatur, diſcurrat, comprehendat vniuerſalia, id qđ virtutes organis affixæ, extenſæq; minimè pſtare queũt. *Hoc totũ,* inquit ille, *prouenit ex eſsentia intellectus; quia, qua intellectus eſt, non pendet a materia, neque a quantitate: quod ſi humanus intellectus ab ea pendet, hoc eſt, vt ſenſui coniunctus eſt: quare accidit ſibi, qua intellectus eſt, a materia, & quantitate dependere.* Hac diſtinctione exiſtimat, ſe omnes Philoſophi auctoritates, & rationes, quæcumque animorum fauent immortalitati, deflectere: exempli gratia, reijcit in eo ipſo cap. 9. Alexandri expoſitionem ad tex. 36. lib. 12. Diuin. quod Stagirites eo loci intelligat, intellectum agentem; dein ſubnectit; *Sed intelligitur de intellectu poſſibili, qui quandoq; intelligit, & quandoque non: corrumpitur enim quodam interius corrupto, idest ſenſitiuo, cui identificatur. Verùm Ariſt. illud intelligit de per ſe, non per accidens; quaſi dicat, nihil prohibere eum manere, qua intellectus eſt, non qua humanus:* hac via Pōponatius paſſim graſſatur.

Verùm hic perdere, an petire cupit? vt animo adeò pertinaci, ac penè dicas, gladiatorio animi mortalitatem affectet: tute perpende cætera, equidem contra inſulſam hanc diſtinctionem, hoc tantum obijcio. Nos in præſentia verba facimus de intellectu humano, qua humanus eſt: hic, habet operationem ſine corporis interuentu; hic ergo eſt ſecundum eſſe a corpore independens &c. Præterea, cum ait, intellectum per ſe, & qua intellectus eſt, præcedere, & ſubſequi corpus, non verò humanum, & qua in hoc, illoue homine cum ſenſu coniungitur; pari equidem pacto de homine, de Leone, de cane retorqueo: quia homo, qua homo eſt, cùm præceſſit me, tùm ſubſequetur; at homo, qua ego, nec me præceſſit, nec ſubſequetur, ſed omninò caducus eſt, ac mortalis: ita porrò dicendum foret de intellectu humano: atque idem omninò eſt, ac ſi vna voce dicas, intellectum humanum eſſe prorſus mortalem.

Ad extremum, cum ait intellectum, qua intellectus eſt, &c. vel capit intellectum pro cōceptu rei, prout intellectum animo comprehendimus, vel pro re ipſa: Si priori modo, nihil ad rem: non enim quærimus de intellectu, qui mēte concipitur, & eſt in intentione: vtrũ ne mortalis, vel immortalis ſit: Quod ſi accipit pro ipſa re, tunc intellectus adhuc eſt cōmune quippiam intellectui diuino, qui primò, ac precipuè intellectus eſt; tum Angelico, poſtremò humano: vafrè igitur Pomponatius communi intellectus nomine, & ambiguitate vocis, funditus tollit humani intellectus immortalitatem, & quaſi mortifera quadam ſepia virulento cruore: iter præſepit veritati.

Quid? adhuc id ipſum inuoluit, ſubſecatque intellectum. In cap. 5. lib. 1. ſuæ Apolog. cum obiecisset (videmus, intellectum noſtrum in intelligendo langueſcere, membra extenuati, corpus ſeneſcere, ac celeriter ad interitum deuenire, nihilq; validius lacerare corpus, quàm ſtudium: quæ omnia minimè obuenirent, ſi intellectus verè eſset immaterialis, quia cauſa laſſitudinis eſt materia; vnde motrices orbium celeſtium defatigantur nunquam:) Atque conſueta ſibi diſtinctione dixiſſet, ideò communiter dici, intellectum in intelligendo non langueſcere, iuxta illud Ariſt. 1. de Anima tex. 65. ipſum autem intelligere impaſſibile eſt: *quia qua intellectus eſt, non langueſcit; licet qua humanus: quia ſic materia coniunctus eſt, intellectiuum namque in mortalibus a ſenſitiuo ſeparari impoſſibile eſt, vt clara voce 2. de Anima teſtatur Ariſt.* ſubitò ſe contrahit, immò contradicit, *quanquam,* ſequitur Pomponatius, *veluti humanus eſt, non per ſe langueſcat, ſed quoniam ſenſui coniunctus eſt: qui ſenſus procul dubio per ſe langueſcit, cũ in harmonia conſiſtat.* Quod ſi intellectus, vt humanus adhuc per ſe non languet, corruit prior diſtinctio. Tum, ergo vt humanus non eſt commixtus corpori, neque ab eo in eſſe dependet, ſi per ſe haud languet. Quod autem ratione ſenſuum langueat, ac debilitetur, hoc nihil officit eius immortalitati, vt alias fusè explicuimus. Vides, quę conſtantia in huius viri dictis? Quæ doctrina olim in Schola Philoſophorum ingentes exiuit turbas? nec aſſecla, nec fortè caruit hærede: ſed verè vetus eſſatum

Oſcitante vno, deinde oſcitat & alter.

Ex his, quæ adhuc dicta ſunt, arbitror exploſam ēt conſtare illam opinionem, quæ temerè cenſet, nos haud leui æquiuocatione irretitos, de intellectu diſſerere. Cum enim, ait, nomine intellectus, tam anima ipſa rationis particeps, quàm eius facultas, qua proximè intelligimus, veniat appellata; ſi in præſens intelligas animā, hæc porrò nec inorganica eſt, nec vllā ſine corpore actionē ſortita: cum ſit actus corporis organici, &c. Sin autē intellectum, capias pro aīæ facultate, nihil cōcludes, qđ ad rē attineat; nam etſi hæc a corpore ſegregata ſit, nēpè nō occupet vllam corporis partem, in qua velut in proprio ſubiecto, & organo incubet, nihilominus ex hoc nō cōficitur, aīam cuius hęc eſt facultas,

Digitized by Google

tas, eſſe a corpore ſuaptè natura ſeparabilem : cum adhuc alijs facultatibus prædita ſit, quarum opera, citra corpus neceſſe, nec exerceri queunt. Præterquamquod ipſa potentia, intellectus, prendet a corpore ſaltem, vt ab obiecto.

Hæc inquam, ex dictis, nullo negotio depelluntur. Vetè nos in demonſtratione Stagiritæa, quam præ manibus habemus, nomen intellectus, pro animæ intellectricis facultate accipimus: verùm ex eo, quod iſthæc haud dependet a corpore, optimè, vt dudum fecimus, animæ quoque independentiam colligimus. Hinc rectè Marſilius Ficinus lib. 10. de Platonis Theolog. cap. 9. admonuit, hæc quattuor, eſſētiam, facultatem, operationem, & obiectum; ita inuicem eſſe affecta, vt ab eſſentia manet facultas; ab hac, operatio : hæc in obiectum tendat: Et inuerſo ordine, ab operatione, arguatur potentia; ab hac, eſſentia : ergo ſi animæ noſtræ facultas ſortita eſt operationem a corpore minimè dependentem, verè colligitur id, quod non ſemel collegimus. Quo autem pacto intellectus pendeat a corpore, quaſi ab obiecto, abundè enucleauimus Diſputatione proximè præcedenti ſect. 8. Cæterùm quia Sectio hæc iam ingranduiſſe videtur ſatis, quæ superſunt haud parum multa; vt lector ceu interiecto refectus itinere hilarius perſequatur, in ſequentem ſect. redigentur.

SECTIO SEPTIMA.

Relata, & confutata eorum placita, qui intellectui quoddam ſubiectum, & organum comminiſcuntur: tum etiam tanguntur nonnullæ rationes ex varijs Ariſt. locis depromptæ, quæ animorum immortalitatem oſtendunt.

POſtquam è ſupradictis ſenticetis euaſimus, redeundum pauliſper erat ad Ariſtotelis hortos, & amęnitates, vt tandem ex eius floſculis, animæ noſtræ coronam victorię texerem; quando ſentio, cum ijſdem auctoribus, adhuc nobis de altera Stagiritæę demonſtrationis parte conflictandum. Quid enim? ſubiectū, & organum neſcio quod intellectus, quod diuinus præceptor Ariſt. nullum inuenire potuit, iſtorum nemo formè non potuit: Et quamuis ille in tex. 6. modo non clamitet, ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore, *ei inſtrumentum aliquod eſſet, ſicut ſenſitiuo: nūc autem nullum eſt*: iſti adeſſe affirmant, idque ad mentem, aiunt, Ariſt. affirmari : pròh frontem ſed quonam pacto, paucis videamus.

Audiuit hęc ſecta ex præceptore ſuo Aphrodiſæo libro 1. de Anima, capite vlt. animam vegetalem, *ſtatuendam eſſe in pectore, cordiſque circuitu*, Et, *vbi hæc ſit, ibidem vim quoque ſenſibilem haberi*. Nec non paucis adiectis, *ipſam quoq; rationalis animæ portionem, quæ vna propriè principatum animæ poſſidere creditur, in corde ſtatuendam eſſe, non dubitamus*. Id, vt cum actuario tutaretur, ita progreſſa eſt.

Simon Portius, cùm alijs in locis, tùm in Diſput. de Mente humana cap. 7. intellectum cōſtituit in corde, veluti in proprio ſubiecto: quāuis eo nequaquam vtatur, vt inſtrumento. Ea potiſſimùm ratione motus, quia in corde, vegetatiuum, ac ſenſitiuum reſident: Intellectiuum autem in mortalibus, neutiquā ſeparatur a ſenſitiuo, auctore Philoſopho 2. de Anima tex. 15. & 32. Lubet hic Portij verba exſcribere, vt eo loquente, quæ ſit eius mens, planius cognoſcatur. *Dicimus, ipſam animam eſſe in corde, veluti in ſua regia, & intellectum vt facultatem animæ, ibi quoque eſſe; non vt in organo, ſed vt in ſubiecto, in quo eſt ſubſtantia animæ, vt paullò inferius enarrabimus. Confitendum igitur eſt, in eadem particula ſenſitiuum, & intellectiuum eſſe: verùm non vtitur corde pro inſtrumento, quemadmodum aliæ animę facultates, ſed ipſe intellectus potentia, eſt inſtrumentum animæ, cuius ſubſtantia eſt in corde. Hinc patet, quod ſi inſeparabilia ſunt ſenſitiuum, & intellectiuum in mortalibus, apertè conſtat, eſſe in eadem particula. Collige itaque intellectum, aut animam intellectiuam, non eſſe in toto ex Ariſt. decreto, nec in alia particula a corde: nam ſi a ſenſitiuo nulla ratione ſeparari poteſt, neceſſariò cenſendum eſt, eſſe in corde, atque ita non eſſe æternam:* hæc ille.

Quæ imaginatio, tam a vero, & Ariſt. diſcrepat, quàm quod maximè: nam, ſi intellectus reſidet in corde, tanquam in ſubiecto, ergo eſt illi commixtus. Quid enim eſt, facultatem aliquā miſceri cuipiam corporis parti, quàm in ea ipſa velut in ſubiecto ineſſe? Perpende hoc in quauis facultate ſenſitiua : Viſus eſt commixtus oculo, quia reſidet in eo quaſi in ſubiecto; pari ratione, & ſenſus alij. Et profectò vſquequaque eſt impoſſibile, vt quicpiam inſit in aliquo, vt in ſubiecto, & illi non miſceatur. Præterea, ſi intellectus in eadem omninò corporis particula, nempè in corde, in-

cubat, vbi & ſentiendi vis: porrò ſicuti ſenſitiuum parti illi commixtum eſt; pari ratione erit & intellectus. Atqui intellectum eſſe permixtum corpori, vel vlli eius parti, reclamat Philoſophus 3. de Anima, quia, *qualis quidam vtique fieret, calidus, aut frigidus: Nec intelligeret omnia: Et ei aliquod inſtrumentum eſſet: nunc autem nullum eſt.*

At inquies, quanquam intellectus in corde inſidet, tanquam in ſubiecto, eo tamen haud vtitur veluti organo: Secus autem euenit in ſenſitiuo. Hoc nego: immò conſtanter aſſero, pugnare inuicem, facultatem aliquam eſſe in aliquo ceu in ſubiecto, & eo non vti, vt organo, ſiue (quod idem eſt) operari abſque illo: cuius rei cauſam afferre promptiſſimũ eſt, nam eſſe quicpiam in ſubiecto eſt, quod pendeat ab eo, in eſſe, & conſeruari: vti eo quaſi inſtrumento ad operandum eſt, vt dependenter ab illo, & per illud operetur. Quod autem pendet a quoquam in eſſe, & conſeruari, ab eodẽ quoque pendeat in operando, omninò neceſſe eſt, quippe quod pendet in eſſe ab aliquo, ſequitur eius diſpoſitiones ac temperaturã, quas operatio quoque planè conſequatur oportet: ergo pugnant inuicem, intellectum eſſe in corde, tanquam in ſubiecto, ſeu pendere a corde in eſſe, & conſeruari, & non vti eo, tãquam inſtrumento in operando; aut ſine eo operari.

Porrò, ſi eſt in corde, vt in ſubiecto, erit vtiq; forma conſequens temperamentum cordis, & conſtituens illud principiũ vitæ: hoc, n. pacto formas eſſe in ſubiecto, in Peripato nemo non nouit. Quod ſi ita eſt, qui vnq̃ fieri poterit, vt eo non vtatur veluti inſtrumẽto ad operandũ?

Deinde, ex facultate, & ſubiecto coaleſcit vnum aliquod totum, quod operatur: quippè ex virtute viſiua: V.g. & ſubiecto oculi, reſultat oculus, qui videt. Poſtremò, eſſe in ſubiecto conuenit formæ, & propriè quidem accidentariæ; omninò igitur impoſſibile eſt, vt intellectus non vtatur ſubiecto, cui inhæret, tanquam organo: vel vt quicquam abſque eo operetur; quia forma non agit, vt quod, ſed eſt alteri ratio agendi: forma equi eſt ratio agendi equo, & albedo ratio diſgregandi parieti.

Quò etiam facit, quia ſi intellectus in eadẽ omninò corporis particula, nempè in corde incubat, vbi & ſentiendi vis; idque propterea, quia intellectus in mortalibus non ſeparetur a ſenſitiuo; ergo vel ſenſitiuum quoque non vtetur corde, vt organo, quamuis in eo reſideat, vt in ſubiecto; vel ſi illud vtitur, vt re ipſa vtitur, (enimuerò quamuis ſenſus vtantur certis, ac determinatis corporis partibus, ceu inſtrumentis, in ſuis operationibus, nihilominus principaliori modo vtuntur corde, dum eius calore, & ſpiritibus operantur, quicquid operantur; eoque læſo, tametſi reliqua organa intacta maneant, funditus eorum operationes tolluntur) vtetur etiam intellectus: Si enim hæc duo, non duo ſunt, ſed vnum, eodemque pacto vtrumque In eadem corporis particula, vt in ſubiecto inſidet, quomodo illud vtetur corde, vt inſtrumento, hoc autem non? Quid? ſi eſſet in ſubiecto, & quidem in eo ipſo, in quo ſenſitiuum, qui vnquam erit locus formarum? ſiquidem ſenſus non eſt locus ſpecierum, quia affixus certæ corporis parti, non ſolus, ſed cum ipſo ſubiecto recipit ſpecies ſenſibiles: intellectus autem ſolus recipit ſpecies intelligibiles, quocirca per ſimilitudinem, quia vt locus recipit locarum, ſic intellectus ſpecies, nuncupatur locus ab Ariſt. in tex. illo 6. *Et benè vtique, qui dicunt, animam eſſe locũ formarum: niſi quod non tota, ſed intellectiua.*

Quid plura? vice omnium, quæ innumera adduci poſſent, ſtet vnum Stagiritæ dictum, ex lib. 3. de Anima tex. 92. nimirum, *Quam corporis partem, aut quomodo intellectus continebit, difficilè eſt etiam fingere.* At Portio facile fuit etiam determinatam partem, quam contineat, in quaq; reſideat, aſſignare. Itane Porti? diuini ingenij viro Ariſtoteli, qui optimè nouerat, animas a corpore inſeparabiles, eſſe quidem in toto corpore, quo ad actum informandi: primariò tamẽ & præcipuè reperiri in corde, aut in eo, qđ cordi proportione reſpondeat, vt apud eum legimus in lib. de animal. motu c. 7. & lib. de Vita, & morte cap. 2. & lib. de Iuuẽture, & Seneċt. ca. 1. & 2. difficilè fuit, vel imaginatione cõcipere, quam vnquam partem in corpore occupet intellectus, tibi verò adeò in manu ſuppetijt, vt eam ipſam partem doceres poſteritatem?

Quam auctoritatem, ita Portius deflectere tẽtat: ne fingi quidem poteſt quamnam partẽ occupet intellectus, ſeu in qua parte ſit, hoc eſt, in quanã alia, diuerſa a corde, in quo reliquæ facultates, nẽpè vegetalis, & ſentientis animę reſident: ratio à præclaro hoc expoſitore ea adfertur, quia in mortalibus, intellectiuũ, haud ſeparatur a ſenſitiuo: tũ præterea, quia aïę nõ diſtinguũtur loco, quod ſi diſtinguerẽtur, tũc oporteret intellectui aſſignare aliã partẽ diuerſã ab ea in qua reliquę facultates reſidẽt, quẽadmodum opi-

opinatus eſt Plato; qui hic ab Stagirite redarguitur.

Sed quęſo, quanam ferula dignus eſſet Ariſtot. ſi, dum nobis indicare vellet, intellectum eſſe in corde, nec in vlla alia parte præter illud, abſolutè, tamque memorabili dicto proijceret; ne fingi quidem poſſe, quam vnquam partem ille contineat? planè exſibilandus. Mirare etiã & admirare, quo ſenſu Stagiritæ illa verba, quod intellectiuum haud ſeparatur à ſenſitiuo in mortalibus, ab egregijs hiſce Philoſophis detruduntur. Excipe tex. 15. libri ſecundi de Anima. *Separari autem hoc ab alijs poſſibile quidem eſt: alia verò ab hoc, impoſſibile, in mortalibus: manifeſtum autẽ hoc eſt in plantis; nulla enim ipſis adeſt potentia.* Germana huius effati ſententia eſt: diſtinxerat Ariſt. in tex. 14. viuere, ſeu vitam, in intellectiuam, ſenſitiuam, & vegetatiuã: deinde in tex. hoc 15. ait, *hoc*, nempè vegetatiuum, *poſſibile eſt ſeparari ab alijs*. poteſt enim illud in quoquam reperiri ſolum abſque ſenſitiuo, & intellectiuo: probat, manifeſtum autem eſt in plantis, vbi ſolum eſt. Cæterùm nec ſenſitiuum vſpiam ſine vegetatiuo, nec intellectiuum citra ſuperiores gradus accipere licet, hoc pacto ab illis abiungi nequit. Sed cur additum eſt, *in mortalibus*? quia in ijs, quæ immortalia ſunt, reperitur intellectiuum ſine ſenſibili, & vegetabili gradu, vt optimè in eum locũ Philoponus, *& benè*, inquit, *addidit; in mortalibus: in diuinis enim nutritiua inutilis eſt, quòd ibi neque incrementum, neque diminutio eſt: quæ quæ ſunt in mortalibus propterea mortalia ſunt: impoſſibile eſt meliorem inuenire vitalem potentiam, niſi adſit inferior.* Quod ſanè apud Philoſophum in lib. de Anima nulli non liquet.

Ex hacine auctoritate colliget Portius, quia ſenſitiuum, ſapita eſse, reſidet in corde, debere eòdem quoque intrudi intellectum? Heus vide, num in hunc Portium cadat alterius Portij dictum, qui apud Senecam aiebat, quendam ſpinas in pedibus habere, cum ſemper ſpinas ingredi quæreretur: ingenij nimirum vitium in argumentum conferens: *At pedes, inquit, cui ſpinas habent, non locus*. Perlegiſſet Portius accuratè præceptorem ſuum Alex. in illo ipſo cap. vltimo libri primi de Anima: porrò animaduertiſſet eum, & ſi vegetalem, & ſenſibilem, tum rationalem quoque animam in corde ſtatuendã eſſe, haud paucis proſecutus eſſet, tamen ab intellectus commemoratione, cautè abſtinuiſſe. Quinimò cum in illud Stagiritæ dictum, quam nam partem, aut quomodo intellectus continebit, difficilè eſt fingere, *Alexander penitus dubitauiſset, quid eſset huiuſce conſiderationis proprium dicere, ſilentio locum præterijt:* inquit ibi Philoponus: quia optimè nouerat Alex. intellectum, ſi eũ in corde, vel in quauis alia ſtatuta corporis parte collocaret, actutum effectum iri organicum: quia partem animæ, & facultatem eſſe organicam, nihil aliud eſt, quàm eam, certam ſibi corporis partem vindicare, quæ ſit ab alijs, ſitu temperamento, & figura diuerſa; quod abundè ſupra docuimus, & ipſa etiam eorum hominum claſſis confitetur.

Vnde mirificè cadit in rem propoſitam id, quod ſcribit Zabarella in Comment. 3. de Anima ad tex. 7. quo loci, cũ patefacere vellet abſurdum, quod conſequeretur, ſi intellectus eſſet organicus, & receptio ſpecierum fieret in aliqua corporis parte, inquit, tunc oportere aſſignare certam aliquam partem, in qua, & non in alijs ſpecies reciperentur: quia cum in corpore humano diuerſæ partes homogeneę, ac diuerſæ temperaturæ reperiantur, non vtique omnes fuiſsent aptę ad receptionem hanc, quemadmodum videmus in ſenſibus: ſola enim temperatura oculi eſt apta ad recipiendũ ſpecies colorum, non temperatura carnis, aliarumue partium: ſimili modo temperatura oſſis, haud eſt idonea ad recipiendas ſpecies tangibiles, quia eſt nimis terrea, tandem ſubiungit: *Atqui habere certam corporis partem, in qua recipiãtur ſpecies, nihil aliud eſt, quàm habere organum proprium; cum nihil aliud ſit organum, quàm certa pars corporis a cæteris partibus diſtincta, in qua ſola ſit aptitudo recipiendi tales ſpecies; quod ſignificare volens Ariſt. dixit: Sicut ſenſitiuo; quaſi diceret, ita eſſet alligatus organo, vt ipſa potentia ſenſitiua: & hæc illa organum habere dicuntur, quia habent certam corporis partem, in qua recipiuntur ſpecies: quare etiam intellectus haberet hoc modo organum propriũ, ſi eſſet certam partem corporis, in qua ſpecies intelligibiles reciperentur; hoc enim eſt habere organum.* Hæc Zabarella.

Poſtremò, ſi Portius ad ſacram illam Alexãdri anchoram confugiat, intellectum poſſibilẽ haud eſse ens quoddam actu, ſed puram animę rationalis præparationem, & aptitudinem, formarum, ac intellectionum receptiuam: vt in eo ipſo capit. 7. molitur, vbi carpit etiam ſimplicium, inquiens, *ſed deceptus eſt, quia hæc de facultate protulit Ariſtot. quandoquidem intellectus potentia, vt facultas intelligendi, eſt potentia*

intelligibile, & non actus: hac itaque ratione eſt ſimplex, & non mixtus, &c. Ex quo etiam capite colligit, intellectum poſſibilem a corpore haud eſſe ſeparabilem, quia ſi eſset ſeparabilis, vtique eſſet aliquid actu, quod contradictionem inuoluit: quippè cum Philoſophus dicat, naturā huius intellectus eſſe potentiam, maxima foret contradictio, ſi id, quod ſuaptè natura potentia eſt, idem eſſet actu: ita Portius.

Verùm, iſthuc refugium, iam a nobis inane patefactum eſt in Diſput. 9. vbi oſtendimus, intellectum poſſibilem, quamuis in genere intelligibilium ſit mera potentia, nihilominus in genere entis eſſe verè ens actu. Interea tamen, quod ad rem præſentem attinet, longè adhuc abſonè hic auctor loquitur: quoniam animę illa præparatio atque aptitudo, cum actu omninò nihil ſit, porrò nec in corde reſidere, nec ab ſenſitiuo inſeparabilis conſtitui poterit. Aduerte etiam, hunc ipſum auctorem temerè præfatam animæ aptitudinem, nuncupare facultatem: plurimùm ea diſſidet a facultate, vt eam nos conſtituimus: Quocirca rem quoque magnam præſtitiſſe arbitratus eſt, ſi affatim negaret, intellectum eſſe ſubſtantiam, *quia nullibi,* inquit, *Ariſt. intellectum potentia, in 3. de Anima, in quo omnem rationem intellectus potentia explicauit, eſſe ſubſtantiam affirmauit:* quaſi verò, ſi non eſt ſubſtantia, actutum fuerit chimerica eius aptitudo: ſed hac de re, loco quem indicaui. Quæ hactenus a nobis dicta ſunt, clariſſimè, opinor, oſtēdunt Portianę opinionis abſurditatē, quod intellectus reſideat veluti in ſubiecto in corde &c.

Secundo loco ſuccedunt alij, affirmantes, intellectum poſſibilem, vtique nec in corde, nec in vlla alia corporis parte, tanquam in ſubiecto reſidere, quia pars illa proculdubio eſſet eius organum: ſed eſſe in toto corpore, quia eſt forma, & actus corporis: iccircò vti etiam toto corpore categorematicè, veluti organo: ex quo etiam conſequitur, cum ad interitum totius corrumpi. Quamuis autem totum corpus ponatur organum intellectus, nō tamen eſſe verè eius ſubiectum, ſed quaſi ſubiectum. Ita Pomponatius multis in locis; vnde libello de immortalit. Animæ cap. 10. cum aſſeruiſſet, ipſum intelligere, quia eſt accidens, ſecundum eſſentiam eſſe in intellectu, iuxta illud, Anima eſt locus ſpecierum, non tota, ſed intellectus, ſubdit: *Verùm quia intellectus humanus eſt in materia, quaſi per quandam concomitantiam, & ipſum intelligere, quodammodo eſt in materia: ſed ſic, vt accidentaliter; quoniam intellectui, qua intellectus eſt, accidit eſſe in materia: non tamen in aliqua parte corporis ponitur ipſum intelligere, ſed in toto categorematicè: non enim in aliqua parte, quoniam ſic eſſet organicus intellectus; &, vel non omnia cognoſceret, vel ſi omnia cognoſceret, vt cogitatiua, tamen ſingulariter, & non vniuerſaliter cognoſceret: Quare ſicut intellectus eſt in toto, ita & intelligere. Non inconuenienter igitur Alex. poſuit totum corpus eſſe inſtrumentum intellectus, quoniam intellectus omnes vires comprehendit, & non aliquam partem determinatam: quia ſic non omnia cognoſceret, ſicut neque aliqua virtutum ſenſitiuarum: Quanquam autem ſic totum corpus ponatur inſtrumentum intellectus, quaſi vt ſubiectum, non tamen eſt verè ſubiectum, quoniā intelligere non recipitur in eo, modo corporali:* Hæc Pōponatius: id ipſum ſubſecuti ſunt alij. Et olim recenſitum fuit etiam a Scoto in 4. diſt. 43. quæſt. 2. in reſponſione ad 1. tum a Beſſatione lib. 3. contra calumniat. Plat. cap. 22. ſed hoc tantum; non approbatum.

Quæ doctrinæ ſeries, multa inuoluit abſurda: paucis nunc perſtringo: Primò, ſi intellectus eſt in toto corpore ceu forma, & quidem inſeparabilis, ergo eductus de ſinu materiæ: tùm, partibilis, ac materialis: id ψυχόθνητοι iſti contendunt, ſed nos ſupra Diſput. 2. oppoſitum, vel ex eius actione clariſſimè oſtendimus. Deinde, ſi in intelligendo, toto corpore vtitur, vt inſtrumento, ergo etiam partibus: quomodo ergo brachium, aut calcaneus intelliget? Poſt, quomodo intellectus vti poteſt toto corpore tanquam inſtrumento, & tamen haud eſſe in corpore, vt in ſubiecto? Si enim ſecundum eſſe haud eſt in corpore, tanquam in ſubiecto, erit igitur ſecundum eſſe a corpore independens. Porrò, ſi intellectus eſt forma corporis, quo vnquam pacto non eſt in eo tanquam in ſubiecto? hæc omninò inter ſe pugnant.

Verùm haud nouū, nec inſolens eſt, in huius doctrina pugnantia offendere, perpende hæc. In cap. 6. lib. 1. Apolog. ore rotundo proijcit, vtrumque intellectum, tam agentem, quā poſſibilem eſſe æternum, ac immortalem: idque ab Stagirite fuiſſe probatum: addito diſcrimine, quod ille verè, hic ſecundum quid ſit immortalis: Excipe eius verba. *Quapropter dicendū eſt, cum Ariſt. oſtendiſſet, vtrumque intellectum, videlicet tam agentem, quàm poſſibilem eſſe immortalem, vt ex textibus præcedentibus eſt manifeſtum, ibi vult ponere differentiam; inter vtrumque intel-*

lectum,

Digitized by Google

lectum, quoad immortalitatem: quoniam ſolus agens verè immortalis, ac ſeparabilis eſt. At poſſibilis non verè, ſed tantum ſecundum quid: agens namque intellectus, verè immortalis eſt, quoniam ſemper actu eſt, & eſt ſua ſcientia, quare & actionem, & eſſe habet perpetua: poſſibilis autem intellectus, cum nullius corporis videatur eſſe actus, qua intellectus eſt, neq; in ſuo opere indiget organo, vt ſubiecto, videtur etiã eſſe immortalis: vnde & poſt mortem videtur poſſe reminiſci, extendendo nomen reminiſcentia ad intellectionem præteritorum, &c.

Pomponati quid ais? In cap. 10. lib. de immortalit. Ani. a nobis paullò ante commemorato, ſtatuis, intellectum humanum eſſe in materia, & in toto corpore: Hic, nullius corporis videtur eſſe actus? Ibi, totũ corpus ponitur inſtrumentũ intellectus. Hic, in ſuo opere non indiget organo, vt ſubiecto? Alibi eum ipſum intellectum efficis veram corporis formã, identificas cum ſenſitiuo, eductis de poteſtate materiæ, hic verò eum ipſum operari citra corpus, vt ſubiectum, recipere ſpecies intelligibiles, eſſe locum formarum? Quid? ſexcentis in locis proijcis, eum verè & ſimpliciter eſſe mortalem, hic autem tibi, poſt mortem videtur poſſe reminiſci? quis? ſi iuxta tua decreta poſt mortem remanet nihil? Non equidem miror, te in tot ambages intrudi: nam vetus effatum eſt,

ἁπλοῦς ὁ λόγος τῆς ἀληθείας ἔφυ.

Simplex eſt ſermo Veritatis.

Quod ſi dicas, intellectum, qua intellectus eſt, eſſe immortalem, nec in ſuo opere indigere organo, & nullius corporis eſſe actum: verùm qua humanus, & ſenſui coniunctus eſt, eſſe caducũ, mortalẽ, &c. vt etiam ipſe Pomponatius multarum rerum contrarietatem, ac repugnantiam deflectere conatur, quæ apertiſſimè in eius ſententia offenduntur, dum in cap. illo 9. ait; *Verùm omnia aperta ſunt ex prædictis; neque vlla eſt contrarietas: intellectus enim abſolutè, & qua intellectus eſt, omnino immixtus, & ſeparatus eſt; at humanus vtrumque retinet, nam ſeparatur à corpore, vt ſubiecto, non ſeparatur verò vt obiecto.* nihil dicis.

Scio enim Pomponatium, inſulſa hac, & vt non nemo ſenſatè loquitur, ſophiſtica intellectus partitione, dum ſe peti animaduertit, effuſo, ad inſtar ſepiæ, vti dicebam, virulento cruore, ſe obtegere: ſed actum agit. Huius abſurditas multis à nobis, ſect. proximè præceden ti patefacta eſt: quæ neque hic repetenda ſunt, nec amplius in huiuſce auctoris, adeò prodigioſis imaginationibus immorandum.

Iacobus Zabarella parum ab hac Pomponatij opinione diſceſſit, quandoquidem ipſe quoque conſtituit intellectum, veram hominis formam informantem, eòque a corpore inſeparabilem: cæterùm in operando, nec aliqua corporis parte, nec toto, vt inſtrumento, vti: ſed ipſum intellectum per ſe recipere ſpecies intelligibiles, & formaliter abſque vllo corporis interuentu intelligere. Quocirca eũ conſtitui corpori commixtum, quo ad eſſe, immixtum, quo ad operationem, vt retro explicuimus; & liquet etiam in hiſce verbis ex cap. 9. libri de Mente humana, quo loci cum partitus eſſet Immixtionem, in eam, quæ ſecundum eſſe, & ſecundum operationem ſit, priori modo ait, intellectum haud eſſe immixtum, *quia Ariſtoteles in principio ſecundi libri de Anima dixerat, omnem animam eſſe actum primum corporis naturalis organici, hoc eſt, formam informantem: quare neceſſe eſt, intellectum hac ratione eſſe cum corpore commixtum, &c.* De altera verò immixtione, quò ad operationem, ita ſubnectit paullo inferius: *quoniam igitur nullum apparet organum proprium, quo vtatur intellectus in recipiendis obiectis, dicendum eſt, eum in operando non eſſe cum corpore commiſtum, ſed ipſummet recipere ſpecies: vnde poſtea colligit Ariſt. ſolam animam intellectiuam dici poſſe locum ſpecierum: locus enim recipit locatum, anima autem ſenſibilis non recipit ſpecies rerum ſenſibilium, ſed organum animatum eas recipit; proinde non anima ipſa, ſed organum eſt locus ſpecierum: anima verò intellectiua non vtitur organo corporeo in recipiendis ſpeciebus, ſed ipſa recipit, ideò rectè vocatur locus ſpecierum, &c.* Vnde in Comment. ſuper 3. de Anima ad text. 6. ait, Ariſtotelem haud probaſſe, (oppoſitum nos oſtendimus ſupra ſect. 5. huius Diſput.) intellectum, nullum habere organum, ſed tanquam manifeſtum, vel ex anatomica inſpectione humani corporis ſuppoſuiſſe, in quo quidem oculata fide, nullum apparet membrum, quod intellectui, veluti inſtrumentum aſſignari queat. Quippè ſi vllum huiuſmodi eſſet, id porrò aut cor, aut cerebrum eſſet: Hæc verò minimè eſſe, vel inde fit conſpicuum, quia hæc membra reperiuntur etiam in brutis animantibus, quæ tamen intellectus expertia ſunt.

Quamquidem Zabarellę opinionem, vt in eo, quod afferit, intellectum nullo in operando, corporeo inſtrumento vti, ſed citra corporis interuentum recipere ſpecies intelligibiles, & in-

& intelligere, verum exiſtimamus, ita ad eam partem alias confutauimus, quæ aſſerit, intellectum eſſe formam humani corporis informantem; ideòque ab eo inſeparabilem. Enimuerò ſi intellectus operatur abſq; vllo corporis concurſu, & adminiculo, proculdubio habebit etiã eſſe ab eodem corpore independens, vt iam dudum a nobis demonſtratum eſt. Verumenimuerò, ne tu quoque de limine, vt aiũt, offendas, ſedulò in animum reuoca ea, quæ ſupra Diſput. 2. ſect. 4. pluribus oſtendimus; nempè, *intellectum*, ſeu *mentem*, quæ nobis vnico vocabulo eſt *νοῦς*, bifariam apud Philoſophos legi: nũc quidem pro ipſa animæ intellectricis ſubſtantia, quo ſenſu legimus apud Ariſt. 1. de Anima, tex. 65. *intellectum videri innaſci, cum ſit quædam ſubſtantia*: nunc verò pro ipſa animæ intellectiuæ facultate, quæ immediatè ab ea dimanat: quo pacto ab Stagirite capitur 3. de Anima tex. 5. dum ait, *qui igitur vocatur animæ intellectus, dico autem intellectum, quo intelligit, & exiſtimat anima*. Quamobrem intellectus anteriori modo, eſt vera hominis forma informans, vt Diſput. 4. probamus; nec ea hoc pacto quicquam immediatè operatur: poſteriori verò modo, eſt facultas, vt Diſput. 9. oſtendimus atque hæc quidem inorganica, & abſque vllo corporis interuentu operans; ex qua deinde ritè venamur animæ intellectricis eſſentiam. Quia verò quæque ſuis in ſedibus vberi, & accurato ſtylo proſecuti ſumus, in præſens ab eorũ prolixiori explanatione ſuperſedendum eſt. Quemadmodum haud etiam immorãdum exiſtimo in confutandis, quibuſuis alijs, huius farinæ hominum dictis; ſat eorum anteſignanos confutauiſſe. Tandem hanc partem concludo, & firmo animo concludo, Ariſtotelem tribus rationibus, quas equidem demonſtrationes a poſteriori merito ſuo appellarim, validiſſimè oſtendiſſe, quod intellectus poſſibilis haud ſit corpori ſecundum eſſe commixtus, eoque, per cauſam, immaterialis. Prima eſt, quia omnia intelligit, ergo immixtus eſt. Secunda, ſi eſſet mixtus cum corpore, ergo, *qualis quidam vtique fieret, calidus aut frigidus*. Tertia, ſi eſſet mixtus cum corpore, ergo, *et inſtrumentum aliquod eſſet, ſicut ſenſitiuo: nunc autem nullum eſt*.

Poſſẽ equidẽ hic cõgerere permultas alias rationes, quę ſparſim apud eundẽ Philoſophũ leguntur; in quibus ille animorum immortalitatem an indicat, an ſupponit; ſed id ſuperuacaneum omninò exiſtimo, cum iam eius rationes ex inſtituto, profeſſoque ad hoc ipſum allatas viderimus. Si cui tamen lubet, extendat hæc puncta.

Intellectus, a vehementibus obiectis intelligibilibus haud corrumpitur, quemadmodum a vehementibus ſenſibilibus ſenſus, *nam intellectus, cum aliquid intellexerit valde intelligibile, non minus intelligit inferiora, ſed & magis*. 3. de Anima tex. 7. ergo immortalis, & incorporea natura eſt.

Deinde, formæ, quæ recipiuntur in intellectu poſſibili, recipiuntur vt ſunt actu intelligibiles, ſunt autem tales, vt ſunt a materia abſtractæ, & immateriales; *nam omninò, vt ſeparabiles ſunt res a materia, ſic quæ circa intellectum*, 3. de Anima, tex. 11. Et, *non enim lapis in anima eſt, ſed forma*. ergo intellectus eſt immaterialis; quia vnumquodque recipitur, ad modum recipientis.

Poſt, intellectus eſt actu intelligibilis, & immaterialis, *nam ſine materia potentia eſt intellectus talium: ille autem intelligibile erit*; in eodem lib. tex. 16. ergo immortalis.

Præterea, intellectus in ſe ipſum redit, & ſeipſum intelligit, quod ſenſus, & quæuis corporea vis efficere nequit. *Et ipſe etiam*, intellectus, *intelligibilis eſt, ſicut ipſa intelligibilia: in ijs enim quæ ſunt ſine materia, idem eſt quod intelligit, & quod intelligitur*. tex. 15. ergo eſt incorporeæ naturæ ac immortalis.

Ad hæc, Intellectus imbecilliori facto corpore, imbecillior nequaquam fit, neque ſenio debilitatur, quemadmodum ſenſus, & virtutes omnes, quæ per corpus operantur, *nam ſenium non eſt, quia ſuſtineat aliquid anima ſed id in quo, ſicut in ebrietatibus, & morbis*. 1. de Anima, tex. 65. ergo eſt incorporeus, nõ dependens à corpore, & immaterialis.

Poſtremò, Intellectus, & voluntas per ſe, & ſuaptè natura, non per vim aliquam externam imperat corpori, & omnibus affectionibus, & propenſionibus corporeis: adeò, vt teſte Philoſopho lib. 1. Politic. cap. 2. habeat imperium Regium, & ciuile in appetitum ſenſitiuum; *anima namque corpori imperat Herili imperio: mens autem cupiditati ciuili, & regali*, ergo intellectus, & voluntas haud ſunt virtutes corporeæ, verũ ſecundum eſſe a materia, & corpore ſeparatæ; nam virtus, quæ per ſe, & ſuaptè natura, nõ autem per cauſam aliquam externã imperat corpori, & omnibus affectionibus, & propenſionibus eius, corporea, ſeu mixta cum corpore omninò eſſe nequit.

Tan-

Tandem, ſedatis paſſionibus appetitus ſenſitiui, & motibus corporeis, fiunt maiores progreſſus in ſcientia, *nam quia quieta eſt, reſidetq; anima, ſciens fit.* lib. 7. natural. auſcult. tex. 20. ergo intellectus, ſicque ſubſtantia eius anima, eſt ſupra motum, & tempus: eóque corruptionis expertia; quia quæcunque non ſubijciuntur tempori, ſunt æterna, ex lib. 4. eiuſdem operis: ſed non plura; quanquam & poſſem, & vellem; ſed admoneor, *eſſe modum in rebus.* Itaque ex his, quæ vſque adhúc tractauimus, abũdè propoſitum noſtrum opinamur conſtare. Hoc modo reliquum eſt, vt Aduerſariorum argumenta, quæ ſect. 1. huius Diſput. conſtruximus, pro virili parte diluamus, quare ſit.

SECTIO OCTAVA.

Diluuntur tria priora argumenta, initio Diſputationis propoſita, eorumque confirmationes.

QVoniam ita, fato neſcio quo, comparatum eſt, vt pleroſque firmius, validiuſque fatiget vnum aliquod argumentum, quod veritati aduerſetur, quã reficiat magnus eorum numerus, quæ illi fauent; ſiue quòd Veritas in alto iaceat, ſeu quòd natura mortalium retro ſublapſa refertur, & ad peiora, facilius ruat; vel denique quòd nonnulli, ceu comodẽtes quidam vermiculi, rei cariciem, cui affigi poſſint, anxiè quærunt; dabo hic operam ſeduliorem, vt Aduerſariorum argumenta, ita clarè diluantur, & confutata compareant, vt omnis poſt hac, an ambigendi, an fallendi occaſio, cognoſcatur ſublata: Quod ſi prolixior fuero, memineris me hic, tuam æquè, ac meam rem agere; quando tuam æquè, ac meam animam immortalem defendo.

Ad primum argumentum dicendum, benè ibi inter arguendum reſponſum eſſe, quod Ariſtot. in libris de Anima, verba facit de ea, eiuſque operatione pro præſenti ſtatu, non autem abſolutè. Quo pacto, fac nihil intelligat ſine phantaſmate, hoc nihil officit eius immortalitati; quia hæc eſt dependentia obiectiua, & extrinſeca; qua de re multa diximus Diſput. præcedenti ſect. 8. quæ hic repetẽda non ſunt. Quod autem Ariſt. in omnibus locis, quæ in argumento adducta ſunt, loquatur de anima pro præſenti ſtatu, vel ex eo conſpicuum efficitur, quia cum in libris de Anima, animam contempletur, vt Philoſophus naturalis, vtque illa eſt forma humanum corpus informans, debuit vtique de eo etiam intelligendi modo loqui, qui illi ſecundum hanc rationem competit: hic autem eſt, vt cum phantaſmate intelligat.

Præterea, quia cum ad Phyſicum attineat, principia, & paſſiones tãtummodo motus tractare, conſequens erat, vt de anima quoque, eiuſque actione in libris de anima (quæ ſunt pars Phyſicæ) ſic ageret, quà illa eſt phyſica forma, quàque operationes ab ea ſecundum hanc rationem emanant, & non abſolutè, quia neque anima ſeparata, neque eius ſeparatæ actio, naturalem ſubit conſiderationem; Adhibent huic rei exemplum. Quemadmodum Ariſtot. in 8. de Phyſica auſcultatione, agit ille quidem de primo motore, ſed non niſi qua eſt principium motus Cœli, eius verò quidditatẽ, & actionem inueſtigare, ad primam vſque Philoſophiam reiecit; quando poſtea in duodecimo diuinorum, & naturam, & actionem primæ intelligentiæ, quoad eius fieri potuit, inueſtigauit; ita, cum in hiſce libris perpenderet animã, quà eſt forma naturalis, & copulata materiæ, nulla vrgebat neceſſitas, vt illi aliam actionem præter hanc attribueret, & propterea dicit, eam intelligere cum phantaſmate. Non it verò inficias, animam abſolutè, habere actionem, ſine phantaſmatibus, quippè ſi eam fecerit ſeparabilem, vt vidimus, actionem quoque eidem tribuat neceſſe eſt.

Addo præterea, Ariſtotelem etiam in his ipſis libris de anima innuiſſe, animam à corpore ſeparatam, gaudere aliqua actione, quando in tex. 20. tertij libri, de intellectu ait: *Cum ſeparatus fuerit, eſt ſolum hoc quod quidem eſt,* & ſubnectit, *non reminiſcimur autem, quia hoc quidem impaſſibile eſt, paſſiuus verò intellectus corruptibilis eſt, & ſine hoc nihil intelligit:* ac ſi dixiſſet, hic intellectus, poſtquam a corpore fuerit abiunctus, intelligit quidem, ſed non reminiſcitur, quia ad reminiſcentiam, requiritur intellectus paſſiuus, idest cogitatiua, quæ haud remanet, de quo tamen loco alias plura diximus.

Quod ſi dicas, ſi anima coniuncta corpori nullam poteſt intellectionem elicere abſque concurſu phantaſmatum, nullam igitur habebit propriam operationem, & independentem a corpore, neque ab eo erit ſeiungibilis: notus

enim

Digitized by Google

enim eſt tex.12. primi de Anima, *ſi eſt aliqua propria animæ operatio &c.*

Iam pluribus oſtendi, in ſect. illa 8. quomodo anima intellectiua, ſeu intellectus habeat propriam aliquam operationem: idque gemino modo. Vel enim illa dicitur propria animę operatio, quæ licet pendeat a corpore, vt ab obiecto, non tamen pendet vt a ſubiecto: quæ adhuc dependentia competit illi non abſolutè, ſed pro præſenti ſtatu. Vel, quod verius exiſtimaui, intellectũ noſtrũ, nec etiam hic pẽdere à phantaſmate in omnibus ſuis actionibus, ſed formaliter, & præciſè habere aliquam operationem, in qua exercenda nihil phantaſmatis interueniat, ſed ſolum fuerit præſuppoſitum.

Quod ſi obijcias, Ariſtoteles videtur reclamare, qui locis in argumento allatis, conceptis verbis affirmat, nihil intelligi ſine concurſu phantaſmatum; ideòque intelligentem oportere contemplari phantaſmata &c. Hæc, & his ſimilia, multis conſiderauimus in ſect. illa 8. in Poſteriori modo: interea hoc addo, quod ſi Philoſophi textum accuratè perpendas, clarè videbis, Ariſtotelem loqui de cognitione rerũ materialium, ſenſibilium, & quas ſenſu attingimus: eas ibi vocat *magnitudines*: & benè ait, nos nihil earum intelligere ſine phãtaſmate; quòd hæc cognoſcit intellectus reflexè ſolum; vt docet S. Thomas, cum alijs in locis, tum præcipuè prima parte, quæſt.86.art.1. Cum enim intellectus noſter cognoſcat per ſpecies a ſingularibus abſtractas, nequit vtiq; per eas directè attingere ſingulare, ac materiale aliquod; ſed reflectatur opórtet ſupra phantaſmata, vt illud intelligat. In directa autẽ ſua operatione nullum, niſi pręſuppoſitiuè interuenit phantaſma. Et ſignanter, Ariſtot. non dixit in 3. de anima oportere intellectum ſpeculari phantaſmata, ſed ipſum intelligentem: quia intellectus non eſt qui ſpeculetur phantaſmata; cum iſta ſint materialia, & ille verſetur circa ſpecies ſolum ab hiſce abſtractas, ita vt, quando eſt ſpecies, per quã intellectus intelligere debet, tunc nullum ſit phantaſma.

Ad illud verò, quod ibidem obijcitur de animæ ſeparatæ amore, dico amorem, gaudium, & delectationem, eſſe voces æquiuocas: & nunc quidem importare animæ paſſiones: & tunc ſunt actus ſenſibilis appetitus, ſecundum concupiſcibile, vel iraſcibile, cum aliqua permutatione corporali: vt ſæpè docuit Ariſt. & explicat S. Thom. in 2. contra Gent. cap. 81. & eiuſmodi affectus reperiuntur etiam in brutis. Nũc verò ſignificare incorporeum aliquid, & intellectuale, actum videlicet appetitus intellectiui. Habes hoc ex Philoſopho, & quidem de amore in 8. Ethic. cap. 5. quo loci amorem amicitiæ diſtinxit ab amatione, quæ eſt paſſio quędam. De gaudio, & delectatione, in lib. 10. Ethic. capit. 8. affirmat, in contemplatione ſapientiæ, eſſe admirabilem delectationem, & in 7. Ethic. cap. vlt. hæc ipſa attribuit Deo. *Si alicuius*, inquit, *natura ſimplex eſt, et ſemper eadem actio erit iucundiſſima: propterea Deus vna ſemper ſimpliciſſima gaudet voluptate*. Quod repetit 12. Metaphyſ. tex. 39. Cuius rei, ea eſt ratio; quia vbicunque eſt intellectus, neceſſariò reperitur, & voluntas: quod demonſtrat S. Thom. 1. contra Gent. cap. 72. & in prima parte quæſt. 19. art. 1. & quæſt. 60. art. 1. cũ voluntas nihil ſit aliud, quàm propria quædam inclinatio naturæ intellectualis, (quocirca & appetitus rationalis, ſiue intellectualis appellatur; quemadmodum appetitus ſenſitiuus, eſt propria inclinatio naturæ ſentiẽtis, & appetitus naturalis, eſt propria inclinatio naturę cognitione carentis) fit vt, vbi vbi fuerit intellectualis natura, ibi ſit etiam voluntas.

Præterea, cum id, quod eſt prius, ſemper ſaluetur in poſteriori, & natura ſit prior intellectu, quia eſt rei eſſentia, quæ cunctis alijs ſubiacet; ſit, vt quicquid eſt naturę, ſit etiam in habẽtibus intellectum. Commune autem eſt cuicunque naturę, habere aliquam inclinationem: lapis enim deorſum inclinatur, & animantia rationis expertia, per appetitum ſentientẽ mouentur, icircò & naturę intellectuali, inerit aliqua inclinatio, quę eſt voluntas. Hęc non torpeſcit in ocio, exercet itaq; actus aliquos, amat, gaudet, delectatur. Ariſt. verò loco in argumento adducto, loquitur de amore priori modo; anima verò a corpore ſegregata, amat ſecundo modo, quare nihil contra noſtrum propoſitum concluditur.

Maiorem ingerit difficultatem, explicare quomodo anima ſeparata, non ſit otioſa reſpectu operationum, & facultatum ſenſitiuarum, & uegetatricium. Cum enim in homine non niſi una, eaque rationalis anima conſtituatur, quę eſt cauſa, & ſubiectum cæterarum facultatum, atque eſt intellectus, & Voluntatis: quamobrẽ ex ęquo in ea ſeparata omnes remanerẽt: & cum illę ſine corpore operari nequeãt, otio-

ſę

ſę torpebunt in omne ęuum. Quid? longè plures ſunt iſtæ facultates, quàm intellectus, & Voluntas, ergo anima magis dicenda erit otioſa: Cum denominatio deſumatur a præpollente, auctore Philoſopho lib. 1. & 6. de Phyſica auſcultat.

Vt penitus intelligas, quomodo anima, a concretione corporis ſeparata, nec etiam reſpectu operationum, & facultatum ſenſitiuarum, & vegetatricium, vlla ratione dicẽda ſit otioſa, res paullò altius repetenda eſt. Scito igitur, quod quamuis anima ſit principium, e cuius eſſentia, per ſimplicem quandam, & naturalem emanationem, fluunt omnes, quæ in homine reperiuntur potentię, vt docet S. Thomas, cùm alijs in locis, tum verò in prima parte, quæſt. 77. art. 6. Nam a corpore, qua corpus, nulla eſt vitalitas; tamen alio, atque alio modo ab ea fluunt. Quippè inorganicæ facultates, intellectus, & voluntas, emanant ab ea immediatè, & tanquam a principio proximo; atque in eadem etiam recipiuntur: potentiæ verò, quæ sũt organis inhærentes; vt ſenſitiuæ, ac vegetatiuæ, oriuntur quidem illæ etiam ab anima, ſed mediatè duntaxat, & tanquam a principio radicali; immediatè autem, & veluti a principio proximo, a coniuncto, ſeu compoſito, & in eodem etiam veluti in proprio ſuſceptibili recipiuntur, quicquid in oppoſitum huius dicat Ianduнus ſuper 2. de Anima, quæſt. 10. & in quæſt. 7. in reſponſione ad tertium: Apollinaris ſuper 2. de anima, quęſt. 7. Paulus Venetus, in ſumma de anima, cap. 4. Greg. Ariminenſis in 2. diſt. 17. quæſt. 2. qui autumant, omnes potentias recipi in ipſa anima nuda.

Hæc, quę nos diximus, ſunt expreſſa Philoſophi decreta; nam in libro de Somno, & vigilia cap. 1. decernit, *eius eſſe potentiam, cuius eſt actus*, ibidem ſubnectit, *ſentire, neque animæ eſſe proprium, neque corporis inanimati, ſed coniuncti*. Et 1. de Anima tex. 66. *Cogitare autem, & amare, & odiſſe*, quę ſunt operationes ſenſitiuę, *non ſunt intellectus paſſiones, ſed huius habentis illum*. Ex quo liquidò conſpicitur, potentias ſenſitiuas eſſe totius, tanquam ſubiecti.

Quod etiã hinc conſpicis, quia illud eſt ſubiectum facultatis operatiuæ, quod eſt potens operari; cum accidens, ſubiecto cui inhęret, tribuat denominationem: Atqui coniunctum eſt, quod ſentit, amat, odit, nutritur, incedit; ergo in eo, tanquam in ſubiecto reſident, tùm ſenſitiuæ, tum vegetatiuæ potentiæ. Cum autẽ accidens, ab eodem fluat, in quo etiam recipitur, fit vt dictæ facultates ab eodem coniuncto, ſeu compoſito immediatè, & tanquam a proximo principio proficiſcantur. Cæterùm, quia nihil a coniuncto oriri poteſt, niſi hoc ſit actu; nihil enim poteſt cauſare, niſi ſecundum quod eſt actu, ſit autem actu per animam, cum ſine hac ſit potentia pura: ideò anima cenſetur etiam ſenſitiuarum, & vegetatricium facultatũ cauſa, & principium radicale. Facultatum verò, quarum actus ſine corporis ope fiunt, vt eſt intellectus, & voluntas, eſt principium proximũ, & immediatum ſubiectum, vt dictum eſt.

Ex his collige primò, quod, quemadmodũ anima noſtra, dum eſt coniuncta corpori; intellectus quidem & voluntatis eſt principiũ proximum, & ſuſceptiuum immediatum; ſenſitiuarum autem, & vegetatricium facultatum ſolum radicale principium; neque eſt earum ſubiectum; ita in ea, a corpore ſeparata hæc omnia manent: manet intellectus, & voluntas, vtpotè accidentia, quæ proprium ſuſceptiuum illæſũ concomitantur: manet etiam radix ſolùm, & radicale principium potẽtiarum ſenſitiuarum, & vegetatricium: proximum verò earum principium, & ſubiectum, interit. In hanc doctrinã acceſſit etiam S. Thom. in prima parte, quæſt. 77. artic. 8. in corpore. *Vnde corrupto coniuncto, non manent huiuſmodi potentia* (ſcilicet ſenſitiuæ) *actu, ſed virtute tantum manent in anima, ſicut in principio, vel radice*.

Collige 2. animam, nec eſſe, nec dici otioſam, ſi a corpore ſeiuncta, non exercet operationes ſenſitiuas, & vegetatiuas: tum, quia quando aliquid eſt ſolum principium radicale cuiuſpiã operationis, præſertim, ſi deſit principium proximum, nunquam cenſetur otioſum. Vides hoc in quocunque exoculato; quippè, cum anima ſit radicale duntaxat principium viſionis; non iudicatur in hoc cæco otioſa, ſi non elicitur viſio, & ſi infinitis ſæculis cęcus aliquis inter homines eſſet acturus; nec adhuc anima eius otioſa, neque hæc radicalis potentia fruſtatoria vnquam nuncuparetur: quia proximum principium deſit: maiori ergo cum ratione hæc in anima ſeiuncta affirmaueris. Tum etiam, quia anima a corporis ſocietate diſſociata; quoniam in nobiliori, multoque excellentiori operatione, intellectus, & voluntatis, ingenti & aſſidua cum delectatione eſt occupata, minimè dicenda eſt otioſa, quãuis alia inferiora, longèque imperfectiora

munia

munia haud obeat. An tu principem aliquem, qui ſimul equitis gradu ſit inſignitus, otiosè torpeſcere arbitrare, ſi ille omni ex parte in ſua Republica rectè, ac fęliciter adminiſtranda occupatus, nō exerceret equitis munia? Quid itaque mirum, ſi anima in ſublimi illa intellectione, an ſui, an alterius (de qua re infra) omni conatu incumbens, inferiores ſenſitiuas operationes exercere negligeret? quamuis proximè poſſet, quod tamen non damus: & quantò rationabilius eſt, eas non exercere, ſi eſt, vt poſſimus, earum ſolum radicale principium? ſed iam ad alia argumenta diluenda properemus, itaque.

Ad 2. argumentum, fatemur, animam, cum eſt a corporis ſocietate diſſociata, quemadmodum ſortitur alium eſſendi modum, ita & operandi: Intelligit illa quidem non amplius per conuerſionem ad phātaſmata, ſed ad ſuperiora. Cęterùm hic modus ratione naturali explicari nequit. Etenim naturali lumine cognoſci poteſt, animum eſſe immortalem: Quò innumeri Philoſophorum, natura duce peruenerunt, verùm quæ ſunt huic rei annexa, vt eius ſtatū, degentiā, modū operandi, aut quicquam perpetiendi, naturali lumine certò ſcire non poſſumus, ſed ſolum probabiliter: Neq; hoc quicquam abſurdi continet, nam poſſumus vnam aliquam rem, quoad aliquam partem certò ſcire, ignorare verò quoad alias: de qua tamen re multa dicemus infra Diſput. 10.

In præſentia verò hoc venit in dubium, ſi anima alium intelligendi modum habet dum eſt in corpore, alium, dum eſt ab eo ſeiuncta, quomodo iſti duo modi conueniant animæ?

Sunt qui volunt, inter quos fuit etiam S. Thomas multis in locis, maximè verò prima parte, quæſt. 89. art. 1. modum operandi in corpore, & cum conuerſione ad phantaſmata, eſſe animæ naturalem; modum autem ſecundum, quem eſt, & operatur extra corpus, non eſſe illi naturalem, ſed præternaturalem; ita prorſus, vt quemadmodum Ariſt. primo de Cęlo, vni, eidemque ſimplici corpori, igni, geminum motum aſcripſit, hunc quidem rectum, quem naturalem eſſe igni, nemo non nouit, hunc verò circularem, quo ſub concauo orbis Lunę aſſiduè per illius raptum circumuoluitur; ita anima, alterum quidem eſſendi, & operandi modū habeat, qua corpori conſociata, agit per cōuerſionem ad phantaſmata, qui eſt illi naturalis; alterum verò, cum eſt à corpore diſſociata; & hic non eſt illi naturalis, ſed prętęrnaturalis. Hinc tamen non ſequitur, aiunt, animam duas etiam habere eſſentias, quia non eſt ei vterque operandi modus naturalis, quod neceſſariò exigeretur, vt duplex eſſentia argueretur.

Alter dicendi modus eorum eſt, qui accuratè conſiderarunt, omne præternaturale, exorbitare à naturali, ideòq; haud poſſe perpetuari, immò verò nec poſse diutius eſse, quàm ſit naturale; modum autem, quo anima eſt extra corpus, eſse perpetuum, & infinitè diuturniorē eo, ſecundum quem ea ipſa anima eſt in corpore; quare non vident, qui vnquam modus ille animæ ſeparatæ, poſſit eſſe præternaturalis. Tum etiam, quia nullum præternaturale, naſcitur ex natura eius rei, cui eſt præternaturale; ex natura verò animę, naſcitur vterque eſſendi, & operandi modus: Propterea malunt, vtrumque animæ modum, & cum eſt in corpore, atque cum phantaſmatum ope, & cum ab eodem abiuncta, abſque huiuſmodi dependentiā, operatur, eſſe animæ naturalem: non quidem ſimul, ſed ſucceſſiuè. Eſſe quippè in corpore, & in eodem operari, eſt illi naturale in principio; eſſe verò, & operari extra idem, eſt itidem illi naturale, ſed poſt aliqua tempora. Nec erit captu difficile, quomodo vni, eidemq; rei, geminus operandi modus, naturaliter conueniat ſucceſſiuè: nam & infans gemino modo naturaliter, ſucceſſiuè, & viuit, & operatur: principio nutritur ille quidem, augeſcit, mouetur, vitæ, ac ſpirituum munia edit, concluſus cęco illo, ſed grato, & fouente materno vtero: erumpit poſtea in hanc lucem, & ijs ipſis vitæ muneribus, alio tamen modo, validius & præſtantius fungitur. Et quòd fortaſsè admiratione dignum eſt, quòd in vtero, ceu μικροκόσμῳ concluſus, nutritur per vmbilicum: in hoc verò μακροκόσμῳ mundi theatro expoſitus, nutritur per os. Quid igitur mirum, ſi anima in chimerijs huiuſce vitæ tenebris, & huius corporis ergaſtulo demerſa, atque detruſa, alio modo viuit, & operatur, ac quando ab hiſce compedibus ſoluta, & libera, inter læta illa beatarum mentium agmina fuerit annumerata? vt ergo infanti viuendi, & operandi modus, tam in vtero, quàm extra illū, eſt naturalis ſucceſſiuè, ita & modus operandi cum dependentia a phantaſmatibus, & abſque huiuſmodi dependentia erit animæ naturalis, pro diuerſo eiuſdē ſtatu.

Huius etiam rei, ea poteſt afferri ratio; quia cum anima humana adæquatè ſumpta, & ſit

forma

forma corporis, & etiam immaterialis, extraq; corpus cohæreat, quà forma, naturale erit illi eſſe, & operari in corpore; quà immaterialis naturale itidem erit, eſſe extra corpus, & iuxta modum aliarum rerum materiei expertiũ operari; hinc tamen, nõ ſequitur, animam habere duas eſſentias, quemadmodum nec præfatus infans.

Hinc etiam diluta manet prima confirmatio. Enimuerò propoſitio illa, operatio eſſentialis alicuius naturæ, nuſquam ſeparari poteſt, permanente eadem natura; vera eſt, ſi res illa in eodem ſtatu conſeruetur, & maneat: ſecus autem ſi mutet ſtatum, vt in anima, & in infan te contingit: vel ſi actio illa eſt adæquata illius naturæ. Atqui intelligere cum phantaſmate, eſt quidem animæ naturale, ſed non adæquatè ſumptæ, ſed ſolum qua eſt in corpore. Verùm de hac re alias redibit ſermo.

Ad illud verò, quod loco ſecundæ confirmationis annectebatur, neganda eſt conſecutio, cum enim intelligentiæ, ita ſint materiei expertes, vt nullo vnquam pacto forma cuiuſpiam corporis eſſe queant, fit, vt nec modum cũ phantaſmate operandi ſortiri poſſint: nam hic operandi modus, eſt formæ materiam actuantis. Anima verò humana, tametſi materiam actuet, nihilominus potis eſt ab ea ſecerni, vt vidimus: eòque illarum etiam operandi modum ſortiri. Tum etiam, quia, quod ſuperius eſt, de inferiori participare non debet; dedecet enim vt nobilius, ad ignobiliora demergatur: inferius verò decenter ſuperioris modum participabit: Anima autem inferior eſt intelligentijs.

Ad tertium, conſtanter negandum eſt, omnes partes, quæ diſſoluto compoſito remanent, eſſe materiales. Ad textum autem ex lib. 7. primæ philoſophiæ, multa conglomerant alij, & præcipuè Iauellus ſuper 3. de anima, quęſt. 2. & in tractatu de *indeficientia animæ*: ſed extra rem, & inani vmbra terrentur; nam locum illum Ariſtotelis, qui aduerſus animæ humanæ immortalitatem adduxit, profectò vel eum non intellexit, vel fingit hoſtem, quem feriat. Inueſtigat ibi Stagirites formam compoſiti; eam ait eſſe aliquid aliud pręter materiam, & elementa. Nihil aliud habetur in illo tex, hinc quicquam colligitur cõtra animi immortalitatẽ? textũ audi. *Quare cauſa materia quęritur, hęc autem eſt ſpecies, qua aliquid eſt*: En quid quæritur: ſpecies, & forma: hanc ait, immò probat eſſe aliud quicpiam, præter partes materiales, & elementa: *compoſitum ex aliquo eſt, vt ſyllaba: ſyllaba autem non eſt ipſa elementa, nec idem b. & a, nec caro ignis, & terra.* Quid ita? *quia diſſolutis, hæc quidem amplius non ſunt; vt caro, & ſyllaba, elementa verò ignis, & terra: eſt ergo ſyllaba aliquid, non ſolum elementa, vocalis, & muta, ſed etiam aliquid aliud.* Vbi hic quæſo, quod forma corrumpatur? vbi quod ſolum partes materiales remaneant? vbi quæ *exoterici* neſcio qui, temerè cõfinxere? Verùm vt iſti deciperentur; id in cauſa fuit, quod verba illa; *hæc quidem amplius non ſunt*, intellexere de forma ſubſtantiali, cum tamen non ad formas, ſed ad compoſita referantur: quæ verè non remanent, vt vel in exemplis Philoſophi liquet: *hæc aũt amplius non ſunt, vt caro, & ſyllaba.*

Poſtquam verò determinauit, formam eſſe aliquid aliud præter partes elemẽtares, quęrit, quid illa ſit? Reſpondet, *videtur autem eſſe aliquid tale, & non elementum, ſed cauſa eſſendi, hoc quidem carnem, hoc verò ſyllabam:* Num autẽ iſthæc, diſſoluto compoſito, remaneat, nec ne, nihil ſancit in præſens: idcircò poſtea 12. eiuſdem operis tex. 16. quærit, vtrumne aliqua forma, poſterius remanere queat; & ait, *aliquam remanere poſſe, nihil prohibere*, vt alias diximus.

Ad primam confirmationem, fatemur materiam quidem abſque vlla ſubſtantiali forma cohærere non poſſe; idque non quia eſt ſubſtãtia incompleta, ſed quia vt colligitur ex Philoſopho, locis vel in argumento adductis: Et cõment. 2. Phyſic. tex. 12. & S. Thom. cùm in prima parte, quæſt. 66. art. 1. tùm quolibeto 3. art. 1. Materia prima eſt pura potẽtia: Vnde ſi abſque vllo ſubſtantiali actu exiſteret, eſſet actu, & non eſſet actu. Qua de re adi, ſi lubet, Caiet. tract. de Ente, & eſſentia cap. 5. quæſ. 8. Ferrar. in lib. 3. cont. Gent. cap. 4. Capreol. in 2. ſenten. diſt. 13. Soncinat. 8. Metaphyſ. quæſt. 1. Soto in lib. 1. Phyſic. quæſt. 6. Bannes ſuper primam partem S. Thom. quæſt. 66. art. 1. dub. 2. Durand. in 2. ſent. diſt. 13. quæſt. 2. At verò aliqua forma, quia habet propriam operationem, atq; adeò eſſe, vt oſtendimus, optimè poteſt aliquando ſine vlla materia cohęrere, licet ſit ſubſtantia incompleta. Porrò, ſi nulla vnquam forma ſubſtantialis ſine materia exiſtere poſſet, quid, malum, veniſſet in mentem Ariſtoteli, vt 12. Diuinorum tex. 16. quæreret, an aliqua forma remanere poſſit poſt totius corruptionem?

Ad illud verò, quod ex Alexãdro ſubnectebatur, materiam, & formam ab inuicem eſſe inſeparabiles, omninò dicimus, cum ſecus opinatũ eſſe, aut loqui de forma in communi.

Eadem ratione dicendum eſt ad illud, quod forma magis pendeat ex materia, quàm materia ex forma. Quippè id concedendum eſt in ijs tantummodo formis, quæ vt ſint, & conſeruētur, id totum a materia ſortiuntur, cuiuſmodi non eſt anima rationalis, cum nec de potentia materiæ extrahatur, vt à nobis Diſput. 2. demonſtratum eſt, & habeat ſuum eſſe minimè ex ea dependens. Et propterea meritò aliqui, id diſcriminis ponunt, inter formas cæterorum animantium, & hominis formam, quod illæ exiſtunt per exiſtentiam totius; hac verò potius exiſtit totum. Quin etiā non deſunt, qui velint, rationalem animam, etiam dum eſt in corpore, exiſtere non modo vt quo, ſed etiam vt quod.

SECTIO NONA.

Diluuntur alia tria argumenta, cum ſuis confirmationibus, in eadem prima Sectione confecta.

PRo confutatione quarti argumenti, recole ea, quæ diximus ſupra Diſputat. 3. Sect. 7. in reſponſ. ad 4. argum, quod bifariam aliquid poteſt incipere, aut deſinere eſſe. Vnoquidem modo, ab agente naturali, & per motum phyſicum: alio, ab agente ſuperioris ordinis, & per ſimplicem emanationē. Eodem quoque modo, & ab eodem agente, a quo in eſſe prodijt, poteſt etiam deſinere eſſe. Modo anima rationalis haud incipit eſſe an ab agēte naturali, an per motum phyſicum: ſed venit in eſſe ab agēte ſuperioris ordinis, hoc eſt Deo, vt Diſput. 3. ſect. 6. oſtendimus, *& forinſecus accedit, ſolaque diuina eſt*: ideò nequit ab vllo agente naturali, & per motum phyſicum, deſinere eſſe: benè verò ab illo ipſo agente, a quo in eſſe profecta eſt, poteſt etiam in nihilum redigi. Hoc itaque intellectu, omne quod aliquando eſſe incepit, poteſt deſinere eſſe, Ariſtoteles autem in lib. de Cęlo, verba facit de ijs, quæ phyſicè acquirunt eſſe; quippè ille impoſſibile exiſtimauit, mundum alio pacto in tempore potuiſſe produci, quàm per motum, vt vel ex prima eius ratione in octauo Phyſic. apparet: quare &c.

Quod ſi obijcias, Philoſophus haud cognouit alium productionis modum, quàm per motum phyſicum, ergo ruit ſupradicta diſtinctio, atque adeò redit argum.

Patefecimus in Diſputatione 2. ſect. 4. & Diſput. tertia, ſect. 6. animam intellectricem haud educi de poteſtate materiæ, nec ab vllo naturali agente, ſed ab alio longè ſuperioris ordinis produci, ea nunc repetenda non ſunt. Veruntamen in præſentia hoc præterir non debet: nempè Ariſtotelem in eo ipſo primo lib. de Cęlo, innuere alium productionis modum, præter eum, qui eſt per motum. Quippè cum in tex. 121. aperuiſſet, quot modis dicatur, *ingenerabile*, annectit etiam modos, quibus dicatur *generabile*: his omninò verbis: *Eodem autem modo, & generabile, vnoquidem, ſi quod non erat prius, poſterius fit, ſiue genitum, ſiue abſque* (nota) *generatione; quod quidem aliquando non ſit, rurſus autem fit*. In quoquidem contextu liquidò cōſpicis, poni aliquid ab Stagirite, quod antea non fuerit, & poſtea fit: abſque tamen generatione. Hinc Auguſt. Niphus in ſecundum lib. de Anima ſuper tex. 6. ait, Ariſtotelem, nomen generationis diffudiſſe quandoque ad creationem: pro qua re adducit etiam Auerr. lib. 1. de Cęlo Cō. 20. ſed Auerr. fortaſſe nō hoc intēdit.

Hinc corruunt quoq; omnes inſtantiæ, quarto illi argumento adiunctæ: quippè cum genitum gemeno modo capiatur; vno quidem, pro eo, quod per phyſicam aliquam tranſmutationem producitur, alio, pro eo quod per emanationem, & vt loquitur Ariſt. *abſque generatione* optimè apparet, quomodo tam genitum, hoc eſt naturali generatione, & corruptibile: quàm ingenitum, phyſica itidem generatione, & incorruptibile, inuicem conuertātur: omne enim quod eſt per motum phyſicum genitum, caducum etiam eſt, & corruptibile phyſicè. Et omne, quod non eſt huiuſmodi generatione editum, eſt etiam de ſe omnis corruptionis expers. Quamuis aliunde producatur. Adhibent DD. hac de re exemplum de lumine, quod incipit illuſtrare Hemiſphærium noſtrū, Sole conſcendente orizontem: Si itaq; Sol ibi æternum maneret, lumen etiam, quod de nouo productum eſt, maneret in omnem æternitatem. Sic animæ noſtræ profectæ a vero illo Sole, qui illuminat omnem hominem, &c.

Hæc ſolutio, aut ego omninò fallor, colligitur ex verbis etiam Ariſt. quibus diſputationē, & librum illum 1. de Cęlo concludit, quæ ſunt: Φυσικῶς δὲ καὶ μὴ καθόλου σκοποῦσιν ἀδύνατον, ἢ ἀΐδιον ὂν πρότερον φθαρῆναι ὕστερον, ἢ πρότερον μὴ ὂν, ὕστερον ἀΐδιον εἶναι. hoc eſt, *phyſicè igitur* (nam illud δὲ, idem hic pollet, atque igitur) *& non vniuerſaliter cōſiderantibus, impoſſibile eſt, aut quod ſempiternum erat prius, corrumpi poſterius, aut quod prius non erat, poſterius ſempiternum eſſe*. At cur, conſiderantibus phyſicè, & non vniuerſaliter? quia de ijs ſolummodo loquebatur,

quæ

quæ ad phyſicam conſiderationem attinent, quæ per motum gignuntur, & quæ ex cõtrarijs conſtant. Quid ita? quia per illa contraria, res illæ alterantur, ideòque tandem corrumpũtur: Hanc rationem ſtatim adiungit Philoſophus, *corruptibilia enim omnia, & generabilia, & alterabilia ſunt: alterantur autem contrarijs, & ex quibus conſtant, quę natura ſunt, & ab eiſdem ipſis corrumpuntur.*

Hinc etiam hábes, quomodo ratio Stagiritæ concludat, quomodo autem non; fatemur enim id, quod dicitur *ſemper ens*, & fuiſſe ſemper, & eſſe ſemper, & ſemper futurum: fatemur quoque illud, quod dicitur *ſemper non ens*, nec vnquam fuiſſe, nec eſſe, nec etiam fore: Verùm cum annectitur, inter hæc duo dari medium, quod eſt genitum, & corruptibile, quæ quandoque ſunt, & quandoque non ſunt, oraculum eſt, ſi genitum eo capias modo, quo diximus, nempè per tranſmutationem phyſicam.

Quod ſi quiſpiam huic ſolutioni acquieſcere nolit, en alia, & quidem apprimè, vt opinor, ad mentem Philoſophi; quod is in primo libro de Cęlo loquitur ſolùmmodo de eo, quod de nouo genitũ, conſtet ex elementis, contineatq; qualitates contrarias; quemadmodum ſunt omnia mixta: non autem ambit quodcumque de nouo genitum, ſi illud haud conſtet ex elementis, ſitque contrariorum expers. Huius rei ea eſt ratio, quia Ariſtot. eo loci diſputabat aduerſus Platonem. Atqui Plato, corpora cęleſtia, ſicut & reliqua corpora, ex elementis conflata, & cõpoſita poſuit: Hinc optimè eum vrget Ariſt. Cęlum, in tua opinione, eſt genitum, idem iuxta placita tua, compoſitum ex elementis, & continet contrarias qualitates, quo igitur pacto perpetuum eſſe poterit? Omne enim quod eſt de nouo ita compoſitum, tandem aliquando corrumpatur omninò neceſſe eſt. Modo anima humana, quamuis de nouo fiat, quia tamẽ, nec ex elementis promitur, nec ex illis conſtat, nulla eſt ratio, cur debeat corruptioni ſubiacere.

Quod verò Stagirites, eo loco diſputationem ineat aduerſus Platonem, habes in textu 109. his omninò verbis: *Sunt autem quidam, quibus fieri poſſe videtur, & ingenerabile quæpiam exiſtens, corrumpi; & genitum incorruptibile permanere, vt in Timæo: ibi namque ait Timæus, Cęlum factum quidem eſſe, non tamen eſſe corruptibile, ſed fore quidem reliquo ſemper tempore: Ad quos naturaliter quidem de Cęlo ſolum dictum eſt, vniuerſaliter autem de omni ſpeculantibus, erit & de hoc manifeſtum.* Ex quibus elice duo: Alterum, quòd Ariſt. in præcedentibus textibus, cùm de Cęlo ſingillatim verba faceret, diſputabat aduerſus Timæi, ſeu Platonis doctrinam, quando dicit: *ad quos naturaliter quidem de Cęlo ſolum dictum eſt.* Alterum; quod in ſequentibus etiam aduerſus eũdem ſit locuturus: vt intelligas Ariſt. ſemper hic loqui de eo, quod conſtet ex elementis, &c.

Quòd verò Plato, hanc Cęlorum, & Mundi machinam vniuerſam, ex quatuor elementis coagmentatam, atque compoſitam ſanxerit, multis oſtendere poſsẽ; ſed quia hic Philoſophus mentionem Timæi fecit, ex illo dialogo, hæc habe. *Vt hic mundus eſſet animanti abſoluto ſimillimus, hoc ipſo quod ipſe ſolus, atque vnus eſſet; iccircò ſingularem Deus hunc mundum, atque vnigenitum procreauit: corporeum autem, atque aſpectibile omne neceſſe eſt eſſe, quod natum eſt, nihil porrò ignis vacuum videri poteſt, nec verò tangi, quod careat ſolido, ſolidum autẽ nihil, quod terra ſit expers, quamobrem mundum efficere moliens Deus, terram, ignemque iungebat*; & quæ ſequuntur vſque ad illa verba: *atque vt in hoc vniuerſo, ineſſent genera illa vniuerſa*: Ita poſtea concordi ſuffragio ſenſere Platonici, Porphyrius in hæc, quæ nunc attuli Platonis, verba; ita tandem loquitur: *mundum ex quatuor conſtitutum eſſe elementis, disertè docet Plato; quaſi quintum illud corpus, quod ab Ariſtotele, & Archita introducitur, non eſſe putauerit*. Plotinus in libro de mundo, hoc Platonis dogma, pluribus aduerſus Stagiritem tueri conatur. Proclus, qui Platonis anima dictus eſt, idem habet in explicatione Timæi, & in eo libro, qui inſcribitur; Obſeruationes eorum, in quibus Platonis Timæo contradixit Ariſtotiles. Quid verò? Ariſtotiles ipſe, reprehendens Platonis, de Cęli ſubſtantia, ſententiam, ponit ipſum eſſe quintum quoddã corpus. Ex his itaq; liquidò conſtat, & Platonem, totam Cęli, & mundi machinam ex elemẽtis conflatam poſuiſſe: & Philoſophum lib. illo 1. de Cęlo, aduerſus Platonis dogma, de eo ſolummodo loqui, quod eſſet genitum ex elemẽtis: ſecus enim extra rem propoſitam argumentaretur: Ideòque omne, quod hoc pacto productum eſt, vtiq; aliquando etiam corrũpetur.

Ad quintum argum. quod ex animorum immortalitate, ſequeretur actu infinitum; ante omnia procul abigenda ſunt, moleſta nónnullorũ reſponſa, quod Stagirites hac in parte ſplendidè ſibi contradixerit. Quippè mundi æternitas, cum animorum immortalitate (quæ

veraque faſſus eſt) iuxta hominum multitudinẽ numeratorum, abſque infinita earum multitudine actu, coherere haud poteſt. Nec mirum, aiunt, Ariſt. diſſonantia, & ſibi contraria dixiſſe, cùm fuerit purus homo. Ita Durand. in 2. diſt. 18. quęſt. 3. & quidam alij, quos refert Domin. Bannes ſuper 1. par. S. Thomæ, quæſt. 75. art. 6. dub. 8. ad 4. & P. Onuphrius in ſuis Aureis Diſput. de Anima Tract. 1. Diſput. 2. quæſt. 2.

Nec etiã audiendi ſunt ij, qui dixerunt, Ariſtotelem, quãdo libros de Phyſica auſcult. ſcribebat, hanc difficultatem haud inſpexiſſe: poſtea verò cum ad illos de Anima conſcribẽdos animum appulit, vidiſſe quidem, hanc contradictionem, e ſuis libris conſecuturam; verùm ne palinodiam caneret, neue elegantiſſimam illorum ſtructuram, tot iam laboribus cõfectam diſſolueret, ex induſtria reticuiſſe: ideòque de animorum immortalitate, vbique ambiguè, lubricèque fuiſſe locutum.

Hæc inquam, in Peripato ferenda non ſunt: non quod ego tantum tribuam Ariſtoteli, vt exiſtimem, cum haud vnquam labi potuiſſe; cũ illum in nonnullis abſtruſitatibus, vt de mundi æternitate, cæcutiſſe certo teneam: ſed quia hæc contradictio adeò in plano eſt, vt a quouis rudi homine, expoſitis terminis, actutum intelligatur. Ecquis non ſtatim videat, ſi mundus, & homines fuiſſent ab æterno, & in vnoquoque eorum vna numero anima, eaque immortalis, nunc eſſe collectam infinitam animarum multitudinem? Hoccine Ariſtotelem non vidiſſe? Vidiſſe autem, & ex induſtria obticuiſſe, ne ſententiam ſuam reuocaret, aut fundamenta ſuæ Philoſophiæ, iam multo labore iacta, euerteret; extremæ improbitatis, & dementiæ eſt. Ecquæ vnquam maior dementia, quã vt quiſpiam in ſuis ſcriptis, quæ ſunt in omniũ conſpectum, veluti in publicum quoddam examen proditura, euidentem aliquam, & magni ponderis contrarietatem, cuiuſmodi hæc eſt, ſciens, ac prudens relinquat? Quod ſi hoc a quocumque prudente, cuius animum leuiuſcula laudis dulcedo titillat, amouendum eſt, quantum maiori cum ratione, erit ab Ariſt. quẽ tanta conquirendæ gloriæ cupido inuaſerat, vt eo viuente, dubitaretur, num in eius auditore Alexandro, maior cupiditas regnandi, an in Ariſtotele, cæteris præſtandi, fuerit? His itaque omiſſis.

Reſpondent aliqui, hanc conſequentiã non valere; ſi animæ immortales, & numero diuerſæ eſſent ab æterno, ergo nunc eſſent actu infinitæ. ſed aiunt, illas adhuc futuras fuiſſe finitas. Cuius aſſerti rationem hanc afferunt, quia, quod actu infinitum eſt, id incrementum, & additionem non ſuſcipit, vt ex 3. Phyſic. accepimus. Atqui animæ nunc exiſtentes, quamuis ex omni æternitate procrearentur, incrementũ ſuſciperent: quotidiè enim aliæ, atque alię producuntur, ſi homines aſſiduè generantur, quare illæ actu exiſtentes, haud eſſent infinitæ.

Quæ tamen reſponſio falſa eſt; nam illud eſt infinitum, cuius vltimum accipi nequit; ſiquidem, *infinitum illud eſt, cuius accipientibus, ſemper aliquid accipiendum relinquitur*. 3. Phyſic. tex. 34. Poſita autem mundi ęternitate, a parte, vt aiũt, ante; & animabus ratione præditis immortalibus, & numericè multiplicatis, non eſt in ijs accipere vltimum, incipiendo a nobis retrò numerare: ergo illæ nunc eſſent infinitæ. Minor ex eo conſtat, quia ſi poſſet aſſignari vltima animarum, retrò incipiendo ab hac, quæ nunc pręterit, illæ haud eſſent ab æterno, cum iam in ijs poneretur terminus, vltra quem neque hominum generatio, neque procreatio animarum eſſet; quod tamen æternæ conditioni repugnat: nam æternum, vt vel nomen ipſum ſonat, dicitur quaſi extra terminum. Et *infinitum dicitur per termini remotionem*, inquit S. Thomas in prima par. quæſt. 7. art. 3. Et Ariſt. 11. Metaphyſ. cap. 10. *infinitum eſt, quod impoſſibile eſt pertranſire: eo quòd non ſit aptum permeari.*

Præterea, ſi animæ ex æternitate productæ, nunc eſſent finitæ, eſſent in aliqua determinata numerorum ſpecie. Cum autem numerus conſtituatur in ſpecie per vltimam vnitatem, ſequitur, vt incipiendo ab anima, quę nunc fit, atque aſcendendo, deueniretur vtique ad aliquam, vltra quã non eſt progrediendũ; & de qua verum fuerit affirmare, hæc eſt, & ante hanc nõ fuit alia: Hoc autem, e regione repugnat infinito, vt dicebamus. Illuſtratur exemplo: nam iccircò aſſerimus, poſita mundi æternitate, pręceſsiſse dies infinitos, quia ſi ab hodierno, retro numerare incipias, nunquam deuenies ad aliquem, de quo ſit verum dicere, hic eſt vltimus, & ante hunc non fuit alius. Atqui par ratio procedit in animabus, quare &c. Tum etiã, nemo negaret, ſi dies omnes ab omni (fac ita eſſe) æternitate elapſi, nunc coexiſterent, eos actu futuros fuiſſe infinitos; quæ coexiſtentia, & ſimultas, diebus quidem, quia ſunt entia ſucceſſiua, competere non poteſt; hominum verò

animis,

animis, cum ſint res permanentes, competere poteſt, ergo &c.

Poſtremò, illam rerum multitudinem appellamus actu limitatam, atque finitam, quæ ita eſt determinata, vt enumerando per vnum, poſſimus dicere, hic eſſe tot, & non plura. Hoc autem multitudini, de qua eſt ſermo, repugnat, cum a parte ante, & illimitata ſit, nec vllum habeat terminum, ſi ſupponatur æterna. Ex quibus omnibus liquidò conſtat, poſita æternitate mundi, nullo pacto negari poſſe actu animorum infinitatem.

Quid ergo ad quintum illud argumentum dicendum eſt? profectò nobis non conſtat, quidnam præciſè dicturus fuiſſet Ariſtot. id quod fatetur etiam S. Thomas 2. cont. Gent. c. 81. & in tract. contra Auerroiſtas: idque propterea, quia tēporum iniuria nobis ſublata eſt ea Metaphyſicæ pars, in qua ille de formis a materia ſegregatis agebat. Nam conſiderare etiam formas, quæ ſunt quidem in materia, ab ea tamen ſecerni poſſunt, in quantum ſeparabiles ſunt, eſt opus primæ Philoſophiæ, vt idem Philoſophus ſcriptum reliquit 2. Phyſic. tex. 26. & adnotant ibi S. Thomas, & Philoponus. Nihilominus eius fundamentis innixus, haud multo negotio argumentum illud quintũ diſſolues, ſi dicas, Ariſtotelem, cùm in 3. Phyſic. tùm in 1. de Cęlo, & in Metaphyſicis, loqui ſolum de infinito, ſiue continuo, ſeu diſcreto, in rebus corporeis: ideòque negare ſolum poſſe dari aliquam magnitudinem, aut multitudinē actu infinitam, quæ ſitum, & locum occupet: non autem pugnare de infinito earum rerum, quæ molis, materięq; expertes ſunt, nec vllum occupãt locum: hoc enim eſt infinitum per accidens. Et quia humanæ animæ, nexu corporum abſolutæ, immateriales ſunt, nec vllum occupant locum, iccircò non reputauit inconueniens, dari in ijs actu huiuſmodi infinitum.

Cui quidem ſolutioni, vt apprimè adhæreã, multa me mouent: Primum, quod Ariſt. vbicũque de infinito ſermonem habet, diligenter ſe cōtrahit, reſtringitq; ad corporea ſolum, ac ſenſibilia: & pęnè ab ea tractatione excludit formas mole, materiaq; carẽtes. Audi ipſum in 3. de Phyſica auſcultatione tex. 39. vbi cum numerorũ formas, à materia ſeparatas tetigiſſet, actutum ſubdit; *Sed fortaſſis, hæc quidem eſt vniuerſalis quæſtio magis ſi contingit infinitũ, & in mathematicis eſſe, & in intelligibilibus, & in ijs, quæ nullam habent magnitudinem, nos autem conſideramus de ſenſibilibus, ac de ijs, quorum facimus ſcientiam; vtrum in ijs ſit, an non corpus infinitum?* Viden', vt Philoſ. ad corporea tantum, & ſenſibilia ſe ſe contrahit? quid verò? an fortaſsè in phyſicis ſolũ, vbi corporea tantum perpendit id egit? Idē omninò recuſat in prima philoſophia; atq; nè longè abeam, in illo ipſo 9. cap. 11. libri, ex quo Aduerſarij ſuam colligerãt rationem, quæ pro confirmatione 5. argum. adducebatur, quia ſcilicet ſi daretur infinitum, (de quo tamen mox audies) illud non eſſet ſubſtantia, quia non eſſet diuiſibilis: nec eſſet accidens: quia non poſſet eſſe principium rerum, quemadmodum Pythagoræi ponebant; vbi hæc protulit Ariſt. ſtatim annectit. *Sed hæc fortaſſe inquiſitio vniuerſalis eſt: quod verò in ſenſibilibus infinitum non eſt, hinc conſtat.*

Ex quibus, non modo id habes, quod Ariſt. omnibus præfatis in locis, reſpexit tantum infinitum in rebus corporeis, ac ſenſibilibus, cum orationem ſuam ad eas ſemper tàm anxiè coarctet, verùm etiam, argumentum de infinitate in formis a materia ſeparatis, alijs in libris, accuratiſſimè ab eodem eſſe tractatum; quos tñ, cōmunes tempeſtatis clades, cōmuni, & ingenti, cum omnium detrimento abſorbuerũt. Si enim in 11. Diuinorum, argum. de infinitate, in formis ſeparatis, tanquam vniuerſalius, in aliã tractationem reijcit, quis non videat, id in ea Metaphyſices parte fuiſſe tractatum, quæ ad nos non peruenit? vt cum S. Thoma dicebam; in qua profectò, de mentibus etiam humanis, vtpotè formis ab omni materia ſegregatis, credibile eſt, Ariſtotelem egiſſe.

Sed vt Stagiritæ mẽs penitius intelligatur, ſcias adhuc, priſcos Philoſophos, quicunq; infiniti tractationē attigerunt; illud feciſſe principium rerum omnium; diuerſo tamen modo, teſte Philoſ. 3. phyſic. tex. 25. quo loci, cũ oſtendere vellet, infiniti tractationē, ad phyſicã contemplationē attinere; aiebat, *Signum autem eſt, quod huius ſciẽtiæ propria ſit conſideratio de ipſo infinito: nam omnes, qui videntur, pro dignitate tetigiſſe talem philoſophiam, fecerunt ſermonem de infinito, atque omnes tanquam principium, quoddam ponunt eorum, quæ ſunt.*

Hoc autem principiũ infinitum, quidam dixerunt eſſe elementa, vt Anaxagoras, & Democritus, ille quidem inuehens πανσπερμίαν, hic ὁμοιομερίαν, ita tradit Ariſtoteles libro, quem dixi, tex. 27. & primo de ortu, & interitu.

Alij verò, pro infinito illo, poſuerunt

Vnum aliquod ens immobile, præter quatuor elementa, vt Xenophanes Colophonius, Anaximãder, & alij: quod videre potes apud Ariſt. in eo præcipuè libro, cui titulus, *de Xenophane, Zenone, & Gorgia*. Alij demum, quod ad rem præſentem facit, infinitatem, ad numeros contulerunt, prout nimirum vnuſquiſque principia rerum conſtituebat, ita etiam detorquebat infinitatem: Qui igitur numeros fecerunt rerum principia, cum omnia denario numero concludi viderent, nam gentes omnes, cum ad denarium vſque peruenerint, redeunt rurſus ad vnitatem, finxerunt numerum denarium, eſſe cauſam rerum omnium: id quod hiſce cõbinationibus, ſeu oppoſitionibus, veluti Categorijs quibuſdam delinearunt; vt decem quidem eſſent bonorum, formarum, & habituum; decem autem malorum, priuatorum, & eorum, quæ indefinitam ſortiuntur naturã, hoc pacto,

Numerus denarius, principium omnium rerum naturalium.

Bonorum.	Malorum.
finitum	*infinitum*
impar	*par*
vnum	*multiplex*
dextrum	*ſiniſtrum*
mas	*fœmina*
quies	*motus*
rectum	*curuum*
lumen	*tenebræ*
bonum	*malum*
quadratum	*longius altera parte.*

Hanc doctrinam habes apud Ariſtotelem 1. Metaph. cap. 5. Adi expoſitores, ſi longiorẽ eius explicationem deſideras.

Eorum autem, qui numeros, & quidem infinitos, fecere rerum principia, rurſus alij ſtatuerunt, illos eſſe principia materialia, vt ex ijs procrearentur quæcunque fiunt; Alij verò eoſdem numeros ſeparant à ſenſibilibus, aſſeuerantes, eos eſſe ſubſtantias quaſdam ſeparatas, & primas entium cauſas. Sic docet Ariſt. 13. diuin. cap. 6. *Cum autem de his determinatum ſit, decet rurſus, quæ circa numeros illis accidunt; qui eos ſubſtantias ſeparatas dicunt, ac entium cauſas primas, ſpeculari.*

Hunc autem numerum ſeparatum, adhuc bifariam, ſecuerunt, vt alter quidem eſſet, qui vnum poſt aliud haberet: alter eſſe, reſpectu cuius omnes vnitates confeſtim, & quaſi ſimul ſe haberent. Priorem numerũ, appellarunt ideas: poſteriorem, mathematicum. Ecquem tibi aliũ huius etiam rei aſſertorem, adſtipulatoremq; adducam, quàm Ariſtotelem? Is in eo ipſo c. 6. hæc habet. *Quidam itaque ambos numeros eſſe dicunt, illum quidem, qui prius, ac poſterius habet, ideas: mathematicum verò præter ideas, & ſenſibilia, ambos à ſenſibilibus ſeparatos.* Hæc omnia, ea mente attigi, vt ſi quando apud Philoſophũ inuenias, in ſeparatis a materia, non dari infinitum, intelligas, eum loqui, de huiuſmodi numerorum formis, atque ideis ſeparatis; cũ aduerſus veteres Philoſophos diſputaret.

Ex his, quæ hucuſque diximus, non modo principale illud quintum argumentũ, ſed omnes etiam confirmationes ibi annexæ, dilutæ manent. Quod enim natura reſpuat infinitum, ſtudeat compendio, & paucitatem magis, quã multitudinem affectet, benè habet: ſed ſermo eſt, iuxta propoſitam materiam, nempè de ijs ſolummodo, quæ diſpoſitionem, quæ locum, quæ ſeriem exigunt; & corporea, ac ſenſibilia ſunt. In primo autem Phyſic. Ariſtot. loquitur de principijs rerum naturalium; quæ procul dubio, melius eſt eſſe finita, quàm infinita. In octauo verò eiuſdem operis, dum ait, intelligẽtias orbium motrices, eſſe finitas; quid rectius? Nulla vrgebat neceſſitas, illas extendi infinitas: immò vrgebat eas, qua orbium motrices ſunt, eſſe finitas, quia & orbes, quibus applicatæ cenſentur, finiti ſunt.

Patet etiam, de qualinam infinito loquatur Ariſt. in vndecimo, & alijs locis Metaphyſic. de illis nimirum numerorum formis, an ideis, an mathematicis, a ſenſibilibus, & a materia ſeparatis; quæ porrò nec ſubſtantia, nec accidens eſſe poſſet. Immò verò in illa ipſa Ariſt. ratione ex lib. 11. cap. 9. in argum. adducta, dicitur, infinitũ illud debere quantitate conſtare; quia ſecus non eſſet diuiſibile: quod quidem in formis omninò a materia abiunctis, cuiuſmodi ſunt humanæ animæ, nullum obtinet locum.

Dum verò in alia ratione ait Ariſt. omnem numerum, vel quod habet numerum, eſſe numerabile; & ſi daretur numerus actu infinitus, haud fuiſſet numerabilis, nec ſi ille cuipiam ineſſet, illud fuiſſet numerabile: profectò loquitur de rebus ſenſibilibus, & quantis. Enimuerò cum ibi dixiſſet, numerum haud poſſe eſſe principium rerum, quia eſt accidens; addidiſſetq; *ſed hæc fortaſſe inquiſitio vniuerſalis eſt*; Statim ita ſubnectit. *Quod verò in ſenſibilibus non eſt infinitum*

ſ nitum, ita conſtat: nam ſi eſt corporis ratio hoc, eſſe ſuperficie definitum, non ſanè fuerit infinitum corpus, nec ſenſibile, nec intelligibile. Caterùm nec numerus ita eſt, tanquam ſeparatus, atque infinitus: quippè eum numerus, aut quod habeat numerum, numerabile ſit. In quibus verbis vides, ſermonem eſſe de corpore infinito, ſiue illud ſit ſenſibile, hoc eſt, naturale, ſeu intelligibile, hoc eſt mathe maticum, & de numero illo quanto; quem Pythagoræi rerum principium fecerunt, de qua re ſatis ſuperius dictum eſt.

Porrò, vt hoc penitius intelligas, ſcito, quod pluralitas, ſeu multitudo, ſemper conſequitur aliquam diuiſionem: diuiſio autem eſt duplex. Vna quidem materialis, quæ fit ſecundum diuiſionem continui; & hanc conſequitur numerus, qui eſt vna ſpecies quantitatis, ſeu prædicamentalis. Et talis numerus nō eſt, niſi in rebus, quæ habent materiam, & quantitatem; vt tres homines, quattuor ligna &c. Alia diuiſio eſt formalis, quæ fit ſecundum oppoſitas, vel diuerſas formas: & hanc diuiſionē conſequitur multitudo, quæ non eſt in aliquo certo an genere, an prædicamento, ſed eſt tranſcendens, ſecundum quod ens diuiditur per vnum, & multa. Et talis multitudo ſolummodo poteſt reperiri in rebus, quæ ſunt materiæ, & quantitatis expertes, non autem prior: hoc pacto intelligentiæ, v.g. quamuis omninò ſint immateriales, & neque ſint quantæ, neque virtutes in quanto, vt Ariſt. 8. de Phyſic. auſcult. & 12. Diuin. demonſtrat. tamen re ipſa ſunt multæ, & in ijs, etiā abſtractis, & ſeparatis ab orbibus celeſtibus, verè eſt aliqua multitudo.

Hinc collige primò, quod cum prior multitudo ſit vera ſpecies quantitatis, verè eſt numerabilis per vnum, quia menſura, & numeratio, eſt propria quantitatis: Et hæc ſimpliciter ab Ariſt. appellatur numerus. Multitudo autem poſterior, ſeu tranſcendentalis, propriè non dicitur numerabilis, quia non eſt in quanto. Hoc diſcrimen innuit Ariſt. 4. Metaphyſ. cap. 13. quod eſt, *de quanto*, his omninò, *Multitudo igitur quantum quid, ſi numerabilis eſt*: quibus verbis indicatur, eſſe aliquam multitudinem, quæ non ſit numerabilis.

Collige ſecundò, quod priori multitudini, nempè prædicamentali, quamuis ratione ſui non repugnaret infinitas, tamen omninò repugnat ratione ſubiecti, in quo eſt; quia huiuſmodi multitudo, non niſi in quanto reperitur: omne autem quantum, determinatum, & finitum eſt: De hac multitudine, quæ abſolutè dicitur numerus, perpetuo locutus eſt Ariſt. tum in libris Phyſicorum, tum in prima Philoſophia, nam etiam ſeparati illi Pythagoręorum numeri, cum ponerentur Mathematici, meritò ab eis excludit omnem infinitatem: nunquam verò Ariſt. a multitudine trāſcendentali excluſit infinitatem: immò nec attigit eam: talis autem multitudo fuiſſet in animabus ſeparatis ſi mundus &c.

Quod ſi obijcias, omnem multitudinē oportet eſſe in aliqua ſpecie multitudinis. Species autem multitudinis, ſunt ſecundum ſpecies numerorum; nulla autem ſpecies numeri eſt infinita, cum conſtituatur per vltimam vnitatem: ergo quæuis multitudo neceſſariò erit actu finita.

Hoc potiſſimùm argumento probat S. Thomas in prima parte, quæſt. 7. art. 4. eſſe omninò impoſſibile, poſſe aliquam multitudinem actu infinitam dari: adeò, vt eius ſchola, & multi alij nunc iam ſuſtineant, etiam de potentia, vt aiunt, abſoluta Dei, haud poſſe fieri actu infinitum. Sed nos in præſentia aliam Spartam ornamus. Illa itaque multitudo animarū fuiſſet multitudo talis determinata, ſed non in aliqua ſpecie numeri prædicamentalis. Ita de facto, vt ad eos tali exemplo vtamur, cogitationes hominum, & Angelorum, quæ coexiſtunt ęternitati, verè ſunt multitudo infinita: Sic animæ nexu corporū abſolutæ, iacta mundi æternitate, fuiſſent aliqua multitudo, vti dixi tranſcendentalis: quamquidem rebus, materia & quantitate omninò vacantibus, ad aures Ariſtotelis, haud repugnare, exiſtimarunt etiam Algazel, & Auicenna. Quinimò S. Thomas in capite 81. lib. 2. cont. Gent. & opuſc. 16. eotum ſolutionem ad præfatam difficultatē, non modo non reprobauit, ſed veluti rationabilem etiam recenſuit: cuius hæc ſunt verba. *Ad quam quidem obiectionem; ſic reſpondet Algazel, in ſua Metaphyſic. Dicit enim quod in quocumque fuerit vnum iſtorum ſine alio, idest, quantitas, vel multitudo ſine ordine, infinitas non remouebitur ab eo, ſicut a motu celi. Et poſtea ſubdit, ſimiliter autem animas humanas, quæ ſunt ſeparabiles a corporibus per mortem, concedimus eſſe infinitas numero: quamuis habeant eſſe ſimul; quia non eſt inter eas ordinatio naturalis, &c.*

Conſiderarunt, opinor, hi auctores, omnia Philoſophi argumenta; animaduerterunt, eum vbique inniti eo fundamento, omniaque eius argu-

argumenta eò referri; quod infinitum eſt paſſio quanti: Quantum autem infinitum actu non datur, ſiue illud continuum, ſiue diſcretum ſit. Quare vbi remouetur quantum, eò Ariſt. argumenta haud pertingunt.

Tandē, magna dementia eſt, vt quiſpiam vnum aliquod incommodum euitet, aliud longè maximum amplecti: quemadmodum faciunt Aduerſarij, qui dum infinitum in ſententia Stagiritæ deflectere volunt, in abſurdiſſimas opiniones, propter hoc quintum argumentum inciderunt; vt adnotauit S. Thomas in cap. illo 81. quæ omnia ſi animo recolas, æqui, boniq; conſules laborem hunc meum, quanquam hic ego diutius fortaſsè immoratus, alicui videar.

Quid verò? vt hoc etiam addam, ſi Ariſt. hac in parte, in Platonis ſententiam iuerit de animorum in diuerſa corpora regreſſu? de qua re multis ediſſeruimus ſupra Diſputat. 3. ſect. 3. Hoc pacto nulla ſuſpicio infiniti, ſed eædem animæ infinities per circulum reuerterentur, Quippè nunc non quod res ipſa eſt inueſtigamus (ſententia de tranſanimatione, iam a nobis in illa Diſput. 3. abſurda patefacta eſt) ſed quid Stagirites exiſtimauerit. Venio nunc ad ſolutionem ſexti argumenti. itaq;

Ad ſextum dicendum arbitror, ex nihilo, nihil fieri, quod perfectè, & integrè habeat eſſe, ac per ſe ſubſiſtat: & hoc ſenſu prolatum fuiſſe ab Stagirite, effatum illud *ex nihilo* &c. nō autē ſi de omni eo intelligatur, quod eſt aliquid rei ſubſiſtentis, quamuis ex illius potentia non extrahatur.

Itaque Ariſtoteles vidit quidem animam rationis compotem, non educi ex materia, vt ſupra Diſput. 2. ſect. 4. vidimus: neque tamen diceret abſolutè, eam ex nihilo fieri, & creari: tum quia creatio eſt totius entis perfectè; ac integrè ſubſiſtentis, ex nullo præiacente ſubiecto: Anima autem non eſt perfectum, & integrum ens, ſed altera pars eius, quod integrè ſubſiſtit: vnde etiam trito vocabulo vocatur ſemiperſona: tum quia non fit ex nullo independenter præiacente ſubiecto, ſed fit in materia præſuppoſita, & ad eam vltimatè diſpoſita; nam & ſi anima nō extrahatur de potentia materię, quia tamen eſt actus materiæ: *Omnis autem actus, in eo, quod potentia exiſtit, & in propria materia, aptus natura eſt fieri*: vt inquit Philoſophus 2. de anima tex. 26. fit, vt anima fiat, & ſuſcipiatur in ipſa materia, quod Ariſtoteles arbitratus eſt, ſufficere, vt anima neq; dicatur educi de poteſtate materię, cum deforis veniat; neque produci ex nihilo, ſeu creari; ſed produci in materia. Poteſt adhiberi exemplum, nam lumen in Peripateticorū ſententia, non editur illud quidem de potentia aeris, ſed in aere ab agente extrinſeco producitur: Et nihilominus lumen, nullo modo dicitur ex nihilo fieri; aut creari: ita modo aliquo contemplare de anima intellectiua. Verùm à quo, & quomodo producatur, habes in Diſputat. 3. ſect. 6. Hæc ad diluendum 6. illud argum. in præſentia dediſſe ſatis.

Ad primam confirmationem reſpondeo, inter productionē formæ, & materiæ magnū intercedere diſcrimen: quia forma fit in materia, eam tanquam ſubiectum, ſuique receptiuū ſupponit, & in ea producitur: quod ſufficere viſum eſt Ariſtoteli, vt affirmaret, eam non fieri ex nihilo: & ideò fortaſſe non concederet, animam rationis participem, poſſe extra materiā produci per ſe ſubſiſtentem. Materia verò non fit in alio, nec quicquam aliud præſupponit, cū ſit primum ſubiectum. Et cum in omni productione debeat præſterni aliquod ſubiectum, ſaltem in quo illa celebretur, fit, vt ſi materia deberet produci, ante illam præſupponendum eſſet aliud prius ſubiectum, in quo produceretur: illud autem non niſi materia prima eſſet: & ſic ea eſſet, antequam eſſet. Quamobrē, & ſi Philoſophus negauit, materiam primam potuiſſe vnquam produci, non idem inficiaretur de aliqua forma, quæ habet operationem, atq; adeò eſſe, quæ a materia haud dependent, vt alias oſtenſum eſt.

Eadem ratione diluitur altera confirmatio; nam mouens, & mobile, de quibus eſt demonſtratio 8. Phyſic. ſunt entia perfecta, integra, ac per ſe ſubſiſtentia, & iſthæc negat Ariſtoteles poſſe fieri ex nullo præiacente ſubiecto, vt dicebamus. Anima verò non eſt perfectè, integrèque ſubſiſtens, ſed perfectè ſubſiſtentis altera pars. Et quamuis non fiat ex ſubiecto, fit tamen in eo.

Ad illud verò, quod pro tertia confirmatione annectebatur, nempè ſi animę intellectrices debuiſſent produci a nullo præiacente ſubiecto, vtique produci deberent ab ipſo Deo: qui cum ab Stagirite exiſtimatus ſit agens naturale, ſimul produceret omnes omnium hominum animas ab æterno, quia huiuſmodi agēs, agit ſecundum vltimum ſuum poſſe. Hoc argumentū nullius roboris eſt. Fac enim Deum ad aures Ariſt. in agendo eſſe agens neceſſarium,

quod

quod tamen in Peripato anceps eſt, non tamē inde fururum fuiſſet, vt omnes animas ab æterno produceret, quia anima non niſi in materia vltimatè diſpoſita, atque inſtructa producitur. Materia verò non fuit ab æterno diſpoſita, neque ſimul diſponitur pro omnibus hominibus; ſed ſucceſſiuè; ideò etiam animæ ſucceſſiuè a Deo fuiſſent producendę; quemadmodum nequit Deus, quocumque modo ſtatuatur agens, producere omnes omnium hominum generationes ſimul; neque omne tempus ſimul. Verùm ne nos quoque omnia ſimul efferre videamur, hic paululum interquieſce, vr deinceps ſolutionem argumenrorum, quæ ſuperſunt, alacrius proſequare: ſit ergo.

SECTIO DECIMA.

Satisfit reliquis argumentis in prima adhuc Sectione factis.

QVANDO ſeptimo loco dicebatur, nullum indiuiſibile per ſe poſſe moueri: Indiuiſibile duplex eſt; aliud quantitaris, vt punctum: aliud ſubſtantiæ, qualis intelligentia. Illud per ſe moueri nequit, quemadmodū nec agere quicquam, nec pati. Indiuiſibile autem ſubſtantiæ, & mouetur per ſe, & agit: agunt intelligentiæ, agit Deus, tale indiuiſibile eſt humana mens, à corpore ſegregara: & mouetur, & agit. Ariſtoteles verò in argumento adductus, de ijs ſolummodo ſermonem habet, quæ ſunt indiuiſibilia priori modo: hæc enim ſunt Phyſicæ conſiderationis.

Ad primam confirmationem aio, animam, dum eſt in corpore, moueri ſolum ex accidenti; quemadmodum & quæcunque alia forma, quę eſt in ſubiecto, ad illius motum, ex accidenti mouetur: a corpore verò abiunctam ferri, ac moueri per ſe, ſicur quæcunque intelligentia. Ariſtoteles autem in tex. illo 43. & 61. primi de anima, loquitur de anima, vt eſt in corpore, & quidem contra veteres, præſertim Democritū, & Platonem: aſſeritque animam, dum in corpore degit, non moueri per ſe, motibus illis, quos præfati auctores ſibi finxere: nam Democritus, animam aiebat moueri per ſe, quodā motu recto: Plato autem ferri circulariter; de quibus adi Ariſtotelis interpretes, & præcipuè S. Thomam, & Philoponum ſuper illum locum.

Ad ſecundam confirmationem reſpondeo; animam ſeparatam, eſſe liberam, eòque commodè poſſe moueri quacunque motus differentia voluerit. Argumentatio autem illa, ſi ferretur ſurſum, eſſet ignis, &c. valeret, ſi anima moueretur naturaliter, & non liberè: tunc enim ex hoc motu eliceremus eius eſſentiam: quemadmodum valet ratio Philoſophi tex. illo 40. ex 2. de Anima, qua veteres Philoſophos vrget; qui ponebant animam moueri, & ex hoc mouere etiam corpus: Inſuper motum hunc aiebant, habere ex aliquo elementorum, & eſſe animæ naturalem; quare ſtrenuè vrget Philoſophus: aut ergo anima ſequitur motum ignis, aut terræ, aut aliorum elementorum. Si participat motum ignis, mouebitur ſolum ſurſum: ſi terræ, deorſum, & c. Omninò vide Philoponum, & Simplicium.

Octauum argumentum, arduam petit difficultatem, quo pacto humanæ animæ a corporibus ſeparatę, inuicem numericè diſtinguantur? qua quidem in re, vetus fuit Plotini ſententia, ex Platonicis hauſta fontibus; eas, & dum in corporibus morantur, & ab ijſdem abiunctas, diſtingui numero, per quandam *ἰδιοτρόπειαν* idiotropiam, nimirum per quandam modi cuiuſpiam proprietatem; qua fit, vt hæc anima, ſit hæc, & non alia.

Quod ſi penitius ſciſciteris, quidnam ſit illa *ἰδιοτρόπεια*? Iam quidam arbitrantur, illam eſſe proprietatem quandam indiuidualem: qua quidem anima (vt ipſi loquuntur) eſt hæc intellectualiter, ante vel poſt corpus. Placuit hęc explicatio haud paucis D.D. huius noſtræ tempeſtatis; qui etiam voce ſatis abſona, Hæccheitatem, ſiue Hæcceitatem appellauerūt. Diplicet alijs, qui aduerſus pręfatam explicationem multis inſurgunr, potiſſimùm verò hac ratione: Si anima in illo priori, in quo natura præcedit vnionē ad corpus, quà eſt terminus creationis, & vt ipſi loquuntur, intellectualiter ante corpus, eſset per ſe hæc, per illam Hęccheitatem, quæ non reſpicit corpus, ſed animam ipſam, liquidò conſequitur, animam in illo priori eſſe hoc aliquid, & indiuiduum completum in ſua ratione, ac ſpecie: ſiquidem eſſet extra ſuas cauſas, & non per aliquem ordinem ad corpus. Tūc verò vnio ejus ad corpus, nō eſſet eſſentialis, neq; ex illa, & corpore reſultaret vnū per ſe, ſed vnum per accidens, cum corpus aduenirer animę, iam completę in ſua ratione. Cum itaq; dicti auctores ex anima, & corpore conſtituant vnum per ſe, pręfata explicatio ſubſiſtere nequit.

Digitized by Google

quit. Hinc eſt, quod Plato, cum præfatam illam *ἰδιοτρόπειαν* eo pacto induxiſſet, ſtatuit etiam vnionem animæ intellectiuę cum corpore, non eſſe eſſentialem, ac veluti informantis formę cũ materia, ſed accidentalem, & quaſi motoris ad mobile: vt patet in dialogo primo Alcibiades in Timæo, & alibi ſępè, eodem etiam modo poſuit Plotinus humanam animam aſſiſtentem ſolum: cum igitur præfati auctores, quibus dictus explicandi modus arriſit, animæ noſtræ cum corpore vnionem, ponant eſſe eſſentialem, eãque eſſe formam informantem, ſibiipſis minimè cohærent, hæc illi. quare

Longè melius alij, inter quos eſt S. Thom. cum alijs in locis, tum 2. contra Gent. cap. 81. *ἰδιοτρόπειαν* hanc, intelligũt eſſe quandam animæ commenſurationem, & habitudinem tranſcendentalem, ad proprium corpus. Hanc inquam, animam numericè ab alia diſtingui, quia dicit intrinſecam habitudinem ad hoc corpus, atque huic, & nõ alij commenſuratur. Huius rei ea eſt ratio, quia anima intellectiua, nequit produci, & eſſe terminus creationis in aliquo priori, niſi alicui certo, ac determinato corpori commenſuretur: quia anima, cum ſit actus corporis, neceſſariò produci debet in eo, quod eſt potentia ad illam; *proprius enim actus, in propria materia, aptus natura eſt fieri*. Tum quia forma debet eſſe proportionata cum materia: quã quidem proportionem nunquam habebit, ſi abſque commenſuratione, & habitudine ad corpus edatur.

Hinc habes, quo pacto animæ rationales in corporibus exiſtentes numericè differant, nempè per commenſurationem, & tranſcendentalem habitudinem ad propria corpora. Et quia huiuſmodi habitudo, & commenſuratio, manet in anima etiam exuta corpore, per eandem diſtinguetur ab alijs: quemadmodum, quia videndi potentia, v.g. diſtinguitur intrinſecè per habitudinem tranſcendentalem ad ſuum obiectum, an viſibile, an coloratum, etiam ſi affatim viſibile, & coloratum omne deſtrueretur, adhuc illa per internam hanc habitudinẽ, ab omnibus alijs potentijs differret: ſic anima etiam deſtructis corporibus.

Quam quidem doctrinam, vt adhuc capias, aduerte, animarum commenſurationem, & habitudinem, duo importare. Fundamentum habitudinis, & habitudinem ipſam, ſeu actualem relationem. Fundamentum eius, nihil eſt aliud, quàm ipſa animæ eſſentia, & entitas, vt ſecundum ſuum eſſe, huic corpori, vt forma propriæ materiæ proporcionatur, in qua quidem entitate, ita huic materiæ adæquata, fundatur habitudo formalis, & actualis commenſurationis relatio, iuxta quam hæc anima dicitur formaliter commenſurata huic corpori: eo modo, quo ſuper albedine huius chartæ, fundatur relatio ſimilitudinis, qua hæc dicitur formaliter ſimilis alteri chartæ. Quãdo igitur dicimus, numericam animarum diſtinctionem, ſumendam eſſe ex habitudine, & commenſuratione, non eſt accipienda habitudo formaliter, qua dicit actualem relationem; quia tunc animæ nõ diſtinguerentur ſubſtantialiter, ſed per aliquid illis ſuperadditum: præſertim ſi ponas, relationem re diſtingui a ſuo fundamento: ſed ſumitur habitudo, & commenſuratio pro fundamẽto, atque vt aiunt, fundamentaliter: quia enim hæc anima ſecundum ſuam ſubſtantiam, ita huic corpori, vt nõ alij proportionatur, & ſuapte ſubſtantia huic, & non alteri adæquatur; fit, vt ab alia anima, quæ identidem alij corpori proportionetur, & adæquetur, numericè diſtinguatur. Quòd ſi communiter dicimus, animas a corporibus abiunctas, diſtingui numero per habitudinem ad propria corpora, id accipiendum eſt, ſecundum hanc noſtram doctrinam: eas nimirum primariò quidem diſtingui per cõmenſurationem, & habitudinẽ fundamentalẽ; ſecundariò verò etiã per habitudinem formalem: quia ad illud ſubſtantiale fundamentum neceſſariò conſequitur formalis habitudo, ſeu tendentia, quamuis non adſit ei terminus ad quem.

Ex his patet ad argumentum, & quod animæ corporibus exutæ, numericè differant: & quomodo, & ex quo iſthuc habeant. Quòd verò Ariſtoteles in 12. Metaphyſ. tex. 49. de prima intelligentia protulit; ſi eſſent multa prima principia, illa habitura fuiſſe materiam, veriſſimè venit dictum, & verum eſt in omnibus etiam intelligentijs, quia illæ, neque materiam habent, neque dicunt habitudinem ad certum aliquod corpus, quemadmodum dicit anima: & propterea nequeunt, ſolo numero differre: Si autem poſſent etiam illæ dicere huiuſmodi habitudinem, & commenſurationem ad vnum aliquod corpus, quod aliquando informauiſſent, illæ quoque poſſent numero inuicem diſtingui. *Quæcunque* igitur *ſunt multa numero, ea materiam habent*. id eſt, vel actu ſunt in materia, vel habitudine, & per ordinem ad illam multipli-

tiplicantur. Auerroes autem, quòd hiemale à ſentiat, cum propter hanc potiſſimùm rationē, vnum aliquem intellectum, omnibus hominibus aſſiſtentem intrudat, nihil eſt, quod mirere. Ecquid enim arabicum illud, multòque, quā par erat, feruentius cerebrum, non molitur? Plura vnum, in Philoſophia monſtra, quām olim Africa vniuerſa, in vniuerſo aſportauit.

Ad confirmationem reſpondeo, quòd cum animæ, non extra corpora, ſed in propriis corporibus producantur, & indiuiduentur per illa, eo quo diximus modo; hæc autem caduca ſint, & corruptibilia, omninò neceſſe fuit, vt ſi natura vellet humanam ſpeciem conſeruare, multas etiam humanas animas procrearet; ſiquidem in vnoquoque hominum, eſt vna anima: Et ſic natura ſemper ob indiuiduorum caducitatem, molitur eorundem multiplicationem, in eadem ſpecie. Quando autem ſunt a corporibus ſeparatæ, ſunt planè ſecundum ſe incorruptibiles, & ex hoc capite non indigerent multiplicatione numerica, cum vna ſolum conſeruaret ſpeciem, in omnem æternitatem. Sed ex alio capite manent illæ numericè multiplicatæ, quia licet ſint a corporibus abiunctæ, dicunt nihilominus habitudinem tranſcendentalem ad illa, & ex illis commenſurantur, atque numericam diſtinctionem, quam ſemel ex commenſuratione ad corpora, dum in illis fuerunt productæ, ſortitæ ſunt, ſemper retinent. Quemadmodum ſi in vaſe aliquo rotundo, v. gr. infundas aquam, quæ gelu concreſcat, acquiratq; figurā rotundam, fracto etiam vaſe, illam tamen retinet, quandiù durarit glacies: ita anima noſtra, cum in hoc terreo vaſe, corpore, deforis infuſa veniat, acquirit indiuiduationem, & commenſurationem, quam poſtea corpore etiam diſſoluto, retinet. Quare, ſi animæ producerentur extra corpora, vel abſque habitudine ad illa, arbitrarer equidem tunc fore, vt illæ ſpecie adinuicem differrent, ſicuti modo differunt intelligentiæ; *Et quia anima eſt forma materiæ alicuius, quod angelo non conuenit, ideò ſecundum diuiſionem materiæ, ſunt multæ animæ vnius ſpeciei: multi autem Angeli, vnius ſpeciei omninò eſſe non poſſunt*: inquit S. Thom. in prima parte, quæſt. 76. art. 2. ad 1.

Quod autem ibidem annectebatur, naturā ſtudere paucitati; & ſi vnico indiuiduo poteſt conſeruare ſpeciem, quam primariò intendit, reſpuere reliquas; verum eſt, quando id effici poteſt: Atqui in præſentia, non poteſt in vnico homine humanam ſpeciem conſeruare; ideòque neceſſe fuit, vt ſi multi homines eſſent futuri, eſſent etiam multæ eorundem animæ, quæ poſtea ita multiplicatæ manerent.

Ad nonum argumentum, quamuis Portius lib. de Ment. hum. cap. 7. illud veluti colophonem ſuæ machinationi addens, poſtulet ſolutionem, eam nihilominus reddere non eſt multi laboris. Nonne eadem via venatus eſt Ariſtoteles animæ ſuæ, & noſtræ immortalitatem, atque ſubſtantias ſeparatas. Animam ſuam experiebatur in ſeipſo: animaduertebat acutiſſimè in ſemet ipſo omnes eius actiones: vnde deduxit egregias illas demonſtrationes, quas ſect. 2. 4. & 5. huius Diſput. explicuimus. Subſtantias autem ſeparatas, ecquā vnquam alia via præclarius poterat inueſtigare? vſus eſt igitur triplici illa via, in argum. commemorata, & rectè.

Ad decimum, nobis haud conſtat, quidnam dicturus fuiſſet Ariſt. An dixiſſet, animas a corporum compedibus liberatas, in omne æuum, ita manſuras? neque ideò illas otioſas fore, quia intelligerent, contemplarentur, non eſſent in loco, neque tempus eas faceret ſeneſcere, neque illi earum vlla eſſet transmutatio? atque vt ſemel dicam, ea id prorſus facerent, quod faciūt illa, quæ Stagirites ſuper extima Cęli latione collocat, de quibus ita loquitur, primo de Cęlo tex. 100. *Extra autem cęlum, quod neque eſt, neque contingit eſſe corpus, oſtenſum eſt. Manifeſtum igitur eſt, quod neque locus, neque vacuum, neque tempus eſt extrinſecus: quapropter neque illa, quæ illic ſunt, nata ſunt in loco eſſe, neque tempus ipſa facit ſeneſcere, neque vlla tranſmutatio vllius eorum eſt, quæ ſuper extimã diſpoſita ſunt lationẽ; ſed inalterabilia, & impaſſibilia, optimam habentia vitam, & per ſe ſufficientiſſimam, perſeuerant toto æuo.* O benè tactum: euge diuine vir: ſic habent animæ piæ: & aliquid amplius, quod tamen in cor hominis non deſcendit.

At, inquis, aſſa naturaliter propenderet ad alteram partem, & corporis vnionem.

De hoc, diſſident ſcholaſtici: nam S. Thomas in prima parte, quæſt. 76. art. 1. fatetur, animæ ſeparatæ ineſſe naturalem propenſionem ad corpus. Alij verò, quorum anteſignanus eſt Scotus in 4. diſt. 43. quæſt. 2. & diſt. 45. quæſt. 2. huiuſmodi inclinationem inficiatur. Quam quidem ſententiam ſi complectare, illicò ruit decimum argumentum, quod ſoluere propoſuimus: ſed interim admittatur ſententia Sancti Thomæ. At non hinc ſequitur, animam

vio-

violenter extra corpus detineri; quamuis hoc ſit contra inclinationem quã habet ad corpus; quia, non quod eſt contra quamlibet naturalem inclinationem alicuius, id omne violentũ dicitur; ſed illud ſolum, quod eſt contra effectiuam alicuius rei vim; quã poteſt naturalem ſuum ſtatum conſequi. Itaque violẽtum propriè illud eſt, quod habet effectiuum principium ad illud perueniendi, extra quod, quia retinetur; dicitur violentũ (quod aliqui vocant principium effectiuum viæ, ſeu mediorum ad conſequendum finem) exempli gratia, quia Cęlum habet effectiuum principium ſui motus, ſi ab illo impediretur, eſſet violentum: Et hoc perpetuum eſſe nequit. Si autem non habet huiuſmodi principium viæ, licet habeat propenſionem ad terminum; haud dicetur propriè volentum. Quemadmodum homo cęcus, non dicetur propriè eſſe in ſtatu violẽto, reſpectu viſus, quamuis habeat inclinationem ad illum, ſed valdè impropriè, & quod ita violentum vocatur, benè poteſt eſſe perpetuum: quid enim ſi homo æternùm viueret? viueret etiam cęcus.

Ad violentum itaque requiritur efficiens, ſufficienſque principium in eo, quod illam paſſurum eſt; & quia anima ſeparata non habet huiuſmodi efficiens, idoneumque principium, vt corpori reuniatur, cum a priuatione ad habitum, naturæ viribus non ſit regreſſus; ideo aĩa non eſt violenter detenta; quamuis habeat inclinationem ad illud: & hoc pacto, optimè poſſet in omne æuum durare. Ita fortaſſe dixiſſet Ariſtoteles, lumine naturali ſuffultus; ſed quia præ potens Dei diſpoſitio, qui a fine vſque ad finem attingit omnia fortiter, & diſponit ſuauiter, noluit in tam nobili, & excellenti natura, anima nempè rationali, hanc qualem qualem imperfectionem relinqui; voluit, vt hoc aliquãdo corporum reſurrectione reſarciretur: quod eſt fidei noſtræ dogma; vt anima hæc mea, huic meæ carni, modo paſſibili, & mortali vnita, aliquando impaſſibili, immortalique reuniatur; vt in carne mea videam Deum, Saluatorẽ meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius. Sed quò rapior? *iam nunc non erat his locus.*

Quid verò? vt ad rem redeam; non ne multa violenta adhuc ſunt perpetua? modo adſit perpetua illius violentiæ cauſa. Itaque in ſuaui naturæ diſpoſitione: violenter rapitur ignis, circulari motione ſub orbe Lunæ: violenter media aeris regiò perpetua frigiditate infeſtatur: violenter curſat, recurſatque mare, influxũ, vt aiunt, & refluxu: quæ omnia ſi Philoſophum audias, & fuere ſemper, & fore perpetua; ſed de hoc effato, *nullum violentum perpetuum*: vide Marc. Anton. Zimaram in Theorematib. propoſitione 19.

Quid ſi Ariſtoteles in Platonis opinionem inclinarit, animas humanas, ac mentem ſolam, poſt determinata aliqua ſecula, in alios homines ſolum redire. Quod fortaſsè in cauſa fuit, cur Platonis ſententiam, de aſſiſtentia mentis; quam proponebat 2. de anima, tex. 11. *amplius autem immanifeſtũ ſi ſit corporis actus anima, ſicut nauta nauis*: nuſquam inueniatur impugnaſſe. Et tunc ad auctoritatem in argumento adductam, diceret, ſe loqui de anima in communi, ea ratione, quà in tex. 64. lib. 1. aiebat, *dicere animam iraſci, ſimile eſſe, ac ſi quis dicat, eam texere, aut ædificare.* Verùm de hac abſurditate, iam alias a nobis dictum.

Vltimum argumentum, nullam apparẽtiam habet. Et quidem hominis, & cęterorum animantium, idem ortus, & interitus, quantum ad corpora, ſeu indiuidua, quæ generantur, & pereunt: non quantum ad formas. Illorum formę ex potentia materiæ extrahuntur; huius *deforis venit*. Illæ cum corporibus euaneſcunt; hæc æternatur. Sed quàm ſubtiliter οἱ ψυχόθνητοι iſti ſibi colligunt; quia Ariſtoteles in eodem opere egit de hominis, & cęterorum animantium ortu, & interitu; ergo ne ſicut illorum formæ ſunt corruptibiles, ita quoque huius? colligant eadem via, ſi poſſunt; Ariſtot. in eodem lib. de Cęlo & mundo, agit de cęlo, & quatuor elementis; ergo quemadmodum formæ elementorum ſunt corruptibiles, ita & formæ Cęli.

Cum verò in vltima confirmatione dicitur, ſi Philoſophus, animam tenuit immortalem, quid rei fuit, vt de eius ſeparatione nihil ediderit?

Primum dico, fac, quod ille nihil de animæ ſeparatione, nihil de eius ſtatu poſt corporis interitum ediderit; prudenter fecit: nam quæ certò ſcire non potuit, ea ſi maluit ſilere, *tuta illi fuiſſet ſilentij merces.* Itaque certò cognouit, animam intellectricem immortalem, quæ verò eam in alia vita maneãt, cum certò ſcire haud poſſet, quid ſi prudenter ab eorũ tractatione abſtinere maluit, quàm turpiter impingere? Nihilominus addo, cum quampiurima de hac re elaboraſſe: non obdormiuit in tam ſalebroſa, ſed celebri, varijſque illius tempeſtatis procellis agitata difficultate; compluſius eſſe,

edi-

ediditque de anima humana ea omnia, quæ tamen humana conditio in naturæ tenebris, lumine fidei deſtitutæ ſuffert, vel etiam e ſua religione, & Theologia imbiberat; ſed illa inuidit noſtræ fęlicitati vetuſtas; vt Diſputatione præcedente, in reſponſione ad vltimum argumentum oſtendi.

Auctoritatem verò ex lib. 2. de Anima tex. 26. in quo Stagirites eos carpit, qui animam aut corpus, aut non ſine corpore poſuerunt, cõmendat verò illos, qui contra opinati ſunt, tripliciter explicuimus in proximè antegreſſa Diſput. ſect. 10. dum ad 8. argum. reſpondebamus: ea hic repetenda non ſunt. Mirum autem omnium eſt, quod in eo ipſo vlt. arg. pro animorum mortalitate, ex eo obijciebatur, quòd Ariſt. nihil de inferijs, nihil de animarum euocatione, idque genus alijs, quæ ea tempeſtate in frequenti vſu erant conſcripſerit.

Porrò diximus ex Franciſco Storella, & Lęlio Vincent. in præcedenti Diſput. in reſponſ. ad vlt. argum. Ariſtotelem, in libello de morte animæ nuncupato, Necromantiam agitauiſſe. Cæterùm quicquid illud fuerit, ex hac re irrefragabile fit, animas post animalis interitum haud interire, ſed manere ſuperſtites. Audi quàm lactè hoc expreſſit Lactantius Firmian. lib. 7. Diuin. Inſtit. cap. 13. *Falſa eſt ergo Democriti, & Epicuri, & Dicæarchi de anima diſſolutione ſententia: qui profectò non auderent de interitu animarum, mago aliquo preſente diſſerere, qui ſciret certis carminibus cieri ab inferis animas. & adeſſe, & præbere ſe humanis oculis videndas, & loqui, & futura prædicere: & ſi auderent, re ipſa, & documentis præſentibus vincerentur.* hæc Lact. Qua de re adeundis eſt Plutarchus in lib. de tarda Numinis vindicta; Euſtathius in Odyſſ. Homeri λ. & χ. in illa verba ἔνθα μὲν εἰς ἀχέροντα. Et Paulus Merula lib. 6. Coſmograph. cap. 12. circa explicationem Auerni, vnde etiam iter ad inferos patere ſuperſtitiosè credebatur; quò ſpectat illud Maronis Aeneid. 6.

Vnum oro, quando hic inferni Ianua Regis
Dicitur.

Extat memorabile exemplum de anima Samuelis a Pithoniſſa excitata, quæ Saul Regem allocuta eſt, & cõ queſta, *quare inquietaſti me, vt ſuſcitarer?* primo Regũ cap. 28. Qua de re multa SS. PP. fuerit ne verè anima Samuelis, an verò Dæmon aut Angelus. Adi, ſi lubet, Magiſt. Bannes ſuper pri. par. S. Thomæ, quæſ. 89. art. 8. Vin' Horatium quoque audire? hic modum etiam euocandi animas, prius ab Homero Odyſſ. λ. traditum, his omnino deſcribit lib. 1. Satyr. 8.

Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis, paſſoque capillo,
Cum Sagana maiore vlulantem, (pallor vtraſq;
Fecerat horrendas aſpectu) ſcalpere terram
Vnguibus, & pullam diuellere mordicus agnam,
Cœperunt: cruor in foſſam diffuſus, vt inde
Manes elicerent, animas reſponſa daturas.
Lanea, & effigies erat, altera cerea, maior
Lanea quæ pœnis compeſceret inferiorem.
Cerea ſuppliciter ſtabat ſeruilibus, vtque
Iam peritura modis Hecatem vocat altera ſæuam,
Altera Tiſiphonem.

Verùm ad Ariſtotelem redeo. Nunquam ergo (vt in eodem vlt. argum. obtendit ur) hic irriſit ſuæ religionis, an ritus, an ceremonias: quinimo in libris de moribus præcipit, vt Deo preces fundantur, ſacrificia offerantur; honos, quicunque poteſt, exhibeatur: ille etiam ipſe aliquando pro diſcipulo vouit, & votum ſoluit; & de ijs ipſis ſuæ religionis rebus multa ſcripſit: vt meritò Ammonius in vita Ariſtotelis, *in Theologia*, inquit. *Etſi nullum eius extat inuentum perfectè tamen eius omnes partes eſt exſecutus; non enim vt quidam falsò putant, terreſtria tantum, & quæ ad mundum hunc pertinent, inquit Ariſtoteles, ſed & illa quoque, quæ ſupra hunc mundum ſunt.* Sed omnia temporum iniurijs ſunt abſumpta. Atque vt tantiſper videas, quot & quantas clades Ariſtotelis libri pertulerunt, referam hic pro coronide huius Diſputationis, Strabonis verba, ex libro 13. Geographiæ. *Ariſtoteles* (inquit Strabo) *& Scholam, & bibliothecam ſuam Theophraſto reliquit, primus omnium, quos ſcimus, & libros congregauit, & Aegypti reges bibliothecæ ordinem docuit. Theophraſtus, eam Neleo tradidit, Neleus Scepſim detulit, & poſteris dedit, hominibus ſanè imperitis; qui libros inclusos, & negligenter poſitos habebant: cumque Attalicorum regum, ſub quibus erant, ſtudium ſentirent conquirendorum librorum, ad inſtruendam bibliothecam, quæ Pergami erat, eos in foſſa quadã ſub terram occluſerunt: quos partim tineis, partim humiditate labefactatos, tandem, qui ex eo genere erãt, Apelliconi Teio tradiderunt, magno emptos precio; Ariſtotelicos ſcilicet, ac Theophraſticos. Apellicon, vt librorum magis ſtudioſus eſſet, quàm ſapientiæ, volens corroſiones emendare, eos transcribendos dedit, ſcriptura non rectè ſuppleta: quapropter libros edidit erroribus plenos. Peripatetici igitur, qui poſt*

Digitized by Google

Theophraſtum fuerunt, cum libris omninò carerent, paucis duntaxat exceptis exteriorum ſermonum, nihil habebant, in quo firmiter philoſopharentur; ſed poſitiones quaſdam incubrabant. Poſteriores autem, poſtquam hi libri in lucem editi ſunt, Ariſtotelem imitantes, multò melius, quàm illi philoſophati ſunt, multis ad hoc Romani contulerunt. nam continuò poſt Apelliconis obitum, Sylla, qui Athenas cepit, Romam tranſtulit bibliothecam illius. Trianion quoque Grāmaticus cum Ariſtotelis amantiſſimus eſſet, eò ſibi conciliato, qui præfectus erat bibliothecæ, incepit eos deſcribere. Item librarij quidam, ſcriptoribus tamen vtentes non bonis: nec ſcripta conferentes, quod in ijs libris præſertim fieri ſolet, qui vendendi tranſcribuntur, tum Romæ, tum Alexandriæ: hæc Strabo. Tu verò mirare, quòd opera, quæ Philoſophus, præſertim de anima humana, & ijs, quę ad illam attinent, elaborauit, non habeamus? At ego vehementer miror, quomodo perpauca hæc, quæ nunc terimus, tot cladibus infeſtata, tandem quod Dei benignitas eſt, habeamus.

Quę omnia ſi æquo animo repetas, quiſquis es, mirari ēr deſines, ſi tibi in præclari huius auctoris operibus, loca quæpiam adeò ambigua, & obſcura objciuntur; quæ veluti Heracliti illa Delio natatore indigere videantur. Verùm Stagiritæ ſcripta, verè ex veteri effato dixeris, τὸ μὲν ἔλιπε κῦμα, τὸ δ᾽ ἐγκατελάμβανεν, *hæc quidem reliquit vnda, illa verò ſuſcepit:* nam pręfatis calamitatibus, longè maiorem calamitatem adiunxit praua nonnullorum interpretum conuerſio, & commentatio, quæ multa mutilauit, multa inuertit, multis, dum græcanicum candorem latinis verbis aſſequi ſtudet, chimerias propè offundit tenebras. Vnde poſtea, tot, tamque tetra inextricabilium opinionum monſtra in Peripato nata, & alta vides: quorum equidem ſi vllum hic peremi, id non Iolai cuiuſpiam face, ſed diuina implorata luce pegi; dum ex græco fonte aliquammulta loca produxi, in quibus animorum immortalitas habetur liquidò, quæ in Latinis fortaſsè verſionibus non vſqueadeò.

Quod tamen ſi probè, ac iudicio a me factum eſt, id mercedis a te poſtulo, vt boni conſulas: Sin autem, tum mihi quoque libuit, *peritura haud parcere charta.* Claudo hanc Diſputationem in laudem Dei benedicti, quem aliquando *viſurus ſum ego ipſe, & non alius.* Nec non in laudem Beatæ Mariæ Virginis, noſtrū omnium apprimè cōſolatricis.

Nam mea iam longo meruit ratis æquore portum.

Cæterùm, vt eadem animorum immortalitas adhuc conſpicatiùs, tam ex vero, quàm ex Ariſtotelis mente, in conſpectum omnium hominum prodeat, annectimus ſequentem Diſputat. ex Morali, & priſca Philoſophia. Nam & moralis ratio plurimum habet virium: *Et ſuper omnibus negotijs melius, atque rectius olim prouiſum.*

Finis Diſputationis ſextæ.

DI-

DISPVTATIO SEPTIMA

DE HVMANAE MENTIS AETERNITATE EX MORALI, & priſca Philoſophia.

INTRODVCTIO.

DISputationem hanc, cultoribus politioris literaturæ, & viris emunctæ naris emittimus; quæ vt a ſeueriore illa, nimiumque rerum abditarum indagatrice doctrina, modo neſcio quo ſeiuncta, ad Humanitatem accumbit, ita humaniori voluit colligari oratione. Sed non quia ex morum, & antiquitatis fontibus hauſta, ideò leuis, & obſoleta; immò verò *antiquitas*, vt Tullius primo Tuſcul. loquitur: *quò propius aberat ab ortu, & diuina progenie, hoc melius fortaſſè, quæ erant vera, cernebat.* Et moralis ratio tantum habet penſi, ac ponderis, vt plerumque longè facilius, quàm multæ ex philoſophiæ arcanis depromptæ, conuincat rẽs quòd ea, quia planior, facilius, ac felicius in omnium animos altè ſe ingerit. An quia ex intima quadã hominis proprietate proficiſcatur? quippè morũ diſciplina, proprium eſt hominis ornamentum: cuius ſedes, ac fundamentum, libertas; quà muta carent: iccircò homines argumẽtum è morum philoſophia petitum, veluti proprium, (propria ardentius amant) efficacius arbitrantur. Verùm, vt Diſputatio, omnibus ſuis numeris prodeat abſoluta; audire nunc lubet aliqua; an aduerſariorum, an aduerſantia argumenta.

SECTIO PRIMA.

Recenſentur nonnulla argumenta, quæ animorum immortalitati officere videntur.

PRincipio, contemplare mihi cætum hominum vniuerſum; plurimam eorũ partem reperies, vegetalem ac ſentiẽtem vitam traducere. Quippè non modò profanum vulgus, quod ſibi voluptatem omnem, & actionem, arcto gulæ, & abdominis limite circumſepit, ſed ij etiam qui ſunt melioris notę, & honeſtioribus artibus dedunt operam, ſentientis animæ repagula haudquaquam excedere videntur. Perpende mihi artis medendi peritos, hi ſanè ſuæ facultatis munia, ſtrenuè peragunt, innixi tantum imaginandi, æſtimandi, ac memorandi facultatibus; quæ omnes ſentientis animæ ſepta haud tranſiliunt. Iiſdem omninò facultatibus ſuffulti, & iuris arbiter, & legum interpres, & Vrbium conditor, & domi, militiæque populorum rector ac moderator, proſperè ac feliciter huius vitæ ſyrtes, & ſcopulos prætereuehuntur. Nec denique earumdem facultatum metas egreditur, an poeſis, an oratoria vis. Et ſi vis, quinarius ille numerus, Inuentio, diſpoſitio, elocutio, memoria, & pronunciatio, iiſdem affatim cancellis arctatur: Pauci admodũ, &, *vel duo, vel nemo*, quos vita intellectrix, & contemplatio allexit. Hoc verò non temerè, & inconſultò, ſed prouido naturæ inſtinctu, & conſilio fieri, vel hinc conſpicies; quia in omni ætatum ſerie, ita factitatum eſt.

Atqui huius naturalis effectus, cauſa etiam

Digitized by Google

naturalis aſſignari debet: Ea eſt, *quia homo magis eſt ſenſualis, quàm intellectualis, magis mortalis, quàm immortalis*, ait nõ nemo τῶν ψυχοθνητῶν.

2. Plerumque offendes nonnullos homines, adeò aduerſo, & ſtupido genio, & ingenio efformatos, vt niſi ex humana figura, ex nullo alio dignoſcas homines eſſe: ita, vt eis contra quàm olim Vlyſſis ſocijs accidiſſe videatur; quos, epoto Circæo poculo, & virga percuſſos.

hominum ex facie
Induerat Circe in vultus, & terga ferarum.

Seruata in eis mente ac conſilio, ita hic e regione, relictis ſolummodo humanis corporibus, nihil aliud vel obſcurè indicari, quo iſti a muto pecudum grege diſſideant. Quid? verè adhuc dixeris, in his corpora eſſe abſque pectore; in quos mirificè cadit illud Horatij lib. 1. Epiſt. epiſt. 4. ad Albium.

Non tu corpus eras ſine pectore, dij tibi formam,
Dij tibi diuitias dederant.

Quod ſi animus cęleſtis, ac immortalis eſſet, nunquam hoc appareret, quia omnibus hominibus, æqua conditione idem animus ex cæleſti illa ac diuina arce fuiſſet impartitus.

3. Spectabilis etiam hominis forma, tamq; in eo varia membrorum compago, futurum animi interitum conteſtari videntur. Pelluſtra mihi tantiſper ſingula, quæ in homine ſunt; omnia ad vſus corporeæ vitæ nata, & comparata reperies: Eò tendunt omnia, vt corpus, & natura ſuſtentetur, ac propagetur. Sic vaſa illa luminis, oculi, in præcelſo corporis loco conſtituti, vt ceu vigilantiſſimi ſatellites ac duces, profutura, nocituraque dijudicarent; dentes in ore conſtructi, quibus extenuentur, & conſerantur alimenta: ventriculus, ac inteſtina, vt illo quicquid congeſtum fuerit, concoquatur, his quicquid ſuperuacanei relictum eſt, amandetur: Hepar, vt vitalem ſuccum ſanguinem, probè conficiat, qui poſtea per venas in omne corpus impartiatur, felliculos fellis, vt acriores alimenti partes excipiat; Splen vt tetros, & craſſiores humores imbibat; renes, vt alimentorum ſeroſitatem ſecernant, & ſexcenta alia vaſa, & inſtrumenta, quæ natura parens in hoc orbis miraculo, homine, ad cum ipſum propagandum fabrefecit. Atqui poſt hanc vitam, non erit amplius vſus ciborum, & procreatio; neque igitur eſſe debent hæc membra: fruſtra enim illa forent, ſi in omnem æternitatem nullus eorum ſit vſus: nec ergo futura eſt anima, quæ huiuſmodi membra, & corpus ita conſtitutum requirit.

4. Si humanus animus cęleſtis, ac immortalis eſt, qui fit, vt complures hominum, perinde quaſi ne vmbram quidem, vllumue veſtigium cęleſtis cuiuſpiam rei haberent, ita ſe ad ima deijciunt, atque ad omnem viuendi turpitudinem agunt præcipites, vt & cęlo agreſte quoddam bellum indixiſſe, & in terrenis, ac turpibus voluptatum illecebris, *veluti amica luto ſus* volutari videantur? nec voluptatem vllam iudicent, niſi profectam a corpore, & redeuntem ad corpus? Porrò ſecus eueniret, ſi animus cęleſtis, ac immortalis, ex altiſſimo illo domicilio depreſſus, & quaſi demerſus eſſet in terram, locũ cęlo, immortaliq; naturæ contrariũ. Enimuerò, quæ cęlo nata ſunt, cęlum petunt, & quod ſuaptè conditione diuinum, ac immortale eſt, id quod caducum, & mortale eſt, regat ac moderetur neceſſe eſt. Si itaque ille ad caduca hæc, & mortalia, tanta voluptate, tamque valido nixu ingurgitatur, & quocumque corporis ſatellites, ſenſus rapiunt, eò delabitur præceps, indicio eſt, eum ex terrenis hiſce, ac mortalibus rebus oriri, iiſdem nutriri, collætari, & tandem, vt cæterorum animantium animas, vnà cum corpore interire.

5. Ad hæc, ſi animus ſuaptè conditione gaudet immortalitate, permoleſtè ferret, in hiſce corporis compagibus, veluti in cęco quodã carcere concluſus, diutius detineri: ſed potius geſtiret gaudio, ſi hinc præſenſiſſet auelli. Quid enim ei optabilius, iucundiuſue potuiſſet interuenire, quàm vt poſſet, abiecta mortali corporis ſarcina, in cęlum, tanquam in ſuam demigrare domum, & cum beatis illis ac puris mentibus commorari? Quid autem eſt, quod ex corpore decedere tam formidoloſè exhorret? anne quiſquam oppreſſus onere, illud ſibi expaueſceret alleuari? anne liber aliquis in vincula coniectus, affligeretur, ſi ſe in priſtinam libertatem aſſerendum, accepiſſet? Heu propterea è corporis ſocietate diſſociari perhorret; quia ſummum ſibi impendere malum, ſui nimirum interitum, inſito quodam, & connato inſtinctu præſagit: eòque mæret, horret, affligitur, cruciatur.

Porrò, ſi animus immortalis eſt, & fungitur actione, quæ caduco, & mortali corpori non cõmiſcetur, cur ſi impẽſius cõtẽplationi vacet, adeò quatit corpus, vt nihil æque? cur ex aſſidua mẽtis agitatione, frons, oculi, vultus deniq; totus, qui ſermo quidã tacitus mẽtis eſt, pallent,

fla-

Digitized by Google

flaceſcunt, corrugantur? Cur ex multa ac diuturna animi fatigatione, membra extenuãtur, corpus concidit, mens ipſa, quaſi perculſa ſtupet? vt verè vſurpaueris illud Horat. lib. 2. Epiſt. epiſt. 2. nempè, qui

inſenuitque
Libris, & curis, ſtatua taciturnius exit,
Plerumque: & riſu populum quatit.

Hæccine animum immortalem, & a corporis ſocietate diſſociabilem conteſtantur? Hem argumento ſunt, eius vim ac naturam, cum corpore intimè eſſe commiſtam, eumq; corporeo cuipiam organo affixum, & tandem vnum eſſe vtriuſque interitum.

Quid verò? nonne animus, labore & læſione corporis collabitur? Ecquem latet, conturbata corporis harmonia, mẽtis munia ſuſque, deque ferri? Enimuerò ſi cerebri v. g. meninges inflammentur, accedit mentis alienatio; ſi idem ipſum aut nimia frigiditate vexetur, aut craſſo aliquo imbuatur humore, ſtupor, fatuitas, animus ipſe in peſſum it. Atqui eorum, quorum vis ac natura diuerſa eſt, vnum non præpedit alterũ. Tandẽ, ſi aĩa immortalis, ac veluti Ceneus quidam inuulnerabilis iactatur, cur eam effuſa ſanguinis emiſſio, febrium æſtus, veneni hauſtus, idq; genus ſexcenta, miſerum in modum è corpore depellũt? Item hoc ideò euenit, quia eius vis ac natura, nulla alia eſt præter corporis: huic illa omninò ita operetur, vt ſit, vt conſeruetur, acceptum refert. quocirca vnà cum eo quoque concidit.

6. More omnium gentium receptum fuit, vt qui in Sacerdotum ordinem cooptãdus eſſet, integro corpore, & abſque vlla deformitate deligeretur. Qua de re hæc omninò diuinus Plato lib. de Legib. 6. literis conſignauit. *In eorum autem, qui ſortis ſuffragium* (nimirum ad Sacerdotium) *aſſecuti ſunt, examinatione, ille eſt comprobandus, qui integer ſit, atque legitimus: deinde a domo quàm maximè munda, expers quoque cædis, omniumque huiuſmodi, quæ aduerſus diuinam rem committuntur: cuius & pater, materque ſimiliter vixerint*. Quod dein inſtitutum ab Romulo iniunctum fuiſſe Romanis Curijs, de ſacrificulis deligendis, refert Dionyſ. Halicarnaſ. lib. 2. Antiq. Roman. Adi Herodot. lib. 2. & Alexand. ab Alex. lib. 2. dier. genial. cap. 8. Adde ſi lubet, (vt prætercam in iure Pontificio comprehenſos, titulo: *De corpore vitiatis, non ordinandis*) diuina illa iuſſa, ex Leuitico cap. 21. vbi a Dei miniſterio arcentur, exoculati, claudi, lippi, ſcabioſi, paruo, vel grandi, & torto naſo præditi, qui næuum, qui maculam, qui impetiginem in corpore, qui albuginem in oculo habuerint. Quæ repetuntur etiam Deuteron. c. 15. Hinc tetra ſuperſtitionis caligine immerſi Rabini, vt refert, Petrus Greg. Tholoſ. lib. 3. de immortal. anim. cap. 7 quinquaginta maculas percenſent, quæ hominem inutilem, & pecus reddunt cultui diuino. Aurium quinque, oculorum octo, palpebrarum tres, naſi tres, oris ſex, membrorum ſeminalium duodecim, manuum tres, pedum ſex, & corporis quatuor.

Quæ omnia argumento ſunt, vitium corporis, ad animam vſque permeare, & illam maculã intimè hanc cõmaculari. Minimè verò corporeæ peſtis contagio inficeretur, ſi aĩa cæleſtis ac immortalis eſſet: neque in corpore gibbo malè habitaret, vt olim M. Lælius obiecit in Galbã oratorem, eloquentia clarum, ſed gibbo deformem.

7. In homine, triplex eſt facultatum genus, vnde humanæ animæ vim, ac naturam queas elicere: Earum vnam, quo vegetamur, ac viuimus: mox, quo ſentimus: tandem, quo intelligimus. Fac poſſe ex intelligendi munere animæ immortalitatem haberi, num ex alia duplici, vegetandi, ac ſentiendi conditione, eius interitus non eruitur? immò magis: quia duo præponderant vni, *& duobus malis*, vt vetus effatũ habet, *reſiſtere, difficillimum eſt*. Quinuerò humana anima magis dicenda erit caduca, atque mortalis, quia denominatio, vt aiunt, in omnibus rebus, ſumitur a præpollẽte; vt auctor eſt Philoſophus in 1. & 6. Phyſic. auſcult.

8. Animi, in generatione hominũ procreantur a genitoribus. Indicio eſt, animorum ſimilitudo, quę filijs cum parentibus intercedit: nam in filijs non modo corporum ſimilitudo, ſed eadem affectuum, propenſionum, animorum nota elucet ſæpiſſimè, atque in parentibus. Hinc Heſiodus in Ergis, ait,

τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν, id eſt
Pariunt autem mulieres filios ſimiles parentibus:

Et Terent. in Heauton. act. 5. ſcen. 3. ita tria illa a Chremete Soſtratę hoc obiectum ſcribit.

ſed quod magis credendum ſiet,
Id quod eſt conſimilis moribus,
Conuinces facilè, ex te natum: nam tui ſimilis eſt probè.
Nam illi nihil vitij eſt relictum, quin id itidem ſit tibi.
Tum præterea talem, niſi tu, nulla pareret filium.

Notum eſt illud Horat. ex lib. 4. Carm. od. 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis;
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina, ſed vim promouet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant, &c.

Platonis etiam effatum eſt in oratione funebri; ἀγαθοὶ δὲ ἐγένοντο, διὰ τὸ φῦναι ἐξ ἀγαθῶν. τὴν εὐγένειαν οὖν πρῶτον ἐγκωμιάζωμεν: ideſt, *boni autem fuerunt, quia ex bonis nati ſunt: generis igitur præſtantiam primum laudemus.* Huic accinit Ariſt. 3. Politic. βελτίους εἰκὸς τοὺς ἐκ βελτιόνων. εὐγένεια γάρ ἐστιν ἀρετὴ γένους; *Conſentaneum eſt, viros præſtantiores eſſe eos, qui e præſtantioribus nati ſunt: nobilitas enim generis præſtantia eſt.* Huc ſpectant poetæ, ac oratores, qui, quem ſignificare volunt ſæuo, immiti, effero, & inhumano eſſe ingenio, cum dicere ſolent, e ſaxis, ac quercubus, e rupibus, e mari, e Tigribus, e Leonibus natum: quem dicendi modum apud eos paſſim offendes; & Dionyſ. Lambin. in illum Horatij locum, quem nuper indicaui, huius rei effata multa congeſſit.

Si igitur animi, vt propter eorum ſimilitudinē dicebamus, a genitoribus producuntur, nullus ambiget, quin ij planè ſubiaceant interitui. Quod enim ex parentibus gignitur, id porrò e ſinu, gremioque materiæ euocatur: id autem omne caducum eſt, ac mortale.

9. *Serpit vti gangrana hoc malum:* nam animi rebus quoque externis, & corporeis, vt aere (cætera ſileo) & Cęli conſtitutione, adeò afficiuntur, vt alius, atque alius aer, & diuerſa Cęli conſtātia, tam varias hominum propenſiones, mores, ingenia, animos ipſos effingūt, vt quod adagio valet: *Delphino & boui citius, quàm iſtis aliquid commune repereris.* Hinc effectum eſt, vt ſingulis quibuſque regnis, ac regionibus: quinimò ſingulis nationibus, populis, ciuitatibus peculiaris quædam natura, & aliquid, præcipuum vigeat: id quod incredibili ingenio, paríque arte exſecutus eſt Hippocrates lib. de aere. Et Ptolomæus lib. 2. Quadripartiti ex Planetarum, Stellarumque dominatu, id ipſum nititur colligere. Quin etiam de animabus expreſsè hæc habet in cap. 1. *Horum, qui propiores ſunt Auſtro, in genere ingenioſiores, & callidiores, & rerum diuinarum peritiores ſunt: quia verticale punctum eorum propinquius eſt Zodiaco, & planetis: quibus quaſi familiariores habent, & ipſi ſagaciores animas in inueſtigatione naturæ, & in diſciplinis percipiendis maiorem celeritatem.* Et cap. 2. hæc adiungit. *Virginis autem, & Mercurij naturam magis referūt Græcia, Achaia, Creta; ideò ibi homines ſunt ſtudioſi doctrinæ, & magis animam, quàm corpora exercentes.* Hinc ſumma cum ratione Flaccus epiſt. ad Piſones, iam tritum illud protulit,

Grais ingenium, Grais dedit ore rotundo
Muſa loqui: præter laudem nullius auaris.

Ita Germania homines edit laboris patientes: vtinam etiam ſitis; in quos hoc diſticho luſit neſcio quis.

Germanos cunctos norunt perferre labores;
O vtinam poſſent tam benè ferre ſitim.

Ita Roma graues generat, Gallia fortes, Hiſpania claros, Africa verſipelles, & fœdifragos, vnde punica fides, pro fide lubrica, vel perfidia; Cui omninò è regione oppoſita eſt græca fides, quæ idem pollet ac certa, & ſyncera: *Nam Romani ſemper, & in omni re, quicquid ſyncera fide gerebatur, id Attica* (ideſt quod græca) *fide, fieri prædicabant*, inquit Adagiographus in explicatione *Attica fides.* Idque non ſuis verbis, ſed Paterculi, auctoris antiqui, & grauis: pro qua quidem re multos ac probatiſſimos auctores ſiſtere poſſem; ſed pro omnibus vnus, græcè iuxta ac latinè eruditiſſimus Auſonius ſpondeat, atque reſpondeat: qui epiſt. 20. ad Paulum, quem ad ſe inuitabat, hæc habet.

Nobiſcum inuenies exemplaria libet vti,
Non Pœna, ſed Graia fide.

Cæterùm, de diuerſis multarum gentiū propenſionibus, præter hoc nihil adijcio; Prætorem Romanum edicto cauiſſe, vt qui mancipia venderet, nationem, ex qua illa eſſent, adiungeret: Quia plerumque, ait Vlpianus, & natio prouocat, & deterret emptorem.

Atqui, ſi animus immortalis, ac diuinus eſſet, cum neque aer, neque vlla Cęli conſtitutio an afficere, an immutare poſſet?

10. Quid tandem de ijs aſſerendum eſt, qui diuerſas terrarum plagas occupant, monſtris potius, & brutis animantibus affines? Blemijs nulla ſunt capita, ſed partes vultus in pectoribus affixas referunt Mela lib. 1. ca. 4. Solinus cap. 53. Plinius lib. 5. cap. 8. Aul. Gell. lib. 9. capit. 4. Prodit oculatus teſtis, Auguſtinus in cuius Sermone 37. ad Patres in eremo, hæc legimus. *Ego iam Epiſcopus Hipponenſis eram; & cum quibuſdam ſeruis Chriſti ad Aethiopiam perrexi, vt eis ſanctum Chriſti Euangelium prædicarem, & vidimus ibi multos homines, & mulieres capita non habentes, ſed oculos groſſos, fixos in pectore, cætera mem-*

bra

Digitized by Google

bra æqualia nobis habentes. Nota eſt Vnocula,& Cynocephala gens: de illa Plinius lib.7.cap.2. Solinus cap.19. Et Auguſt. loco, quem indicaui. De hac Aelianus lib.10.hiſt.ca.26.& lib.6. cap.10. Quid eos referam, de quibus hęc habet Mela lib.3.ca.4. *Extra Aegypti deſerta, muti ſunt populi, & quibus pro eloquio, nutus eſt: alij ſine ſono linguæ, alij ſine linguis, alij labris etiam cohærentibus:* Et Solinus cap.32. *Aethiopum*; inquit, *aliquibus concreta ora ſunt, medioque tantum foramine, nonnulla gens linguis caret, in vicem ſermonis vtentes nutibus, motibuſque:* At verò in quadam meridionali inſula, alia gens bifidæ,& biſulcatæ linguæ degit, quæ ſimul plures alloqui, & reſponſa dare commodè poteſt. Quid verò? Alicubi gens quædam vnico ſolum in pectore brachio, atque vnico crure reperitur; alibi omninò ſine brachijs; alibi caudata; alibi Hippopus; alibi abſque vllo proprio idiomate, abſque legibus, abſque comercio vllo.

Hiſcine animum immortalem, ac diuinum inferes? inſerendus tamen eſſet, ſi ille in nobis gaudet immortalitate, quia recenſiti omnes, humana conditione concluduntur,& verè ſunt homines.

Expectat fortaſsè aliquis, a nobis hic eorum effata, ac teſtimonia recenſeri, qui animorum immortalitatem, omni animi nixu de medio tollere conati ſunt: Mihi longè ſecus viſum eſt, nec vnquam libuit confarcinatis aliorum dictis *ceras implere capaces*; præſertim verò, quia illorum argumenta, vel in hac, vel in alijs noſtris Diſput. propoſita, & confutata habes. Tum etiam, quia altè nobis inſedit in animo ſenſatum illud Philoſophi dictum, ex primo Topic. capit. 9. *Quolibet proferente contraria opinionibus ſapientum, de quolibet ſolicitum eſſe, ſtultum eſt.* Nihilominus quoſdam Lucretij,& Plinij cauillos, quòd hos auctores in dies terimus indocti, doctiq; in calce huius Diſput. dilutos leges: nunc vt cum Iuuenali dicam,

Totos pande ſinus: dicas hic forſitan vnde
Ingenium par materiæ?

Ille dabit, cuius eſt velle, & perficere. Experiamur itaque.

SECTIO II.

Enucleatur animorum immortalitas, ex morali philoſophia.

PRincipio, opinionem illam, quæ funditus è vita humana tollit omnem probitatem, virtutem, ac religionem, intrudit verò impuritatem, & omnem vitiorum colluuiem, quis vnquam cenſeat conſentaneā veritati? cum veritas accendat potius hominū mentes ad honeſti, rectiq; amorem, retrahatq; ac remoretur ab omni turpitudine; Veritas enim fax quædam eſt,& norma recti; Vitium, tenebræ,& aberratio a tramite veritatis.

Atqui opinio, quæ animam rationis participem, interitui obnoxiam facit, fundamentum totius virtutis, ac probitatis conuellit, & totos ad omne ſcelus, flagitiumque recludit: Quis enim effrænatos affectuum impetus frænet, concitatas libidinis flammas compeſcat, ardētem vindictæ cupiditatem moderetur, ab alieno abſtineat, arduum virtutis capeſſat iter, numen ipſum colat, ſi nihil inde commodi, nec vllum ſperet huius laboris fructum? Expreſſit hoc eruditè, ac pulchrè, Aurelius Prudentius in lib.2. contra Symmachum, dum ita canit.

Nam, ſi tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit ſupereſſe meū poſt funera quicquam
Quis mihi regnator cęli? quis conditor orbis?
Quis Deus? aut quæ iā meritò metuenda poteſtas?
Ibo per impuros, feruente libidine luxus,
Inceſtabo thoros, ſacrum calcabo pudorem,
Inficiabor habens aliquod ſine teſte propinqui
Depoſitum, tenues auidus ſpoliabo clientes,
Longæuam perimam magico cantamine matrem.

Plenè, ac planè diuinè; *quia vna eſt ratio*, inquit Plutarch. in lib. de tarda Dei vindicta, *quæ Dei prouidentiam,& animæ humanæ immortalitatem aſtruit: neque ſubſiſtere ſublato vno, poteſt alterum.* Nec quiſquam poteſt firmiter Deum colere, qui non antea teneat animam immortalem, auctore diuino Platone lib.12. de Legib. Sed alium tibi teſtem longè diuiniorem hac de re ſiſtam; ipſum ſapientem, qui in capite 2. ex eorum partibus, qui animas interimūt his omninò loquitur: *Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ,& non eſt refrigerium in fine hominis,& non eſt, qui agnitus ſit reuerſus ab inferis, quia ex nihilo nati ſumus,& poſt hoc erimus tā-*

quam

Digitized by Google

quam non fuerimus; Quid dein? *venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra, vbique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors*: ò miſeram, & calamitoſam partem, ò improbam, ac deteſtandam ſortem. Ita ne ſummum, ſummi animantis bonum, ad anguſta hæc, & ima voluptatis oblectamenta detrudis? non ad hoc, diuinum iſtuc animal procreatum eſt: erras, ſi tam arctis limitibus id concluſeris. Et ideò improbum hoc dogma; his omninò perſtrinxit, dein idem ſapiens: *hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum, & neſcierunt ſacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum, quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem*: nempè ſecundum animam immortalem.

Id fuit in cauſa, cur etiam ij, quorū animos, animorum mortalitatis contagium inuaſerat, omni flagitiorum labe commaculati, huius vitæ curriculum cucurrere. Atque fatuū videbatur, cum illi nullam ſupereſſe vitam aliam arbitrarentur, ſi hanc non ita demeterent, vt ſe quibus quibus poſſent, imbuerent, polluerentque voluptatibus. Contra verò perluſtra mihi animorum immortalitatis aſſertores: nullum inuenies in hac vita tam arduum, tamque ſalebroſum virtutis iter, quod non illi acri, alacrique capeſſant animo, vt tandem è corporis vinculis, tanquam è carcere quodam elapſi; cœleſti illa, ac ſempiterna vita, olim fruantur. Sed hæc, vt eximius orator ait, fuerit nobis tanquam leuis armaturæ prima orationis excurſio: nunc cominus agamus: experiamur itaque ſi poſſumus, non modo commouere, ſed etiam confringere aduerſæ opinionis cornua: pugnare itaq; iubet.

Primò, ex religione, & cultu diuino, qui propriè ſolis hominibus ineſt; nam vt auctor eſt Plato in Phædone, & Ariſt. in Proble. ſect. 30. qu. 6. *homo ſolus, Deos veneratur, & colit*. Nec eſt vſpiam vllus, vſqueadeò immanis, ac barbarus; cuius mentem non imbuerit Deorum opinio; inquit Tullius 1. Tuſcul. quæſt. Atque adeò vitæ hominum religio nō cohæret. Quanquā cæteri omnes, falſa duntaxat opinione detineantur; & nobis ſolum cœlitus datum ſit, verum Deum, & noſſe, & colere: Hinc auctor, quē modo adduxi lib. 1. de Diuinat. verè aſſerit, *religionem, eſſe coniunctam cum cognatione naturæ*.

Quocirca prudentiſſimo Athenienſium iuſſu, Protagoras vrbe, atque agro exterminatus eſt, quòd in principio libri ſui ſic poſuiſſet, Περὶ δὲ τῶν θεῶν εἴτε εἰσὶν, εἴτε καὶ μὴ, οὐκ ἔχω λέγειν: hoc eſt, *De dijs, neque vt ſint, neque vt non ſint, habeo dicere*. Librique eius in concione cōbuſti: qui quaſi hanc naturalem coniunctionem diſſoluerēt. Hinc in omni æuo, & vbique gentium metus numinis in malis, hinc preces & obſecrationes bonorum, hinc aræ extructæ, hinc libamina, hinc ſacrificia, delubra, fana, ſacerdotia ſemper extiterunt.

Ex quoquidem fonte gemina ratio hauritur: Altera, id perpetuo ab hominibus eſſe factitatum, propter quandam affinitatem, & cognationem, quæ hominibus, ratione mentis, cum Deo intercedit. Ita diuinus Plato in Phædone, vbi hæc legimus. *Cum autem homo diuinæ particulæ particeps effectus ſit, primum quidem propter cognationem, ſolus ex omnibus animantibus Deos opinatur, ac cenſet, aggreſſuſque aras erigere, & ſtatuas Deorum*. Et in 10. de Legib. ſibi loquens cum eo, qui Deos eſſe putabat, adiungit: *Quod quidem Deos arbitraris, diuina fortaſſè quædam agnatio, affinitaſq; te ducit ad ſimile colendum*. Iam ſi nobiſcum ſummo illo, ac immortali mente, ac mente agnatio (quemadmodum dicitur eſt) & affinitas; non ne etiam immortalitas? Altera eſt, quia vt homo Deum veneretur, & colat, quædam in eo proportio reluceat omninò opus eſt: nam etiam ſenſus niſi ea, cum quibus naturalem quandam propinquitatem obtinuerint, haud ſentiunt. Aſpectus colorem, non ſonum, aut odorem percipit, quod ei cum illis, non cum his vicinitas adſit. Si itaque anima humana caduca, ac mortalis eſſet, quæ illi cum immortali Deo proportio? ēſt immortale, atq; caducum, ordine toto diſſideant. Aut cur ſolus homo Deum veneretur, & colat? Expreſſit hoc eleganter Latinus orator 1. Tuſcul. his omninò verbis. *Deus ipſe, qui intelligitur à nobis, alio pacto intelligi non poteſt, niſi mens ſoluta quædammodo ſit, & libera, ſegregata ab omni concretione mortali*. Verè meritò atque optimo iure, Plotinus inter præcipuas rationes, pro animorum immortalitate allatas, hanc poſuerit: Quod animus ſempiternæ vitæ cauſa Deum colat, inſitamque habeat religionis notitiam.

2. Ex hominis conditione. Si mens humana, vna cum corpore concideret, ſatius foret, mutū aliquod animal, quàm hominem eſſe: nam omnia beſtiarum genera, longè fœliciora, quàm ho

mo

mo fuiſſent. Perpende mihi tantiſper animo; quas vnquam homo in hac vita ſubit ęrumnas, à quibus brutorum natura immunis eſt, atque libera. Aſſiduè hic ſolicitatur curis, exagitatur timoribus, teritur aduerſitatibus, cruciatur ambitione; tabeſcit inuidia, conficitur mœrore, angitur deſiderijs, torquetur affectibus, vritur aliena proſperitate, ſemper anxius, ſemper irrequietus, nunquam animo tranquillus, nunquã ſua ſorte contentus. Perpende duram rerum neceſſariarũ egeſtatem, graue ac permoleſtum ſeruitutis iugum, ſeuerain legum coërtionem, famæ, fortunarumque iacturam, exilia, carceres, ipſa capitis damna. Recole præteritorum pœnitentiam, præſentium fraudes; futurorum ſolicitudinem: refer animo tot errores, tot pericula, tot terra, marique ſuſceptos, & exantlatos labores, vt miſerum hoc corpuſculum, vt vt fieri poteſt ſuſtentetur, & ab externis iniurijs vindicetur.

Atqui bruta animantia, hiſce malis ferè libera degunt. Non eã exagitantur curis, non cruciantur affectibus, non concidunt aduerſitate, non tanguntur ambitione, non afficiuntur inuidia, non premuntur eorum aliquo, quæ miſerũ hominem aſſiduè ſolent exanimare. Præterea, & victum, & omnia ad vitam neceſſaria, ſine vlla promemodum laboris moleſtia, largè ſuppeditante natura inueniunt, corporiſque voluptatibus, ſyncerius, & ſine vllo, an legum, an verecundiæ metu, naturæ ſolum legibus acta, fruuntur. Quæ cum ita ſint, muta profectò animantia, longè fęliciora, ac beatiora, quàm homines eſſent, ſi humanos animos è corpore laxatos, non alia vita, aliaque commoda manerent.

Quid? ſi humana mens, vnà cum carne periret, non modo animantia rationis expertia, homine forent beatiora; ſed inter homines, eorũ conditio potior, optabiliorque fuiſſet, qui ſe carnis oblectamẽtis, & vitiorum illecebris dedidiſſent: infęliciſſimi verò, & in ipſo calamitatis fundo detruſi, qui caducis corporis voluptatibus contemptis, animum ad bonarum, honeſtarumque artium ſtudia contulerunt, virtutem conſectantur, pietatem exercent, iuſtitiam ſeruant, numen religiosè colunt, & æqua mercede pellecti, corpora ſua, quo planè ſubdantur animis, nullis non affligunt, macerantque modis. Porrò improbis, lucro eſſet improbitas, & probis detrimento, & exitio virtus: Et vitia ſequi, quàm virtutẽ complecti ſatius foret. Quæ ſi indecora, & abſurda ſunt, illud & decori, & veritati conſentaneum erit, hominum animos, extinctis corporibus, ſuperſtites remanere, vt tandem alibi præmijs, aut ſupplicijs, probè, improbèue geſtorum afficiantur.

Sed erumpet fortaſsè aliquis è porticu Stoicorum, *Virtutem* aiens, *eſſe ſui præmium, ac mercedem: & vitium ſui ipſius ſupplicium*. Quo fit, vt, tametſi humana mens, vnà cum corpore eua neſceretur, nec ei vllum aliud huius rei præmiũ, ſuppliciumuè ſit expectandum, eo tamen quod virtus ſua luce, & pulchritudine nitet, & vitium deformitate quadam obtenebratur; potior, optabiliorque eſt virtutis trames, quam vitij. Atque hoc ſatis acre, ac validum calcar inijcere mortalium mentibus, quò virtutes conſectentur, & vitia fugiant.

Hac ſe galea obtexit poſtea Pomponatius, dum lib. de immortalit. Animæ cap. penult. geminum ait eſt virtutis præmium. Hoc quidem internum, & vt loquuntur *eſſentiale*, quod quidem an ipſa virtus, an ſtudioſa, & ex virtute profecta operatio eſt. Hoc verò extrinſecus adſcitum, nempè lucrum, vel honos. Ita vitij pęna duplex; altera intima, *eſſentialis*, quæ eſt vitium ipſum, ſiue vitioſa operatio: altera ex accidente adhibita, nempè, infamia, cruciatus, ſupplicia. Prior virtutis merces, nunquam virtutis cultori abeſt, quanquam animus pereat, quanquam is, qui ſe colendæ virtuti penitus dedidit, in abiectiſſimum abijciatur locũ, quan quam inter Æacidinas minas, & ima ærumnarum verſetur: *quia ſeipſa contenta eſt virtus ad beatè viuendum*, quod eleganter explicat Tull. Paradox. 3. Enimuerò, Virtus eſt

pretium ſibi, ſolaque latè
Fortuna ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſuque petit clareſcere vulgi:
Nil opis externa cupiens, nil indiga laudis;
Diuitijs animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Ideò Seneca lib. de Beata vita, capit. 25. *In ſublicium*, inquit, *pontem me transfer, & inter egentes abige, non ideò tamen me deſpiciam, quòd in illorum numero conſideo, qui manum ad ſtipem porrigunt*. Quod etiam per dialogum expreſſit Horat. Epiſt. lib. 1. epiſt. 16. dum ait:

Vir bonus, & ſapiens audebit dicere, Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre, patique
Indignum coges? adimam bona, nempè pecus, rẽ,
Lectos, argentum; tollas licet: in manicis, &
Compedibus ſæuo te ſub cuſtode tenebo.

Ipſe

Digitized by Google

Ipſe Deus, ſimulatque volam, me ſoluat opinor.
Hoc ſentit, moriar mors vltima linea rerum eſt.

Contra mali, improbi, ſceleſti, ſacrilegi, quamuis in omni honorum faſtigio euecti, quamuis Cræſſos ſpirent & Darios, tamen cõſcientia mentem aſſiduo flagellante, infęliciſſimi ſunt: Enimuerò, vt rectè Iuuenalis Sat. 4.

Quid refert igitur, quantis iumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in vmbra,
Iugera quot vicina foro, quas emerit ædes?
Nemo malus fęlix.

Huc facit græcus ille verſus, olim Piſiſtrato, a malo, vt creditur, genio inſuſurratus.

οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδίκων τίσιν οὐκ ἀποτίσει, hoc eſt:

Nullus hominum iniuſtorum pœnam non ſoluet.

Cum itaque virtus, ac vitium, interna, & integra hæc præmia, ſuppliciaue obtineant, quãuis illa alia extrinſecus, & ex accidente adſcita deſint, non ideò tamen non longè melior, optabiliorque virtutis trames, quàm præceps, & plauſtralis vitiorum via; tametſi animus caducus, ac mortalis conſtituatur, hæc illi.

Verùm hoc refugium inane eſt, & Pomponatij blateramenta affatim vana, atq; gerris ſiculis vaniora: nam hic virtutis nitor, & pulchritudo, vitiorumque deformitas, cum ita abſcondita, & retruſa ſint, vt à quàm paucíſsimis vix *ſub luce maligna* apprehendi, nedum introſpici poſsint, hominum mentes pellicere haud queunt, vt amplectantur virtutes, & vitent vitia. Enimuerò auctore Iuuenali Satyr. 10.

maior fama ſitis eſt, quàm
Virtutis. Quis enim virtutem amplectitur ipſam
Præmia ſi tollas? Plinij ſecundi in Panegyr. eſt hoc: *Præmia bonorum, malorumque, bonos, ac malos faciunt.*

Deinde, incredibile eſt, homines eò duntaxat propoſito auerſari voluptates, & arduum virtutis ingredi collem, quòd illæ latente quadam turpitudine inſperſæ ſint; virtus verò decore quodam etiam retruſo cohoneſtetur. Heu longè aliter vſuuenit: Voluptatum illecebræ, & iynges, quia ſenſibus obiectæ, multò plus habent virium ad raptandum hominis affectũ, quàm occulta, & abdita earundem turpitudo, ad arcendum animum ab iiſdem: & virtutis ille decor, non facilè apparet, ſed potius aſperum ad eã iter. Rectè Seneca lib. 3. nat. quæſt. *Citò*, inquit, *nequitia ſubrepit; Virtus difficilis inuentu eſt, rectorem, ducemque deſiderat; etiam ſine magiſtro vitia diſcuntur*: quia hæc apparente quadam voluptate condita decipiunt ſpecie recti; Virtus primo aſpectu permixta offertur amaritudine. Hinc Heſiod. in Ergis.

Τὴν μέντοι κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἐστὶν ἑλέσθαι
Ῥηιδίως. ὀλίγη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον.

Quæ vt verbo verbum reddam, ita ſonant.

Vitium quidem, & cateruatim eſt ſumere
Facile: breue (ad illud) *iter; valdè propè habitat.*
At Virtutis ſudorem, Dij contra poſuere
Immortales: longa & laborioſa ſemita ad eam,
Et aſpera primùm.

Quæ cum ita ſint, fit vt longè præpolleat apparens vitiorum voluptas ad impellendum homines, vt ea complectantur, quàm occulta eorũ deformitas, vt ea ipſa auerſentur. Et magis apparens virtutis aſperitas terret, quàm abdita eius pulchritudo, ſui amorem conciliat.

Quid verò? illi ipſi, in quorum animis, imaginatio hæc inſederat; *Virtutem, iuſtum ſibi eſſe pretium, & vitium ſui ſupplicium*: non eo ſolum nomine exercuere virtutem, ſi vllam exercuere, quod eſſet nitore neſcio quo inſperſa; ſed ad lucrum; ad popularem auram, ad proſperã ſui nominis famã, & gloriã conſequendã. Diſcimus hoc ex Tullio, oratione pro Archia poeta, quo loci ita legimus: *trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque, maximè gloria ducitur, ipſi illi Philoſophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt, in quo prædicationem, & nobilitatem deſpiciunt, prædicari ſe, ac nominari volunt*; cum itaque ne ipſi quidem Stoici, ac Philoſophi ob id tantum virtutem coluerint, quod illa ſui ſit merces, ſed in ea inquirenda, & exercenda, aliquid aliud rimarentur, quàmmaximè facta diſsident, ab eorundem ampulloſa oratione. Quinuerò nec Pomponatius ipſe, ſe ſe fęlicem, quamuis virtute præditum, exiſtimabat, dum morborum ſæuitia affligeretur, & vrinarijs doloribus cruciaretur; ſed *conditionem ſuam lamentabatur.*

Quid? ſi virtus eſſet, ſibi iuſta, ac ſufficiens merces, qui ex virtute opus aliquod confeciſſet, hoc ipſo laboris præmium recepiſſe cenſeretur, quod ſtudioſè, & ex virtutis regula fuerit operatus; nec vllam aliam mercedem iuſtè, aut expectare, aut exigere poſſet. Iniuſtum enim eſt, vltra iuſtam mercedem facti cuiuſpiam, aliã vlte-

vlterioremexigere: eòque nec militi, qui ſtrenuè pro Republica dimicaſſet, nec ſeruo, qui fidelem operam domino præſtitiſſet, nec artifici, qui affabrè, ac laborioſè aliquid confeciſſet, vlla merces, vlla ſtipendia perſoluenda eſſent: quòd ipſe labor, & ſtudioſè editum opus, eſſet illi iuſta merces. Quod cum vel à communi hominum iudicio damnetur, illud etiam condemnabitur, ex quo iſthuc conſequitur.

Hinc veteres illi Græcorum Heroes; tū Romanæ Vrbis decora, in quibus inſignis aliqua ſpecies iuſtitiæ, pietatis, clementiæ, animi moderationis, multarumque adhuc virtutum ſplenduit, hæc potiſſimùm exercuere, proſperæ famæ, glorięque calcaribus acti, vt de Romanis teſtatum reliquit Auguſt. lib. de Ciuit. Dei, 5. cap. 12. Alij verò virtutum præmia, Cęlum, ac beatas ſedes: Alij, campos neſcio quos Elyſios, & ſubterranea regna fecerunt. Flagitiorum autem pęnas, Cocytum, & paludem Stygiam, & centum annorum errorem, & vt cum latino poeta 6. Aeneidos, loquar, *duriſſima regna, & lugentes campos*: quorum deſcriptionem ibidem habes, quando incipit:

Hinc exaudiri gemitus, & ſæua ſonare
Verbera, tum ſtridor ferri, tractaq; catenæ:
Cōſtitit Aeneas, ſtrepitumq; exterritus hauſit.

Et quæ ſequuntur.

Hæc illi, veræ religionis luce deſtituti, comētabantur, hiſque vmbram aliquam veritatis exprimere erat animus. Nobis verò, quibus Veritas Chriſti affulſit, religioſarum quidem Virtutum præmia, proponſitur cęleſtis merces, *Et ſocialis Dei viſio*. aliarum verò ſtudioſarum actionum, & exterarum Virtutum, in præmium venit, an honos, an lucrum. Flagitia verò, ac peccata manent ſupplicia, infamia, *gehenna*.

3. Ex iuſtitia, ex qua ſic colligit aureis illud os, Serm. 4. de Prouidentia. Si nihil eſt poſt hanc vitam, ergo neque Deus eſt: conſecutionem infert: ſi Deus eſt, iuſtus eſt: ſi iuſtus, iuxta merita vnicuique diſtribuit. Si autem nihil eſt poſt hanc vitam, vbi accipient ſinguli pro ſuis meritis? multi hic benè habent, & in honore degunt, quamuis mali. Alij verò affliguntur, licet iuſtè viuant: ſi ergo poſt hac nihil eſt, emigrabunt iuſti affecti iniuria, & iniuſti immerita ſęlicitate potiti. Vbi manebit ergo iuſtitia? ſi enim nemo, quæ meritus eſt, accipiat, neque Deus ſecundum ſe iuſtus eſt: ſi autem Deus nō eſt iuſtus, neque Deus eſt. Hæc Chryſoſtomus: Quid enimè nonne ſingulis quibuſque diebus videmus aliquos, quibuſuis imbutos ſceleribus; ita fęliciter, proſperèque vita hac perfrui, vt firmis opibus, eximijs honoribus, effuſis voluptatibus, omnibus denique bonis affluentes, elatè, ſuperbèque probis imperent, iuſtos affligant, inſontes exagitent, impotentes conterant, æquitatem ipſam calcent? contra verò quàmplurimos pietate, & omni virtutum genere præſtantes, adeò miſerè, ac ærumnoſe vitam tranſigere, vt *βίον ἀβίωτον*, viuere videantur? Quod ſi hæc inæqualitas, maximaque inordinatio alibi non corrigatur, vt vnicuique probi, improbiue meriti deputatio fit, & qui ſceleribus commaculati ex hominum vita migrarint, meritis afficiantur ſupplicijs; qui verò probitatem, qui fidem, qui pietatem coluerint, certo aliquo, ac definito loco donati, beati æuo ſempiterno fruantur, quis ſit in rebus ordo, quę diſpoſitio, quæ iuſtitia, quæ prouidentia, quis Deus? Vt igitur Dei prudentiam, & conſtantem perpetuamque iuſtitiam tueamur, de qua hæſitat nemo, niſi affatim ſtultus, & hic, *introrſum, & ſub lingua immurmurat*: fateamur neceſſe eſt, animos iam corporibus laxatos, ſuperſtites ac immortales manere; vt pęnarum, pręmiorumue capaces, ea lege ſint, qua quiſque ſibi viuendo ſanxerit.

Porrò, ſi in humana ſocietate omnis iuſtitia, probitas honeſtas, ipſa hominum vita, duabus potiſſimùm rebus, *præmio, & pęna*, tanquam nauis aliqua duabus anchoris innixa continetur; adeò vt *apprimè interſit Reipublicæ delicta puniri*; putaſne in hac communi rerum vniuerſitate, mundo, & hominum ambitu, nulla eſſe a ſupremo rerum arbitro Deo decreta, & conſtituta præmia, ac ſupplicia, probè, improbèue factis? quæ cum in hac caduca, ac mortali vita non modo ſæpiſſimè haud reſpondeant, ſed contra res obueniat, fateare neceſſe eſt, ea in futuram reponi vitam. Alioquin rectius, ac multò ſapientius inſtituta eſſet humana ſocietas per homines, quàm hominum genus vniuerſum à Deo: vel omnia euenitēt, temerè, & caſu. Audi vt rem hanc expreſſit Claudian. 1. Ruf.

Sed cum res hominum tanta caligine volui
Aſpicerem, lætoſque diu florere nocentes,
Vexarique pios: rurſus labefacta cadebat
Religio, cauſaque viam non ſponte ſequebar
Alterius, vacuo qua currere ſemina motu
Affirmat, magnumque nouas per inane figuras,
Fortunā non arte regi, quæ numina ſenſu
Ambiguo, vel nulla putat, vel neſcia noſtri.

Quod

Quod ſi quiſpiam hæſerit, mundum hunc, cura, iuſtitiaque Dei adminiſtrari, & rebus humanis conſuli; nec ſolum vniuerſis, ſed etiam ſingulis; hunc tu actutum adiungito impijs, Democrito, Heraclito, Lucretio, & impuro Epicureorum gregi, qui ſtultè, ac nefariè, omnem numinis curam, ac prouidentiam ſuſtulere. Immò cenſeatur tibi atheus alter Diagoras Meleſſius, Protagoras Abdirites, Bion Boriſtenites, Theodorus ille paſſim atheus dictus; qui omnem prorſus diuinitatem negarunt. Tu, quiſquis es, in alto pectoris receſſu repone diuinū hoc Hermetis verè ter maximi effatum, ex lib, Pæmand. cap. 3. *Νόσος δὲ μεγάλη ψυχῆς, ἀθεότης, ἔπειτα δόξα εἰς πάντα τὰ κακὰ ἐπακολουθεῖ, καὶ ἀγαθὸν οὐδέν.* id eſt, Magnus animi morbus eſt, impietas: quoniam illum opinio, & inclinatio ad omnia mala ſequitur, boni autem nihil,

Aſpice, vt homines, ſeu mites, ac docti, ſeu feri, ac barbari, intimo, & innato quodam naturæ impetu, diuinam curam, & prouidentiam conteſtantur, dum graui, & præſenti aliquo malo perculſi, ora, oculos, vultus in cęlū attollūt, manus tendunt ſupplices, omni animi nixu inde diuinam implorant opem: quia omnes, vt auctor eſt Stagirites, ſedem ac domiciliū ſummi Dei, Cęlum arbitrantur. Atqui fatuus eſſet, hic naturæ conatus, ſi Deus, qui maximè in cęlis degere exiſtimatur, neque ijs, quæ inter homines fiunt, conſulere, neque vllam implorantibus opem ferre, & ſubleuare poſſet. Sed huius argumenti non hic locus: Ad rem redeo, ſi te monuero, quod argumentum nuper à nobis pro animorum immortalitate adductum, confecerat olim Socrates, in Phædone Platonis; quo loci, cum permulta & acuta ſpicula, ex vberi Philoſophiæ penu deprompta, ad confirmandam animi immortalitatem, intorſiſſet, hoc demum veluti colophonem, adiunxit, *graue*, inquiens, *periculum fore putandum eſt, ſi quis neglexerit animam: ſi enim mors diſſolutio eſſet, improbi lucrarentur, cum & à corpore, & ab eorum prauitate, cum anima liberarentur: nunc autem cū anima immortalis appareat, nulla ſupereſt malorū declinatio nulla ſalus; niſi vt optima, & prudentiſſima fiant.* Hæc diuinus ille vir, qui, vt Plato loquitur, *adeò intrepidè generoſéque migrabat è vita, vt videretur in vitam alteram non abſque diuina ſorte migrare: ſed illic quoque beatus fore, ſi quis vnquam alius.*

Quod ſi adhuc quiſquam occurrat, compluares proborum hominum in hac vita eximijs affici honoribus, & omni rerum affluentia abundare: complures etiam improborum puniri: vt etiam Claudianus, loco ſuperius adducto, poſtea quàm dubitauerat, ita pergit.

Suſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Abſoluitque Deos: iam non ad culmina rerum
Iniuſtos creuiſſe queror: tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Non igitur opus, alium locum, eius rei cauſa conſtituere, vel aliam vitam, & tempus comminiſci, vt boni pręmijs, mali pęnis afficiantur.

Hem, bonorum pauci ſunt, quorū probitati, & merito præſtata huius vitæ bona obueniunt, At improbi, ſceleſti, ſicarij, ſacrilegi, bonis affluunt, nec vllam hic rependunt pęnam. Ecquis hic nefanda quædam ſcelera ſecretò commiſſa, nec niſi poſt mortem detecta, debita vltione plectit? Quis eum puniat, qui dum inter homines ageret, honeſtæ vitæ, ac probitatis ſpecimen exhibebat, qui vita functus, in horrenda crimina incidiſſe conuincitur? Quis condigna pæna Tyrannum mulctat, qui nullis hominum cædibus expletus, nullis Vrbium incendijs emolitus, nullo mortalium ſanguine ſaciatus, in dies longè ſæuior, tandem cruentam animam inter delicias efflat? Hæcne apud Deū fore inulta? Porrò ſi nuſquam alibi hæc rerum nota penſitanda eſſet, hic ſumma illa, & æquiſſima mens, bearet probos, fęlicitateq; auctaret, perderet ſceleratos, infortunijſque mactaret: & vt Telamon, apud Cicer. 3. de Natur. Deor. loquitur, *benè bonis ſit, male malis: quod nunc abeſt.* Varronis eſt hoc,

Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato paruo,
Pompeius nullo: credimus eſſe Deos?

Nos credimus firmiter, & Deum, & iuſtū: Et tenemus, *culpas hominum grauiora morari ſupplicia.*

Audi, ſi vis quàm piè audet ὁ μεγαλοφωνότατος Hieremias ad Deum dubitare, cum in hac vita, haud æquali lance præmia, vel pęnas rependi intueretur. Ita loquitur in capit. 12. *Iuſtus quidem tu es Domine ſi diſputem tecum: Verumtamen iuſta loquar ad te: Quare via impiorum proſperatur? benè eſt omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt? Plantaſti eos, & radicem miſerunt, proficiunt, & faciunt fructum. propè es tu ori eorum, & longè a renibus eorum: & tu Domine noſti me, vidiſti me, & probaſti cor meum tecum.* Vin', & alium? en Iob cap. 21. vbi hæc omninò leges. *Iſte moritur robuſtus, ſanus, diues, & fęlix: alius*

moritur

moritur in amaritudine animæ, abſque vllis opibus, & tamen ſimul in puluere dormient, & vermes cooperient eos: poſtea,

Vterque diluit, & vterque eodem pacto. Ille, hæc omninò ſubnectit. *Congrega eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica* (vel ſacrifica) *eos in die occiſionis*. Hic verò, *Certè cognoui, quia in die perditionis ſeruatur malus*. Ita ſ Ita. Nam vt Theologorum antesignanus Greg. Nazianz. veluti ex tripode canit.

Graue aliter eſſet, rebus hic duris premi,
Niſi ſummus olim verteret talum Deus.

Cõcludo hanc rationem, ſi te admonuero, hoc argumento olim fuiſſe vſum, Apoſtolorũ Coryphæum, aduerſus Simonem Magum, vt refert D. Clemens Rom. lib. 3. Recognition. *Si Deus iuſtus eſt, anima immortalis eſt*.

4. Depromitur ex hoc ipſo fonte alia ratio, cui viſibilis etiam effectus comes. Videmus haud rarò maiorũ delicta, qui e vita ceſſerunt expiari in filijs, poſteriſque: id quod Exteri ſimul, ac noſtri ſentiunt, & conſentiunt. Horat. lib. 3. Carmin. od. 6. quæ eſt, *Quod ſæpe poſteri pœnas luant, quas maiores effugerint*, ita modulatur.

Delicta maiorum immeritus lues
Romane donec templa refeceris,
Ædeſque labentes Deorum, &
Fœda nigro ſimulachra fumo, &c.

Heſiodus admonuit, etiam periurio parẽtum, ſi ri ſobolem obſcuriorem, & progeniẽ vitioſiorem; in cuius Ergis, hæc legimus.

ὃς δ' ἂν μαρτυρίῃσιν ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσας
ψεύσεται, ἐν δὲ δίκην βλάψας, νήκεστον ἀάσθη,
τοῦ δέ τ' ἀμαυροτέρη γενεὴ μετόπισθε λέλειπται.
ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων. id eſt,

Qui verò teſtimonium volens periure iurando
Mentietur, in ius delinquens, immedicabiliter læſus eſt,
Eius verò obſcurior poſteritas poſtea relicta eſt.
Viri autem iuſti generatio poſtea præſtantior.

Quinimo legimus, Delphicum oraculum aliquando Glauco Spartano negatuto Mileſio cuidam depoſitum, reſpondiſſe poſtremum hunc verſum, ἀνδρὸς δ' εὐόρκου, &c. vt inter alios retulit Sim. Maiol. in lib. Dier. Gen. Coll. *Vaticinia*. Plato, peccatorum pœnas in poſteram prolem protrahi, his omninò teſtatus eſt lib. 2. de Repub. *Sed enim apud inferos pœnas dabimus eorum, quæ hic iniuſtè commiſerimus, vel nos, vel nati natorum*.

Adeundus omninò eſt Plutarch. in libello de Sera Numin. vendicta, vbi per multis veterum exemplis, teſtimonijſque id ipsũ comprobat. Multa etiam e ſacris voluminibus congeſſit Petrus Grego. Tholoſan. lib. 2. de immortalit. Animæ cap. 3. Nobis illud vnũ tetigiſſe ſatis, *Quis peccauit; hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur?* Ioan. 9.

Atqui hæc animaduerſio longè abſonè fieret, (quid verò in hac admirabili mundi vniuerſitate credas fieri fruſtra?) ſi eorum animæ, qui criminibus cõmaculati ex hac vita migrarunt, illa poſterorum pœna non aliquo pacto tangerentur. Porrò, ab omni iuſtitia, tùm ab omni ratione quàm procul abeſt, vt quiſquã criminis expers, pro eo plectatur, qui nuſquam ſit, nec inde melior fiat, aut ex illa pœna quicquam ſentiat: Et qui pœnam illam infligeret, γελοιότερος εἴη ἰατροῦ, διὰ νόσον πάππου, ἢ πατρὸς, ἔκγονα, ἢ παῖδα φαρμακεύοντος. quod nõ nemo apud Plutarchum dixit; nempè, *magis deridiculus eſſet medico, qui ob aui valetudinem, aut patris, nepoti, vel filio remedium adhibeat*. Nunc ſecus eſt; quia improborum animæ, nexu corporum abſolutæ, inter cætera tormenta, (*pœna ſenſus, & damni*, appellãt noſtri) vident ea, quæ ad ſuarum ſtatum attinent, vnde illis accidentaria quædam afflictio adiecta. *Quia*, Plutarchi verba ſunt loco quem dixi. *fœdior nullus eſt cruciatus, neque qui infeſtet grauius, quàm ſobolem ſuam affligi ſua culpa contemplari. Et quod hominis anima improbi, & ſcelerati, poſt exceſſum e vita, cernat, non ſtatuas, non honores aliquos ſuos ſubuerti, & abrogari ſed liberos, vel amicos, vel ſtirpem, vel neceſſariã grauia infortunia pati, propter ipſam & noxã luere.*

Quò fortaſſe innuebatur etiam Stagirites, dum lib. 1. Moral. cap. 11. dubitabat, *an vita functi, boni cuiuſpiam, vel contrarij poſſint eſſe participes*. & diluens difficultatem ait, ſi quicquã ad eos ſiue bonum, ſiue contrarium pertingit, *id exile, & paruum eſſe, vel abſolutè, & ſimpliciter vel ipſis*. Verùm quale quale illud ſit, hoc pro re noſtra facit, animas rationis participes, diſſolutis corporib. tùm ſuperſtites manere, tùm poſterorum pœna modo aliquo affici.

5. Ex fortitudine; Si humanus animus abſque corpore cohærere non poſſet, nihil æquè horreret quacunque de cauſa, quàm mortem: nec illi quicquam in tanto precio, delicijſque fuiſſet, quod non ad arcendam illam, & conſeruandam vitam, prudens; lubenſque ſemper profunderet.

T Quippe

Quippe mors tunc foret extremũ animiquoque malum, vti modo eſt corporis (*nam mors eſt terminus: nihilque amplius homini mortuo neque bonum, neque malum eſſe videtur;* ex Ariſt. 3. de Morib. cap. 9.) ſummo autem malo nihil eſt magis fugiendum, & ſummo bono, cujuſmodi eſſet vita, (*quam tamen qui ſummũ bonum exiſtimat, ipſam vituperat,* inquit Plato Dial. 5. de legib.) nihil præponendum fuiſſet.

Iam verò haud pauci, mortem plerumquè vitæ præuertunt. Atque, vt illos longa ſilentij nocte illachrymabiles vrgeam, qui vt aliquod damnum, aut alioquin aſperam vitę calamitatem effugiant, vitæ ſibi vſuram fatuè adimunt: quos contra copiosè, ac ſtrenuè Aug. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 23. Ioſephus de bello Iud. Pluturchus in Cleomene, Seneca cum alibi ſæpè, tum Epiſt. 24. & Ariſ. 3. de Morib. ad Nicomach. Diſputatum eſt acriter apud Catonẽ Vticæ, pridie quàm ſe vulneraret, Catone perfractè, ac peruicaciter, contendente, honeſtum ac laudabile eſſe, voluntario fato defungi; Contrà nitentibus Apollonide Stoico, Demetrio Peripatetico, & Cleanthe medico. Illi porrò ea mente, tametſi nefaria, violentas ſibi conſciſcebant manus, vt animus diſruptis corporis compedibus, grauem ac præcipitem fortunæ aleam deuitaret, ſolutusque ac liber ferretur: quos tamen haud immeritò, *ſtulta philoſophia martyres,* appellat D. Hieronymus.

Quid ęos referam? *quibus dulce, & decorum fuit pro patria mori.* Videor mihi videre Curtium Roman. militaribus ornatum inſignibus, in vaſtum illum hiatum, qui Romę in media parte fori emerſerat, pro patria ſemet præcipitẽ dare. Codrũ, familiari, et abiecto habitu inter hoſtes, *pro patria nõ timidũ mori.* Themiſtoclem, inter ſacrificia, hauſto tauri ſanguine, ante ipſam aram, vt non nemo loquitur, *quaſi claram quandam pietatis victimam concidere.* Menechmum, qui Deum, (verè Dæmonum) imperio ſuum ſanguinem patriæ elargitur. Iphigeniam, quę ſe in Aulidem immolandam abduci iubet, vt hoſtium ſanguis, eliciatur ſuo. Ericthei filias, quę pro ciuium ſalute, fortuniſque communibus, acri, alacrique ſpiritu mortem oppetunt. Paſſim permultos offendes, *qui non pro caris amicis, aut patria timidi perire.* Et, *duces, ac legiones tota,* inquit Cato, *alacres in eum locum profectę ſunt, vnde ſe redituras non arbitrarentur.*

quid ambo
Scipiadæ? quid Fabritius, maneſque Camilli?
Quid Cremera legio, & Cannis conſumpta iuuentus?
Tot bellorum animę

Hem, Demoſthenes ille, qui, quàm inuictus ore, tam ferro pauidus, & iam ῥίψασπις, cum aliquando Platonem, & Xerocratem de animorum immortalitate ediſſerentes audiuiſſet, *malle ſe*, dixiſſe fertur, *honeſtè mori, quàm turpiter viuere.* Celebratum eſt, Cleōbrotum Ambraciotem, lecto Platonis dialogo qui Phædon inſcribitur, in quo de immortalitate animæ diſputatur, ex alto ſe dediſſe pręcipitem, vt ocyus immortalitare potiretur.

Porrò vniuersè fortitudo, in eo poſita eſt, vt *ſit rerum terribilium agreſſio, vbi mors imminet.* ait Stagirites 3. de Morib. cap. 9, Et, *ad virtutem fortitudinis pertinet, vt voluntatem hominis tueatur, ne retrahatur a bono rationis propter timorem mali corporalis. Oportet autem bonum rationis firmiter tenere contra quodcunque malum, quia nullum bonum corporale, æquiualet bono rationis: & ideò oportet quod fortitudo animi dicatur, quæ firmiter retinet voluntatem hominis in bono rationis contra maxima mala,* inquit Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 123. art. 4.

Quæ omnia haudunquam obuenirent, ſi mens humana ſimul cun corpore euaneſceret: tunc ea ſummum ſibi appereret malum, penitusque non eſſe: Non eſſe verò, apperi nequit: quinimo natura ipſa extremè omnium horret. Si itaque anima a corpore ſeparata nuſquam vlterius foret, ſed ipſa die qua homo mortem obierit, interiret, ſatius quacũque de cauſa eſſet, vitã, etiam cũ turpitudine, quam mortem cum honeſtate complecti, quia mors, vt dicebam, fuiſſet extremum omnium malorum, & homo vſquequaque abiret in nihilum. Audi quàm præclarè id nobis indicauit Socrates, in Phædone, qui mortiferum illud poculum iam iam hauſurus, *niſi*, inquit, *me migraturum putarem, primùm quidem ad deos alios ſapientes, & bonos, deinde ad homines defunctos, his qui hic ſunt meliores, iniuſtè agerem non moleſtè ferens mortem: Nunc certum habetote, &c.*

6. Ex tenperantia, quę ita peculiare hominis ornamẽtũ eſt, vt in nullũ cæterorũ animantiũ cadat. *Neque enim cętera animalia, pręter*

homi-

hominem, dicimus temperantia ; quòd ab ipſis ratio abſit, qua honeſtum deligimus, inquit diuinus præceptor lib. Magn. Moral. 1. cap. 22. Et, *quis quis hominum temperatus eſt*, ſi Platonem audias Dial.4. de legib. *Deeſt amicus: ſimilis enim illi*. Porrò hæc virtus, cum circa voluptates, & ægrimonias, atq; eas quidem in tactu, guſtuq; progenitas occupetur, in homine ea condecorato, tam acris, & varia ſenſus, ac rationis altercatio erebrò ſuſcitatur, vt temperatus animus cum reſiſtente cupiditate haud ignauè luctetur; & vt Stagirites loquitur lib. 2. Ethic. Eudem. cap. 8. *vi ſe ipſum abſtrahat a ſuauium cupiditate*: quæ ſimul ac.

In tecur, & tractus imos compulſa receſſit,
Et veluti immanes reſerat dum bellua rictus
Expleri cupit,

Tunc rectus & erectus animus, ne fœdè pareat, imperat, *eam frenis, eam compeſcit catena*. Quæ omnia luculenter oſtendunt, animum haud eſſe corpori commixtum, ſed vltra quæuis corporea ſepta tranſire: nam vel Anaxagora teſte, ἀνάγκη αὐτὸν ἀμιγῆ εἶναι, ἵνα κρατῇ. *neceſſe eſt ipſum immixtum eſſe, vt dominetur*, Quod retulit quoque, & laudauit Philoſophus cùm 8. de Phyſic. auſcult. cùm 3. de Anima tex 4. Verumenimuerò quid eſt, quod nullum vſpiam animantium mentis rationiſque expertium offendas, quod non eò agatur præceps, quò ſenſuum calcaribus ſtimulatur? Solum in pectore humano, benè præparato; pars altera imperat, & tanquam habenas tenens, currum regit; altera paret, & quò illa cumq; ducit, ſequitur. Quanquam haud rarenter cupiditas, ex imo latrans excuſſo ac depulſo rationis iugo, quaſi ſeditioſus aliquis ac turbulentus ciuis, faſces arripit, in arcem inuadit, & contra ius, faſq; omne mentem,

Mandatricem operum, proſpecturamq; labori,

De ſua ſede deturbat: tum vt nauis diſcordibus acta ventis, ita quiſq; turpis & excors contrarijs, & inter ſe pugnantibus, fœdiſſima rum libidinum flatibus agitatus, in turpitudinem præceps ruit. Verùm hæc, licet multis obueniant, non tamen omnibus; quod argumento eſt, animam rationis participem, longè aliud eſſe a corpore habere, in eoq; veluti in quodam domicilio degere: nam ſecus perpetuo, & in quouis homine, ex corporis temperatura, & arbitratu duceretur.

7. Prudentia, cardinalium, vt aiunt, Virtutum princeps, haud minorum virium ſuppeditat argumentum: Siue ea ſit, *recta rerum agendarum ratio*, vt ex Ariſt. 6. Ethic. colligit S. Thomaſ 2.2. quæſt. 49. art. 2. ſeu, *rerum bonarum, & malarum, & vtrarumq; ſcientia*, vt ait Tullius lib. de Inuent. 2. Ei, veluti partes inſunt, quemadmodum ex Platone Dialog. Aliab. 2. depromit Macrobius lib. 1. in ſomnio Scipionis cap. 8. ratio, intellectus, circumſpectio, prouidentia, docilitas, cautio: quæ luculenter aperit D. Thomas in ea quæſt. quammodo citauimus. Vel ſunt memoria, intelligentia, prouidentia, auctore Tullio. Quæ omnia argumento ſunt, animum extra ius, ditionemq; elementorum conſiſtere; nihilq; rerū corporearū in ſe cōtinere mixtum atq; concretum: *His enim in naturis nihil eſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationiſq; habeat; quod & præterita teneat, & futura præuideat, & complecti poſſit præſentia*. vt loquitur Cicer. 1. Tuſcul.

Erit tamen, qui nobis opponat quædam animalia, quæ maximè meminiſſe, futura proſpicere, cautè, prudenterq; agere videntur, vt Apes, Grues, Elephantes, idq; genus alia, de quibus abundè Stagirites, in libris de Partib. & Hiſtor. animal. Quid formica? quæ, vt Horat. ait Satyr. 1.

Ore trahit quodcumq; poteſt, atq; addit aceruo,
Quem ſtruit, haud ignara; ac non incauta futuri

Immò verò hæc omnino legimus in lib. 8, de Hiſtor. animal cap. 1. *ſunt vel in pluribus cæterorum animalium, veſtigia morum animi humani, quanquam hæc apertius in homine diſcernantur. Ineſt vrbanitas, feritas, clementia acerbitas. fortitudo: atq; etiā prudētiæ imago ineſt in multis, &c.* nihil ergo hinc habetur pro Anim. ætern.

Veruntamen hæc omnia obſcura quædam veſtigia ſunt, & exilis vmbra. Præfata animantia quicquid agunt, id citra cognitionem, & ex naturæ præſcripto agunt; ob eāq; cauſam ſemper eodem modo. Verùm ab homine longè ſecus fit. Hinc homo non eò prudentiſſimus omnium animalium, vt Anaxagoras opinabatur, quòd vnus omnium obtinuerit manus; ſed contra, quia prudentiſſimus omnium, iccircò manus eſt nactus; cuius rei eam Stagirites attulit rationem lib. de Partib. animal. 4. cap. 10. *Manus inſtrumentum ſunt Natura autem, vt homo prudens, ita tribuere ſolet cuiq; rē, qua vti poſſit. Rectius enim tibia dabitur perito tibiæ, quā tibia habenti, peritia tibiæ addetur: rē enim minorē maiori potiorīq; Natura addidit, nō ma*

morē nobilioremq; minori: Quodſi ita melius, Natura autem ex ijs, quæ fieri poſſunt, facere ſolet, quod melius ſit, homo non propter manus prudentiſſimus eſt, ſed quia prudentiſſimus omnium animalium eſt, ideò manus obtinet. Qui enim prudentiſſimus eſt, rectè plurimis uti inſtrumentis poteſt. Manus autem eſſe videtur non vnum inſtrumentum, ſed multa.

Hem, cōtēplare mihi quàm varias diuerſaſque res homo fabricetur, dū naturam non æmulari modo, ſed vincere quoque audet. Diſcriminauit illa à continenti, maria, *& abſcidit prudens Oceano diſſociabili terras*. Homo non ſolum non tangenda vada ratibus tranſilit, ſed quaſi Solis æmulus, vniuerſum terrarum, & aquę ambitum pelluſtrauit. Excitauit illa ingentes, & aſperos montes; hic etiam eos vel ſtrauit, vt Annibal, qui in monte Pyrenæo.

Diluxit ſcopulos, & montem rupit aceto.

Vel etiam perforauit, atque in freta remis, & claſſibus apta reddidit, vt montem Atho Xerxes, a quo,

Creditur olim.

Velificatus Athos, Et ſtratum claſſibus ijsdem
Suppoſitumque rotis ſolidum mare.

Denegauit illa rebus ſenſu carentibus progrediendi motum: Hic & ſtatuas huc, illuc ſponte diſcurrentes, vt Dædalus, fabricauit; & columbam ligneam ita ponderibus, & aura incluſa librauit, quod Architas fecit, vt medium per aerem volitaret: & vocem humano illi cranio Albert. indidit. Coercuit illa hominem in terris; Hic væſana correptus cupidine, aſcitis alis, aerem ftanare agreſſus eſt. nam.

Dædalus, vt fama eſt fugiens Minoia regna,
Præpetibus pennis auſus ſe credere cælo
Inſuetum per iter gelidos enauit ad Arctos.

Innumera id genus ſparſa apud bonos auctores tibi præſto adſunt, quæ ne prolixior ſim, prudens omitto: vnum Archimedis opus ſubijciam, qui in paruam ac fragilem ſphæram incluſo famulāte ſpiritu, illigauit Solis, Lunę, cæterarūque ſtellarum ortus, obitus, motus, vt, quemadmodum loquitur Tullius Tuſcul: 1. *tarditate, & celeritate, diſſimillimos motus, vna regeret conuerſio*, iamque orbem ſuum ſpecioſa induſtria condidiſſe, ſibi gratulabatur, & humana mente ſydera regebat: ex qua quidem re Cicero, loco nunc indicato, argumentum pro humani animi immortalitate, diuinitateq; his omninò concluſit: *Quod ſi hoc in mundo fieri ſine Deo non poteſt, ne in ſphæra quidem eoſdem motus Archimedes ſine diuino ingenio potuiſſet imitari.*

In quam quidem Archimedis ſphæram, extat elegans Claudiani epigram. quod nec me hic apponere, nec te legiſſe forſan pigebit.

Iuppiter in paruo cum cerneret æthera vitro,
Riſit, & ad ſuperos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumq; fidem, legeſq; Deorum,
Ecce ſyracuſius tranſtulit arte ſenex.
Incluſus varijs famulatur ſpiritus aſtris,
Et viuum certis motibus vrget opus.
Percurrit proprium mentitus ſignifer annum,
Et ſimulata nouo Cynthia menſe redit.
Iamq; ſuum voluens audax induſtria mundum,
Gaudet, & humana ſydera mente regit.
Quid falſo inſontem tonitru Salmonea miror?
Æmula Naturæ parua reperta manus.

Veiùm finis ſit in ic propemodum infinita. Ex his, quę hucuuſq, de quatuor virtutibus docui, (idem ipſe in cæteris perpende) animorum æternitas liquidò (aut ego fallor) apparet; attamen quò id ipſum teſtatius confirmatiuſq; prodeat, ex alijs eiuſdem argumenti capitibus, quæ hic ſequitur, ſectio comprobabit.

SECTIO III.

Adhuc ex morali fonte pro eadem animorum perennitate alia argumenta.

1. PRincipio, ex abdito quodā metu, *& duro verbere* conſcientię. Nam ita alto quodā Naturę pſephiſmate decretum eſt, vt qui fœdū aliquod facinus perpetrauit, quamuis a nemine accuſatione petatur, occultis tamen neſcio quibus conſcientiæ ſtimulis, ita diſtorqueatur vt non ſolum ob humanarum legum, forique timorem, ſed interius [illegible] mētem aſſiduò flagellante, omnia dura ac dira & apprehendat, & metuat: quia nimirum vt Iuuenalis ſatyr. 13. ſenſatè ait: *prima eſt hæc vltio, quod ſe*

Iudice nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.

Nec iudex modo, ſed etiam accuſatrix: nā vel ex Perſio ſatyr. 6

Stat contra ratio, & ſecretam garrit in aurem.
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.

Ipſa eadem graue pondus, & contra ſceleratam mentem, vt veteri effato dicitur, mille teſtes: vnde difficile quoque fit, crimen non prodere

prodere vultu, quia.

Conſcia mens vt cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro facto ſpemq; metumq; ſuo.

Tanta in vtramque partem eſt conſcientiæ vis, vt neque timeant, qui nihil commiſerint, & qui peccauerunt, ſemper ante oculos pœnam verſari putent, & quidē longè ſæuam: μᾶ κακὰ μείζω πάσχει διὰ τοῦ συνειδότος ὁ ἀδικῶν βασανιζόμενος, ἢ ὁ τῷ σώματι, καὶ ταῖς πληγαῖς μαστιγούμενος, inquit Pythagoras. id eſt, *maiora mala patitur vir iniquus, conſcientia afflictus, quàm ille, qui in corpore caſtigatur, & flagris cæditur.*

Quæ omnia ecquid aliud ſunt, quàm adumbrata quædam futurorum ſuppliciorum præſagia? ineſt quippe humanæ menti quædam diuinitus incluſa præſenſio; præſagit, præuidetque, nullum malum impunitū fore: ideòq; hic mæret, metuit, torquetur, cruciatur. Quod ſi hanc naturæ inclinationem, intimumq; inſitum, nemo, niſi impensè fatuus, vanum & inanem eſſe affirmauerit, (qui tamen inanis affatim eſſet, ſi anima vnà cum homine interiret, nec quicquam eius poſt fata remaneret) omninò fateare neceſſe eſt, naturam ipſam de immortalitate animorum tacitam iudicare, quod anima cū corpore non extinguitur, ſed in aliū locum tranſlata ἀθρόα πάντ᾽ ἀποτείσει.

Quod ſi quiſquam eſt, quem patratorum ſcelerum conſcientia non angit, is porrò inter pecudes potius, quàm homines annumerandus eſt. Quid? familiare & verum præceptum Doctoribus noſtris increbuit, quæuis vitia cōtra naturam hominis, qua homo eſt, ſiſtere: pro qua quidem re, hanc attulit rationem S. Thomas in prima ſecundæ quæſt. 71. art. 2. *Conſiderandum*, inquit, *eſt, quod natura vnius cuiuſque rei potiſſimè eſt forma, ſecundum quam res ſpeciem ſortitur: Homo autem in ſpecie conſtituitur per animam rationalem; & ideò id, quod eſt contra ordinem rationis, propriè eſt contra naturam hominis, in quantum eſt homo. Quod autē eſt ſecundum rationē, eſt ſecundū naturā hominis, in quantum eſt homo. Bonū autē hominis eſt, ſecundū rationem eſſe; & malū hominis eſt præter rationem eſſe. Vnde virtus humana, quæ hominem facit bonum, & opus ipſius bonum reddit, in tantum eſt ſecundum naturam hominis, in quantum conuenit rationi: vitium autem in tantum eſt contra naturam hominis, in quantum eſt contra ordinem rationis.* Qui verò fieri poteſt, vt quemquam illius rei haud pœniteat, quæ contra eius ipſius naturam eſt? quocirca qui nulla commiſſi ſceleris pœnitentia tangitur, is omnem humanitatem exuere videtur.

2 Ex eo, quod nobis curæ ſunt, & maximæ quidem, quæ poſt mortem futura ſint. Quid enim eſt, quod homo tā inexplebili poſteritatis ſtudio vritur, ſi nullus illi poſt extremum diem, rerum geſtarum ſenſus ineſt? Serit agricola, vt Statius apud Cicer. loquitur, diligēter arbores, quæ alteri ſæculo proſint, & quarum aſpiciet baccam ipſe nunquam: Ille legibus, ſanctiſq; inſtitutis Rempub. poſt ſe victuram conſtituit: hic duris & grauibus terra mariq; exantlatis laboribus, ſui monimenta credit futuris temporibus: Alius honeſtioribus rebus intendens animum, *inuidia, vel amore vigil torquetur*, æternitatem docendo; Et quidem res eòuſque abijt, vt magna quędam ingenia, quaſi non magni ducant, dum inter homines agunt, laudari, modò vita defuncti cumulatiori gloria augeantur. Hinc ille,

Vos tamen o noſtri non feſtinate libelli;
Si poſt fata venit gloria, non propero.

Ecquid aliud inſito hoc deſiderio, & naturæ voce clamatur, niſi etiam poſtera ſæcula ad nos pertinere? Quæ quidem occulta ratio, adeò in feris quoq; & incultis pectoribus inſedit, vt barbara quædam miracula ad hoc ipſum ediderit. Huc enim ſpectant Ægyptiæ pyramides, huc Mauſolæa, huc obeliſci, huc magnificarū ciuitatum, ædiumq; ſtructuræ. *Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid teſtamentorū diligentia, quid ipſa ſepulchrorum monumenta, quid elogia ſignificant, niſi nos futura etiam cogitare?* inquit, Tullius Tuſc. 1. Qua de re audiendus eſt nobis diuinus Plato Epiſt. 2. vbi hæc omninò leguntur. *Cura habenda eſt temporis ſubſequentis: fit enim natura quadam, vt ignauiſſimi homines nihil curent quæ ſit de ipſis futura opinio: probatiſſimi autem viri cuncta faciant, quò in futuris ſæculis benè inter homines audiant. Quam ego coniecturam facio, eſſe aliquem ſenſum ijs, qui mortui ſunt, rerum noſtrarum.* Rectè ac diuinè Philoſophorum optime conijcis: nam ſecus amens quiſq. eſſet, qui, cum liceat iucundiſſimè huius ſæcularis vitæ frui voluptatibus, malit acerbitate laborum, qui naturam diſſoluunt maximè, macerari, cruciari, emori; ex quo nihil amplius aſſequatur, quo poſſit voluptas amiſſa penſari.

3. Huic affine eſt, quod tibi ſuggerit cura & diligentia, quæ vbiuis gentium, atque in omni memoria ſæculorum, defunctis impēſa eſt. Atque ego quidem venerabundus hic

ſileo, quæ in Eccleſia Dei, piè ac veraciter perpetuo fieri conſuerunt; quæ vel magnus ille ex Areopago Dionyſius, quo nobis extra ſacræ paginæ monimenta, nihil antiquius, in lib. de Eccleſ. Hier. cap. 7. abundè, eleganterque proſequitur. Ethnicos, magna diligẽtia perſoluiſſe ſuis mortuis iuſta & anniuerſaria, nemo neſcit, modò vel è longinquo ſalutauerit vetuſtatem.

Apud Romanos, nota ſunt februa, & feralia, menſe Februario agi ſolita; qui infero quoque Deo Februo, (idem eſt atque Pluto) ſacra erat: in quibus præter Ciuitatum luſtrationes, populus vniuerſus, acceſis circa ſepulchra facibus, cereiſq; & epulis ad ea ipſa congeſtis, tum diuerſis piaculis, ac ſacrificijs, dies aliquot conſumebat pro impetranda defunctorum manibus quiete. Pro qua quidem re adeundus eſt Plutarchus in quæſt. Roman. problemate 19. & 34. Athenæus lib. 9. Dipnoſoph. cap. 27. Goropius Becanus lib 4. originum, vbi omnium rituũ in his ſacris obſeruatorum cauſas, diligenter inquirit, & explicat. Alex. ab Alex. lib. Dier. gen. 3. cap. 7. & 12. Ioan. Roſinus lib. 4. Roman. antiqui c. 6. Macrobius lib. Saturn. l. 1. cap. 13. Feſtus, Dionyſius, & alij rerum Romanarum ſcriptores, Ouidius hæc ſacra his omninò expreſſit.

Eſt honor & tumulis, animas placare paternas,
Paruaq; in extructas munera ferre pyras
Parua petunt manes: pietas pro diuite grata eſt
Munere, non auidos Styx habet ima Deos.
Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis,
Et ſparſæ fruges paruaq; mica ſalis,
Inque mero mollita Ceres; violeq; ſolutæ
Hæc habeat medias ſtarelicta via.
Nec maiora veto, ſed & his placabilis vmbra eſt,
Adde preces poſitis, & ſua verba focis.

Quorum ſacrorum originem, ab Aenea deducit; quem legimus apud Maronem Aeneid. 5. huiuſcemodi parentalia, perſoluiſſe, quæ planè diuinus poeta ſub oculis poſuit, dum incipit.

Dardanidæ magni genus alto à ſanguine diuum,
Annuus exactis, &c.

Hinc etiam cœnæ ferales, ſepulchrales, nouendiales; de quibus Seruius in illa Virgilij verba.

Præterea ſi nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, &c.

Et Lambinus in Horat. od. 17. epod. Perſius planè ſatyricè, Satyr. 6.

ſed cœnam funeris hæres
Negliget iratus, quod rem curtaueris: vrna
Oſſa inodora dabit &c.

Verùm de Latinis verbum nõ amplius addam; quemadmodum nec de barbaris. Græcos audi. Oratorũ anteſignanus, in oratione contra Macortatum hæc habet. *σόλων ἐν τοῖς νόμοις, καὶ θεὸς ἐν τῇ μαντείᾳ κελεύει, τοῖς κατοιχομένοις ποιεῖν τοὺς προσήκοντας ἐναγίσματα ἐν ταῖς καθηκούσαις ἡμέραις. Solon in legibus, & Deus in oraculo mãdat, vt cognati & affines mortuis inferias ſtatis diebus exhibeant.* Plato diolog. 4. de legib. *τάς τε αὖ κατ' ἐνιαυτὸν τῶν ἤδη τέλος ἐχόντων, ὡσαύτως ἐπιμελείας, τὰς κόσμον φερούσας, ἀποδιδόναι.* nempe. *Annuas quoq; curas defunctorum, quæ ornamentum afferunt, inſtaurare decet.* Ante omnes Homerus, Odyſſe γ vbi meminit etiam Cœnæ ſepulchralis, ab Oreſte Argiuis exhibitæ.

Porrò, ſi vnà cum corpore animæ interirent, cura hæc omnis ſuperuacanea foret; & omnium, qui vbiq; ſunt, conſenſus, qui ſanè naturæ quædam vox eſt, in tetra erroris caligine verſaretur, quæ tamen affirmare non decet.

4. Nec prætereundum eſt argumentum ex hominis forma, & ſtatura; quod quia Lactantius planè lactè proſecutus eſt lib. 7. diuin. Inſt. cap. 9. id eius verbis hic audi. *Solus homo ex omnibus cæleſte ac diuinum animal eſt, cuius corpus ab humo excitatum, vultus ſublimis, ſtatus erectus originem ſuam quærit, & quaſi contempta humilitate terræ, ad altum nititur; quia ſentit ſummũ bonum in ſummo ſibi eſſe quærendum memorq; conditionis ſuæ, qua Deus illum fecit eximium ad artificem ſuum ſpectat: quam ſpectationẽ Triſmegiſtus θεωρίαν rectiſſimè nominauit, quæ in mutis animalibus nulla eſt.* Rectè huc referri poteſt illud Ouid. Metam. 1.

Sanctius his animal, mentiſq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet
Natus homo eſt.

Et paucis interiectis.

Pronaq; cum ſpectent animantia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumq; videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Vnde nobis homo nuncupatur ἄνθρωπος, quaſi ἀνωρέπων, nempe, ſurſum repens: quòd vt ille ait, veluti φυτὸν οὐκ ἔγγειον, ἀλλ' οὐράνιον, *planta non terreſtris, ſed cœleſtis*, & inuerſa capite cælum petat, capillis ceu radicibus & fibris ſurſum affixa: Quanquam diuino Platoni in

Digitized by Google

Cratylo ἄνθρωπος ſit, *quaſi ἀναθρῶν contemplans, quę ὄπωπε, ideſt, vidit.* quia cætera quidem animalia, quę vident, non conſiderant, neque animaduertunt, neque contemplantur: homo verò & videt ſimul, & contemplatur, animaduertitq́; quod videt. Quò etiam accedit rationis interpres oratio, peculiare hominis ornamentum; cuius cætera animantia expertia ſunt: Quæ duo, erecta figura, ac ſermo, cum in nullum vnquam brutorum animantium cadant, profectò in homine à nobiliori aliqua, & præſtantiori natura, oriantur neceſſe eſt, quàm ſit mortalis omnium animalium: ac proinde humanam animam par eſt concludere eſſe immortalem.

Scio Galenum, ita erectam hominis figurā interpretari, vt aſſerat, eum rectum incedere ac ſedere, non ob rationem ſuperius dictam, ſed quòd hic inrer omnia animalia ſolus manu laborare poſſit. Excipe Galeni verba ex lib.3. de vſu partium cap.3. *Opinari autem ob id rectè ſtare hominem, vt ad cęlum promptè ſuſpiciat, & dicere poſſit; Reſpicio aduerſus Olympum fronte intrepida, hominum eſt, qui nunquam viderunt piſcem grecè dictum, οὐρανοσκόπον, id eſt, cęli ſpeculatorem. Hic namque vel inuitus, cęlum ſemper aſpicit. Homo autem niſi collum reflexerit retrorſum, cælum nunquam viderit. hic verò refractus non ſolum ineſt huic animali, ſed nihilominus & aſinis: vt omittam aues longum collum habentes, quibus non ſolum facile eſt ſurſum ſi voluerint aſpicere, ſed quoquo verſum etiam circumferre promptè oculos, &c.*

Sed hæc immeritò, nam cætera animalia, quamuis caput in cęlum attollant, toto nihilominus corpore procumbū in humum; ideòque vel ſerpunt, vel ambulant, prona terram ſpectantia: hominis corpus totum rectum eſt, & ſublime ſpectat, idque ſolius eſt hominis. Illa, ni collum reflectant, nunquam aſpiciunt cęlum: hic verò, quanquam ex perpendiculo, vt cęlū intueatur, eleuet caput neceſsè eſt, commodè tamen magnam cęlorum partem ſpectat, citra huiuſmodi reflexum. Q́d enimè ſi quiſquam in ampla, & æquata agri planicie ſit, num cęlum ex omni parte apertum ac patens non intuetur? Sed hic nō te pluribus morot: nec is equidem ſum, qui ex humani corporis rectitudine pro animarum æternitate inuitabile contendam argumentum:

5. Dantur in rerum narura formæ aliquæ, ita ab omni materie abiunctæ, vt nec quo ad eſſentiam, nec quo ad operandi modum ab ea dependeant: cuiuſmodi ſunt, intelligentiæ, danțur aliæ penitus materiei immerſæ; quarum natura, & operatio intimè eſt materiæ conſociata: talis eſt vegetans, & ſentiens forma: dari itaq; etiam debet forma aliqua, quæ veluti in medio ſita: hinc quidem ſecundum eſſentiam, quæ abſq́; materiæ ope, & adminiculo cohærere poſſit, cum ſubſtantijs à materia ſegregatis conueniat; hinc verò ex accidenti & ſecundum modum in materia exiſtendi, vegetatrici, & ſentienti formis accōmodetur: vt homo ipſe, materialis quidem ſecundum corpus, immaterialis ſecundum animam, ſit veluti confinium, & nexus vtriuſque extremi: ita nempè naturæ ordinatio eſt, vt nunquam ab vno ad alterum extremum tranſeat, niſi per media: immò ita gradatim, & ſenſim, vt ipſa continuatione, lateat eorum confinium, & medium vtriuſnam ſit extremi: vt dicebat Ariſt. 8. de hiſt. animal. cap. 1. Hac quoque de cauſa, Veteres illi ſapientes hominem, *Horizontē vniuerſi* vocarunt; quod cum Vniuerſum duab. naturis ſpiritali, & corporea, ceu duob. hemiſphęrijs concludatur, homo naturam ſpiritalem, quaſi hemiſphęrium ſuperius, corpoream, quaſi inferius contineat, particeps vtriuſq; extremi: & eſt naturæ intelligibilis, corporeæq; nexus: quare &c.

Hoc addo, ſi animę immortalitas vera eſt, (vt vero verior eſt) magni refert, tum eam cognouiſſe, tum animam ad tam grande bonum præparaſſe: Sin autem falſa eſſet, profectò ex huiuſmodi opinione, eiuſue errore, nihil mali poſt fata ſequitur. Et præſens vita longè optimè ducitur: cum oppoſita cenſio omnia ſuſque, deque agat. Et, vt Plutarch. in lib. de ſera Numin. vindict. ait, qui animos perimūt, perinde cōmunem hominum ſocietatem deſtruūt, atque Hercules, qui auferendo tripodem ex Pythia, penitus deſtruxit oraculum: hæc pro anteriori parte Diſputationis, ex morali Philoſ. nunc vetuſtatem conſulamus, ſit ergo.

SECTIO QVARTA.

Oſtēditur, ab exordio mūdi ad hanc vſq; ætatē, fuiſſe receptā, omniumq; gentiū conſenſu firmatam, & quaſi per manus poſteritati traditam, opinionem, quæ hominum animos facit immortales: Ac primò quidem ex Hebrais, & Veter. teſtamen. monimentis.

QVOD communi hominum exiſtimatione, cunctarumq; gentium conſenſio firmatum eſt, id inane, ac falſum nō eſt. Singuli decipere, ac decipi poſſunt, nemo omnes, neminem omnes fefelleriſt. *Nec enim,* inquit Aphrodiſæus, in libello de fato ad Imperatores cap. 1. *vana, aut omninò à verò aberrans eſt, communis hominum natura, ſecundum quam de aliquibus inter ſe ſe aſſentiunt.* Hinc illud, *omni autē in re, conſenſio omniū gentiū lex naturæ putāda eſt.* Atqui non eundem eſſe animæ, & corporis extremum diem, ſed animam nexu corporis abſolutam, durare ſuperſtitem, commnnis hominum cenſio fuit, vel ab ipſis mundi incunabulis ad hanc vſque diem perducta: ita vt, & ante legem ſcriptam, & dein à Moſe, ceu per manus ad Hebræos tradita, ab his ad Aegyptios, & Chaldæos, inde ad Græcos; à quibus poſtea, vt & omnes aliæ facultates, ac diſciplinæ ad omnes gētes, nationeſq; peruagata ſit. Quod vt perſpicias, ſic animo mecum expatiare.

1. Atque vt rem, ab vltimis repetam, ſi Hebraicæ vetuſtatis proſpicias rudera, nullum extat antiquius litterarum monimentum, quā Moſis opera. Nam Moſes non modo omnibus mundi legumlatoribus vetuſtior fuit, vt auctor eſt Ioſephus lib. 2. contra Apionem; & Euſebius lib. 10. præpar. Euang. cap. 3. & Clemens Alexand. lib. 1. ſtromatum; ſed præluxit etiam omnibus poetis, vt ijdem ſunt auctores tum etiam Gilbertus, Genebrandus in Chronograph. ad ann. mundi 2670. & Auguſt. Torniellus in Sacris annalibus, ſub ann. mundi 2583. Hinc Pererius in præfatione commentariorum ſuorum in Geneſim, & in cap. 2. Exodi, Diſputatione 3. pluribus probat Moſem, ita Ariſtotele, Platone, Socrate, Hippocrate, Democrito, Anaxagora, Pythagora, Homero, Muſæo, Orpheo, Lino, alijſquè, vel Theologicæ, vel Philoſophicæ, vel Aſtrologicæ, vel Poeticæ, vel Oratoriæ, vel Medicæ facultatis laude, inter Priſcos maximè celebratis, multò fuiſſe antiquiorem, vt omninò, quorum nunc extant ſcripta, vel quotum nomen in Gentilium ſcriptis proditum ſit; hic primus habeatur Theologus, Philoſophus, Poeta, Hiſtoricus. Immò Ioſephus in proœmio librorum Antiq. ipſum Moſem, ante omnes Græciæ deos, eorumque ætates extitiſſe ait, quamuis Torniellus ad ann. mundi 2092. id probari non poſſe, probare contendat. Omninò videndus eſt Clem. Alex. libro, quem dixi. Porrò quamuis apud Aegyptios, & Chaldæos, quædam doctrinæ, ſcintilla præluxerit, qua etiam Moſem eruditum accepimus, ea tamen, illiterata illa Vetuſtatis longinquitate, & exilitate ſua extincta eſt.

2. De Iobi hiſtoria, gemina eſt auctorum opinio; ſunt qui volunt, eam ab ipſo Iob, eiuſuè amicis ſyriaco prius ſermone fuiſſe conſcriptam, poſtea verò à Moſe (floruit hic aliquot annis poſt Iob.) hebraico ſermone donatam, ſic inter alios Origen. lib. 1. in Iob cap. 60. qua de re, adi Giſbertum Geneb. ſub anno mundi 2239. Alij arbitrati ſunt, Iobi hiſtoriam ab ipſo Moſe, primò fuiſſe litteris conſignatam; tum, cum eſſet in terra Madian, vt Hebræis, tam longa, grauiq; ſeruitute contritis, mærorem leuaret, confirmaretque inſigni exemplo patientię Iobi, quem dein eximia fęlicitas ſubſecuta eſt. Ita inter alios conijcit Pererius ſuper Exod. cap. 3. Malūt alij, Moſem hanc Iobi hiſtoriam conſcripſiſſe, cum populum Iudaicum per Auſtralis Idumeæ fines traduceret, vt tanti viri, Iob, recens extincti fama, populum recrearet. Vt vt res habet; illud nos, cuius gratia iſthæc commemorauimus, perpendamus; quàm ſplendidè in his, tam vetuſtis operibus, animorum perennitas contineatur.

Et quidem in libris Iob innumera ſunt, eaq; præclara, quæ ſua luce, lippis etiam, atq; caliginantibus præeant: omnia in præſens cōgerere non eſt animus. Vnum, aut alterum habe. cap. 21. *Ducunt in bonis dies ſuas, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

At ne quiſpiam inferorum nomine ſepulchrum intelligat, vt cęperunt Hebręorum nōnulli, annectitur ſingulari numero de quouis impio, *ad ſepulchra ducetur, & in congerie mor-*

tuorum

Digitized by Google

tuorum vigilabit. Quid ita? quia tametſi corpus ſepulchro condatur, nihilominus anima, quia morte caret, vigilabit, & punietur. Idem exprimit in capite 3. dum conqueritur, cur non paruulus e vita deceſſerit, *& ex genibus exceptus, & lactatus vberibus? Nunc enim dormiens* (ſcilicet per mortem) *ſilerem, & ſomno meo requieſcerem, cum Regibus, & conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines, aut cum principibus &c.*

Quid verò luculentius illo? cap. 19. *quis mihi det, vt exarentur in libro, ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice? ſcio enim quod redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſus circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum*. quo quidem oraculo, non modo animorum immortalitas, ſed futura etiam corporum reſurrectio ſplendidè, ac mirificè commonſtratur.

2. Iam verò ſi per alia Moſis opera expatiare, extemplo tibi, vel in ipſo Geneſ. limine, hominem ad immortalis Dei imaginem effectum reperies: qui cum ſecundum corpus an Deo ſimilis, an immortalis eſſe nequeat, erit ſecundum animam. Et in cap. 2. *formauit ergo Deus hominem de limo terræ, & ſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, ſeu *vitarum*, ſuper quæ verba, omnino adeundus eſt Baſilius Magn. Homil. 3. in Hexi. Nec omiſerim id, quod Rabi Simeon ad ea Geneſ. verba, *formauit Deus hominem &c.* animaduertit: vbi, vaijatzer Iehouah, formauit Deus, ſcribitur geminato Iod. Cùm verò cæterorum animantium rationis expertium adijcitur creatio, *Et formauit Dominus omne viuens de terra*; vaiarzer, *formauit*, effertur vnico Iod; vt indicetur, homini quidem in eius creatione geminam vitam fuiſſe datam, reliquis animalibus vnam, quam hic trahunt. Item Geneſ. 37. *deſcendam*, inquit Iacob *ad filium meum lugens in infernum*. Vbi; etſi aliqui ex Hebræis deſcenſum corporis ad ſepulchrum intelligunt plures nihilominus SS. PP. deſcenſum animæ, ad inferos interpretantur, nec immeritò: nam ſepulchrum nullum erat, vbi conditus eſſet Ioſeph, exiſtimatione partis, qui eum à fera dilaceratum, deuoratumq. rebatur.

3. Huc apprimè faciunt ſparſæ illæ in Moſaicis voluminibus hebraicæ phraſes (dum quempiam ſupremum obijſſe diem ſignificant) ire ad patres ſuos, congregari, ſeu apponi, aut colligi, & iungi ad populum ſuum, idque genus aliæ: vt Geneſ. cap. 25. & c. 35. & 49. Quæ quidem tametſi, vt hebraicæ linguæ periti norunt, idem propemodum polleant, ac ſi latinè dicas, deceſſit, vita functus eſt, naturæ ſatisfecit; nihilominus, illud quoque fatendum eſt, hanc hebraicæ linguæ proprietatem, ita diuino afflatu inſtitutam fuiſſe, vt, non modo verbalem, quod aiunt, intellectum, rudibus hominibus eleganter aperirent, ſed abdita quoq. & arcana quædam ſubindicarent; vt meritò ex præfatis dicendi modis, colligat animorum immortalitatem Caietanus ſuper Geneſ. cap. 25. & Theodoretus quæſt. 109. in Geneſ. Et Pererius ſuper Geneſ. cap. 19. & 25. addit, indicari quoque modum exiſtēdi animarum poſt hanc vitam; nimirum eas non ab inuicem ſeiunctas, & quaſi ſolitarias manere, ſed in modum cuiuſdam populi, ſocialem, inter ſui ſimiles, vitam agere.

4. Eodem pacto, dum in his ipſis ſacris voluminibus, eorum mentio fit, qui de caduca hac vita migrarunt: obdormiuiſſe cum patribus dicuntur, vt 2. Reg. cap. 7. *& cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te*. Et 3. Reg. cap. 11. & ca. 14. & cap. 15. Et 4. Reg. cap. 24. Et 2. Paralip. cap. 9. Et Iob cap. 2. & cap. 20. Et Daniel. 12. Et Pſal. 4. Dauid de ſua morte ait, *in pace in idipſum, dormiam, & requieſcam*.

5. Eandem animorum æternitatem conteſtatur priſca illa, & communis apud Hebræos dicendi formula, qua perpetuo Epitaphia mortuorum, ſepulchris inciſa claudebant: nempe, *ſit anima eius in horto voluptatis*, Vel, *ſit anima eius ligata in faſciculo vitæ*. Quid? apud illos celebrabantur. Doctores Eſſei, quorum præcipua opera in prædicanda animorum immortalitate occupabatur, vt ſcribit Cæl. Rhodig. lib. 3. c. 9. quam quidem cōſtanter etiā aſſeuerabat Phariſæorum grex, quamuis in tetrum tranſanimationis errorem dilaberetur, auctore Ioſepho lib. 2. de bello Iud. cap. 7. & lib. 18. Antiq. ca. 2. & Philone Iudæo lib. *quod omnes ſapientes, liberi ſunt*. qui etiam animorum perennitatem ex induſtria probat lib. *de præmijs, & pænis*: & lib. *de profugis*.

6. Vis adhuc per alia cæleſtis ſapientiæ monimenta expatiari? omnium primùm audi quàm pia plectra mouet Regius Pſaltes; Pſal. 24. hęc habet, *Anima eius in bonis demorabitur, & ſemen eius hæreditabit terram*. In quibus bonis? an quę ſperabas, Pſal. 26. *credo videre bona Domini, in terra* (nempè in Cęlo) *viuentium*, quam iuſti ęternùm inhabitabunt, vt Pſal. 36. aſſeritur,

tur, *Iuſti hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſæculum ſæculi*. Et Pſal. 12. *Anima mea ipſi viuet*. Et Pſal. 83. *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſæculorum laudabunt te*. Tum Pſal. 33. *Iuſti in perpetuum viuent, & apud Dominum merces eorum*. Quæ de hac vita capi nequeunt. Quis enim in hac ſpinoſa, & anguſtis terminis circumſcripta vita, an beatus eſſe, an in perpetuum poſſit laudare Deum? vt in præfatis verbis aſſeritur, Futuram vitam, in qua noſtra beatitas eſt, ardenter expetebat idem ſ. vir, dum Pſal. 41. *ſitiuit*, inquit, *anima mea, ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Domini*. Quid plura? Pſal. 141. & animam, poſt animalis interitum, fore ſuperſtitem, & corpus cęteri animę carcerem, & futuræ vitæ fructum, ac remunerationem plenè ac planè teſtatur, his omninò. *Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iuſti, donec retribuas mihi*.

7. Accedit Eccleſiaſtes, qui cap. 12. *Reuertatur*, inquit, *puluis in terram ſuam vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*.

8. Quid Sapientiæ auctor? in cap. 3. hæc protulit, *Iuſtorum animę in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio, exitus illorum, &c. illi autem ſunt in pace: & ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt*. Idipſum multis proſequitur cap. 5. & alibi.

9. Ieſaias, ὁ τῶν προφητῶν μεγαλοφωνότατος, animas corporibus egreſſas, manere ſuperſtites planè conteſtatus eſt, dum pœnas quoq. quibus improborum animæ apud inferos torqueantur, his verbis expreſſit cap. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Quod repetit ca. 66. *Vermis illorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*.

10. Audi quid per Ezechielem cap. 3. ipſe animarum conditor aſſeueret, *Hæc dicit Dominus Deus, violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmentum panis, vt interficerent animas, quę non moriuntur*. audin'? quæ non moriuntur.

11. Eſdræ lib. 3. cap. 7. animæ nexu corporum abſolutæ, dicuntur aſſeruari, & in extremo iudicij die ex quodam loco veluti ex penu & promptuario reddi, corporibus, e puluere excitatis. *Et erit poſt dies ſeptem* (id eſt, poſt ſex annorum millia, vt non nemo ex Helię oraculo contendit) *excitabitur quod nondum vigilat ſæculum, & morietur corruptum, & terra reddet, quæ in ea dormiunt, & puluis qui in eo ſilentio habitat, & promptuaria reddent, quæ in eis commendata ſunt animæ, & reuelabitur Altiſſimus ſuper ſedem iudicij &c.*

12. Tobias, iam extrema ſpirans, ita filium alloquitur: *Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quaſi fundamentum conſtrue. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli &c.* porrò quid eſt animam accipi à Deo, niſi illi reddi, a quo nobis eſt credita? Et paullo poſt, *Eleemoſyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*. quod etiam cap. 2. & alibi adijcit.

13. Huc etiam facit viuida illa Heliæ deprecatio, qui lib. Reg. 3. cap. 17. ſuſcitaturus hoſpitis ſuæ filium, ſemet expandit ſuper eũ, atq; menſus eſt tribus vicibus, dixitq; *Domine Deus meus, reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius. Et exaudiuit Dominus vocem Heliæ, & reuerſa eſt anima pueri intra eũ, & reuixit*. Qui verò ad corpus reuerti poſſet anima, niſi ab eo incolumis abfuiſſet, & alibi viueus, uidenſq; moraretur?

14. Quid referam bracteatum illud Danielis effatum? cap. 12. *Et in tempore illo ſaluabitur populus tuus: omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro; & multi de his qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt; alij in vitam æternam, alij in opprobrium vt videant ſemper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitię erudiunt multos, quaſi ſtellę in perpetuas æternitates*.

15. Quid præclaram Eleazari, ſeptemque fratrum, cum fælici illa, omniq; æuo memoranda matre, pro lege Dei trucidatorum, confeſſionem? quorum vnus dum ſupplicijs frangebatur, infracto animo ſic inſurgit. *Tu quidem ò Tyranne ſceleſtiſſime, in præſenti vita nos perdis: Sed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus, in æterna vita reſurrectione ſuſcitabit*. Id ipſũ poſtea reliqui cum matre, coram Antiocho contra eos ſæuiente augustè profeſſi ſunt.

16. Sileo, quod PP. antiquæ legis, caducam hanc vitam haud illepidè peregrinationem exiſtimarint, ſeq. hic commorari tanquam hoſpites, aduenaſq. *nam cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ*, inquit Regius pſaltes Pſal. 118. nempe, *quamdiu hic viuimus, peregrinamur a Domino*. Sileo locum illum, in quo PP. iuſtorumq; animas detentas,

noſtri Redemptoris aduentum expectare, communi confeſſione aſſeuerabant: cuius mẽtio cùm ſæpe alibi fit, tùm Pſal. 27. & 87. Hinc apud Zachariam cap. 4. de Chriſto venturo legimus. *En quoq; in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.*

Sileo innumera alia huius generis: qui. n. in eo cõprobando ſeduliorem impẽdit operam, quod vſquequaq. apertum, ac in propatulo eſt, ſicuti in Veter. teſtam. animorum perennitas, vereri videtur, ne quiſquam illud an neget, an in dubium reuocet: Quemadmodum etiam haud morabor in ea ipſa animi æternitate ex Nou. teſtam. Conciliorum, & SS. PP. auctoritatibus confirmanda: quod tamen abundè præſtitit Petrus Gregor. Toloſan. lib. 1. de immortal. Anim, cap. 6. 7. & 8.

Erit tamẽ; qui cõtra hæc opponat, teſtimonium Eccleſiaſtæ cap. 3. vbi animi quaſi capite damnati, morte mulctari vidẽtur, his omninò verbis. *Vnus eſt iumentorum, & hominum interitus, & æqua vtriuſq; conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius: cuncta ſubiacẽt vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum; de terra facta ſunt, & in terram pariter reuertuntur. Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſpiritus iumentorum deſcendat deorsũ? &c.* Quid? animæ aperta plectuntur morte. Pſal. 77. *Viam fecit ſemitę irę ſuę, non pepercit a morte animarum eorum* Et Ioſue cap. 2. *Vt eruatis animas noſtras a morte.* Et Exod. cap. 1. dicuntur ex fæmore, ac ſeminis propagatione produci, *omnes animæ, quę egreſſę ſunt de fęmore Iacob; animę ſeptuaginta.* quod repetitur Leuitic. cap. 2.

Verùm hic nihil eſt, quod quiſquam de animorum æternitate dubitet: & qui hoc dubitat, haud ſanè intelligo, cur non idem, Sol ſit, an nullus ſit, dubitare poſſit. Verumenimuerò Salomon loco adducto, non ex ſententia, ſed ex improborum partibus loquitur; qui turpibus volupatum illecebris irretiti, verba illa effutiunt, vt ſublata pænarum formidine, liberioribus habenis, quaſi impugnè in omnẽ voluptatem, ac turpitudinem ruant: Hi quidem aſſimilati ſunt beſtijs, de quibus ibi ſermo: Iacet enim, *Dixi in corde meo de filijs hominum, vt probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtijs; Iccircò vnus interitus &c.* Et quo vnquã pacto Eccleſiaſtes capitali illa ſententia damnaſſet animam, qui vel paulo ſuperius, ita luculenter profeſſus eſt, eam poſt hominis interitum ſupereſſe, vt quæ in hac vita patratorũ ſcelerum pænas non lueret, eam alibi iudicio, ſupplicioque plectendam? Quid? non ne ca. 12. modo non clamat, *Reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat: & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum?*

Reliqua ſacrarum litterarum loca, *συνεκδοχικῶς* capiuntur, nempe pars pro toto, & anima, pro eo, quod anima præditum eſt. Quo quidem intellectu legimus Exod. 4. *Mortui ſunt, qui quęrebant animam tuam.* hoc eſt te. Et Numer. 15. *Anima quę per ſuperbiam aliquid cõmiſerit, peribit de populo.* Et, Matth. 2. *Mortui, ſunt, qui quęrebant animam pueri.* Et Genes 12. *Detulit Abraham omnes animas, quas fecerat in Aran.* Et cap. 14. *Rex Sodomorum dixit ad Abraham. Da mihi animas, cętera tolle tibi,* quæ verba ſeptuaginta tranſtulerũt, *Da mihi homines.* De qua re adeundus eſt D. Gregor. lib. Moral. 5. cap. 9. & homil. 25. in Euangel. necnon Auguſt. Epiſt. 157. & S. Thomas in prima parte quæſt. 118. art. 2. nec ego hic plura, quanquã innumera in manu habeã. Ex his, quæ adhuc adduxi, luce clarius eſt id, quod initio Sect. propoſui: me nunc alia vocant, ſit ergo.

SECTIO QVINTA.

Comprobatio eiuſdem immortalitatis, ex Chaldæis Ægyptijs, Magis: tùm ex Sibyllarum, Veterumq; Deorum oraculis.

INgredere nunc mecum Chaldeorum, Ægyptiorumq; adyta quorum decantata ſapientia, cùm vetuſtate veneranda, tùm ſedula ſecretarum rerum indagatione illuſtris, ſic olim in orbem pænè vniuerſum increbuerat, vt ad ſui admirationem, non modo Græcorũ plurimos, ſed Moſem ipſum pellexerit. Chaldæos verò humanam animam immortalitate donaſſe, quinimo omnium mortalium primos id docuiſſe, (nos ſcimus ante hoſce id docuiſſe Hebræos) tradidit Pauſanias lib. 4. in Meſſenijs, vbi hæc legimus. *Enimuerò primos omnium Chaldæos, & Indorum Magos, memoria prodidiſſe noui, animos hominum eſſe immortales: Aſſenſi deinde ſunt eis tùm alij Græcorum, tùm Ariſtonis filius Plato.*

Tu verò ex multis Chaldæorum, potiſſimeq;

Zo-

Zoroaſtri oraculis, quæ in Platonicorum voluminib. legimus, & collegit Cæſar Longinus lib. de Elogijs, ſiue oraculis Chaldæorũ, pauca hæc carpe, ac deliba. Primò ſe offert ſingularis illa, ac diuina hortatio, Ζήτησον παράδεισον, τὸν ἀμφιφαῆ τῆς ψυχῆς χῶρον. quæ ſonant; *Quære Paradiſum, vſquequaque claram animæ regionem*. Quod quidem effatum dilucidans Phleton Platonicus ait, animam eſſe indiuiduæ ſubſtãtiæ, a materia prorſus ſegregatam, quemadmodum mentes ſupercæleſtes, αἷς καὶ συγγενὴ πως τὰ ἔργα ἀποδίδωσι τῶν αὐτῶν, ὥσπερ καὶ ἐκεῖναι, ἐφαπτομένη καὶ αὐτὴ, τῶν ὄντων δὴ γνώσεων, καὶ θεωρίας, ἄχρι καὶ αὐτοῦ τοῦ ἀνωτάτου θεοῦ, καὶ διὰ τοῦτο ἀνώλεθρος hoc eſt; *quibus ſimiles, & cognatas operationes edit attingens ad eadẽ, atq; ipſe; nempe ad verũ notiones, & contemplationes vſque ad ipſum ſupremum Deũ ideòque incorruptibilis*. Viden' vt ex animæ operatione, eiuſdem immortalitas colligitur?

Ex eadem vetuſtiſſima Magorum officina proſertur illud. ὅτι ἡ ψυχὴ πῦρ δυνάμει πατρὸς οὖσα φαεινὸν, ἀθάνατος μένει, καὶ ζωῆς δεσπότις ἐστί, καὶ ἴσχει κόσμου πολλὰ πληρώματα κόλπων *quod anima ignis potentiâ patris exiſtens lucidus, immortalis manet, & vitæ domina eſt, atque ſinu retinet mundi multas plenitudines*. Fuse hoc dictum explicat idem Phleton, nec non Auguſtinus Eugubin. lib. 9. de perenni Philoſophiâ cap. 15. ipſe perpendito voces ſingulas;

Sed hoc quoque cape ex eadẽ Magicologia vt Eugubinus loquitur, aut ex ipſo Magorum Principe, ψυχὴ ἡ ἀνθρώπων θεὸν ἄγξει πως εἰς ἑαυτὴν, οὐδὲν θνητὸν ἔχουσα, ὅλη θεόθεν μεμεθυσαι, ἁρμονίᾳ γὰρ αὐχεῖ, ὑφ᾽ ἣν πέλει σῶμα βρότειον ad verbũ ferè tranſlata ſententia ſonat; *anima hominũ, Deum quodammodo aſtringit ad ſe ipſam, nihil mortale cum habeat, tota diuinitus ebria facta eſt, harmonia enim gloriatur, ſub qua eſt corpus mortale*. Cælius Rhodig. lib. 3. cap. 6. de hac ſententia ita ſcribit. *Hæc Magorum Princeps cecinit, ad verbum ferè tralata ſententia: hominum anima, Deum quodammodo contrahit ad ſe ipſam, quando nil retinens mortale, tota diuinis hauſtibus inebriatur*.

Nullus omiſerim, cæleſte illud eiuſdẽ ſcholæ oraculum, quanquam a me alio etiam loco poſitum.

χρὴ σὲ σπεύδειν πρὸς τὸ φάος, καὶ δὴ πατρὸς αὐγάς,

ἔνθεν ἐπέμφθη σοὶ ψυχὴ πολὺν ἑσσαμένη νοῦν. id eſt.

Opus eſt te feſtinare ad lucem, & patris ſplendorem.

Vnde miſſa eſt tibi anima multa induta mente.

In cuius quidem enucleatione hæc inter alia ſcripta reliquit vir egregius Pſellus Philoſophus. Ἐπειδὴ οὐκ ἀπὸ σπερμάτων ἡ ψυχὴ τὴν ὑπόστασιν ἔλαβεν, οὐδὲ ἐν σωματικαῖς ὑφίσταται κράσεσιν, ἀλλ᾽ ἄνωθεν ἀπὸ θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχει, πρὸς ἐκεῖνον καὶ ἐπιστρέφεσθαι, καὶ πρὸς τὸ θεῖον φῶς ποιεῖσθαι τὴν ἄνοδον, μέγα γὰρ περιβεβλημένη φῶς, τῇδε κατῆλθε. quæ latinis auribus ita ſonãt. *Quoniam non ex ſeminibus accepit ſubſtantiam anima, neq; corporeis ſubſiſtit temperamentis, ſed a Deo ſupernè habuit eſſe, ad illum etiam conuertatur oportet, & ad lumen diuinum faciat aſcenſum: magna enim veſtita luce huc deſcendit*.

Nec illud, quod, vt Auguſtinus Eugub. lib. 9. de Perenni Philoſo. cap. 5. loquitur, purum putum Moſaicam Theologiam redolere videtur, hoc eſt, ταῦτα πατὴρ ἐνόησε, βροτὸς δέ οἱ ἐψύχωτο. *Hæc pater cogitauit, homo autem ab eo animatus eſt*. Nempè rerum omniũ, & quæ ſenſu non fugiunt, & quæ illum pulſant, pater, & opifex Deus, cogitauit, voluit, ſubitòque cuncta apparuerunt creata: Verùm homo, (οἱ dandi caſus eſt, & locutio attica) ab ipſo intimè animatus eſt. Quid ita? quia humanã animã ſolus, proximèque produxit, corporiq; infudit. Quamobrẽ quod Gen. 2. eſt, inſpirauit in faciẽ eius, *& factus eſt in animam viuentem*, id Chaldæus, ἐψύχωτο, animatus eſt.

Vin' ad huc? hæc quoque in Cæſaris Longini Chaldæorum oracul. collectaneis legimus. In cap. *Anima, & Natura*.

Anima mentis imitamen eſt. partum verò habet quid corporis.

Miſtis verò canalibus, ignis incorruptibilis opera efficiens.

Poſt verò paternas cõceptiones anima ego habito.

Calida animans omnia, repoſuit enim.

Mentem ſanè in anima, animam verò in corpore inerti.

Et in capite, *Anima, corpus, Homo*. Hæc inter alia.

Symbola paterna mens, ſeminauit in anima,

Amore profundo replens animam;

Repoſuit enim mentẽ in anima, in corpore verò

Vos repoſuit, pater hominumque Deumque.

Et paucis interpoſitis, quanquam, cum aliqua trãſanimationis face, hæc adijciuntur.

ob corpoream, in quam conſtrati eſtis naturam;
Inque Deo iacent, faces trahentes validas,
A patre deſcēdentes, a quibus anima deſcendens
Empyreos carpit fructus, animam alentem flores.
Ideoq́ mente concipientes opera patris,
Parcæ fatalis alam fugiunt inuerecundam.
Et ſi hanc animam videris redeuntem,
At aliam immittit pater, vt in numero ſit.
Certè valdè illæ ſunt beatiſſimæ ſuper omnes
Animas ad terram à cęlo profectas.
Illaq; diuites, & ineffabilia ſtamina habentes.

Tum etiam.

Spes nutriat te, ignea Angelica in regione.
Ne ſpiritū macules, neq; profundū fac ſuperficiem.

Tandem his omninò concludit.

Non ſacrificia, viſceraq́ cupio,
Hæc ſunt omnia ludi,
Mercatoria deceptionis firmamenta: fuge tu hæc,
Si vis pietatis ſacrum paradiſum aperire,
Vbi virtus, ſapientiaq́, & bona lex congregantur.
Tuum enim vas, beſtię terræ habitabunt,
Ipſas autem terra ſepeliet, ad filios vſque.

Equidem temperare mihi minimè poſſum, quin vetuſtū quoddam Chaldæorū, ſeu Magorum ænigma hic exſcribam; cuius haud ſemel meminere Platonici, retulit etiam Simon Maiolus lib. Dier. Canicul. colloq. De hominis creatione his quidem verbis. *Eſt res vndiq; lucida, eſt res vndique obſcura, eſt media quoq; tum lucis cōpos, tum caſſa.* Explanatio, *Mens eſt lumine plena: irrationalis anima, prorſus vacua: in meditullio eſt, rationalis natura: qua quidem partem habet luminis intellectualis, parte caret. Anima immortalis, corpus morti addictum: quo quid admirabilius? Anima propriè homo eſt, quæ corpore tanquam inſtrumento vtitur; licet virtute diuina ſibi copulato, tamen eo currente manet, manente currit, clauſis oculis vides, apertis interim excutit, quieſcēte operatur, operante quieſcit.* Hęc Maiolus, nec ego ex hac officina plura.

Propius accedamus; atq; vnus nobis Hermes, (qui, quòd ſummus Sacerdos, & rex potētiſſimus, & præſtantiſſimus Philoſophus eſſet, nomen ter maximi nactus eſt, in Deorumq; numerum relatus, ab Aegyptijs diuinis honorib. affectus, vt refert Lactant. lib. Diuin. Inſtitut. 7. c. 13.) totam Aegyptiorum familiam ducat. Hic in eo opere, cui inſcriptio, quod Deus inuiſibilis, fit ex operibus manifeſtus, hæc dedit, ὁ δὲ πάντων πατὴρ ὁ νοῦς, ὢν ζωὴ, ϗ φῶς, ἀπεκύησε τὸν ἄνθρωπον αὐτῷ ἴσον, οὗ ἠράσθη ὡς ἰδίου τόκου, nempe, *omnium pater, genitrixq́, mens, cū ſit vita, & natura, peperit hominem ſibi ſimilem, quē tanquam propriam prolem dilexit.* mirare, quod homo naturæ luce, eò peruenerit? inſpexerat nimirum Sacr. Geneſim.

Idem auctor naturam hominum deſcribēs quod etiam refert Lactantius in eo, quem citaui, loco, vt doceret, quemadmodū eſſet a Deo factus, hæc intulit, ϗ τὸ αὐτὸ ἐξ ἀμφοτέρων φύσεων, τῆς τε ἀθανάτου ϗ τῆς θνητῆς, μίαν ἐποίει φύσιν ἀνθρώπων, τὸν αὐτὸν πῇ μὲν ἀθάνατον, πῇ δὲ θνητὸν ποιήσας· ϗ τοῦτον φέρων, ἐν μέσῳ θείας, ϗ ἀθανάτου φύσεως, ϗ τῆς θνητῆς, ϗ μεταβλητοῦ κατεστήσατο, ἵνα ὁρῶν ἅπαντα, ϗ θαυμάσῃ quæ latinis auribus ita ſonāt. *Et idem ex vtraq; natura, immortali, atque mortali, vnam faciebat naturam hominis, eundē partim immortalem, partim mortalem faciens: & hunc ferens in medio diuinæ, ac immortalis naturæ, & mortalis, mutabiliſq́ collocauit, vt omnia videns, omnia miraretur.* Refertur & illud ex Aſclepio, quod iacet in ea, quæ appellatur Hymnodia, ad Ammonē Regem, vbi Deus appellatur parens, eòque conditor animorum noſtrorum. θεῷ μὲν παντοκράτορι ϗ πατρὶ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν, πρὸς μυρίων ςομάτων, ϗ φωνῶν, τὴν εὐφημίαν ἀναφέρεσθαι πρέπει. ideſt, *Deo vndequaq; puro, & impermixto, & patri noſtrarum animarum, ab omni lingua, & voce, gratiarum actionem referri conuenit.* Excipe hanc etiā gradationē, quæ apud eum ipſum, c. 5. Pæmand. his omninò effertur. ὕλης μὲν τὸ λεπτομερέστερον, ἀὴρ. ἀέρος δὲ, ψυχή. ψυχῆς δὲ, νοῦς. νοῦ δὲ, ὁ θεός. *Materiā ſublimior, aer: aere, anima: animā, mens: mente, ipſe Deus.* Quid pluraè in ipſo Aſclepij limine ſic habet. *ò Aſclepi, omnis humana anima immortalis. ſed non vniformiter cuncta, ſed alia alio modo, vel tempore.* Quod deinceps c. 2. & 3. multis proſequitur, geminam in homine conſtituēs formā: hanc quidē rationalem, ac mētē, diuinæ ſimilitudinis participē, æternamq; hanc verò caducam, ac diſſolubilem.

Audi tandē Herodotū, qui quondā in frequenti Olypiorū conuentu auditus, adeò cunctæ Græciæ placuit, vt quaſi Muſæ loquentes audiretur; quod cauſæ fuit, cur nouem eius libris, Muſarū indidere nomina. Porrò hic dē tota Ægyptiorum familia hæc habet in lib. 2. *Primi deniq́ extiterunt Aegyptij, qui dicerent animam hominis eſſe immortalem, quæ de mortuo corpore ſubinde* (hauſerant nēpe trans animationis facē) *in aliud, atque aliud corpus, vt quodque gigneretur, immigraret, &c.*

Dabo nunc Sibyllarū, Gentiliumq; Deorū oracula: nō quidē omnia: Ecquis omnia percēſebit? ſed ea numero quidē pauca, efficacia

multa. Atq; vt initiũ huius rei à ſibyllis expediam, non diſputabo hic de earum numero, ætate, patria, nominibus, libris: quando id nec inſtituti noſtri eſt, & alij copioſè præſtiterunt. Lactantius lib. 1. diuin. inſtit. c. 6. Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 4. Alex. ab Alexand. lib. 3 dier. genial. cap. 16. Andreas Tiraquellus in notis ſuper illum Alexandri locum, & in legibus connubialibus lib. 11. De ſibyllis, Ioannes Roſinus Romanar. Antiquitatum lib. 3. cap. 24. Interpretes Virgilij ad quartam Ecclogam *Sicelides Muſæ*, quam Maro ex Cumæa ſibylla, quæ fanatico quodã ſpiritu percita, eam de Chriſto profuderat, penè integram exſcripſit. Copioſiſſime verò Ludouicus Viues ad D. Auguſtini librum 19. de Ciuit. Dei, cap. 23. Onuphrius in libro de ſibyllis, vultus quoq; & habitum decem ſibyllarũ ſculptura expreſſit, quanquã plures addat.

Illud hic adnotabo; tantæ apud Veteres, maximè verò Romanos, auctoritatis extitiſſe ſibyllarum oracula, vt rem nullam æquè, ac ea cuſtodirent, cura præcipuis ſacerdotum comiſſa: illa ex S. C. adibant, ſi quando ſeditionis fluctibus Reipublicæ ſtatus turbaretur; ſi qua prodigia dubia, magnumq; portendentia orta & obiecta fuiſſent; ſi in bello inſignis aliqua clades accepta, ſi ſæculares ludi celebrandi, ſi deniq; quicpiam aliud requireret Reipublicæ vſus: vt examuſſim omnia facerent, omitterentuè, quæ ſibyllinorum carminum iuſſu, an facienda, an omittenda præciperentur. Hinc etiam ſibyllæ, à Veteribus nuncupatæ, à conſilijs, deorum denunciandis; vt Lactantius quoq; ex Varrone in libris rerum diuinarum adnotauit: nam σιοὺς deos, nõ θεοὺς, & conſilium non βουλὴν, ſed βυλὴν appellabant Aeolico ſermone: itaque ſibylla dicta, quaſi θεοβουλὴ, Dei cõſiliũ. Hinc D. Hieron. contra Iouin. *quod ſi*, inquit, *AEolici ſermonis genere, ſibylla θεοβουλὴ appellatur, rectè conſilium Dei, ſola ſcribitur noſse Virginitas.*

Hæ verò non ſolum animam, humano corpori ſuperſtitem remanere dixerunt, ſed fore etiam aliquando, vt à ſummo illo rerum omnium conditore Deo, de viuis, ac mortuis, iuſtis ac ſontibus in extremo die iudicetur. Principio audi Erithræam, quæ ſola nomẽ etiam ſuum carminis ſuis inſeruit, & Erithræam ſe nominatum iri prælocuta eſt, cum eſſet orta Babyloniæ, ſic illa.

Ὁππότε καὶ τὸ λάβῃ τέλος αἴσιμον, ἠδὲ βροτοῖσιν
Ἤδη ἀρ᾽ξηται κρίσις, ἀθανάτοιο θεοῖο,
Ἥξει ἐπ᾽ ἀνθρώπους μεγάλη κρίσις, ἠδ᾽ καὶ ἀρχὴ
id eſt.

Cũ aũt iſte, lics, finẽ fatalẽ acceperit. et ad mortales
veniet ſuper homines magnum iudiciũ, & initium
Iam iudicium immortalis Dei venerit,

Præſſius hæc

Πάσης γὰρ γαίης τότε θνητῶν σύγχυσις ἔςαι,
Αὐτὸς ὁ παντοκράτωρ ὅταν ἔλθῃ βήματι κρίναι
Ζώντων καὶ νεκύων ψυχὰς, καὶ κόσμον ἅπαντα,

quæ ſonant.

Totius enim terræ mortalium confuſio erit
Ipſe omnipotens cum venerit in tribunali iudicare
Viuorũ, mortuorumq; animas, & mundũ vniuerſũ.

Sibyllæ quoque ſunt quæ ſequuntur, quæ à Lactantio quoq; lib. diuin. inſtit. 7. c. 23. referuntur; quibus (mirabile dictu) etiam inſontium, ſontiumq; præmia, ac pœnæ deſcribuntur: illis vita, quamuis in terris, à Deo promittitur; his tenebræ, atque ignis.

Δύσπιστον γὰρ ἅπαν μερόπων γένος, ἀλλ᾽ ὅταν ἤδη
Κόσμου, καὶ θνητῶν ἔλθῃ κρίσις, ἣν θεὸς αὐτὸς
Ποιήσει κρίνων ἀσεβεῖς θ᾽ ἅμα εὐσεβίας τε,
καὶ τότε δυσσεβέας μὲν ἐπὶ ζόφον ἐν πυρὶ πέμψει,
Ὅσσοι δ᾽ εὐσεβέουσι πάλιν ζήσουσιν ἐπ᾽ αἶαν,
Πνεῦμα θεοῦ δόντος τιμὴν ἅμα, καὶ βίον αὐτοῖς.

quæ latinè ita ſonant.

Durum .n. ad credẽdũ omne hominũ genus, ſed cũ iã
Mundi, & mortaliũ venerit iudiciũ, quod Deus ipſe
Faciet, iudicans impios ſimul & pios,
Tũc demũ impios quidẽ in tenebras, & ignẽ mittet,
Qui autem pietatem colunt, iterum viuent in terra,
Spiritum Deo dante, honorem ſimul, & vitam ipſis.

Quinimo futuram etiam reſurrectionem denunciat, cum ita canit.

Οὐρανὸν εἱλίξας, γαίης κευθμῶνας ἀνοίξω,
Καὶ τότ᾽ ἀναστήσω νεκρούς, μοῖραν ἀναλύσας,
Καὶ θανάτου κέντρον, καὶ ὕστερον εἰς κρίσιν ἄξω,
Κρίνων εὐσεβέων, καὶ δυσσεβέων βίον ἀνδρῶν.

quæ ſunt,

Cœlum voluens, terræ latebras aperiam,
Et tunc exſuſcitabo mortuos, fatum ſoluens,
Et ſtimulum mortis; & poſtea in iudicium ducam,
Iudicans piorum atq; impiorum vitam virorum.

Imò vero lib. 1. oracul. ſibyllin. inferorum nomen a deſcenſu primi hominis tractum, his omninò carminibus exprimitur.

τοὺς δ᾽ αὖ ὑπεδέξατο ᾅδης.
Ἅδην δ᾽ αὖ τε κάλεσσαν, ἐπεὶ πρῶτος μόλεν Ἀδὰμ,
Γευσάμενος θανάτου, γαῖα δέ μιν ἀμφεκάλυψε.
Τοὔνεκα δὴ πάντες οἱ ἐπιχθόνιοι γεγαῶτες
Ἀνέρες, εἰς ἀΐδαο δόμους ἰέναι καλέονται.
Ἀλλ᾽ οὗτοι πάντες καὶ ἐν ἀΐδαο μολόντες
Τιμὴν ἔσχηκαν, καὶ ἐπὶ πρῶτον γένος ἦσαν. id eſt.

hoc

hos verò ſuſcepit orcus;
Adin, hoc eſt orcum, vocauerunt, poſtquam eò pri
mus acceſſit Adam,
Morte affectus, terra namq; ipſum circum abſcondit
Et ideò omnes terrigenæ geniti
Homines, dicuntur abire ad domos Adeas,
Et quamuis hi etiam omnes in inferna deſcendant,
Tamen retulerunt honorem ad primum genus.

Nihil hac veritate in Sibyllin. carmin. clarius, immò verò lib. 2. eleganter deſcribitur extremum omnium iudicium: tum æterna bonorum præmia, & improborum ſupplicia: alibi etiam ſæpiſſimè.

Non te Sibyllinis carminibus amplius detinebo: vaticinantem Apollinem audi. Polytes quidam conſuluit Apollinem Mileſium, vtrumne anima poſt mortem maneret, an reſolueretur? ipſaq; die qua homo mortẽ obierit, interiret? ille reſpondit his verſibus.

Ψυχὴ μὲν μέχρις οὗ δεσμοῖς πρὸς σῶμα κρατεῖται,
Φθαρτὰ νοοῦσα πάθη, θνηταῖς ἀλγηδόσιν εἴκει,
Ἡνίκα δ' ἀνάλυσιν βροτέην μετὰ σῶμα μαρανθὲν
Ὠκίστην εὕρηται, ἐς αἰθέρα πᾶσα φορεῖται,
Αἰὲν ἀγήραος οὖσα, μένει δ' ἐς πάμπαν ἀτειρής·
Πρωτόγονος γὰρ τοῦτο θεοῦ διέταξε πρόνοια.

latine ſic valent.

Anima quidem, quoad vinculis corporeis tenetur,
Corruptibiles paſſiones ſentiens, mortalibus cedit doloribus
Quũ verò humanã ſolutionem, poſt corpus corruptũ
velociſſimam inuenerit, omnis in æthera fertur:
Nunquã ſeneſcens, & manet in totũ infatigabilis.
Primogenita enim hoc Dei diſpoſuit prouidentia.

Viden' vt anima quouſq; corporeis vinculis eſt colligata, varijs affectuum procellis, ac paſſionũ turbinibus agitatur, ceditque? ſed nexu corporis abſoluta, vſquequaq; cęlo redditur incolumis, vſquequaq; ſenectutis, laborisque expers, beata æuo ſempiterno fruitur? nõ ergo anima poſt animal perit.

. Perge, & aliud audi, relatũ quoq; à Cicer. 1 Tuſcul. quæſt. quod quidem ille ex conſolatione Crantoris hauſerat, *Terinaũ, ait, quendam Eliſium, cum grauiter filij mortem mæreret, veniſſe in pſychomantium, quærentem, quæ fuiſſet tantæ calamitatis cauſa? huic in tabellis tres huiuſmodi verſiculos datos.*

Ignaris homines in vita mentibus errant,
Euthynous potitur fatorum munere læto:
Sic fuit vtilius finiri, ipſiq; tibique.

Extat etiam hoc inter oracula Appollinis.

Ὅττι μὲν ἀθανάτη ψυχὴ μετὰ σῶμα προβαίνει,
Γιγνώσκει σοφίῃ τετιμημένος. ἀλλά γε ψυχὴ
Ἀνέρος εὐσεβέος προφερεστάτη ἐστὶν ἐκείνου. id eſt.
Quod quidem immortalis anima poſt corpus progreditur,
Cognoſcit vir ſapientia honore affectus: at enima
Viri pietate præſtantiſſima eſt illius. Rurſus.
Σῶμα μὲν ἀδρανέσι βασάνοις αἰεὶ προβέβληται
Ψυχὴ δ' εὐσεβέων εἰς οὐράνιον πεδονίζει. nempe,
Corpus quidẽ infirmis tormentis ſemper obiectũ eſt,
Anima verè piorum in cæleſti regione collocata eſt.

Plutarchus in ſermone de ſera Numinis vindic. adhuc duo refert pro animarum immortalitate Apollinis Pythij oracula. Alterũ Spartanis redditum: quippe cum apud eos ſpectrum neſcio quod, in delubris apparuiſſet, eos Apollinem conſulentes, oraculum accepiſſe, vt Pauſaniæ dudum extincti, animam expiarent: eòque ex Italia ψυχαγωγούς, animarum duces, ad hoc ipſum aduocauiſſe. Alterũ Pythij oraculũ pro animi immortalitate Coraci cuidam Naxienſi datum. Adeundus omninò eſt hic auctor in eo loco, qui hac de re multis ediſſerit.

SECTIO VI.

Eandem animorum æternitatem, ex omni memoria, & faſſi ſunt, & decantarunt Græci Vates.

NVnc vatum genus conſulamus, quos diuinus Plato in Lyſide, *patres, atque duces ſapientiæ*, appellat: & lib. 2. de Repub. *Deorum ſaltos*, & in Ione, ſeu de furore poetico, *interpretes Deorũ.* Quia poetas, vt loquitur Tullius orat. pro Arch. *accepimus natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi diuino quodã ſpiritu afflari.* Hinc Ennius ille iure ſuo, *ſanctos appellat poetas*. id cauſæ eſt, cur non modo oratorũ anteſignani, cùm ad ſtruendam cauſarum ſedem, tùm ad eloquentiæ ornamenta, poetarum teſtimonijs haud rarenter vtantur, quod pręter Ariſt. 3. Rhetor. præcepit etiã Quintil. lib. 10. orator. inſt. cap. 1. ſed iuris quoq; periti in tractandis, ac definiendis grauiſſimis rebus, amoto fabulatum tegmine, poetas vocent in fidem. In quam quidem rem multas adducit leges Petrus Gregor. Tholoſ. lib. 1. de immortal. Anim. cap. 13. Quid verò? diuinus præco Paullus, huiuſmodi vatum teſtimonio vti minimè dedignatus eſt, vt. Arati Act. cap. 17. &

Epimenidis ad Titum cap. 1. Quę cum ita ſint, ſumma cum ratione nos etiam poetarum teſtimonia, ad comprobandam animorum immortalitatem, adducenda exiſtimauimus; maximè quia auctore Strabone lib. 1. Geogr. *prudentiſſimi quique, qui de poeticis quicquam eloquuti ſunt, eam primam quandam philoſophiam dixerunt.*

Exordiamur itaq; ab Homero: quanquam verò ante eum alij poetæ floruerint, vt oſtendit Euſeb. lib. 10. de præparatione Euãgelica Ioſephus contra Apionem, Gilbertus Genebrand. in ſua Chronograph. ad annum mundi 3150. tamen illud in confeſſo eſt, nullũ apud Græcos extare vetuſtius opus, ipſa Homeri poeſi. Hic itaque, quem Ariſtoteles in ſua poet. cap. 8. præſtantem, atq; oculatiſſimũ, ſiue propter artem, ac diſciplinam, ſeu propter naturam, appellat; quem, diuinum præter cęteros apparere, dicit in eodem libro cap. 23. quem Plato θειότατον, maximè diuinum nuncupat; quem doctrinarum, diſciplinarumque omnium parentem Plutarchus oſtendit, quem non immeritò admirata eſt antiquitas, ſequi gauiſa eſt poſteritas omnis. Hinc Democritus ὅμηρος, inquit φύσεως λαχὼν θεαζούσης, ἐπέων κόσμον ἐτεκτήνατο παντοίων. *Homerus naturam ſortitus diuinam, carminum mundum fabrefecit variorum.*

1. Hic, inquam, tantus vir, humanos animos immortales, ac diuinos eſſe, pleno ore & faſſus eſt, & litteris conſignauit. Atque vt ea, quæ verborum inuolucris, ac fabularum illecebris rudi illi ætati obiecit, nunc prætercam, deſcenſum Vlyſſis ad inferos, eius cum animabus congreſſus, colloquia, quæq; ibi cõſpexit tormenta, vt relabentẽ Siſyphi Scopulum, Vultures aſſiduò dilaniantes Tityi iecur, fibraſq; perpetuò renaſcentes; imminentes, effugienteſq; Tantali aquas, idq; genus alia, alijs eũ in locis ſerio canẽtem audiamus. Iliad. χ de Hectore ab Achille interfecto hęc accinit

ὣς ἄρα μιν εἰπόντα, τέλος θανάτοιο κάλυψε
ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη, ἄϊδός δὲ βεβήκει
ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀνδροτῆτα καὶ ἥβην.

latinè ſonant.

Sic itaque hunc locutum, finis mortis obtexit,
Anima autem ex membris auolans, inferos adijt,
Suam ſortem lugens, quòd deſeruerit fortitudinem,
& iuuentam.

2. Achilles ipſe, qui iura negat ſibi nata, inter tubarum etiam clangores, & effuſam armorum licentiam, huius veritatis haudquaquã oblitus, hæc proiecit de Patroclo, ĩ eo ipſo lib.

Εἰ δὲ θανόντων περ καταλήθοντ' εἰν ἀΐδαο,
αὐτὰρ ἐγὼ καὶ κεῖθι φίλου μεμνήσομ' ἑταίρου.

Si mortuorum obliuiſcũtur (nẽpe homines) *in Inferno,*
Sed ego etiam ibi cari meminero ſodalis.

3. Idem vates, odyſſ. λ. hæc omninò, de animis generatim, atque vniuerſim ex illo pectoris ſacrario μεγαλοφώνως pronunciauit.

ἀλλ' αὕτη δίκη ἐστὶ βροτῶν ὅτε κέν τε θάνωσιν,
οὐ γὰρ ἔτι σάρκας τε, καὶ ὀστέα ἶνες ἔχουσιν,
ἀλλὰ τὰ μέν τε πυρὸς κρατερὸν μένος αἰθομένοιο
δαμνᾷ, ἐπεί κε πρῶτα λίπῃ λεύκ' ὀστέα θυμός,
ψυχὴ δ' ἠΰτ' ὄνειρος ἀποπταμένη πεπότηται.

Quæ omnia vt verbo verbum reddam; latinè ſic valent.

Sed hæc eſt ſors hominum, quando ſunt mortui,
Non enim amplius carnes & oſſa, vires habent,
Sed illa quidem ignis validum robur comburentis
Conſumit, poſtquam deſeruerit alba oſſa animus,
Anima autem tanquam ſomnium auolans, volitat.

4. Tanquam ſomnium, ideſt, incorporea, atque immaterialis, auolans à corpore, expedita, ac libera volitat. Immò verò, ita humanam animam in veram propriæ immortalitatis dignitatem aſſeruit, vt in ea extitiſſe opinione videatur, quæ poſtea inter Pythagoræos, & Platonicos increbuit; nempe hominem nil aliud, quàm animam eſſe; quippe in illo ipſo Odyſſ. libr. ita loquitur.

ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ θηβαίου τειρεσίαο,
χρύσεον σκῆπτρον ἔχων, ἐμὲ δ' ἔγνω καὶ προσέειπεν.

Acceſſit autem anima Thebani Tireſiæ
Aureum ſceptrum habens; ſiuè clarius.
Qui aureum, ſceptrum habebat, me autem cognouit
ſalutauitquè.

Vbi, illud ἔχων, quod eſt virile genus, ex induſtria ab auctore poſitũ eſt, quamuis eius ſubſtantiuum, ἡ ψυχὴ, quod præceſſerat, ſit muliebre: quaſi ſola anima Tireſiæ, fuiſſet ipſe Tireſias, qui ſceptrum teneret; ſecus enim dicendum eſſet ἔχουσα. Ob eam cauſam nos vertere maluimus, *qui aureum ſceptrũ habebat.*

5. Porrò, poſſet ne vnquam diuini ingenij vates, animorum immortalitatem luculentius oſtendere, quàm dum Iliad. ψ litteris conſignauit, animam Patrocli, Hectoreo ferro perempti, apparuiſſe Achilli, eumque de ſepultura, & eius ipſius morte monuiſſe? Homeri verba hæc ſunt,

ἦλθε

ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ πατροκλῆος δειλοῖο
πάντ' αὐτῷ, μέγεθός τε καὶ ὄμματα κάλ' εἰκυῖα,
καὶ φωνήν. καὶ τοῖα περὶ χροῒ εἵματα ἕστο,
στῆ δ' ἄρ ὑπὲρ κεφαλῆς, καί μιν πρὸς μῦθον ἔειπεν.
εὕδεις, αὐτὰρ ἐμεῖο λελασμένος ἔπλευ ἀχιλλεῦ;
οὐ μέν μευ ζώοντος ἀκήδεις, ἀλλὰ θανόντος.
θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας ἀΐδαο περήσω,
τῆλέ με εἴργουσι ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων, id eſt.
Superuenit autem anima Patrocli miſeri,
Per omnia ipſi, magnitudineq́; & oculis ſimilis,
Et voce: & tales circa corpus indutus veſtes erat.
Aſtitit verò ſupra caput, & ad ipſum verbum locu-
tus eſt.
Dormis, & mei oblitus es Achille?
Non quidem me viuentem negligebas, ſed mortuum.
Sepeli me: quàm citiſſimè, portas Plutonis, vt intrem,
Longè me abigunt animæ, ſimulachra mortuorum.

6. Et quæ ibi ſequuntur: tum paulo poſt, de eodem Achille ſic ait.

Ὣς ἄρα φωνήσας, ὠρέξατο χερσὶ φίλῃσιν.
οὐδ' ἔλαβε. ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἠΰτε καπνὸς
ᾤχετο τετριγυῖα. nempe.
Sic ergo cum clamaſſet, porrigebatur manibus a-
micis:
Nec verò apprehendit. Nam anima ſub terram ve-
luti fumus
Abijt ſtridens.

7. Vt merito atque optimo iure Plutarchus in vita Homeri dicat, firmam, conſtantemq; hac de re eius extitiſſe fidem. Quid verò? ipſum inferni locum in medio terræ, & centro, vt re ipſa eſt, delineaſſe videtur, dum Iliad. Θ. Iouem his omninò loquẽtem inducit.

ἤ μιν ἑλὼν, ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα,
τῆλε μάλ', ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρε-
θρον,
ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι, καὶ χάλκεος οὐδὸς
τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.
id eſt,
Aut ipſum rapiens proijciam in Tartarũ obſcurum,
Procul valde, vbi profundiſſimum ſub terra eſt
barathrum,
Vbi ferreaq́; portæ, & æreum pauimentum,
Tantum ſub inferno, quantum Cælum eſt è terra.

8. Equidem Homeri mẽtem ſententiamq; ea concludam ſententia, qua ipſe diuinum ſuum orditur opus.

μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος
οὐλομένην, ἣ μυρί' ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν.
πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἀΐδι προΐαψεν
ἡρώων; αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν,
οἰωνοῖσί τε πᾶσι. quæ ſonant
Iram cane Dea Pellidę Achillis,
Pernicioſam; quæ innumeros dolores Achiuis inflixit,
Multas autem animas fortes, inferis miſit,
Heroum: ipſos verò dilacerationes fecit canibus,
Auibuſq́; omnibus.

Quibus verſibus aſſeuerat, & animas Heroũ Græcorũ ſaluas, incolumeſq́; ad inferos permeaſſe, & eorum corpora interitui, corruptioniq́; remanſiſſe obnoxia.

9. Annecto Heſiodum, qui ſiue vnà cum Homero, ſiue paulo poſt vixit. Hic in carmine, quod eſt, ἀσπὶς ἡρακλέους, ſcutum Herculis hæc habet,

οἵτινες ἀντιβίην πόλεμον διὸς υἷι φέροιεν,
τῶν, καὶ ψυχαὶ μὲν χθόνα δύουσιν ἄϊδος εἴσω,
αὐτῶν, ὀστέα δέ σφι περὶ ῥινοῖο σαπείσης
πύθεται. hoc eſt,
Quicunque bellum aduerſus Iouis filium gererent,
Horum animæ terram ſubeunt, ad infernum,
Ipſorum, oſſa verò ipſis pelle circum putrefacta,
Corrumpuntur.

10. Et in eo opere, cui inſcriptio, Ἔργα, καὶ ἡμέραι, *Opera, & dies*, cum decantatas illas quinque hominum ætates efferet, acturum vnicuiq; ætati, eiuſq; hominibus, poſt mortem, ait a Deo certum aliquem locum fuiſſe conſtitutum; atque adeò eorum animas eſſe immortales. Principio, qui in prima hominum ætate aurea, Saturni ſæculis, vixere iuſti, boniq; & ab omni ſcelere alieni, eos fato defunctos, in cuſtodiam, ac tutelam viuentium deputatos eſſe, his omninò ſcribit.

αὐτὰρ ἐπεὶ κεν τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψε,
τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς,
ἐσθλοὶ, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων
οἵ ῥα φυλάσσουσί τε δίκας, καὶ σχέτλια ἔργα,
ἠέρα ἑσσάμενοι, πάντη φοιτῶντες ἐπ' αἶαν,
πλουτοδόται, καὶ τοῦτο γέρας βασιλήϊον ἔσχον.
id eſt,
Verùm poſtquàm hoc genus terra abſcondit,
Ii quidem Dæmones (vel diui) *facti ſunt, Iouis*
magni conſilio;
Boni, in terris conuerſantes, cuſtodes mortalium ho-
minum,
Qui ſanè obſeruant, & iuſta, & praua opera,
Aerem induti, quoquo verſus euntes per terram,
Opum datores: Atq; hoc munus regale conſecuti sũt.

11. De ſecunda hominum ętate, argentea eorumq́; morte, hæc dedit.

αὐτὰρ ἐπεὶ καὶ τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψε,
τοὶ μὲν ὑποχθόνιοι μάκαρες θνητοὶ καλέονται,
δεύτεροι, ἀλλ' ἔμπης τιμὴ καὶ τοῖσιν ὀπηδεῖ.
nempe,

At

At poſtquam & hoc genus terra occultauit,
Hi quidem ſubterranei, beati mortales vocantur,
Secundi: Sed tamen honor etiam ipſos conſequitur.

12. De hominibus tertij ſæculi, ænei, adhuc ita pergit,

καὶ τοὶ μὲν χείρεσσιν ὑπὸ σφετέρῃσι δαμέντες
βῆσαν ἐς εὐρώεντα δόμον κρυεροῦ ἀΐδαο,
νώνυμοι. id eſt,

Et ij quidem manibus proprijs domiti.
Deſcenderunt in amplam domum frigidi Plutonis,
Ignobiles.

13. Poſtremò de quarto, quod ſæculum, *ἡμιθέων, ἀνδρῶν ἡρώων, θεῖόν τε γένος, Semideorum, virorum heroum, diuinumq́ genus* nuncupatum eſt, ſic habet,

τοῖς δὲ δίχ' ἀνθρώπων βίοτον, καὶ ἤθε' ὀπάσσας
Ζεὺς κρονίδης κατένασσε πατὴρ, ἐς πείρατα γαίης:
καὶ τοὶ μὲν ναίουσιν ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες,
ἐν μακάρων νήσοισι, παρ' ὠκεανὸν βαθυδίνην,
ὄλβιοι ἥρωες. nimirum.

His autem ſeorſum ab hominibus victum, & ſedem tribuens,
Iuppiter Saturnius pater, conſtituit ad terra fines:
Et ij quidem habitant, curis ſolutum animum habentes,
In beatorum inſulis, iuxta Oceanum profundum, fœlices heroes.

Videſ' quanam animi firmitate animorum immortalitatem profitetur? quanquam in eo grauiter erret, quod hominum aurei ſeculi animas, ob cultum pietatis, & vitam benè rectèq; actam, exiſtimat in dæmones bonos, & cuſtodes viuentium tranſijſſe: contra quod eleganter Chryſoſt. Homil. 19. in cap. 8. Matth. & Proclus in Comment. in Alcibiad. primum Platonis. Errat præterea, dum Heroum animas vltra Oceanum ait degere: in quem quidem errorem iuere poſtea Eſſei Iudæorũ Philoſophi, vt adnotauit Cæl. Rhodig. lib. 3. c. 9.

14. Sed heus, penè nos prętererat Thrax ille hierophanta Orpheus, cuius demortui caput, in Lesbo Græcis aliquando vaticinatũ, ſcribit Philoſtratus, Troiam abſque ſagittis Herculis capi neutiquã poſſe. Perſarũ quoq; ac Babyloniæ reges, eò ad ſciſcitanda oracula oratores plerumque miſiſſe: in primis verò Cyrum; cui caput illud, *τὰ ἐμὰ Κῦρε σά, mea ô Cyre tua.* Hic itaque in hymno ad Mercuriũ, animas poſt fata ab eo duci, ita declarat,

κωκυτοῦ ναίων ἀνυποστρόφον οἶμον ἀνάγκης,
ὃς ψυχὰς θνητῶν κατάγεις ὑπὸ νέρτερα γαίης,
ἑρμῆ. id eſt.

Cocyti, qui incolis viam neceſſitatis, vnde non patet reditus,
Qui animas mortalium ducis ſub inferiora terra, Mercuri.

Et rurſus.

ὃς παρὰ περσεφόνης ἱερὸν δόμον ἀμφιπολεύεις,
αἰνομόροις ψυχαῖς πομπὸς κατὰ γαῖαν ὑπάρχων,
ὃς κατάγεις, ὁπόταν μοίρης χρόνος εἰσαφίκηται.
nempe,

Qui circa ſanctam Proſerpina domum miniſtras,
Animabus miſera morte decedentibus, dux ſub terra exiſtens,
Quas deducis, vbi tempus mortis acceſſerit.

Et paulò poſt,

σοὶ γὰρ ἔδωκε
τιμὴν περσεφόνεια θεὰ κατὰ τάρταρον εὐρὺν,
ψυχαῖς ἀενάοις θνητῶν ὁδὸν ἡγεμονεύειν. hoc eſt.

tibi enim conceſſit
Honorem Perſephone in Tartaro latè patente,
Vt animabus perennibus mortalium ducatum præſtes.

17. Sed planè diuina ſunt carmina illa, quæ hymno, ad Titanas appoſuit, dum ita Deum alloquitur.

δειμαίνουσι δέ σου ῥοθοῦς μάστιγος ἀπειλὴν
δαίμονες, ἀνθρώπων δηλήμονες ἀγριόθυμοι,
ψυχαῖς ἡμετέραις λιπαραῖς κακὰ πορσυνόντες,
ὄφρ' αἰεὶ κατὰ λαῖτμα βαρυσμαράγου βιότοιο
σώματος ὀτλεύουσιν ὑπὸ ζυγόδεσμα παθοῦσαι,
ὑψηλοῦς δὲ λάθοιντο πατρὸς πολυφέγγιος αὐλῆς.
ἀλλὰ σὺ ψυχῶν ἄνογλε, quæ ita ſonant.

Expauent verò tui velocis flagelli minas
Dæmones, hominum hoſtes maligni,
Animabus noſtris ſplendidis mala ſubminiſtrantes,
Vt ſemper in hac procella grauiter ſtrepitantis vitæ,
Corpore peccent & vinculis irretita
Ab alta excidant Patris ſplendida aula;
Sed tu o animarum rex, &c.

Quod ſi obijcias, hæc nequaquam eſſe vetuſti illius Orphei, ſed hymnographi cuiuſpiam eo nomine appellati. Nihil laboro: maximè cum ex Platone in Cratylo compertum habeã, priſcũ illum Orpheũ, & animas immortales, & earum in diuerſa corpora reditum ſanxiſſe. Quippe cum Plato dixiſſet humanum corpus nuncupari *σῶμα*, quaſi *σῆμα*, ideſt ſepulchrũ, ſubiungit. *Videntur mihi præterea Orphei ſectatores, nomen hoc, ob id potiſſimum poſuiſſe, quod anima in corpore hoc, delictorum det pœnas, & hoc circumſepto, valloq; claudatur, veluti in carcere quodam,*

dam,

dam, vt σώζηται, ſeruetur. Tum illud, παλαιὸς λόγος ὀρφικός τε καὶ πυθαγόρειος, ὃ πάλιν ἄγων τὰς ψυχὰς εἰς τὸ σῶμα, καὶ πάλιν ἀπὸ τοῦ σώματος ἀνάγων, καὶ τοῦτο κύκλῳ πολλάκις, id eſt. *Vetus fama eſt, Orphica, & Pythagorica, qua ducit animas iterũ ad corpus, iterumq́ a corporibus educit idque in circulũ ſæpe.* Atque cõis eſt hac in parte auctorum conſenſus, animorum in diuerſa corpora reditus, & μετεμψυχώσεις, (quæ earum immortalitatem ſupponunt) in Græcia ab Orpheo traxiſſe initium.

19. En tibi alium e priſcis illis, ac venerãdis Græciæ vatibus, Phocylidem; qui quaſi diuiniore quodam afflatu percitus, ita canit.

ψυχαὶ γὰρ μίμνουσιν ἀκήρατοι ἐν φθιμένοισι, πνεῦμα γάρ ἐστι θεοῦ, χρῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, καὶ πάντες ἐς αὐτὴν λυόμενοι, κόνις ἐσμέν· ἀὴρ δ᾽ ἀνὰ πνεῦμα δέδεκται. Expreſsè ſonant.

Animæ enim manent incorruptibiles, in mortuis: Spiritus enim eſt Dei, vſus mortalibus, & imago: corpus enim ex terra habemus, & omnes ad ipſam ſoluti, puluis ſumus; aer verò iterum ſpiritum recipit.

Macte diuine vates, ita res habet: & defunctorum animi indiſſolubiles, æterniq́ue manent, & ſpiritus sũt, quos nos, mundi princeps, Deus impertit, eiuſdemque imago: tùm corpus ex terra compactum, & omnes ad eam diſſoluemur, & ſpiritum, aer, hoc eſt cælum, diuinum illud domicilium, ex quo per creationem demiſſus eſt, receptat iterum. Quid hac tam priſca ſacraque doctrina, cui gentilitatis poſteritas aſſurgat meritò, venerabilius?

20. Mirare, quod hic in naturæ caligine, hæc myſteria vſqueadeò clarè rimetur? De corporũ quoq; ſuſcitatione (ex ſibyllis, reor, hæc hauſerat, vel etiam ſingulari munere Dei) hæc innuit: quippe cum præcepiſſet.

μὴ τύμβον φθιμένων ἀνορύξῃς, μηδ᾽ ἀθέατα δείξῃς ἠελίῳ, καὶ δαιμόνιον χόλον ὄρσῃς. hoc eſt, *Ne tumulum mortuorum effodias, neq; non videnda oſtendas ſoli, & diuinam iram exeites;*

Subnectit.

οὐ καλὸν ἁρμονίην ἀναλυέμεν ἀνθρώποιο,
καὶ τάχα δ᾽ ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν,
λείψαν᾽ ἀποιχομένων, ὀπίσω δὲ θεοὶ τελέθονται. quæ ſunt.

Non eſt bonum compaginem reſoluere hominis,
Celeriter enim ex terra ſperamus in lucem venire,
Reliquiæ defunctorum: poſtea verò Dij ſunt.

Nefas, inquit, compaginem, ac reliquias hominis in tumulo iacentes diſturbare. Quid ità? quia ſperamus, corpora, quæ nunc humo conduntur, ocyus ex terra in lucem preditura &c.

21. Audi etiam Epicharmum, præcipuum Pythagoræ auditorem, cuius hæc ſunt verba apud Clementẽ Alexandrinum, lib. 4. Stromat. εὐσεβὴς νόῳ πεφυκώς, οὐ πάθοις οὐδὲν κακὸν κατθανών, ἄνω τὸ πνεῦμα διαμενεῖ κατ᾽ οὐρανόν. quæ ſunt. *Si fueris mente pius, nihil mali patieris, cum fueris mortuus, ſurſum in Cęlo permanet ſpiritus.* Hoc etiam eſt eiuſdem auctoris, relatum a Plutarcho in orat. conſolat. ad Apollonium, συνεκρίθη, καὶ διεκρίθη, καὶ ἀπῆλθεν, ὅθεν ἦλθε. γῆ μὲν ἐς γᾶν, πνεῦμα δὲ ἄνω. id eſt. *Concreta ſunt, & diſcreta ſunt, & abierunt, vnde venerunt: terra quidem in terram, ſpiritus verò ſurſum.*

22. Adeò & Pindarus, quem diuinus Plato ad probandam animorum æternitatem, adduxit in Menone: cum enim dixiſſet Socrates; *tradunt preterea Pindarus & ceteri, quicunque poetarum diuini ſunt* (hinc habe aliorum quoque poetarum ſententiam) *hominis animam immortalem eſſe.* affert Pindari carmen οἷσι γὰρ ἂν Φερσεφόνα ποινὰν παλαιοῦ πένθεος δέξεται, ἐς τὸν ὕπερθεν ἅλιον, κείνων ἐνάτῳ ἔτει ἀνδιδοῖ ψυχὰν πάλιν, id eſt. *quicunque enim pęnas antiquæ miſeria Proſerpina iam dederunt, ijs illa ad ſupernum ſolem nono anno rurſus animam reddit.* & quæ ibi ſequuntur.

23. Et Clemens Alexandrinus loco, quem dixi, hæc Pindari exſcribit verba, *Impiorum autem animę ſub cœlo volant in cruentis doloribus ſub malorum iugis ineuitabilibus: piorum autem in Cęlis habitant, cantibus beatum, magnum, canentes in hymnis.* Sed lubet ipſum met Pindarum in Olympicis od. 2. ita tonantem audire.

ὁ μὰν πλοῦτος ἀρεταῖς
δεδαιδαλμένος,
φέρει τῶν τε καὶ τῶν,
καιρὸν, βαθεῖαν ὑπέχων
μέριμναν ἀγροτέραν.
Ἐπῳδὸς
ἀστὴρ ἀρίζηλος, ἀλαθινὸν
ἀνδρὶ φέγγος, εἰ δέ μιν ἔχει
τίς οἶδε τὸ μέλλον;
ὅτι θανόντων μὲν ἐν,
θάδ᾽, αὐτίκ᾽ ἀπάλαμνοι φρένες
ποινὰς ἔτισαν, τὰ δ᾽ ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ,
ἀλιτρὰ, κατὰ γᾶς δικάζει τις, ἐχθρᾷ λόγον φράσαις ἀνάγκᾳ.

στροφὴ

ἴσονδὲ νύκτεσσιν αἰεὶ,
ἴσα δ᾽ ἐν ἁμέραις ἅλι-
ον ἔχοντες, ἀπονέστερον
ἐσλοὶ νέμονται βίο-
τον. ου χθόνα ταράσσον
τες ἀλκᾷ χερῶν,
οὐδὲ πόντιον ὕδωρ,
κεινὰν παρὰ δίαιταν, ἀλ-
λὰ παρὰ μὲν τιμίοις
θεῶν, οἵτινες ἔχαι
ρον εὐορκίαις,
ἄδακρυν νέμονται
αἰῶνα τοὶ δ᾽ ἀπροσόρα-
τον ὀχέοντι πόνον.

Latinis auribus ita ſonant.

Diuitia virtutibus
ornatæ
Afferunt rerum harum, & illarum
opportunitatem profundam, ſuſtinentes
ſolicitudinem, agreſtiorem,

Epod.

Stella præfulgida, verum
Hominis lumen. Si quis autem eas habet,
Nouit futurum,
Quod eorum qui hic moriuntur,
Mox intractabiles mentes
Pœnas luent. Hæc autem in Iouis principatu
Scelera, ſub terra iudicat
Aliquis, hoſtili ſententiam pronuncians neceſſi-
tate.

Strophe.

At æqualiter noctu ſemper,
Aequaliter etiã interdiu ſolem
Habentes, non laborioſam
Boni degunt vitam.
Non terram turbantes
Robore manuum,
Neque marinam aquam
Inopem propter victum, ſed
Apud honoratos deos,
Illi, qui gaudebant fidelitate
In iureiurando
Illachrymabili fruuntur
Aeuo. Alij autẽ viſu horrendum
Tolerant cruciatum.

25. Pergit, & ſolita granditate, bonorum præmia, & fęlicitatem, vt vt naturæ vitibus poterat, deſcribit,

ὅσοι δ᾽ ἐτόλμασαν ἐς τρὶς
ἑκατέρωθι μείναντες,
ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν
ψυχάν, ἔτειλαν διὸς
ὁδὸν παρὰ κρόνου τύρ-
σιν. ἔνθα μακάρων
νᾶσον ὠκεανίδες
αὖραι περιπνέουσιν, ἄν-
θεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει,
τὰ μὲν χερσόθεν ἀπ᾽ ἀ-
γλαῶν δενδρέων,
ὕδωρ δ᾽ ἄλλα φέρβει
ὅρμοισι τῶν, χέρας ἀνα-
πλέκοντι, καὶ στεφάνοις.
βουλαῖς ἐν ὀρθαῖς ῥαδαμάνθυος, quæ ſunt.

Quicumque autem ſuſtinuerunt
Ter vtrobique commorati,
Continere omninò ab iniuſtis animam,
Peregerunt Iouis viam, ad Saturni
Vrbem: vbi beatorum in inſulam
Oceanides auræ perflant;
Floreſq; auri micant, alij quidem
Ab humo, alij a pulchris arboribus,
Aqua autem alios educat
Quorum monilibus, & corollis
Implicant manus, decretis
In rectis Rhadamanthi, &c.

Dircæo olori, Apem Atticam, Euripidem adiungo, qui pluribus in locis, immortalitatis argumentum proſequitur, in Supplicibus, actu 5. in perſona Euadnes,

ἀλλὰ τῆς
εὐκλείας χάριν,
ἔνθεν ὁρμάσω
τᾶς δ᾽ ἀπὸ πέτρας.
πηδήσασα πυρὸς ἔσω,
σῶμα τ᾽ αἴθοπι φλογμῷ,
πόσει συμμίξασα φίλῳ;
χρῶτα χρωτὶ πέλας θεμένα
περσεφονείας ἥξω θαλάμους.
σὲ τὸν θανόντ᾽ οὔποτ᾽ ἐμᾷ
προδοῦσα ψυχᾷ. ἴτω φῶς, γάμοι τε. id eſt,

Sed
Celebritatis gratia
Hinc me præcipitabo,
A petra iſta,
Inque ignem inſiliam,
& ardenti flamma,
Charo miſcebor marito,
At corpore meo ad corpus eius poſito,
Migrabo ad thalamos Proſerpina.
Nunquam enim te mortuum, mea
Prodam anima: valeat lux, nuptiaq;

Rurſus in Alceſte, actu 4. Chorus de obitu Alceſtidis, vxoris Admeti, ita loquitur.

μηδὲ

μηδὲ νεκρῶν ὡς φθιμένων
χῶμα νομιζέσθω
τύμβος σῆς ἀλόχου,
θεοῖσι δ' ὁμοίως
τιμάσθω σέβας ἐμπόρων,
καί τις δοχμίαν κέλευθον
ἐκβαίνων, τόδ' ἐρεῖ,
αὕτα ποτὲ προὔθανεν ἀνδρὸς,
νῦν δ' ἐστὶ μάκαιρα δαίμων,
χαῖρ' ὦ πότνι', εὖ δὲ δοίης. id eſt.
Neque vt vita defunctorum
Aggerem exiſtimet
Sepulchrum Vxoris tuæ,
Sed ſimiliter ac Deos
Honoret religio peregrinorum.
Tum quis obliquum tramitem
Incedens, iſthæc proferet,
Hæc quondam pro viro obijt,
Nunc beatum eſt numen,
Salue ò Veneranda; bona quaſo dones,

In eiuſdem Tragediæ, ſequent. act. deſcribitur Alceſtidis iam vita functæ, ab inferis reditus. Porrò, de animarum apparitione permulta apud hunc ipſum, alijs in locis oſtendes. Equidem vnum adducam, idq; omnium eius Tragædiarum caput, vbi Polydori Vmbra ita loquitur.

ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα, καὶ σκότου πύλας
λιπὼν, ἵν' ᾅδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν
πολύδωρος, ἑκάβης παῖς γεγὼς, τῆς Κισσέως,
πριάμου τε πατρός. id eſt.
Adſum, manium profunda, & tenebrarum portas
Linquens, vbi Pluto procul a Dijs degit,
Polydorus, Hecuba natus ex Ciſseide
Priamoque patre.

Melanippidæ, auctoris priſci hoc extat apud Clementem Alexand. lib. ſtromat. 5.
Κλῦθί μοι ὦ πάτερ, θαῦμα βροτῶν,
τᾶς ἀειζώου ψυχᾶς μεδέων. id eſt.
Audi me pater, miraculum mortalium,
Sempiternæ animæ Rex.

Quid verò? Anacreon ipſe, cui, voluptatibus huius vitæ pene effæminato, ac mollicie defluenti, *ἡ λύρα μόνους ἔρωτας ᾄδει.* *barbitus ſolos amores ſonat*, inter pocula ipſa futuræ vitæ obliuiſci non potuit. ſic enim inter reliquias poëmatum eius legimus: Audi eum conquerentem.

γλυκεροῦ δ' οὐκ ἔτι πολλὸς
βιότου χρόνος λέλειπται,
διὰ ταῦτ' ἀνασταλύζω
θαμὰ, τάρταρον δεδοικὼς
ἀΐδεω γάρ ἐστι δεινὸς
μυχὸς, ἀργαλέη δ' ἐς αὐτὸν
κάθοδος, καὶ γὰρ ἕτοιμος
καταβάντι, μὴ ἀναβῆναι. quæ ſunt.
Et dulcis non amplius multum
Vitæ tempus mihi relictum eſt;
Propterea ingemiſco
Frequenter, Tartarū reformidans,
Orci enim eſt horrendus
Specus, & grauis in ipſum
Deſcenſus, & deſcendenti
Nullus patet aſcenſus.

Dionyſius in Periegeſi, ſeu orbis deſcriptione ſic refert.

ἄντα βορυσθένεος πολυώνυμος εἰν ἁλὶ νῆσος
ἡρώων, λευκὴν μιν, ἐπωνυμίην καλέουσιν,
οὕνεκά οἱ τά περ ἐστὶ κινώπετα λευκὰ τέτυκται,
κεῖθι δ' ἀχιλλῆός τε καὶ ἡρώων φάτις ἄλλων
ψυχὰς εἱλίσσεσθαι ἐρημαίας ἀνὰ βήσσας. hoc eſt.
E regione Boriſthenis, notiſſima in mari inſula
Heroum, Leucem ipſam cognomine dicunt,
Eo quod ei, quæ ſunt animantia, alba exiſtunt,
Illic etiam Achillis, & Heroum, fama eſt, aliorum
Animas circumire, per deſerta montium concaua.

Ibi Euſtathius *ὥστε νῆσος ἡρώων λέγεται ἡ λευκὴ αὐτὴ νῆσος, ὥσπερ νῆσοι μακάρων αἱ ἐν τῷ ἑσπερίῳ ὑμνούμεναι ὠκεανῷ* hoc eſt, *Ita vt hæc inſula Leuce dicatur inſula Heroum, quemadmodum inſulæ beatorum in occidentali Oceano celebres.*

Ariſtophanes in Nebular. Comœdia fingit Aeacum loquentem cum Xanthia, de morte Euripidis: cuius animam ad inferos deſcendiſſe his omninò verbis ſcribit.

ὅτε δὴ κατῆλθεν εὐριπίδης, ἐπεδείκνυτο
τοῖς λωποδύταις, καὶ τοῖς βαλαντιοτόμοις,
καὶ τοῖσι πατραλοίαισι, καὶ τοιχωρύχοις,
ὅπερ ἔστ' ἐν ᾅδου πλῆθος. quæ ſunt.
Quando venit (ſcilicet in infernum) *Euripides, oſtendebatur*
Spoliatoribus, & crumenarum inciſoribus,
Et parricidis, & muri foſſoribus.
Quæ eſt in inferno multitudo.

Prætereo Sophoclem, apud quem, vel in prima Tragæd. ſplendida huius rei fit confeſſio; Prætereo Aeſchylum, Menandrum, & complures alios, vt calamum ad Philoſophos vertam: ſit ergo.

SECTIO

SECTIO VII.

Animarum immortalitatem, poſt natam in Græcia philoſophiam, ſenſerunt, & tutati ſunt, Philoſophi Græci.

VNde hic potius, quàm a decantatis illis Græciæ Sophis initium ducam? pro quibus tamen, vt compendio ſtudeam, vnus ſpondeat, ac reſpondeat Thales Mileſius; cui aurea illa, vel menſa, vel tripus, tunc piſcatorio verriculo inuenta, propterea primo, inter Græciæ ſapientes delata eſt, quòd Apollo ab Mileſijs conſultus, reſponderit.

Ἔκγονε Μιλήτου τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς;
Τίς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτου τρίποδ' αὐδῶ.

id eſt.

Proles Mileſia, de tripode Phœbum interrogas?
Qui ſapientia omnium primus eſt, huius ego tripodem aio.

1. Hic ergo primus omnium Græciæ ſapientum iudicatus, apprimè animum ab omni caducitate vindicauit. ἔνιοι δὲ καὶ αὐτὸν πρῶτον εἰπεῖν φασιν ἀθανάτους τὰς ψυχάς. *quidam etiam aiunt, ipſum primum dixiſſe animas immortales,* inquit Suidas, & Diogenes Laertius in eius vita. Quãquam verò nonnulli rident, ac rodunt M. Tullium, quòd 1. Tuſc. Quæſt. Pherecydem, primum omnium animi immortalitatis fecerit aſſertorem, cum eam (quod nos quoq; ſuperius vidimus) ante illum ſenſerint Hebræi, Chaldæi, Ægyptij & Græci vates: nihilominus ſi is de Philoſophis Gręcis ſermonem agitat, haud eſt quod tantopere ſugilletur: maximè verò cum Thales, & Pherecydes eadem tempeſtate floruerint. Argumẽto ſunt vtriuſque litteræ vltro citroque miſſæ; quæ extant apud Laertium in vita Thalet. & Pherecyd. Veruntamen vetuſtior eam aſſeruit, vterque ſanè aſſeruit.

2. Thaletis diſcipuli, quam à præceptore, de animorum æternitate doctrinam hauſerãt, conſtanti animo tenuerunt, & poſteris quaſi per manus tradidere. Thaletẽ audiuit Anaximander, hunc Anaximenes, qui in quadam epiſtola ad Pythagoram pleno conteſtatur ore, ſe in omnibus Thaletis ſermonibus perſtitiſſe. ἡμεῖς δὲ, inquit, οἱ ἀκροαταὶ ἐπιμεμνώμεθα ἔτι τοῖς ἐκείνου λόγοις, ἀρχὴ μέντοι παντὸς λόγου Θαλῇ ἀνακείσθω. *nos verò diſcipuli Thaletis obſeruemus adhuc eius ſermones, omnis enim orationis initium Thaleti conſecretur.*

3. Anaximenis auditor fuit Anaxagoras, qui vſque adeò animorum æternitati addictus erat, vt, cum ſemet, abdicatis Reipub. rebus, philoſophiæ penitus dedidiſſet, cuidã importunè dicenti, *nulla tibi patriæ cura eſt*, reſpõderit, εὐφήμει, ἐμοὶ γὰρ καὶ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος, δείξας τὸν οὐρανόν. id eſt, *bona verba, mihi enim patriæ cura, & quidem maxima eſt, oſtendens cœlum.* inquit Laertius in eius vita. Anaxagorã audiuit Socrates, quanquam & alios. Hũc, Plato, de quibus mox dicam, Platonem, Ariſtoteles.

4. Redeo ad vetuſtiora, Pherecydis diſcipulus fuit Pythagoras, in quo nihil hoc carmine ſonabat crebrius,

Ἀλλὰ σὺ θάρσει, ἐπεὶ θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσιν.

quod eſt,

Sed tu confide, quia diuinum genus eſt mortalibus.

Quid verò? aurea illa ſua carmina, candida hac, & planè aurea ſententia, quaſi immortali quadam corona potius, quàm coronide incluſit.

ἐν τε καθαρμοῖς,
Ἔν τε λύσει ψυχῆς κρίνων, καὶ φράζευ ἕκαστα,
Ἡνίοχον γνώμην στήσας καθύπερθεν ἀρίστην.
Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα, ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός.

Quæ ſonant. *& in purgationibus,*
Et in liberatione animæ iudica. & cõſidera ſingula,
Aurigam iudicium conſtituens deſuper optimum;
Cum autem relicto corpore, ad ætherem liberũ iueris
Eris immortalis Deus, incorruptibilis, non amplius mortalis.

Hem, quàm te meritò vetuſtas Pythagoram, quaſi Πυθοῦς ἀγορὴν, Pythiæ concionem, ſiue oraculũ appellauit. Elaborauit hic idẽ integrũ opus de animabus, vt auctor eſt Laert. quod tamen nobis inuidit vetuſtas. Exſcribã hic præclarum M. Tullij de Pythagora teſtimonium, quod apprimè etiam ad rem, qua de agimus facit. Sic ille lib. 1. Tuſc. *Pherecydis opinionem de animorum æternitate, diſcipulus eius Pythagoras maximè confirmauit, qui cum Superbo regnante in Italiam veniſſet, tenuit magnam illam Græciam cum honore, & diſciplina, tum auctoritate: multaq; ſecula poſtea ſic viguit Pythagoreorum nomen, vt nulli alij docti viderentur.* Et rurſus. *Platonem ferunt, vt Pythagoreos cognoſceret, in Italiam*

liam veniſſe, & in ea cùm alios multos, tùm Archytam, Timæumq; cognouiſſe, & didiciſſe Pythagorea omnia, primùmq; de animorum æternitate non ſolum ſenſiſſe idem, quod Pythagoras, ſed rationem etiam attuliſſe.

5. Heraclitus, cui omnia ſenſibilia perpetuò fluxere, animam intellectu præditam, firmam, perennemq; ſanxiſſe, vel ex eo videtur, quod aiebat, τὰ πάντα ψυχῶν εἶναι, καὶ δαιμόνων πλήρη. *omnia animarum, & dæmonum eſſe plena*. An quia per aerem vagari animas exiſtimarit, vt lõgè antea Heſiod? Porrò ipſe Stagerites idem de Heraclito innuiſſe viſus eſt, dum lib. 1. de Anim. tex. 32. aſſeruit, Alemęonem, qui animam fecit interitus experrem, eadem, atque Heraclitum de ipſa ſenſiſſe. Quippe cum dixiſſet, *Heraclitus quoque principium ait animam eſſe*, &c. ſubiungit, *Simili modo & Alemæon de anima putaſſe videtur. Dicit enim immortalem eſſe, eo quia ſimilis ipſis immortalibus eſt. Quod quidem ideò dixit ipſi competere, quia ſemper mouetur: mouentur autem & res omnes diuinæ continuè ſemper, Luna, Sol, Stella, totumque cælum.* De Alcmæone idem teſtatur Diog. Laert. in eius vita. Quinetiam Heraclitus eò vſque progreſſus eſt, vt, ταυτό γε εἶναι ζῶν καὶ τεθνηκός, καὶ τὸ ἐγρηγορὸς, καὶ καθεῦδον. *idẽ eſſe viuens, ac mortuum, quod vigilans, & dormiẽs.* dicat apud Plutarch. in orat. cõſolat. ad Apollon. didicerat nempe ex Homero, mortem dici χάλκεον ὕπνον.

6. Nec Democritus, quanquam oculorum aſpectu priuatus, animi acie ad hanc lucem, aut ego fallor, caliginauit. Primò, quia Pythagoricis diſciplinis vehementer addictus fuit; &, vt Laertius in eius vita loquitur, *omnia ex Pythagora videtur accepiſſe*: quo nemo firmius tunc immortalitatem aſſeuerauit. Deinde, quia integrũ elaborauit opus, Περὶ τῶν ἐν ᾅδῃ. *de his, quę in inferno ſunt*, ſeu, aguntur, (ſicut etiam ſcripſerunt Heraclides, & Antiſthenes Philoſophi) Porrò quid vnquam de ijs, quę apud inferos aguntur conſcripſiſſet, ſi illi anima exiſtimata fuiſſet caduca, vnàque cum animali perire?

Quod ſi alicubi animam appellarit, *ignem quendam, & calorem*, vt refert Stagirites lib. 1. de Anim. tex. 20. hoc ſanè tantum abeſt vt animorum æternitati quicquam officiat, quod lõgè potius fulciat. Audiuit nẽpe hoc de Chaldæis, qui perpetui animorum immortalitatis aſſertores, ac vindices extiterũt. Nouimus quippe locupletiſſimo Democriti patri, à Xerxe, quòd totis huius copijs epulum dederit, quoſdam Magos, & Chaldæos relictõs fuiſſe, qui Democritum erudirent. *à quibus cùm Theologiam, tùm Aſtrologiam didicit adhuc puer*: & poſtea incredibili diſcendi cupiditate accẽſum, eorundem regiones peragraſſe. Inter Chaldæorum verò oracula, hoc etiam celebrabatur, *quod anima, cum ſit ignis lucidus poteſtate patris, manet immortalis; & vita domina eſt.*

Quod ſi adhuc eam ipſam animam ex rotundis quibuſdam atomis, & inſecabilibus cõflaſſe videtur, qua de re hæc etiam legimus in eodem tex. 20. *Democritus quidem ignem quendam, & calorem dicit eſſe ipſam infinitis enim exiſtentibus figuris, & atomis, quę ſpecies rotũda, ignẽ, & animam dicit*, id fortaſſe abſtruſiori quadã cogitatione dictum eſt, & conſueta ambitione illorum, qui philoſophiæ arcana, rudi ac indocto populo promulgare, nefas arbitrabãtur; eamque ob cauſam verborum inuolucris implicabant. Quid autem? in tex. 26. poſt Empedoclis opinionem, adijcitur, *Eodem verò modo & Plato in Timæo, animam facit ex elementis: cognoſci enim ſimile ſimili, res autem ex principijs eſſe.* At Plato quæ vnquã intelligit elementa? haud ſanè vulgata hæc & communia (nihil eſt in Platonis doctrina animorum immortalitate confirmatius, quæ haud conſiſteret, ſi anima ex hiſce elementis cõſtaret) ſed longè diuerſa, vt in Timęo multis aperitur: & innuitur etiã in eo ipſo tex. 26. ex ijs Platonis libris, *quæ de Philoſophia dicuntur: ipſum quidem animal ex ipſius vnius idea, & ex prima longitudine, & latitudine, & altitudine: alia autem ſimili modo*, Quid ergo ſi quiſpiã ita de rotundis illis Democriti atomis affirmarit, ex quibus illi anima conflari videretur, maximè verò cum aliunde planum fecerimus, cum tenuiſſe animos immortales?

7. De Empedocle quid referam? Enimuerò dum lego, quæ tradita ſunt ab Stagirite in libris de Anima, hic porrò eius immortalitatem ſuſtuliſſe videtur: quippe qui, *eam ex elementis omnibus eſſe, & vnumquodq; horum affirmaut, vt terra quidem terram cognoſceret, aqua autem aquam*, quemadmodum legimus lib. 1. de Anima tex. 25. Quinetiam in tex. 58. & 59. adijcitur, eundem exiſtimaſſe, animã eſſe quãdam elementorum mixtionem, & craſim.

Quod ſi quiſquam occurrat, Empedoclem hæc ceciniſſe, nõ de intellectrice, ſed de anima

gen‿tatim accepta; vel fac etiam de noſtra, tamen de ſenſitrice ſolummus porrò confeſtim redarguitur, quia hic auctor ob eam cauſam cōſtituerat animam ex elementis, rerumq; omnino principijs conflatam, vt omnia intelligeret, *quia ſimile cognoſcitur ſimili*, quod nulli animæ, præterquam intellectrici conuenit. Accedit, quod Empedocl. opinatus eſt, idē eſſe intelligere, ac ſētire, & vtrumq; corporeum; qua de re ita Stagirites lib. 2. de Anim. tex. 150. *Et antiqui ſapere & ſentire idem eſſe aiunt; ſicut & Empedocles dixit, &c.* Et tex. 151. *omnes autem hi intelligere corporeum, ſicut & ſentire exiſtimant: & ſentire & ſapere ſimile ſimili.*

8. Alia vero ex parte proauiſſimorū auctorum teſtimonio proditum nouimus, Empedoclem, ita fuiſſe Pythagoricas diſciplinas ſectatum, vt in abſurdam etiā illam μετεμψύχωσιν, tranſanimationem deſcenderit; ſeq; ſuis carminibus cecinerit, aliquando piſcem, alitem, & virgultum fuiſſe: qua de re dictum a nobis eſt Diſput. 3. ſect. 1. Hæc verò extra omnem controuerſiam, animam rationis conſilijq; participem ſupponunt immortalem. Quinimo ſe ipſe poſt fata immortalē fore, & deum neſcio quem, hoc carmine, falſis vera inuoluens extulit: Qua enim ſe, nempe ſuam animam immortalem, perennemq; fore canebat, vera loquebatur, qua Deum, falſa. Carmen relatum a Diog. Laert. in vita Emped. huiuſmodi eſt.

Ὦ φίλοι, οἳ μέγα ἄστυ κατὰ ξανθοῦ Ἀκράγαντος
Ναίετ' ἀν' ἄκρα πόλεως, ἀγαθῶν μελεδήμονες ἔργων
Χαίρετ'· ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητὸς
Πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος, ὥσπερ ἔοικεν.

id eſt.

O amici, qui magnam vrbem, in flauo Agrigento
Incolitis, ſumma ciuitatis, bonarū rerum curatores
Valēte: ego verò vobis deus immortalis, non amplius mortalis
Verſor inter omnes honoratus, vt decet.

Quę profectò multum præſtant argumēti, eum ex animo aſſeruiſſe animæ immortalitatem. Verùm de Empedocle nihil vlterius: ad alios pergo.

9. Accedit ὁ ἀξιόπιστος ille, Xenocrates, cui tantum detulerunt Athenienſes, *vt*, verba ſunt Laertij, *cum Athenis nemini liceret, iniurato teſtimonium dicere, eo ſoli conceſſerint, iniurato teſtari.* Hic ergo tantus vir, in lib. de morte hanc ratiocinatur in modum. *Non eſt timendum homini de putrefactione futura, & ſenſuum amiſſione, quia diſſoluta re, quod compoſitum fuit, & anima in* *proprium locum abeunte, hoc quod reſtat terrenum, & irrationale corpus, homo nullo modo eſt. Nos namq; ſumus anima, immortale animal, in habitaculo mortali clauſum; idque vmbraculum malum, ad malum natura conſtruxit, vbi plures morbi, pituitæ, corruptiones, dulcia adulterina fluxa, caduca, & plurimis permixta moleſtijs, quibus anima neceſſariò condolet, per ſingulos diffuſa meatus, vt ſingula vincat. Quò fit, vt celeſtem cognatumq; ætherem iam deſideret, ſitiatq; vitam, chorumq; ſupernum. Nam vitæ huius amiſſio, a malo in bonum eſt tranſitus.* Hęc ipſa verba exſcripſit etiam Petrus Georg. Tholoſan. lib. 1. de immortal. anim. cap. 12.

Aſſociatur Cratippus, æq; fandi, ac philoſophandi vir præſtans, *quem parem ſummis Peripateticis iudicat.* M. Tullius lib. 1. de Diuinat. Hic vel ex oraculis, futurorumq; præſenſione, quæ per ſomnum, furoremq; eduntur, animorum æternitatem collegerat: de quo hæc Tullius in eo ipſo lib. *Quorum amborum*, oraculorū, *generum, vna ratio eſt, qua Cratippus noſter vti ſolet, animos hominum quadam ex parte extrinſecus eſſe tractos, & hauſtos: ex quo intelligitur eſſe extra diuinum animum, humanus vnde ducatur: atque eam animi partem, quæ rationis, atque intelligentiæ ſit particeps, tum maxime vigere, cum plurimum abſit a corpore.*

10. Vin' etiā adire Porticum? Cōmunis iam inde increbuit auctorum opinio, id extitiſſe Stoicorum dogma, quod animę ratione, intelligentiaq; præditæ, diſſolutis corporibus, remanerent quidem. Hucuſque rectè: ſed deinc offenderunt: nam eorum aliqui, in quorum numero fuit Chryſippus, aſſeruerunt, ſapientum quidem animas, quippe validiores, ſaluas incolumeſq; perſeuerare ad conflagrationem vſq; vniuerſi: ineruditorum verò animas, corpore ſolutas, paulatim debilitari, ac emori. Ita inter alios retulit Laert. in vita Zenonis, idq; ipſum intendit Plutarch. in ſua lingua, lib. 4. de placit. Philoſoph. cap. 7. quanquam latini codices, id vehementer inuoluāt. At verò, Cleanthes, qui vſqueadeò Zenonis præceptoris ſui decreta obſeruauit, vt vnus in eius locum fuerit ſuffectus, arbitratus eſt, omnes hominum animas, perdurare donec mundana hæc rerum vniuerſitas conflagraret, auctore eodem Laertio loco quem dixi. Stoici enim in ea fuerunt opinione, quod omnia forent aliquando interitura, etiam vniuerſum, etiā ſydera, & cęlum ipſum: Tum verò etiam animum, quem ex æthereo corpore conſtare,

arbitrabantur vnà cũ ſyderibus, cæloq; & tota mundi machina, corruptũ iri. Quæ ſententia, & quo ad animas, & quo ad vniuerſum, falſa eſt. Quippe cũ animę, (vt reliqua ſileam) corporibus laxatę, ſint quędã ſubſtantię à quauis contrarietate vacuę, ab interno principio interire non poſſunt. Cęterũ Stoici, etſi in hunc ſcopulũ offenderint; in eo tamen ex vero locuti ſunt, dum animas rationis intelligẽtiæq; participes non vnà cum corporibus euaneſcere, ſed ſuperſtites quoquo pacto durare exiſtimarint.

12. Poſtremò, ne te morer pluribus, hæc tango. Xenophanes prædicat, *ὅτι ἡ ψυχὴ ἐστὶ πνεῦμα: quod anima eſt ſpiritus*, auctore Laert. in eius vita. Iſocrates tantumnon clamat orat. 2. ad Nicoclem. *ἐπειδὴ θνητοῦ σώματος ἔτυχες, ἀθανάτου δὲ ψυχῆς, πειρῶ τῆς ψυχῆς ἀθάνατον μνήμην καταλιπεῖν, poſtquam mortale quidem corpus, immortalem autem animam ſortitus es, conare animæ, nũquam interituram memoriam relinquere.* Xenophon lib. 4. de dict. & fact. Socr. & lib. 8. Cyripęd. animorum æternitatem ex inſtituto aſtruit: Maximus Tyrius ſermone 25. & 28. ornatè & copioſè id ipſum molitur. Epictetus & Arianus paſſim in Enchirid. Plutarchus pluribus in locis, maximè verò in lib. de Sera Numin. vind. & in vita Romuli, his omninò loquitur. *Cum rem ipſam teneamus, vt ait Pindarus.*

Omnium corpus tenetur morte pallida,
Mens reſtans, æternitatis effigiem tenet.

Ea enim ex dijs eſt ſola, inde eius ortus, eòdem eſt & reditusq; non quidem comitãte corpore, verùm vbi planè à corpore explicata ſit, & ſeiuncta, euaſeritq; iam vndequaque pura, carne exuta, & munda. Aridus enim hic animus eſt, vt vult Heraclitus præſtantiſſimus, qui è corpore, vt è nube fulgur exilit. Verùm equidem ad iuniores non deſcendam, quorum mihi ingens obijcitur copia: priſcos & venerandos repeto, maximè Academiã eiuſq; principem Platonem, ſit ergo.

SECTIO VIII.

Adducuntur nonnullæ Platonis rationes pro animorum æternitate: tum concluditur hæc pars.

1 DIuinus Plato, quem omnis antiquitas venerata eſt, & ſequi gauiſa poſteritas, vt animorũ æternitatem, impenſius explicaret, mirabili quadam voce vſus eſt, nempe *ἀδαμαντίνως ἔχειν, adamanticè habere*. Quippe lib. 10. de Republ. poſtquam animam rationis participem, ab omni interitu liberam patefecerat, hæc adijcit, *ἀδαμαντίνως δὲ δεῖ ταύτην τὴν δόξαν ἔχοντα, εἰς ᾅδου ἰέναι*, id eſt, *adamanticè igitur hanc opinionem habentem, oportet ad inferos proficiſci.* Tum etiam, *myſteria*, inquit, *hæc de immortalitate animæ, adamãtinis rationibus probata ſunt.*

2. In Phædone Socrates hęc habet: *Vetus, hic extat ſermo, cuius memores ſumus, abire quidẽ illuc animas defunctorũ, rurſusq; huc reuerti, fieriq; ex mortuis.* Cumq; multis de animorum immortalitate diſputaſſet, iamq; moriendi tempus vrgeret, rogatus à Critone, quonam modo ſepeliri uellet, reſpondit; *multa, mò amici, operã fruſtra conſumpſi: Critoni enim noſtro nondum perſuaſi, me hinc auolaturum, nec quicquã mei relicturum. Veruntamen, ò Crito, ſi me aſſequi poteris, aut ſicubi nactus eris, vtcũq; tibi videtur ſepelito: ſed mihi crede, nemo me veſtrũ, cum hinc exceſſero, cõſequetur.*

3. In Gorgia ſic habet, *multis criminibus refertum aliquem ſecũdum animam, ad inferos deſcendere, extremũ omnium malorum eſt.* Et paucis interiectis ſubnectit, *legẽ de hominibus ſub Saturno extitiſſe, & ſemper, & nunc etiam extare apud Deos, quicumq; homines piè, iuſtèq; vitam egiſſent, eos cum è vita migrarent, ad beatorum inſulas profectos, in omni fœlicitate viuere, à malis longè ſeiũctos: qui verò iniuſtè, impieq; vixiſsẽt, eos in punitionis, iuſtiq; ſupplicij carcerẽ, quod appellant Tartarum ire.*

4. Audi quàm vltra humanam conditionẽ euehitur, lib. 12. de legib. *Ac reuera*, inquit, *vnũquemq; noſtrum ſecundum animam immortalẽ eſſe, eamq; ad Deos alios proficiſci, rationem ſuorum operum redditurã, vt lex patria continet; in quo certè bonis viris confidendũ eſſe, malis autem formidandũ: quippe cum poſt mortem omni auxilio careant, viuentibus autem neceſſarios omnes conſulere debuiſſe, vt quàm iuſtiſſimè, atq; ſanctiſſimè viuant, ne maxima eos ſcelerum poſt mortem ſupplicia maneant.* Tãdem pulcherrimum illud de Republ. opus, ita concluſit. *Quamobrem, ſi ſermonibus meis obtemperabimus, immortalem fore animam arbitrantes, taleq; vt & mala poſſit, & bona omnia ſuſtinere, viam ſemper ad ſuperiora ducentẽ ſequemur, iuſtitiamq́; cum prudẽtia omni ratione colemus, vt & nobis ipſis ſimus, et dijs amici, dum hanc ducimus vitã, & poſtquã virtutis præmia reportauerimus, tanquã potiti victoria, & triumphis, & hic, & in millenario annorũ itinere, quo de diximus, fœliciter habeamus.*

5. Hic iam aliquas eiuſdem rationes audire lubet, ſed ea lege, vt quas ille diuina facũdia copioſiſſimè proſecutus eſt, ſtrictim & compendio comprehendam. Principio in Phędro ſic ratiocinatur. Anima à ſemetipſa mouetur,

eſt igitur interitus expers: quod enim à ſe ipſo mouetur, ſemper mouetur, quia ſe ipſum nunquam deſerit. Quam quidem rationem Academici omnes, quippe quauis alia clariorem, efficacioremq; arbitrati ſunt, magni perpetuo fecere, in eaq; dilucidanda plurimam impenderunt operam. Quinimo Albert. Magn. in lib. de orig. animæ, hanc rationem paucis commutatis eandem eſſe ait, atq; illam Stagiritæ, qua lib. 2. de generat. animal. cap. 3. probat, mentem forinſecus accedere, ſolamq; eſſe diuinam, *quia cum eius actione, nō communicat actio corporalis.* Etenim, auctore Alcinoo in lib. de doctrina Platonis cap. 25. Plato iccircò vocat animam ſe ipſam mouere, quia habet vitam innatam, & per ſe ipſam operātem: ita vt apud eūm idem ſit animā ab ſe moueri, quod apud Ariſt. habere propriam operationem.

6. Deinde, conſtat, animam corpore præſtantiorem eſſe, illique præeſſe, ac imperare, (quod cernimus in uiris iuſtis, ac ſapientibus) ſicut diuina mortalibus præſunt, ac imperant: non igitur dependet à corpore, neq; commiſcetur cum eo. Rectè enim Anaxagoras dixit ſolum intellectum non fuiſſe mixtum cum alijs rebus, vt illis dominari, ac imperare poſſet.

7. Poſt, vnum contrarium nequit fieri ſuū contrarium: nec enim vnquam calor algebit. Atqui animus noſter per ſe viuit, & corpori impertitur vitam, non igitur eſt capax mortis, quę eſt vitæ contraria.

8. Præterea, inter omnia animantia, ſolus homo cognoſcit, & colit Deum, ſolus delubra, & altaria dijs exſtruit, ſolus intimo cōſcientiæ cruciatur angore, ſolus tangitur deſiderio, & cura poſteritatis, ſolus vritur immortalitatis amore, ſolus ſtudet & contendit proximè ad Dei ſimilitudinem accedere, ſolus ergo inter omnia animantia quantum ad animam, erit immortalis.

9. Tum verò, Philoſophari nihil eſt aliud, quàm animam à corpore abducere ac ſeparare, anima igitur ſeparabilis eſt: ſecus fruſtra laboraret Philoſophus, quia hac in vita nunquā perfectè ſeparatur; quod in cauſa eſt, cur etiam nunquam perfectè ſciamus: aliquando igitur eam perfectè ſeparari oportet, vt perfectam rerum cognitionem conſequatur.

10. Ad hęc, ſublata animorum ęternitate, funditus euertitur Dei prouidentia, qua re nihil magis impium excogitari poteſt: *nam rectè apparet dictum,* inquit Socrates in Phædro, *deos quidē curam habere noſtri, nos verò homines, vnam quandam ex poſſeſſionibus eſſe deorum.* Et lib. 10. de legib. *non erit*, inquit, *difficile demonſtrare, deos non minus minimarum rerum, quàm maximarum curam habere*; quo loci mirificè attollit hoc argumentum.

11. Item, corpus poſt animę receſſum non illico perit, ſed integrum aliquantum conſeruatur: ſi igitur anima, longè eſt eo pręſtantior, diuiniorque, haudquaquam credendum, eam ipſa ſeparatione perire.

12. Quid verò? ſicut corpus noſtrum, quia eſt ſimile rebus caducis, ac mortalibus, caducum ac mortale eſt, ita animus, quia Deo, rebuſq; diuinis, ac immortalibus, quàm ſimillimus eſt, minimè dubitandum, quin is quoq; ſit immortalis. Quam quidē Platonis argumentationem, mirum in modum extollit Porphyrius, in ijs, quæ ſcripſit ad Boëthum, diſertiſque, & elegantibus verbis illuſtrat; omniumq; argumentorum, quæ ad hanc rem confirmandam adduci queunt, ſimillimam arbitratur, vt videre licet apud Euſeb. lib. 11. de Præpar. Euang. cap. 14.

13. Porrò, ſolet etiam Plato animorum immortalitatem ex eo ſtatuere, quod animę contrarium eſt ignorantia, à qua tamen haud corrumpitur.

14. Tum verò ex oraculis Deorum, ex vetuſtatis opinione, ex vaticinijs & reſponſis optimorum, & ſapientum hominum, ex mortuorū apparitionibus, ex hominis fine, quę eſt cognitio, ex illa ſua reminiſcentia, & ex alijs capitibus, quæ apud eum quiſq; legere poteſt in dialogis, Phædro, Phædone, Timæo, Philebo, Menone, in lib. de Repub. de Legib. & in epiſtolis, præſertim ad Syracuſanos. Nos hæc attigimus ſolum: qui verò accuratam eorum dilucidationem, & plura cupit, adeat Proclum in Timæum, Plotinum de anima, Marſilium Ficinum, tum in dialog. quos dixi, tum in corpore Theologię Platonis, Iamblicum, Plethonem, Plutarchū lib. 4. de placitis Philoſophorū cap. 7. & in oratione conſolatoria ad Apollon. & in lib. de ſera numinis vindicta; ſed omninò in ſermone, cui inſcriptio, *De ea, quę in Platonis Timæo narratur ψυχογονία, animarum generatione.*

15. Ergo ne ſolus Ariſtotiles Platonis diſcipulus, ab hac tam vetuſta, tamque communi omnium gentium conſenſu firmata, atque à maioribus, ac magiſtris, ceu hæreditaria, poſteritati relicta opinione, diſceſſit?

Por-

Porrò quod de animorum immortalitate, omnes ætates ſenſerunt, idem ipſe amplexus eſt. Immò verò veteres quidam ſcriptores memoriæ prodidere, Stagiritem, cum extrema ſibi im pendere præſenſiſſet, in lachrymas profuſum, primæ cauſæ miſericordiam intentius implorasſe: quin & Homeri ſententiam ex Odyſſ. vehementer approbaſſe, qua pronunciatur, non eſſe immortalib. dijs indecorum, hominis induere naturam, quò ab erroribus ſeuocentur mortales. Et in libro de Pomo, quiſquis eius fuerit auctor, adnotatum inuenies, retulitque Cælius Rhodiginus libro 10. cap. 31. diſcipulos Stagiritæ, qui illi aderant morienti, cum is expiraſſet, ſic eum affatos; *Ille qui Philoſophorum animas excipit, & tuam colligat in ſuis recondens Theſauris, vti animam addecet recti hominis, & perfecti, qualem te nouimus.*

16. Sed iam nunc finis ſit in re propemodum infinita; ſi cum Platone lib. 11. de legib. dixerimus, fidem, quod animi ſint immortales, quod poſt diſceſſum è corpore ſentiant, viuant, vigeant, longè eſſe antiquiſſimam, vt, vel ob vetuſtatem ipſam, quia vetuſtiora ſunt meliora, Dijſque propiora; magis ſit hominibus excipienda. *Defunctorum animæ*, inquit ille, *vim habent quandam, quà de rebus humanis curam habent: hæc vera quidem, & longa oratione probantur: quare alijs etiam ſermonib. hac de re credere oportet, eum ſint tam triti, tamq; antiqui.* Quo etiam teſtimonio vtitur Tullius Tuſcul. lib. 1. apud quem ita legimus, *diuino igitur inſtinctu lo cuti ſunt, dicentes famam de animorum æternitate, eſſe vetuſtiſſimam, auctoritate priſcorum ſæculorum confirmatam, à patribus per continuam ſucceſſionem, quemadmodum notionem Dei, traditã.* Denique cum Hierocle Pythagoræo conclude, ἐν βούλεται ὁ κακὸς ἀθάνατον εἶναι τὴν αὐτοῦ ψυχὴν ἵνα μὴ ὑπομένοι τιμωρούμενος, καὶ φθάνει τὸν ἐκεῖ δικαστὴν, θάνατον ἑαυτοῦ καταψηφισάμενος. nempe, *non vult, improbus animam ſuam immortalem eſſe, ne pœnas ſuſtineat, & præuenit eum, qui ibi eſt iudicem, ac ſe ipſum morte condemnat;* Improbi igitur homines, ſcelesti, libidinibus, vitæq; turpitudini dediti, eundem animæ, & corporis ſupremum eſſe diẽ, proprio ſibi malo ſuadent. Oraculum eſt Platonis, quod ſequitur ex libro 12. de legibus. *Nunquam mortalis quiſpiam poterit Deum firmiter colere, qui animam immortalem non teneat.* Nimius fortaſsè ego in græcanicis iſtis; ipſe græca iſta, latinis, quæ hic ſubijciam, tempera: ſit ergo.

SECTIO IX.

Ex præcipuis latinis auctoribus animorum æternitas comprobatur.

1 Latiale agmen quis ducat? an Q. Ennius ille pater, qui maxima Romanorum racta panxit? meritò: quando & inter latinos auctores vetuſtior: quippe tametſi Liuius Andronicus, primus omnium poetarum latinorum anno ante natum Ennium, nimirum A.V.C. quingenteſimo decimo, C. Claudio Cęci filio, & M. Tuditano, Romæ fabulam dederit, cum tamen fama minor recondidit; nec eſt, quod nos in eius fabula fabulemur. Ennium verò animorum æternitatẽ ex intimo animi tenuiſſe, his omninò teſtatur Tullius lib. 1. Tuſc. *Itaq; vnum illud, inhærens erat inſitum priſcis illis, quos caſcos appellat Ennius, eſſe in morte ſenſum; neq; exceſſu vitæ ſic deleri hominẽ, vt funditus interiret. Idq; cum multis alijs rebus, tum è pontificio iure, & cęremonijs ſepulchrorum intelligi licet; quas maximis ingenijs præditi; nec tanta cura coluiſſent, nec violatas tam inexpiabili religione ſanxiſſent, niſi hæſiſſent in eorum mentibus, mortem non interitum eſſe, omnia tollentem, atq; delentem, ſed quandam quaſi migrationem, commutationemq; vitæ, quæ in claris viris, ac fœminis, dux in Cælum ſoleret eſſe: in cæteris, humi retineretur, & permaneret tamen: ex hoc, & noſtrorum opinione.*

Romulus in Cælo cum Dijs agit æuum.
Vt fama aſſentiens dixit Ennius.

2. Extat Ennij epitaphiũ de Scipione Africano maiore, quo aſſerit, ſi cui vnquam, illi maximè ob egregia facta, cęleſtẽ reſerari ſedem.

A Sole exoriente ſupra Mæotidi paludes
Nemo eſt qui factis me æquiparare queat.
Si fas endo plagas cęleſtum ſcandere quoiquam,
Mi ſoli cæli maxuma porta patet.

3. Se etiã à quoquã fleri hoc carmine vetuit
Nemo me lachrumis decoret, nec funera fletu
Faxit: Cur? volito viuu' per ora virum.

Quid ita? quia licet corpore moreretur, animo tamen viuus, atq; incolumis per hominũ ora volitans, ſui laudes decerperet.

4. Quid librorum helluo M. Varro? *quo nemo vnquam doctior vixit*, vt ait Lactantius libro 1. diuin. Inſtitut. cap. 6. de quo dictum fuit, cum tanta ſcripſiſſe, vt nihil videretur potuiſſe legere, tantum è conuerſo le-

giſſe, vt videretur nihil potuiſſe ſcribere. Hic verò in eo libro, quem de Dijs ſelectis elaborarat, vbi animæ gradus in vegetantem, ſentientem, & intellectualem diſtribuerat, poſtremum ita conſerit cum Deo, vt quod Deus ad mundum, hoc ad corpus humanum ſit animus, & quemadmodum ille, ita hic æternus, ac immortalis. Cape mentē eius, ex verbis D. Auguſtini lib. 7. de Ciu. Dei c. 23. *Varro* (inquit Auguſtinus) *in libro de Dijs ſelectis, tres eſſe affirmat animæ gradus in omni vniuerſaq; natura: Vnū qui omnes partes corporis, quæ viuunt tranſit, & non habet ſenſum, ſed tantum ad viuendum valetudinē: hanc vim in noſtro corpore permanere dicit in oſſa, vngues, capillos; ſicuti in mundo arbores ſine ſenſu aluntur, & creſcunt, & modo quodam ſuo viuunt. Secundum gradū animæ dicit, in quo ſenſus eſt; hāc vim peruenire in oculos, aures, nares, os, tactum. Tertium animæ gradum eſſe ſummum, qui vocatur animus, in quo intelligentia præeminet, hoc præter hominem omnes carere mortales; in qua quidem homines Deo videntur eſſe ſimiles.* Hæc Auguſtinus, in quæ quidem verba adeundus eſt Lodouicus Viues qui varias lectiones adnotauit illorum verborum; *hoc præter hominem, &c.*

5. Quid deliciæ latinæ Tullius? tractauit ſæpenumero hoc argumentū, quaſque ex Platone collegerat rationes, & quę eius vbertati magis accōmodatæ videbantur, ſolita verborum copia proſequutus eſt. Quāuis enim in primo Tuſculanar. quæſt. libro, vbi veterū philoſophorum opiniones cōmemorauit, de anima ſ pęnè anceps hæc omninò litteris dederit. *Harum ſententiarū, quæ vera ſit, Deus aliquis viderit, quę veri ſimillima, magna quęſtio eſt.* Et paulò inferius ſe propalam fateatur neſcire, quid ſit anima; *nec me* (inquit) *pudet fateri neſcire, quod neſciam*, & in eiuſdem diſputationis extrema parte, cum disiunctione concludat, mortē propterea timendam non eſſe, quia *vel ſupremus ille dies, non extinctionem, ſed commutationem affert loci, quo, quid optabilius? vel perimit, ac delet omninò, quo quid melius, quàm in medijs vitę laboribus obdormiſcere, & ita conniuentem ſomno cōſopiri ſempiterno?* quod poſtea ad ſe, quaſi Cæcias, vt aiunt, nubes attrahens, ita pergit. *Nos verò, ſi quid tale acciderit, vt à Deo denunciatum videatur, vt exeamus è vita, læti, & agentes gratias pareamus, emittiq; nos à cuſtodia, & leuari vinculis, arbitremur; vt, aut in æternam, & planè in noſtram domum remigremus, aut omni ſenſu, moleſtiaquè careamus.*

6. Quamuis inquam hæc Tullius, nihilominus ita alibi animum noſtrum immortalem ac diuinum eſſe tuetur, vt hac de re, vel iurare audeat: ſic in eo, quem dixi, libro; *ſiue anima, ſiue ignis ſit animus, eum iurarem eſſe diuinum.* Rationem ſubnectit ab excellentia memoriæ, quæ tantas rerum ſpecies & notiones conſeruat. *Quid obſecro te*, inquit, *terra ne tibi, aut hoc nebuloſo, & caliginoſo Cęlo, aut ſata, aut concreta videtur tanta vis memoriæ?*

Quæ tamen ratio parum firma eſt, cum muta etiam animantia memoria polleant, & quædam longè maiore, quàm homo.

7. Multis deinde effert aliud argumentū, ex animi ſagacitate, & ui, quæ inueſtigat occulta; eoquè inuentio, & cogitatio nuncupatur, vt tandem inferat; *ergo animus, vt ego dico diuinus, vt Euripides audet dicere, Deus eſt.* Et paulò inferius, *ſic mentem hominis, quamuis eam non videas, vt Deum non vides, tamen vt Deum agnoſcis ex operibus eius, ſic ex memoria rerum, & inuentione, & celeritate motus, omniquè pulchritudine virtutis, vim diuinam mentis agnoſco.* Et Rurſus, *ſed vt Deos eſſe natura opinamur, qualeſq; ſint ratione cognoſcimus, ſic permanere animos arbitramur conſenſu nationum omnium.* Multa huiuſmodi in eo libro. In ſomnio Scipionis hæc habet. *Tu verò enitere, & ſic habeto, te non eſſe mortalem, ſed corpus hoc: nec enim is es, quem forma iſta declarat, ſed mens cuiuſque, is eſt quiſque, non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt:* in 5. Tuſc. humanus animus *decerptus dicitur à mente diuina*; de legib. *animus eſt ingeneratus à Deo*; de Vniuerſ. *Deus animum concluſit in corpore*; tum etiam, *omnium animi immortales, ſed bonorum fortiumq; diuini* in lib. de Amicitia, *Neq; enim*, inquit, *aſſentior ijs, qui hæc nuper diſſerere cœperunt: cum corporibus ſcilicet animos ſimul interire, atque omnia morte deleri. Plus apud me valet noſtrorum auctoritas, vel noſtrorum maiorum, qui mortuis tam religioſa iura tribuerunt, quod non fecisſēt profectò, ſi nihil ad eos pertinere arbitrarentur, &c.* Et centis in locis ſimilia profitetur quę omitto.

8. Vnum exſcribam ex Catone Maiore ſeu de ſenectute vbi ſic pergit. *Veſtros patres P. Scipio, tuque C. Læli, viros clariſſimos, mihique amiciſſimos, viuere arbitror, & eam quidem vitam, quæ eſt ſola vita numeranda, nam dum ſumus in his incluſi compagibus corporis, munere quodam neceſſitatis, & grauis opere perfungimur, eſt n. cæleſtis animus ex altiſſimo domicilio depreſſus, & quaſi demerſus in terram, locum* di-

Digitized by Google

diuina natura, æternitatiq; contrarium. Sed Credo Deos immortales ſparſiſſe animos in corpora humana, vt eſſent, qui terras tuerentur, quiq; cœleſtium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitæ modo, atque conſtantia. Nec me ſolum ratio & diſputatio impulit, vt ita crederem, ſed nobilitas etiam Summorum Philoſophorum, & auctoritas. Audiebam Pythagoram, Pythagoreoſque, incolas pene noſtros, qui eſſent Italici Philoſophi quondam nominati, nunquam dubitaſſe, quin ex vniuerſa mente diuina delibatos animos haberemus. Demonſtrabantur mihi præterea, quæ Socrates ſupremo vitæ die de immortalitate animorum diſſeruiſſet; is, qui eſſet ſapientiſſimus oraculo Apollinis iudicatus. Quid multa? ſic mihi perſuaſi, ſic ſentio. Cum tanta celeritas ſit animorum, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tot ſcientiæ, tot inuenta; non poſſe eã naturã, quæ res eas contineat, eſſe mortalem. hæc Tullius, nec ego ex eo plura.

9. Subijciam hic alium M. Tullio, ſi nõ eloquentia, at doctrina, vel parem, vel etiam potiorem, Senecam philoſophum. Multus hic in probanda animorum æternitate. In præfat. librorum natural. quæſt. hæc habet. *Punctum eſt illud, in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis, minima etiam, cum illis vtrimq; Oceanus occurrit. Surſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur: at ita minimum ſecum ex corpore tulit, ſi ſordidum omne deterſit, & expeditus leuiſque ac contentus modico emicuit. Cum illa tetigit, alitur, creſcit: ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum Diuinitatis ſuæ, quòd illum diuina delectant: nec vt alienis intereſt, ſed vt ſuis. Securè ſpectat occaſus ſyderum, atque ortus, & tam diuerſas concordantium vias. Obſeruat vbi, quæque ſtella primum terris lumen oſtendat, vbi culmen eius ſummum quà curſus ſit, quouſq; deſcendat. Curioſus ſpectator excutit ſingula, & quærit. Quidni quærat? Scit illa ad ſe pertinere. Tunc contemnit domicilij prioris anguſtias, quantum enim eſt, quod ab vltimis littoribus Hiſpaniæ vſque ad Indos iacet? Pauciſſimorum dierum ſpatium, ſi nauem ſuus ventus impleuit. At illa regio cœleſtis per triginta annos velociſſimo ſideri viam præſtat, nuſquam reſiſtenti, ſed æqualiter cito. Illic demum diſcit quod diu quæſiuit: illic incipit noſſe Deum.*

10. Tum in Epiſt. 31. ad hæc ſcribit. *Tutum iter eſt, iucundum eſt, ad quod natura te inſtruxit. Dedit tibi illa, quæ ſi non deſerueris, par Deo ſurges. Parem autem Deo pecunia non faciet: Deus nihil habet. Prætexta non faciet: Deus nudus eſt. Fama non faciet, nec oſtentatio tui, & in populos nominis dimiſſa notitia: nemo nouit Deum: multi de illo malè exiſtimant & impugnè. Non turba ſeruorum, lecticam tuam per itinera vrbana portantium: Deus ille maximus, potentiſſimuſq; ipſe vehit omnia: ne forma quidem, & vires beatum te facere poſſunt: nihil horum non patitur vetuſtatem. Quærendum eſt ergo quod non fiat in dies deterius, cui non poſſit obſtari. Quid hoc eſt? animus: ſed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quàm Deum in humano corpore hoſpitantem? Subſilire in cœlum ex angulo licet: exurge modò, & te quoque dignum finge Deo. Finges autem non auro, non argento: non poteſt ex hac materia, imago Dei exprimi ſimilis, &c.*

11. In epiſt. 92. ita pergit. *Si cui virtus, animuſq; in corpore præſens, hic deos æquot, illò tendit originis ſuæ memor. Nemo improbè eò conatur aſcẽdere, vnde deſcenderat. Quid eſt autẽ cur non exiſtimes in eo diuini aliquid exiſtere, qui Dei pars eſt? totum hoc quo continemur, & vnum eſt, & Deus: & ſocij eius ſumus, & membra.* Et paucis interiectis, *Cum ſe*, inquit, *animus in hanc ſublimitatem tulit, corporis quoque velut oneris neceſſarij non amator, ſed procurator eſt. nec ſe illi, cui impoſitus eſt, ſubijcit. Ab hoc, modo æquo animo exit, modo magno profilit, nec quis deinde reliquijs eius futurus ſit exitus, quærit. Sed ut ex barba capillos detonſos negligimus, ita ille diuinus animus egreſſurus hominem, quò receptaculum ſuum conferatur, ignis illud exurat, an feræ diſtrahant, an terra contegat, non magis ad ſe iudicat pertinere, quàm ſecundas ad editum infantem.*

12. In epiſt. etiam 65. *Ego*, inquit, *iſta nõ quæram? ego neſciam unde deſcenderim? ſemel hæc mihi uidenda ſint, an ſæpe? Neſciam quò hinc iturus ſim? quæ ſedes expectet animam ſolutam legibus ſeruitutis humanæ?* Nec longo interuallo ſubiungit, *Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus: quod eſt illic materia, id nobis corpus eſt.* Ibidem ſic habet. *attolunt, & leuant animum, qui graui ſarcina preſſus, explicari cupit, & reuerti ad illa, quorum fuit. Nam corpus hoc, animi pondus, ac pœna eſt: premente illo urgetur, in uinculis eſt, &c.*

13. Hiſce ſimilia apud hunc auctorem permulta paſſim offendes: res in immenſum protraheretur, ſi cũcta ſubijcere vellẽ: Vnum equidẽ quin exſcribã, temperare mihi nõ poſſum: Cõtinetur id in epiſtola 102. his verbis. Dic potiùs, quàm naturale ſit, in immenſum mentem ſuam extendere. Magna & generoſa

res eſt humanus animus: nullos ſibi poni niſi co nmunes & cùm Deo terminos patitur. Primùm, humilem non accipit patriam: Epheſum aut Alexandriam, aut ſi quod eſt etiamnum frequentius incolis, latius tectis ſolum. Illi patria eſt, quodcunque ſuprema & vniuerſa circuitu ſuo cingit: hoc omne conuexum, intra quod iacent maria cum terris, intra quod aer humanis diuina ſecernens etiam coniungit, intra quod diſpoſita tot numina in actus ſuos excubant. Deinde, arctam ætatem ſibi dari non ſinit. Omnes, inquit, anni mei ſunt, nullum ſæculum magnis ingenijs cluſum eſt, nullum non cogitationi peruium tempus. Cùm venerit dies ille qui mixtum hoc diuini humaniq; ſecernat, corpus hoc, vbi inueni, relinquam: ipſe me dijs reddam. nec nunc ſine illis ſum, ſed graui terrenoq; detineor. Per has mortalis æui moras, illi meliori vitæ longioriq; proluditur. Quemadmodum nouem menſibus nos tener maternus vterus, & præparat non ſibi, ſed illi loco in quem videmur emitti, iam idonei ſpiritum trahere, & in aperto durare: ſic per hoc ſpatium, quod ab infantia patet in ſenectutem, in alium naturę ſumimur partũ. Alia origo nos expectat, alius rerum ſtatus. Nondum cælum, niſi ex interuallo, pati poſſumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice: non eſt animo ſuprema, ſed corpori. Quidquid circa te iacet rerum, tamquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta: tranſeundum eſt: Excutit redeuntem natura, ſicut intrantem. Non licet plus efferre, quàm intuleris: imò etiam ex eo, quod in vitam attuliſti, pars magna ponenda eſt. Detraheтur tibi hæc circumiecta, nouiſſimum velamentum tui, cutis: detrahetur caro & ſuffuſus ſanguis, diſcurrenſque per totum: detrahentur oſſa neruique, firmamenta fluidorum ac labentium. Dies iſte, quem tamquã extremum reformidas, æterni natalis eſt. Depone onus. quid cunctaris; tamquam non prius quoque, relicto, in quo latebas, corpore, exieris? Hæres & reluctaris: tum quoque magno niſu matris expulſus es. Gemis, ploras: & hoc ipſum flere, naſcentis eſt. Sed tunc debebat ignoſci. rudis & imperitus omnium veneras: ex maternorum viſcerum calido molliq; fomento emiſſum, afflauit aura liberior. Deinde, offendit durę manus tactus: tenerq; adhuc, & nullius rei gnarus, obſtupuiſti inter ignota. Nunc tibi non eſt nouum ſeparari ab eo, cuius ante pars fueris: æquo animo membra iam ſuperuacua dimitte, & iſtud corpus inhabitatum diu, pone. Scindetur, obruetur, abolebitur. Quid contriſtaris? ita ſolet fieri. Pereunt ſemper velamenta naſcentium. Quid iſta ſic diligis, quaſi tua? iſtis opertus es. Veniet qui te reuelet dies, & ex contubernio fędi atque olidi ventris educat. Hinc nunc quoque tu quantum potes, ſubuola: vtique etiam neceſſarijs, quæ cohærebunt, alienus. Iam hinc . altius aliquid ſublimiuſque meditare . Aliquando naturæ tibi arcana retegentur, diſcutietur iſta caligo, & lux vndique clara percutiet. Imaginare tecum, quantus ille ſit fulgor, tot ſideribus inter ſe lumen miſcentibus. Nulla ſerenum vmbra turbabit: ęqualiter ſplendebit omne cęli latus: dies & nox, aeris infimi vices ſunt. Tunc in tenebris vixiſſe dices, cùm totam lucem totus adſpexeris: quam nunc, per anguſtiſſimas oculorum vias, obſcurè intueris, & tamen admiraris tam procul. Quid tibi videbitur diuina lux, cùm illam ſuo loco videris? Hæc cogitatio nihil ſordidum animo ſubſidere ſinit, nihil humile, nihil crudele. Deos omnium rerum eſſe teſtes ait, illis nos approbari, illis in futurum parari iubet, & æternitatem proponere.

14. In quibus Senecę verbis perpende: Primò, humanum animum eſſe ſimilem Deo, cum nullos ſibi, niſi cum Deo patiatur præfigi terminos, ſed per vniuerſa expatietur. Secundò, cum exceſſit e corpore, diuis, & genijs, ſeu ſpiritibus ſociari. Tertiò, nos hic verſari tanquam in via, patriam noſtram Cælum eſſe, omnia, quæ in hoc mundo extra animam poſita ſunt, eo loco habẽda, quo ſarcinæ, variaq; ſuppellex hoſpitij, per quod, iter agentes trãſimus. Quartò, ſicut infans nouem menſibus præparatur ad vitam degendam in hoc mundo, ita nos toto hoc tempore, quo viuimus, præparati ad vitam immortalem ſæculi futuri. Quintò, ſupremum diem vitæ mortalis, initialem eſſe æternitatis. Sextò, animũ a corpore digreſſum, arcana naturæ, & lucem diuinam viſurum. Septimò, æternitatem ob oculos habendam, vt illi nos aptemus, & Deo omnium rerum inſpectori vitam noſtram approbemus.

15. Hæc omnia, ea mente liberius hic exſcripſi; vt ex ipſis grauiſſimi huius viri, haud immeritò Philoſophi, & moralis cognomẽto condecorati verbis, tute diiudices, quàm fędè

errent neſcio qui, dum hi quidem præclarum hunc auctorem animarum immortalitatem, aiunt, vocauiſſe in dubiũ; alij eum penitus ſuſtuliſſe; *& Lucretij, Luciani, & Epicureorum impietati ſubſcripſiſse*; eò potiſſimùm argumento inducti, quod ille epiſt. 54. dicat, oẽs homines antequàm naſcerentur, mortem fuiſſe expertos, quippe mors eſt non eſſe: hinc concludit, quia antequam in lucem prodiremus, nullã vexationem ſenſimus, in morte nihil eſſe tormenti. id quod exemplo lucernæ declarat. Eum audi. *Quid hoc eſt? inquam. tam ſæpe mors experitur me? faciat. at ego illã diu expertus ſum. Quando inquis? antequam naſcerer. Mors eſt non eſſe id quod ante fuit, ſed quale ſit, iam ſcio. hoc erit poſt me, quod ante me fuit. Si quid in hac re tormenti eſt, neceſſe eſt, & fuiſſe antequam prodiremus in lucem: atqui nullam ſenſimus tunc vexationem. Rogo non ſtultiſſimum dicas, ſi quis exiſtimet lucernæ peius eſſe cum extincta eſt, quàm antequàm accenderetur? nos quoque & accendimur, & extinguimur: medio illo tẽpore aliquid patimur. Vtrimq; verò alta ſecuritas eſt. In hoc enim, mi Lucili, niſi fallor, erramus, quòd mortem iudicamus ſequi, cum illa & præceſſerit, & ſecutura ſit. Quidquid ante nos fuit, mors eſt. Quid enim refert, vtrum non incipias, an deſinas? vtrinſque rei hic eſt effectus, non eſſe*. Hæc Seneca. Sed hic profectò præclarus auctor loquitur de nobis, nõ de anima. Fateor hunc in eo offendiſſe, quòd exiſtimauerit, animas in Stoica illa Vniuerſi conflagratione, *in antiqua elementa vertendas fore*, vt legimus in lib. de Conſolat. ad Martiam cap. vlt. Verùm de hoc auctore ohe iam ſatis.

16. Accedit Criſpus Saluſtius, qui de bell. Iugurth. hæc literis conſignauit. *Vt homo anima, & corpore cõſtat, ita res cũctæ ſtudiaq; omnia noſtra; corporis alia, alia animi naturã ſequuntur. Igitur præclara facies, &c. breui dilabuntur. At ingenij egregia facinora, ſicut anima, immortalia ſunt*. Et paucis interiectis, *omnia orta occidũt, & aucta ſeneſcunt; animus incorruptus, æternus, rector humani generis, &c.*

17. Strenuè quoque ſe geſſit pro animis ab morte vindicandis Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 13. & lib. 2. in Somm. Scipionis cap. 13. 14. & 15. ſed

18. Audiamus iamnunc diuinum vatem Virgilium; qui, vt complura alia, ita animarum æternitatem ex Pythagoricis, Academicisq; fontibus hauſtã, multis expreſſit. Enimuerò Æneid. 6. percontante Ænea Anchiſem patrem.

O pater an ne aliquas ad cœlum hinc ire putandum eſt
Sublimes animas? iterumq; ad tarda reuerti
Corpora? quæ lucis miſeris tam dira cupido?

Ille inter alia refert.

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo:
Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes: penituſq; neceſſe eſt
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis: aliæ panduntur inanes,
Suſpenſæ ad ventos; alijs ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus: aut exuritur igni.
Quiſque ſuos patimur manes: exinde per amplum
Mittitur Elyſium: & pauci læta arua tenemus:
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumq; reliquit
Æthereum ſenſum, atq; aurai ſimplicis ignem.
Has omnis, vbi mille rotam voluere per annos,
Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno:
Scilicet immemores ſupera vt conuexa reuiſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reuerti.

19. In quibus verſibus multa adnotarem, ſi id agerem. Sed cur igneus eſt illis vigor? merum putum Pythagoricum eſt, ſed a Chaldæis profectum, animam rationis participem, ſeu mentem, eſſe igneam, atque ignem, vt retro docui. Quid ita? *an quia igneam vocarunt mentem, nempe luminoſam?* inquit Auguſt. Eugub. lib. 9. de Perenni Philoſoph. capit. 15. An verò quia nonnulli Philoſophi arbitrati ſunt, intellectricẽ animam eſſe φῶς τῇ οὐσίᾳ, *lucem per eſſentiam?* auctore Plutarcho in eo ſermone, cui inſcriptio, *Num rectè dictum ſit*, λάθε βιώσας, *latita viuendo*. An verò quò peculiaris eius cõditio, immortalitaſq; appareat, nuncupata eſt ignis? vt inquit Simon Maiolus in lib. Dier. Canic. Colloqu. *De cultu, & oracul. Deor.* Vnde & ſoli homines igne, & aqua vtũtur, reliquis animantibus aqua contentis. An quia Chaldæi Deum quoq; ignem exiſtimarunt, cumque ſub ſpecie ignis coluerunt? Vel denique anima vocata eſt ignis, uel ignea, *quia quemadmodum ignis in terra ſuperiorum vi genitus cõfeſtim natura impetu ad ſuperna dirigitur, rapiturq; ſic anima humana, ſtatim ex Deo nata, naturali quodam inſtinctu in Deum, parentem ſuum conuertitur*, inquit Marſilius ficinus, ſuper

Digitized by Google

per Platonis conuiuium, oratione 4. c. 3. quia igitur in eorum mentibus, ea opinio altè inſederat, animam rationis, atque conſilij compotem, non è caducis hiſce, ac terrenis ſeminibus procreari, ſed è Cælo demitti, atque delabi in corpora, vt hoc rudi illi ætati innuerent, eam ἱερὸν λυφικὸς. ignem, igneamuè dixerunt; vt præſertim cum meruditum, ac pingue vulgus, ignem perpetuò ſuperna, & Cælum, locum ſibi accommodatum, petere cernat, ſic & de anima arbitraretur; ideòque *igneus eſt ollis vigor*. Sed quoniam hæc obſcura ſatis, & per inuolucra quædam ab illis elata, Virgilio quoque videbantur, vt hoc ipſum explanatius faceret ſubiungit, *& Cæleſtis origo*. vt, & animorum immortalitatem, & eorundem è Cælis originem indicaret.

20. Immò verò, non modo hic animarum æternitatem ſubſternit, ſed earundem in diuerſa etiam corpora tranſitum, planè Pythagoricè, & platonicè, illis expreſſit verſibus.

Has omnes, vbi mille rotam voluere per annos;
Lethæum &c.

Hanc etiam mille annorum rotam, & circuitum dabo paucis: doctrina hæc a Zoroaſtre, & Mercurio illo ter maximo, mox à Pythagora, & Platone ad vtriuſq; familiam deſcendit: nempe ſtatus quoſdam animarum & circuitus eſſe mille annorum, itaut, poſtquam è corpore diſceſſerunt, ſeu rectè, ſiue ſecus in terris vixerint, mille annorum periodum tranſire dicantur, antequam ad electionem ſecundarum vitarum deueniant. Quippe ſi rectè, ac piè inter homines egerint, in Cælum exceptæ, mille annis fruerentur cũ dijs: ſin autem flagitiosè mortalem hanc vitam traduxerint, in pœnarum apud inferos locis detruſæ, mille itidẽ annis affligerentur. Cuius rei hanc etiam volunt eſſe rationem. Hominis, aiunt, ætatis menſuram, & terminum conſtitui centum annos: quemadmodũ etiam in Platonis Politia determinat Socrates, is verò numerus ſi per decem multiplicetur áctutùm millenũ faciet. Dicunt igitur, ideò hunc annorum circuitum conuenientem, eſſe veluti mille annorum peregrinationem ab vna in alteram generationem, vt decupla ſit illis, vel delictorum malorumq; præteritorum expenſio, pœnæq; inflictio apud inferos, vel è cõtra, rectè facto rum, in terris, merces, & compenſatio.

21. Sed quia hic animorum indiuerſa corpora tranſitus, a nobis alio loco exploſus eſt, id in præſentia collegiſſe ſats, latinorum poetarum principem, animæ immortalitatis aſſertorem, tutoremq; extitiſſe.

22. Epopeiæ latinæ principi, accumbat lyricæ maieſtatis fabricator, Horatius, qui lib. 3. carmin. od. 30. ſic canit

Non omnis moriar, multaque pars mei
vitabit Libitinam.

Non totus, inquit, nec vſquequaq; moriar, quia mens maxima, & præſtãtiſſima mei pars, vitabit Libitinam, mortemq; effugiet: ſed vtrũ hoc ſentiat Horat. animum eſſe immortalem, an id ſignificet, ſe laude, & gloria ſuis ſudoribus parta perpetuò victurum?

Longe clarius id faſſus eſt lib. 1. Carmin. od. 10. dum Mercurium ψυχοπομπὸν ita alloquitur.

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaq; leuem coerces
Aurea turbam, ſuperis deorum
Gratus, & imis.

In eod. libro od. 24. de irreparabili Quintilij, morte ait.

Quid ſi Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem;
Num vana redeat ſanguis imagini;
Quam virga ſemel horrida
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.

Nigr. C. M. G. vbi Quintilij animam Mercurius in Cæterarum animarum, ſeu Vmbrarum gregem, & ſocietatẽ adegerit. In lib. etiã Epodon od. 5. ad Canidiam Veneficã ſic ait.

Diris agam vos; dira deteſtatio
Nulla expiatur victima.
Quin, vbi perire iuſſus exſpirauero,
Nocturnus occurram furor;
Petamq; vultus Vmbra curuis vnguibus;
Quæ vis deorum eſt Manium,
Et inquietis aſſidens præcordijs,
Pauore ſomnos auferam &c.

Sic Dido Aeneid. 4. ſe mortuam, Aeneam minatur perſecuturam. dum inquit.

ſequar atris ignibus abſens,
Et cum frigida mors anima ſubduxerit artus,
Omnibus Vmbra locis adero. dabis improbe pœnas,
Audiam: & hæc manes veniet mihi fama ſub imos.

Idem Horat. lib. 2. Serm. Satyr. 2. Crapulam reprehendens ait.

Quin corpus onuſtum

Heſter-

Heſternis vitijs animum quoque prægrauat vnà,
Atque affligit humo, diuinæ particulam auræ.

Animum, ſeu mentem vocat diuinæ auræ particulam, ſicut Virgil. eam *ætherium*, dixit, *ſenſum, & aurai ſimplicis ignem*. Sed quando Satyram tetigimus, prodeat alius Satyrarum ſcriptor Perſius: cuius hæc exclamatio non tã Satyrica acerbitate, quàm cęleſti quadam doctrina, inſperſa iacet in Satyra ſecunda.

O curuæ in terras animæ, & Cæleſtium inanes.

Ecquid eſt, (inquit) quod non cęlum, altiſſimam animarum ſedem, erecti intuemini, ſed in humum curuati procumbitis? excitauit vos dominans ille in vobis Deus ad cęleſtia, ſublimiaq; ſpectanda.

Cum pecudes, volucrumq; genus, formaſq; ferarum,
Segnem, atque obſcœnam paſſim ſtrauiſſet in aluum

Vt canit Silius Italicus.

Os homini ſublime dedit, cęlumq; tueri.
Iuſſit.

Ille vobis mentem ſublimem, & vultum dedit, vos humi, atque in humum vergentibus prouoluti; mentis altitudinem ad ima deprimitis: tanquam vos pęniteat, non quadrupedes eſſe natos; vt in hunc ipſum Perſij verſum, ait Lactantius libro 2. diuin. Inſtit. c. 2. quem miris etiam effert laudibus: icircò clauditur etiam Satyra illa 2. eſſe tribuendum Deo.

Compoſitum ius, faſq; animi, ſanctoſq; receſſus
Mentis.

24. Iuuenalis iunior his, ſed doctrina, ſententiarumq; pondere haud poſterior; & ſenſit idem de animorum æternitate, & rationem attulit; nam in Satyra 15. ſic habet:

A grege mutorum, atque ideò venerabile Soli
Sortiti ingenium, diuinorumque capaces,
Atque exercendis, capiendiſq; artibus apti.
Senſum a cæleſti demiſſum traximus arce.
Cuius egent prona, & terram ſpectantia: mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque, &c.

Multiplex hic immortalis animi ratio; diſcriminamur à grege mutorum, quia ſoli venerabile ſortiti ſumus ingenium, quia ſoli diuinorum, Deique capaces: (vt enim nullũ, præter hominem, animal Dei notitiam habet, ſic nulla eſt vnquam gens, vt Tullius loquitur, tam fera, tamq; barbara, nemo omnium tam immanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio) quia ad omnes capeſcendas, exercendaſq; artes apti, quia è cęlo ſenſum, hoc eſt, animum traximus, eoq; prona, ventrique obedientia animalia, vel etiam in principio mũdi à Deo ſortita ſunt animam tantum, homo autem etiam animum. Animus verò, & anima hoc differunt: anima eſt qua viuimus, animus quo ſapimus, inquit Nonius Marcellus cap. 5. animus eſt qualitas, ſeu conditio viuentis, anima eſt cauſa vitæ, Cornel. fronto. animus eſt conſilij; anima vitæ, Iſid. lib. 11. cap. 1. originum; anima, qua viuimus, ſentimus, & mouemur; animus, quo ſapimus, conſultamus, & intelligimus. Illam græcè ψυχὴν, hunc νοῦν vocant: meritò itaque ab Iuuenali animantia muta, animam tantum à Deo ſortita dicuntur; homo verò etiam animum, atque mentẽ. Hæc in vocum proprietate. Cæterùm apud Philoſophos animus pro anima paſſim ſumitur; qua de re copioſè Tullius lib. 1. Tuſcul. quæſt. paulò poſt initium.

25. Quæ hic ab Iuuenali pauculis voculis arctatæ ſunt rationes, eæ ab vbertate Platonis ſunt hauſtæ: & multis etiam à Cicerone, cũ libro 1. Tuſcul. quęſt. tum 1. de legibus explicatæ: connectit Iuuenalis alias eiuſdem rei rationes: eas tu apud eum vide. Et in Satyra 2. hæc adiecit.

Tot bellorum animę? quotiens hinc talis ad illos
Vmbra venit, cuperent luſtrari: ſi qua darentur
Sulphura cum tędis, & ſi forte humida laurus.
Illuc heu miſeri traducimur.

Manlius lib. 4.

An dubiũ eſt, habitare Deum ſub pectore noſtro,
In cęlumq; redire animas, cęlumq; tenere?

Aurelius Prudentius poſteriore lib. contra Symachum.

Sed qd ego hęc meditor? reuocat uãq; ecce ſeuera
Maieſtate minax, negat interitura meorum
Per mortem monimenta operum: non occidit inquit
Interior, qui ſpirat homo: luet ille perenne
Supplicium, quòd ſubiectos malè rexerit artus.

Claudianus lib. 2. de raptu Proſerp. receptacula etiam beatarum, ac infælicium animarum deſcribere incipit.

Amiſſum ne crede diem, ſunt altera nobis
Sydera, ſunt orbes alij, lumenq; videbis
Purius, Elyſioſque magis mirabere campos, &c.

Propertius lib. 4. eleg. 7.

Sunt aliquid manes, lethum non omnia finit.
Luridaq; euictos effugit vmbra rogos.

Naſo extremo lib. Metam.

Cum

Cum volet illa dies, quæ nil niſi corporis huius
Ius habet, incerti ſpatium, mihi finiat æui,
Parte tamen meliore mei, ſuper alta perennis
Aſtra ferar?

Sed heus, quò tandem veheris? an verò in hac, adeò graui difficultate, multum firmitatis ineſſe putas, in poetarum, eiuſque generis auctorum teſtimonijs? fortaſsè inquiet aliquis. En vela contraho: nec enim mihi iſtorum copiam congregandi hic fuit animus, quamuis id efficere facile poſſem; & quæ attuli, non quòd firmiſſima, & demonſtratiua, quod aiũt, exiſtimarem, adduxi; verùm vt indicarem, opinionem de animorum immortalitate, à primis mundi temporibus, ad hanc vſque ætatẽ, apud omnes gentes & nationes firmiſſimè viguiſſe. Cum itaque videamus, cæteras opiniones fictas, atq; vanas, vt inquit Tullius in primo de Natura Deorum, æternitate extabuiſſe, hanc verò de animorum immortalitate, poſt hominum memoriam cognitam ſemper, animiſque compræhenſam, & diuturnitate temporis confirmatam, vnàque cum ſæculis, ætatibuſque hominum eſſe inueteratam, & auctam, ecquid aliud dicendum eſt, quàm vt ſermonem hũc cum Ouidio 15. Metamorph. claudamus.

Morte carent animę, ſemper priore relicta
Sede, nouis domibus viuunt, habitantq; receptæ?

SECTIO X.

Comprobatio eiuſdem veritatis ex communi exterarum, ferarumque gentium conſenſu; tum ex apparitionibus animarum.

1 QVemadmodum nulla vnquam fuit gens tam fera, nemo omnium tam immanis, cuius *mentem*, vt loquitur Tullius lib. 1. Tuſc. *non imbuerit deorum opinio*, ita nulla natio fuit vſque adeò efferata ac barbara, quæ publicè non profiteretur animos immortales. Præter ea, quæ adhuc dixi, hæc ſubijciam. Pro Arabibus ſtat Auicenna, qui parte 5. Naturalium, *Cum anima*, inquit, *liberabitur a corpore, & ab accidentibus corporis, tunc poterit coniungi intelligentię agenti, quam vocant Deum*. Huic ſubſcribit Algazel in comment. in lib. Phyſicorum, apud quem hæc legimus, *Cum anima fuerit ſeparata à corpore, durabit una cum ſuo intellectu*.

2. Pro Perſis ſpondet Cyrus, eorum Rex, qui moriturus ita filios affatur, ut refert Tullius lib. de ſenectute. *Nolite arbitrari, ò mihi cariſſimi filij, me, cum à vobis diſceſſero, nuſquam, aut nullum fore: nec enim, dum eram vobiſcum, animum meum videbatis; ſed, eum eſſe in hoc corpore, ex ijs rebus, quas gerebam, intelligebatis: eundem igitur eſſe creditote, etiam ſi nullum videbitis. Nec vero clarorum virorum poſt mortem honores permanerent, ſi nihil eorum ipſorum animi efficerent, quo diutius memoriam ſui teneremus: mihi quidem nunquam perſuaderi potuit, animos, dum in corporibus eſſent mortalibus, viuere, cum exiſſent ex ijs, emori: nec vero tum animum eſſe inſipientem, cum ex inſipienti corpore euaſiſſet: ſed, cum omni admiſtione corporis liberatus, purus & integer eſſe cœpiſſet, tum eſſe ſapientem, atque etiam cum hominis natura morte diſſoluitur, cęterarum rerum, perſpicuum eſt, quò quæque diſcedat: abeunt enim illuc omnia, vnde orta ſunt: animus autem ſolus nec, cum adeſt, nec, cum diſcedit, apparet. Iam vero, videtis nihil morti tam eſſe ſimile, quàm ſomnũ. Atqui dormientium animi maxime declarant diuinitatem ſuam, multa enim, cum remiſſi & liberi ſunt, futura proſpiciunt: ex quo intelligitur, quales futuri ſint, cum ſe planè corporis vinculis relaxarint.*

3. Huc etiam acceſſerunt Vtopienſes, de quorum Republ. ſcripſit Thomas Morus, qui lib. 2. inter cætera retulit, Vtopium, eius gentis primum fundatorem, ſanctè ac ſeuerè vetuiſſe, ne quiſpiam eo vſque ab humanæ naturæ dignitate degeneraret, vt animas quoq; cum corpore interire exiſtimaret.

4. Thraces idem ſenſere: quibus mos erat in lucem editos lachrymis proſequi, mortuos conuiuijs, & communi exultatione: quòd tunc animam ab huius vitæ malis liberam, in fęlicitatem tranſire, & diſſoluto corpore fęlicius viuere arbitrarentur. Et quos ad ſepulturam duci oporteret, cantu proſequebantur, *perſuaſione hac, quòd poſt corpus anima ad originem dulcedinis muſica, id eſt ad cælum redire crederetur:* auctores ſunt Herodot. lib. 5. Brodęus lib. 1. epigram. Græcor. Macrob. Plinius, & alij.

5. Inter Arcades tanta firmitate res hæc inoleuerat, vt Cercidas Megalopolita moriens familiares ſuos his omninò affatus ſit, *Equidem haud ægrè mortem oppeto, quia ſpero me conuenturum ex Philoſophis, Pythagoram: ex hiſtoriographis,*

He-

Hecataeum ex muſicis, Olympum: ex poetis Homerum. Aelianus lib.13.de varia hiſt.cap.20.

6. Galli etiamtum, cum ſub Druidibus erant, ita ipſam hanc veritatem profeſſi ſunt, vt in quandam abſurdam, & deridendam etiam abierint conſuetudinem: nam auctore Iul. Cæſare lib.6. Comment. & Valerio Max.lib. 2.cap.1. *Vetus mos Gallorum occurrit, quos memoria proditum eſt, pecunias mutuas, quæ ijs apud inferos redderentur, dare: quia perſuaſum haberent, animas hominum immortales eſse.* Quanquam Lucan.referat, eos exiſtimaſſe, hominum animas, vbi migrarint è corpore, haud deſcendere ad inferos, ſed in alio mundo, aliaue eius parte aliud informare corpus, dum ita canit lib.1. Pharſal.

vobis auctoribus Vmbra
Non tacitas Erebi ſedes, Ditiſq; profundi
Pallida regna petunt: regit idem ſpiritus artus
Orbe alio.

7. Quid? ne ipſi Gothi, gens quàm maximè barbara & efferata, ab hac animorum immortalitatis aſſertione alieni fuere: ideòq; immani animo contemnebant mortem, *quia perſuaſum habebant redire animas, ſicut Mela ſcribit: aut ſi non redeant, non tamen extingui, ſed in meliores ſedes immigrare*, inquit Ioan. Lodouic. Viues in præfat. Comment. ad lib. S. Auguſt. de Ciuit. Dei. Adeundus eſt Ioan. Gothus lib. 2. hiſt. Gothor. cap. 13. Verùm de his nihil amplius.

8. Cape iam aliqua animarum exempla, quæ poſteaquam e corporibus exceſſerunt, ſaluæ, incolumeſque viuis apparuere. Atque vt animam Samuelis, prætercam, quæ num apparuit Pythomiſſę, lib.1.Reg.cap.28. profectò animæ Oniæ, & Hieremiæ prophetæ per viſum Iudæ Machabæo viſæ, eius animum ad hoſtes patriæ debellandos exacuerunt, lib. 1. Machab. cap.15. Anima Moſis, & Eliæ, ſiue in proprijs corporibus ad exiguum temporis interuallum, diuina vi eis reſtitutis, ſeu in corporibus aſſumptis, ſemet obtulerunt Chriſto in monte Tabor, Matth.17. & Luc.9. Apoſtoli Petrus, & Paulus, Conſtantino Imperatori per ſomnum viſi, lepræ remedium edocuerut: refert ſeptima Synodus act. 2. & complures hiſtorici. Beatiſſima Virgo, non modo auguſta ſpecie ſemet D. Ioanni Damaſceno in ſomnis exhibuit, verùm etiam ei manum, iniquo Leonis Iſaur. imperio abſciſam reſtituit, relicta in brachio, ad inciſionis locum, rubra linea, vt quiuis facile poſſet intueri: teſtis eſt Ioannes Patriarcha Hieroſolimitanus in eius vita. Cum eadem Deipara apparuit Ioannes Euangeliſta Gregorio Thaumaturgo vigilanti, cumq; auguſtiſſimum triados myſterium docuit: rem totam, ipſamq; doctrinæ formulam retulit Gregorius Nyſſenus in vita Thaumaturgi. Idem Euangeliſta, & Philippus Apoſtolus Theodoſio Imperatori viſi, victoriam aduerſus Eugenium, quę mox ingenti cum omnium admiratione ſubſecuta eſt, promiſerunt. Atque ne cuipiam videretur confictum, eodem temporis articulo cuidam etiam militi apparuerunt, Theodoretus lib.1. hiſt.c.24. S.Benedictus, animam ſororis Scholaſticæ, egreſſam è corpore vidit, cæloſque in ſpecie Columbæ repetere, teſte S. Gregorio lib.2. Dialog. c.34. S.Antonius vidit animam S.Pauli, magno Angelorum, Prophetarum, & Apoſtolorum cætu comitante, in Cælum aſcendere, teſtatur D.Hieronymus in vita Pauli. Anima Abbatis Spei, conſpecta eſt ab omnibus, qui aderant fratribus, in ſpecie Columbæ ex eius corpore egredi, tectiſq; reſeratis Cælum intrare, Gregorius libro 4. Dialog.c.10. Et in cap.40.refert Paſchaſium Diaconum, diu poſt mortem, viſibili ſpecie apparuiſſe Germano Epiſcopo Capuano, in Thermis Angulanis, vbi expiabatur.

9. Innumera huius rei exempla referuntur. Verùm hic mihi videor tantum non audire blaterantem aliquem, nempe hæc parum habere firmitatis: eaq; vel ex naturali quadam cauſa proficiſci, vel ex propoſito longè alio, quàm ex vero eſſe relata.

10. Ita ne? & eſt quiſquam adeò perfrictæ frontis, qui impudentiſſimè audeat, tot viris ingenio & doctrina inſignibus, probitate, & ſanctitate vitæ clariſſimis, auctoritate, & integritate grauiſſimis, omnem abrogare fidem, & hæc omnia falſa, inania, & confictas fabulas imputare? Quid aliud eſt, *ò diu fleturum caput*, omnem diuinam, humanamq; fidem e fundamentis conuellere, & labefactare, ſi hoc nō eſt? Quæ, malum, dementia, eos omnes in hoc vnum conſpirauiſſe, quo te decipiant? Cui vnquam vni hiſtoricorum credes; ſi te omnes decipiunt? An ipſi decepti ſunt? ſunt itaq; decepti, & toto aberrauere cælo, omnes qui morum integritate, qui ſanctimonia, qui prophetiæ dono, qui miraculorum gloria, qui cæleſti ſapientia, qui ingenij acie, immēſis laboribus

exan-

exantlatis, omnibus ætatibus præclari, celeberrimiq; extiterunt? & ſolis impuris, improbis, ſceleſtis, Epicuræis, veritas eſt patefacta?

11. An quia facta, & à pijs uiris recenſita? dabo exterorũ exempla, ſed aliqua: quis enim omnia? Vbi tamen tranſilio Homerum, qui haud ſemel animarum apparitiones percenſuit; maximè verò Iliad. ψ de Patrocli anima Achilli per quietem viſa, cuius verſus retro retuli: Nihil minus commemorabo Aeſchylum, Sophoclem, Euripidem, penes quos crebræ animarum apparitiones: Maior tibi fortaſſe fides ex his: Plutarchus in vita Aemilij, M. Tullius libro 1. de Diuinat. & lib. 2. de Natura Deor. Arnobius lib. 7. contra Gent. Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. Pompon. Lætus, & alij retulerunt, *quod duo familiares Arcades iter unà facientes, Megaram venerunt; Quorum alter ad hoſpitem ſe contulit, alter in tabernam meritoriam diuertit: Is, qui in hoſpitio erat, vidit in ſomnijs comitem ſuum orantem, vt ſibi cauponis inſidijs circumuento, ſubueniret, quo viſo excitatus proſiluit, tabernamque, in qua is diuerſabatur, petere conatus eſt: Peſtifero deinde fato eius, humanum propoſitum, ceu ſuperuacaneum damnauit, & lectum, & ſomnũ repetijt. Tunc idem ſaucius oblatus obſecrabat, vt qui vitæ ſuæ auxilium ferre neglexiſſet, necis ſaltem vltionem non negaret. Corpus enim ſuum à caupone trucidatum, tum plauſtro ferri ad portam ſtercore coopertum: Protinus ad portam cucurrit, & plauſtrum, quod in quiete demonſtratum erat, & corpus comprehendit; cauponemque ad capitale ſupplicium perduxit.*

12. Pauſanias de rebus Atticis, *in Marathonijs*, inquit, *campis, & apud Plataenſes in Bœotia, vbi ſeruis, qui tunc pugnarant, conditi ſunt, audiri per totam noctem equorum hinnitus, & pugnantium etiam virorum ſpecies cerni*, atq; eos, qui illuc ſpectatum veniſſent, multatos abijſſe.

13. Suetonius Tranquil. in Caio Cæligula cap. 59. cum dixiſſet, cadauer illius clam fuiſſe in hortos Lamianos aſportatum, & tumultuario rogo ſemiambuſtum, leui ceſpite obrutum, poſtea verò ab ſororibus erutum, crematum, ſepultumque, ſubiungit, *ſatis conſtat, prius quàm id fieret? hortorum cuſtodes umbris inquietatos, in ea quoq; domo, in qua occubuerat, nullam noctem ſine aliquo terrore tranſactam, donec ipſa domus incendio conſumpta fuit*, (de ſua domo idem teſtatur Plin. ſecund. lib. 7. epiſt. 27.) Et in Othone cap. 7. *dicitur*, inquit, *ea nocte, qua adeptus eſt Otho imperium, occiſo Galba, per quietem eum pauefactum, gemitus maximos edidiſſe, repertumq; à concurſantibus, humi ante lectum iacentem, & per omnia piaculorum genera manes Galbæ, à quo deturbari, expelliq; viderat, propitiare tentaſſe.*

14. Plin. ſecund. eadem epiſt. 27. de quadã domo Athenis, paribus terriculamentis infeſtata, & proſcripta hæc habet. *Venit Athenas Philoſophus Athenodorus, legit titulum, auditoq; precio, quia ſuſpecta vilitas percunctatur, omnia docetur, ac nihilominus, immò tanto magis conducit. Vbi cœpit aduesperaſcere, iubet ſterni ſibi in prima domus parte, poſcit pugillares ſtylum, lumen, ſuos omnes in interiora dimittit, ipſe ad ſcribendum animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita ſimulacra & inanes ſibi metus fingeret. Initio vbiq; ſilentium noctis, deinde concuti ferrum, vincula moueri; ille non tollere oculos, non remittere ſtylum, ſed obfirmare animum, auribuſq; prætendere, tum crebreſcere fragor, aduentare etiam, ac iam vt in limine, iam vt intra limen audiri: reſpicit, videt, agnoſcitq; narratam ſibi effigiem. Stabat, innuebatq; digito ſimilis vocanti: hic contra, vt paulo expectaret, manu ſignificat, rurſuſq; ceris, & ſtylo incumbit: illa ſcribentis capiti catenis inſonabat, reſpicit rurſus idem, quod prius innuentem, nec moratus tollit lumen, & ſequitur, ibat illa lento gradu, quaſi grauis vinculis poſtquam deflexit in aream domus, repente dilapſa deſerit comitem: deſertus herbas, & folia concerpta ſignum loco ponit. Poſtero die adit magiſtratus, monet vt illum locum effodi iubeant, inueniuntur oſſa inſerta catenis, & implicita, quæ corpus æuo terraq; putrefactũ nuda, & exeſa reliquerat vinculis. Collecta publicè ſepeliuntur; domus poſtea rite conditis manibus caruit, etc.* hęc Plinius, nec verò vir prudens hæc veluti fabuloſa, ſed ſerio refert, cum epiſtolam illam eo conſilio ad Suram ſcribat, vt eius mentem, ſententiamq; de hiſce rebus audiret.

15. Plutarchus in libello de Sera Num. vind. refert, Pauſaniam quemdam Byzantij, ſtupraſſe Cleonicem virginem liberam, tum timore, ac ſuſpicione correptum interfeciſſe; poſtea ſæpenumero in ſomnijs ſibi aſtantem vidiſſe, & iterum, atque iterum inculcantem.

Βαῖνε δίκην ἄσσον, μάλα σοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.

Accede ad iudicium: peſſima res eſt iniuria hominibus.

Cumq; aſſiduis terroribus ab Vmbra affice-

cere-

ceretur, Heracleam nauigauiſſe ad animarum expiationem: ibi quibuſdam placationibus, *καὶ τῶν ψυχαγωγῶν animarum ductorum* ope, puellæ animam euocaſſe: quæ cum in conſpectum veniſſet, Pauſaniæ finem malorum futurum prædixit, vbi is Lacedæmonem peruiniſſet: qui vt eò appulit, migrauit e vita.

16. Idem auctor in vita Romuli de Ariſtæo Proconeſſio ita ſcribit, *Ariſtæum tradunt in fullonaria taberna mortem oppetijſſe, poſt peregrè quoſdam redeuntes, in illum, Crotonem euntem incidiſſe*. Alij verò hunc ipſum Ariſtæum quinquennio etiam poſt mortem apparuiſſe retulerunt.

17. Apollonius Tyaneus, vt auctor eſt Philoſtr. in eius vita, fato iam functus, iuueni cuidam, qui animæ immortalitatem perfractè inficiabatur, Tyanam eunti, fertur apparuiſſe; & illum multa de anima, lõga oratione erudijſſe; cuius initium erat,

Ἀθάνατος ψυχὴ, καὶ οὐ χρῆμα σὸν, ἀλλὰ προνοίας, id eſt:

Immortalis anima, idq; non tuum opus, ſed prouidentiæ.

Eundem apparuiſſe in tentorio Aureliano Imper. Tyanam obſidenti, monuiſſeq; vt victor a ciuium nece, & crudelitate abſtineret, quod & fecit: refert Flauius Vopiſcus in vita Aureliani.

18. Plato ipſe, vt alios ſileam, lib. de Republ. 10. ſcriptis commiſit, Erum Armenium, genere Pamphilium, qui in prælio occubuerat, tandem duodecimo die, dum pyræ impoſitus eſſet, reuixiſſe, & quę interim viderat, accuratè retuliſſe, ſic incipit narrationem: *Inquit ergo, poſtquam anima fuiſſet a corpore ſeparata, vnà cum pluribus quendam in locum dæmonum perueniſſe*, & quæ ibi longa oratione proſequitur. Hunc Erum exiſtimat Clemens Alexandr. libr. 5. Strommat. fuiſſe Zoroaſtrem.

Idem Plato lib. 1. de legibus arbitratur, animas interemptorum hominum ſæpenumero perſequi occiſores. Huc ſpectant Alcmæonis, Oreſtis, Neronis, & aliorum furiæ, qui a parentum, quos interfecerant, animabus, ac manibus feruntur vexati, donec expiauerint crimen, vt Græcæ ac latinæ literæ prodiderunt. Huc etiam retulit Marſil. Fic. lib. 16. de immortal. Anim. cap. 5. rem illam abditam, nempe quid cauſæ ſit, quod cadauer, recens occiſi hominis, ſuperueniente homicida, ſanguinem iterum ex plaga accepta mittat.

19. Sed ad Platonem redeo, qui in Phædone rationem etiam aliquam, animarum apparitionis reddere conatus eſt. Quippe anima, quæ pie vita tranſacta exceſſit e corpore, nihil terreni, nihil corporei, & craſſi attrahit ſecum: quocirca vt ſemel ex corporis compedibus auolauerit, ſemet in ſeipſam colligit, atque per contemplationem Philoſophiæ, Deique apprehenſionem euadit fęlix, ab omni errore, cæteriſque malis libera. Anima verò quæ corpus nimio plus complexa amauit, & turpibus eius voluptatibus, ac libidinum illecebris irretita, præſentem vitam maculosè tranſegit, cum ex corpore migrat, manet corporeo quodam, & terreſtri contagio infecta: vnde fit, vt veluti pondere quodam grauata, in loco viſibili, maximè propè ſepulchra verſetur, & ob terreſtre illud & corporeum, quod porrò viſibile quiddam eſt, apparet, & ab alijs videtur. Hinc Socrates de animabus quæ apparent, ita ſubiungit: *Conſentaneum tamen eſt, ò Cebes, non eſſe has bonorum animas, ſed malorum, quæ circa hæc oberrare coguntur, pœnas dantes anteactæ vitæ &c.* hæc Plato in naturæ caligine.

20. Cæterùm nos id credimus, & tenemus, quod eſt commune Theologorum decretum, animas ſemel a corporibus egreſſas, communi, & ordinaria lege, non amplius in hæc noſtra loca redire: Verùm ſpeciali Dei Opt. Max. diſpoſitione nonnunquam reuerti, & apparere; idque non ſuo arbitratu, nec quoties & vbicunque libuerit, ſed nutu ac voluntate Dei, ijs perſonis, eo loco, ea forma, habitu, tempore; eaque de cauſa apparere, quæ illi ſoli nota eſt, *cuius conſilia abyſſus multa*. Verùm ne me quiſquam aliorum ſcrinia compilaſſe putet, verbum non amplius addam. Si cui vero otium, & lubet, varia apparitionum exempla legere, adeat Plutarchum in libello de Sera Numin. vind. & libello de ea, quæ in Luna apparet facie: tum in vita Coriolani, Aemilij, Bruti, Romuli. M. Tullium in libris de diuinat. de natura Deor. & in Tuſc. quæſt. Macrobium lib. 1. in ſomn. Scipionis cap. 14. Valerium Max. lib. 1. cap. 7. & 8. Laertium

In vita Pythagoræ. Arnobium lib. 8. contra Gent. Maximum Tyrium ſerm. 27. Lucanum lib. 1. Pharſaliæ. Gregorium Turonen. lib. 5. hiſtor. cap. 34. Lactantium Firm. lib. 2. de orig. erroris cap. 2. Petrum Gregor. Tholoſan. lib. 1. de immortal. animæ cap. 16. Plinium ſecund. lib. 5. epiſt. 5. & lib. 7. epiſt. 27. Alexand. ab Alexand. lib. 2. Dier. Genial. cap. 9. & lib. 5. cap. 23. Platonem lib. 1. & 10. de legib.

Quæ omnia cum ita ſint, quid eſt Deum immortalem, quod tam denſa caligo, tamq; tetræ & cimeriæ tenebræ vſqueadeò nonnullorum mentes obduxerunt, vt in hac veritate, de animorum immortalitate, tot ſæculorum auctoritate firmata, tam validis morum, & vitæ fundamentis innixa, adeò naturæ conditioni conueniente & congrua, omninò cæcutiant? Faxit Deus, vt qui eam tenent, ex animo teneant, qui in ea hallucinantur, quàm ocyus illuſtrentur, ne tandem alibi malo ſuo infælicique experimento, hac de re certi fiant. Reliquum eſt, vt aduerſariorum argumenta, initio Diſputationis confecta paucis diluamus, ſic ergo.

SECTIO VNDECIMA.

Diluuntur quinque priora argumenta, initio Diſputationis propoſita.

BENE habet: firmata eſt huc uſque veritas: nunc ſe facile per ſe ipſa tuebitur; quanquam in ipſis Diſput. carceribus, fallaci & captioſo arguendi genere opprimi tentaretur: quippe *tanta eſt veritatis vis*, inquit eximius orator, *vt contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, omnem denique induſtriam, facile per ſe ipſa defendat.* Itaque

Ad 1. Quod multa hominum pars ſenſuum, voluptatumque illecebris irretita, vix vllum intellectionis opus edere videatur, iccirco vegetalem ſolum, ac ſenſualem vitam, tranſigere, nego. Sunt enim quicunque homines, etiam intelligentes: ſatque fuerit ſi vnum aliquod intelligendi munus vel ſemel, vel iterum edant, in quo nullum corporeum interueniat inſtrumentum, vt eorum animi ſemet oſtendant incorporeos ac immortales. Porrò nullus inſipiens hominum eſt, qui non aliquando intelligat, ac reſipiſcat. Quod verò in eodem argum. intruditur; nempe medendi peritos, ſolum ſenſitricis, & brutalis animæ facultatibus in exercendis ſuæ doctrinæ muneribus inniti, ridiculum eſt. Hiſce ne adeò communibus facultatibus ſuffulti, tot, tamq; egregia opera in dies ederent?

quibus fas eſt ducere ab Orco
Extinctos homines, iterumque animare ſepultos.

In quos extat Homericum præconium Iliad. λ.

ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.
id eſt.
Vnus homo medicus, multis æquandus honore eſt.

Quid orator? num admirabile quicquam inuenire, inuenta diſponere, diſpoſita eloqui, in animos hominum dominari, & quo eos cumque velit, impellere poſſit, citra intellectus interuentum? id vel cogitare, extremæ fatuitatis eſt. Pari ratione dicendum eſt de reliquis in arg. recenſitis. Quamobrem, etſi pauci admodum ſint, quos contemplatrix vita occupauit, idque in omni ætatum ſerie contigerit, ex hoc tamen minimè conſequitur, reliquos homines non viuere ex intellectu; quamuis intellectus quantum ad operationes attinet, in quibuſdam ſplendidè, in alijs obſcurè, in nonnullis malignè ſubluceat. Quod ſi homo, cuius ſunt operationes, *magis eſt mortalis, quàm immortalis, magis ſenſualis, quàm intellectualis*, hoc animæ immortalitati nihil officit: Quinimo homo abſolutè eſt mortalis, tamen altera eius pars, anima intellectrix, ab omni interitu procul ſiſtit. Niſi vis a præſtantiori parte, anima, eum immortalem appellare.

Ad 2. Nec quicquam refert, quod ex hominibus, aliqui vſqueadeò pingui hebetique ſint animo, vix vt in hominum referri numerum videantur: hoc enim vario corporis temperamento, & ſenſitricium facultatum inſtrumentis, acceptum referendum eſt. Animus autem, & intellectus, cum nobis *innaſci, atq; ingenerari videatur, & eſſe quædam ſubſtantia,*

vt conteſtatur Philoſophus in particula 65. primi de anima; quæ quidem vt pertritum habet adagium, *non ſuſcipit magis, ac minus,* æqua profectò lance omnibus hominibus, cæleſtis idem, ac diuinus impartitus eſt. Hinc Tullius in primo ſermone de legibus. *Nihil*, inquit, *eſt vnum vni tam ſimile, tamque par, quàm omnes inter noſmetipſos ſumus: quod ſi deprauatio conſuetudinum, ſi opinionum varietas, non imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret quocunque cæpiſſet, ſui nemo ipſe tam ſimilis eſſet, quàm omnes eſſent omnium.*

Omnes verò hominum animos intimè, & in ſe ſpectatos, ęquali prę ſtantia condecorari, vel hinc conſpicitur, quia omnes homines eadem ſpecie compreheduntur. Cum itaq; vt auctor eſt Philoſoph. lib. 3. diuinor. cap. 3. eorum, quæ vno aliquo genere concluduntur, vnum ſit prius, ac perfectius altero; eorum verò quæ continentur ſub ſpecie, vnum nec ſit prius, nec perfectius altero, liquidò conſequitur, hominis animos, nequaquam intima, propriaque perfectione ſpectatos, differre; ſed quę in multis apparet differentia, eam omnem à ſenſitricium facultatum viribus, & meliori temperie proficiſci.

Scio Doctores aliquos, melioris etiam notæ tueri, hominum animos, non modo præfata illa perfectione, ex meliori corporis temperie, & vegetiori virium inferiorum ſatellitio deſumpta, diſcriminari, ſed intima etiam, &, vt aiunt, ſubſtantiali: idque ex mente ſententiaque Angelici Doctoris profiteri, qui in prima par. quæſt. 85. art. 7. geminam attulit rationem, cur eandem rem melius penitiuſque vnus altero comprehendat. *Hoc autem circa intellectum contingit dupliciter, vno quidem modo, ex parte intellectus, qui eſt perfectior. Alio verò ex parte inferiorum virtutum quibus intellectus indiget ad ſui operationem:* quo quidem effato, geminam intellectus expræſſit differentiam: hanc quidem internam, quæ in eius natura inſideat: hanc verò extrinſecus adſcitam, prout inferiorum virtutum ope fulcitur.

Porrò, quamuis hanc animi *ſubſtantialem, indiuidualem tamen*, perfectionem admittas (cuius oppoſitum magis ex vero, & ex ſententia S. Thomæ exiſtimo) omnes adhuc animi vna ſpecie concluduntur: eòq; omnes omnium hominum, eodem modo gaudent immortalitate.

Ad 3. In illa membrorum hominis ſerie, vbi intellectus? vbi voluntas ſubticetur? animi præſtantiſſimæ alæ, *quibus ad immortalitatem radit iter liquidum.* Vbi animus rationis compos? *quo nihil ab optimo, & ſapientiſſimo genitore melius eſt procreatum*; vt ait eximius orator de Vniuerſit. At omnia, inquis, quæ in homine, ſunt ad vſus corporeæ vitæ, vt ſuſtentetur, & propagetur natura, nata, & comparata videntur. Minimè verò: ſed quemadmodum ad curſum equum, ad arandum bouem, ad indagandum canem, *ſic hominem ad duas res, intelligendum, & agendum eſſe natum, quaſi mortalem aliquem Deum, non verò vt tardam aliquam, & languidam pecudem ad paſtum, & procreandi voluptatem, hoc diuinum animal eſſe ortum*, ſcribit Tullius in ſecundo ſermone de finibus. Sed porrò quæ hæc conſecutio? humani corporis compago, & conſtitutio, eius interitum conteſtatur; ergo & animi? hem, auolabit ille ſolutus ac liber, corpore veluti ſarcina quadam depoſito: nec perpetuò, vt cohæreat, corporis eget. Quòd ſi quicquam argumentum illud molitur, id contra futuram corporum reſurrectionem obiectat, quo etiam intellectu, fusè ab ijs confutatum eſt, qui reſurrectionis argumentum tractarunt.

Ad 4. Etſi humanus animus immortalis ac cæleſtis eſt, ideò tamen plures hominum ad ima, & turpia deijciuntur, quia plures, quamuis ex accidente, ſenſuum ſatellitio, quàm ratione ducuntur. Fateor equidem peruerſo naturæ ordine fieri, ſed fieri tamen: mirare? eximet tibi omnem admirationem Philoſophus, qui in ſecundo de morib. libro cap. 6. *malum*, inquit, *eſt vt in pluribus, bonum vt in paucioribus*. Senſuum itaque lenocinio trahi, malum quidem, & in pluribus: cuius rei eam viri docti attulerunt rationem, *quòd in hominibus, malum contingit, ex hoc quod ſequuntur bona ſenſibilia, quæ ſunt pluribus nota, deſerto bono rationis, quod paucioribus notum eſt.* An te latet vel ex ipſo Tullio lib. 1. de offic. quod, *duplex eſt vis animorum; vna pars in appetitu poſita, altera in ratione, quæ docet & explanat, quid faciendum, fugiendumque ſit: ita fit, vt ratio præſit, appetitus verò obtemperet?* Tum in ſerm. de Vniuerſ. *Deus*, inquit, *virtute antiquiorem genuit animum, eumque vt dominum, atque imperantem obedienti corpori præfecit.* Hic rectus naturæ ordo, ſed tamen haud rarenter inuer-

titur, quanquam ex accidente. Veruntamen ex hoc minimè colligitur, animum, interitui eſſe obnoxium; quia eius natura, atque conditio, ex ijs perpendenda eſt, quæ illi per ſe conueniunt, non quæ ex accidente. Quod verò in Cælo natum eſt, id abſolutè ſpectatum, Cælum peteret; ſed ob arctiſſimam corporis ſocietatem, ad ima deijcitur. Nec tamen vbique, nec perpetuò; nam in quibuſdam tantum abeſt, vt moleſto ſenſuum pondere, nobiliorem partem, animum, ad terrena, & caduca, pars deuoluat inferior, vt ſecum potius ad cæleſtia ac diuina, corpus trahat natura glorioſior, nempe anima.

Ad 5. cum obijcitur, ſi animus ſuaptè conditione gaudet immortalitate; quid eſt, quòd tam moleſtè a corpore diſcedit? Hæc ſunt in cauſa, quia etſi immortalis eſt, ac impaſſibilis, eſt tamen forma corporis: altera compoſiti pars: arctiſſima colligata ſocietate: in eo, tanquam in loco proprio conquieſcit: idcircò ex eo, vi quadam ac moleſtè auellitur. Excipe hac de re Plutarchi exemplum: quemadmodum auis capta, inquit ille, ſi diutius alatur in carcere, ita eius loci amore capitur; vt etiam ſi dimittatur, ſtudeat eò redire, ſic animus, diu verſatus in corpore, non facilè ab eo reuellitur. Animi verò puerorum libentius e corporis cuſtodijs excedunt, quòd minus in ijs morantur. Deinde, etſi vltima rerum linea mors, videatur horribilis, non tamen fortaſse omnibus. Senecæ Tragici eſt hoc monitum.

Mortem optare malum, timere peius.

Non eam timuit Thales, qui inter vitam, ac mortem nihil intereſſe dixit, quòd vtraque res eſſet ſecundum naturam, nec mortem malam eſſe magis, quàm natiuitatem: non Socrates, qui tanta animi firmitate gradiebatur ad mortem, vt Critoni, vehementi ſtudio ſuadenti, ſi vitam ipſe ſuam negligeret, vt certè liberis etiam tum paruulis, & amicis ab ipſo pendentibus, ſemet ſeruaret incolumem, dixit, *liberi quidem Deo, qui mihi eos dedit curæ erunt; amicos, hinc diſcedens, inueniam vobis aut ſimiles, aut etiam meliores: ne veſtra quidem conſuetudine diu cariturus; quandoquidem vos breui, eòdem eſtis commigraturi*: non (vt alios ſileam) heroes noſtri, heroideſque martyres, qui lætabundi, quaſi olores aliquit clarius moriendo cecinerunt; voce, & ſanguine. Porrò, *ſi mortem cogitatione metimur*, inquit, Tullius, *eſſe portum paratum omnibus, quò vel paſſis peruehimur velis, ſin reflantibus ventis reijciemur, tamen eòdem paulo tardius referamur neceſſe eſt*; pectoris benè præparati erit, ob rei ineuitabilis metum, non tantopere cruciari: tamen quiſquis es, mortis amaritudinem tempera hoc dulcore;

Frigida mors vitam, mortem rapit altera vita:
Mors vana vita finis, origo bona.

Cogita, quod mors vitam etſi adimit, non tamen perimit; adimit quidem, ſed ad tempus, reſtituendam in tempore, duraturam ſine tempore, ſed quò feror?

Redeo ad id, quod in eodem 5. arg. annectebatur; nempe ſi animus immortalis ac impaſſibilis eſt, cur ſi contemplationi impenſius vacet, ira quatit corpus, vt nihil æque? & contra, laborante & læſo corpore læditur? Dic vno verbo: id euenit propter intimum & arctum vtriuſque adinuicem nexum. Porrò, cum animus quandiu in hoc mortali, & caduco corpore degit, ope corporearum facultatum, & ſenſuum, qui quaſi ſatellites quidam ac internuncij intellectus ſunt, munia ſua obeat, ijs profectò an labore, an morbo aliquo dilapſis, ipſe etiam in operando torpeſcit: ita tamen, vt ei id obtingat omninò ex accidenti: quia nimirum ſuccumbunt facultates, & ſenſus, quibus opitulantibus operabatur, *non quia ſuſtinuit aliquid ipſe intellectus, ſed id, in quo ille eſt: quemadmodum contingit in ebrietatibus*: vt loquitur Stagirites lib. 1. de Anima tex. 66. Id in cauſa eſt, cur capite, vel nimio frigore, vel calore infecto, animi functio peſſum eat: quia facultates illæ, maximè verò phantaſia, qua quidem intellectus quaſi ſocia, & adminiſtra in ſuis operationibus vtitur, cum in corporeis inſtrumentis, ac ſenſorijs inſideant, earum temperie, & harmonia corrupta, ita deprauantur, vt non modo intellectui famulari non queant, ſed eum trahant etiam in ſocietatem: ideòque inflammato cerebro, mentis ſuccedit alienatio, aliiuè mentis, qui apparent, affectus.

Porrò, quid eſt, quod animum effuſa ſanguinis emiſſio, febrium æſtus, Carus, Apoplexia, &c. depellunt ex corpore, ſi ille impaſſibilis eſt, ac immortalis? vt ibidem obijcitur. Hoc vſqueadeò torſit Galen. vt in lib. de mutua conſecutione animi morum, & cor-

& corporei temperamenti cap. 3. dicat, ſed à nullo vnquàm Doctorum huius rei cauſam accipere potuiſſe; libentiq; animo eam à Platone, ſi inter homines ageret, quæſiturum. Eius hęc ſunt verba. *Cur verò ſanguinis copioſa euacuatio, & cicuta potus, & exurens febris, animam diſiungat à corpore, à Platone vtiq; ſi vitam degeret, omninò libentiſſimè cuperem: poſteaquam verò neque ipſe iam ſupereſt, ac nullus Platonicæ doctrinæ magiſter vllam me cauſam edocuit, propter quam ab his quæ modo recenſui, anima corpus deſerere coacta ſit, ego aliquid &c.* Sed nullo negotio reſponderet Plato, reſponderet etiam Ariſtoteles, ipſam migrare à corpore, quia corrumpitur naturalis temperies, neceſſaria ad operationes ſenſitricium facultatum, quibus illa, vt hic operetur, vnicè indiget. Præterquam quod, omninò meminiſſe debemus id, quod Stagirites ſæpiſſimè monuit, animam rationis, conſilijque participem, dum in hoc caduco, & mortali corpore detinetur, abſque vegetatiua, ac ſenſitiua cohærere haud poſſe, quòd iſtæ ab anima rationali, quaſi trigonum à tetragono continentur: vegetalis verò, ſentienſque gradus diſſoluuntur corpore diſſoluto, iccircò migret è corpore etiam animus ipſe, neceſſe eſt. Tum etiā, quia vt alio loco docuimus, anima intellectrix eſt vera humani corporis forma: an ergo in corpore exanimi, & ipſo cadauere detinendus eſſet? Iā ſi nos, putidus aliquis, & grauis odor aliudue domi incommodum ex ea fugat; mirare, quod animus diuinus, ac immortalis, ex corrupti corporis fætore tandē auolat? quinimo omnes corporis dolores, & incommoda, huius migrationis veluti quidam apparitores ſunt. Audi Senecam, *Vt qui in alieno habitant, multis aguntur incommodis, ſemperq́; de aliqua domicilij parte queruntur, ita animus nunc de capite, nunc de pedibus, nunc de ſtomacho, nunc aliud de alio queritur; ſignificans ſe non eſſe in ſuo domicilio, ſed vnde breui ſit emigrandum.*

SECTIO XII.

Confutantur reliqua argumenta, quę in ea ipſa ſect. 1. conſtructa ſunt.

AD 6. Quia ſacerdos publico ſacrorum miniſterio (quamuis extra Catholicam Eccleſ. falſo) præfututus eſt, haud immeritò vbiq; honeſtum ac decens exiſtimatum eſt, vt qui inſigni aliqua membrorum mutilatione, ac deformitate dedecoratus exiſteret, à tā magno, eximioq; officio arceretur. Quod ſi aliquando vel Auguſti edicto quoſdam ob corporum dehoneſtamenta *Senatu Romano excluſos fuiſſe*, ſcriptum nobis reliquit Dio lib. 54. quanta maiori cum ratione huiuſcemodi dehoneſtamenta, arcebunt à ſacerdotio, quod apud omnes perpetuo in eximio fuit honore?

Quod verò ad ea attinet, quæ in arg. ex veteri teſtamento adducta ſunt, meminiſſe debemus, *quod omnia in figura contingebant illis*, 1. ad Corinth. cap. 10. dum itaque ibi à miniſterio Dei prohibentur qui lippitudine, qui næuo, qui impetigine, qui macula, qui deniq; aliquo corporis vitio fuiſſent infecti, per hæc lex illa adumbrabat, vt ab anima ſordes, & maculas peccati eluerēt, ac mundi, & puri redderentur, qui Deo accepti eſſe vellent: vt nimirum, *per corporalia demonſtraret ſpiritualia*, vt docemur in diſtinct. 55. Decret. Bonifac. Et in Additionibus ad 3. part. S. Thomæ quæſt. 36. art. 1. hæc legimus, *quando Leuit. 21. dicitur, quod homo de ſemine Aaron, qui habuerit maculam, non offerat panem coram Domino, nec accedat ad miniſterium eius, per maculam, vt dicit Gloſſ. omne vitium intelligitur.* Et infra quæſt. 39. art. 6. vbi ſpeciatim in dubium vocatur: Num quiſpiā ob membrorum defectum, à ſuſcipiendis ſſ. ordinibus impediri debeat, ita ſancitur. *Dicendum, quod aliquis efficitur ineptus ad ſuſceptionem ordinum, vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis perſonæ; & idèò patientes defectum in membris, impediuntur à ſuſceptione ordinis, ſi ſit talis defectus, qui maculam notabilem inferat, per quam obſcuretur perſonæ claritas, vt abſciſio naſi, vel periculum in executione facere poſſit: alias non impeditur. Hæc autem integritas exigitur de neceſſitate præcepti.* Has itaq; ob cauſas arcentur à ſacrorum miniſterio ij, qui inſigni aliquo corporis vitio laborant, non verò ob eam cauſam, quæ in arg. recenſetur. Quanquam non negauerim plerumq; lineamenta corporis eſſe animi argumenta: Liberalis & honeſta facies, liberalem, & honeſtum arguit animum, praua, prauum: adeò vt Cornel. Tacit. hæc in lib. 2. Annal. ſcribat. *In corporum maieſtate veneratio ineſt: magnorumque operum non alios capaces putant, quàm quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt.* Et illud iam tritum.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus,

Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Hæc, ſic inclinent aliquo pacto animum ad iſta, aut illa opera, ſed non cogunt; cum alia ſit corporis, alia animi ſubſtantia: vnde nec etiam eius immortalitati officiunt.

Ad 7. Vtiq; in homine triplex eſt facultatum genus, nempe earum vnum, quo viuimus, ac vegetamur: mox, quo ſentimus: tandem, quo intelligimus. Priora duo caduca ſunt, ac mortalia: tertium, quippe gradus intellectiuus, incorruptus ac immortalis. Iam verò in anima humana duo illa priora nō præualent, nec præponderant vni intellectiuo, ſed verſa vice; quò fit, vt nec humana anima dicenda ſit magis mortalis, quam immortalis. Quod verò in homine pars intellectrix, & ipſa ratio reliquis duabus, vegetanti, ac ſentienti præpolleat, vel ex nomine ipſo diſpicitur: nam idcircò eam animi partem cum Academia, tum Peripatus, ac reliqui omnes Philoſophi *ἡγεμονικὸν*, partem principem appellarunt, quia ita natura comparatum eſt, vt hæc præſit atque imperet, illæ obſequantur ac pareant: quod autem præeſt, ac dominatur, præpollet vtique. Deinde, quia intellectus eſt vltima hominis perfectio, & vt aiunt *ſpecifica differentia*, nam etſi embryo viuat prius vitam plantæ, deinde animalis, vt nos admonuit Stagirites lib. 2. de generat. animal. cap. 3. nihilominus tum demum eſt homo, cum *mens deforis acceſſerit*. Ab vltima autem perfectione, non ab alijs, quæ præceſſerunt an formis, an partibus, cuiuſcumq; rei denominatio deſumenda eſt: ſicuti nec ternarius v.g. numerus ab aliqua præeuntium vnitatum ſic appellatur, ſed ab ea, quæ eſt vltima. Ad extremum, quia intellectus in hominis generatione, vt alio loco ex illo ipſo cap. 3. docuimus, eſt eius finis: Vnumquodq; verò denominatur à ſuo fine: vnde fit, vt anima humana omninò denominãda ſit à parte intellectrice, quę cum ſit interitus expers, id conſequitur, vt humana anima magis, immò abſolutè dicenda ſit immortalis.

Ad 8. omninò negandum eſt, animam intellectricem in generatione hominis produci à genitoribus: cum ea ab ſummo rerum opifice eo temporis articulo in corpore procreetur, quando id perfectè ac vltimatè diſpoſitum fuerit, vt retro Diſput. 3. ſect. 6. docuimus. Nec verò ſimilitudo morſi, & animorum, quæ filijs cum parentibus intercedit, quicquam negotij animæ immortalitati faceſſit; nam hæc non à parte intellectiua, ſed aliunde proficiſcitur, quæ in præſentia paucis eſt enarranda: de qua tam variæ ſunt doctiſſimorum hominum, tamque diſcrepantes ſentẽtiæ, vt veritas vix comprehendi poſſit.

Principio audiendi ſunt nobis veteres Philoſophi ex Plutarchi verbis, apud quem lib. 5. de placitis Philoſoph. cap. 11. hæc legimus. *Empedocles ſimilitudinem defert ſemini præualenti, diſſimilitudinem euaporationi caloris, qui in ſemine erat. Parmenides, ſi à dextra vuluæ parte ſemen excernatur, patrum: ſi a ſiniſtra, matrum ſimiles naſci. Stoici, a toto corpore & anima ferri ſemen, exprimique imagines, & effigies ex eadem gente, perindè atque ſi pictor vel conſpecta ſimilitudinem coloribus ſimilibus referat. Præterea à muliere quoq; ſemen emitti, quod ſi præualeat, matri: ſi viri, patri ſimilem naſci fœtum.*

Galenus, multis in locis, maximè verò in lib. de ſemine, cum in hanc ſententiam iuiſſet, quod in generatione hominis, non modo vir, ſed mulier quoq; emittendo ſemen *vtrinquè concurrat*, arbitratus eſt, ſimilitudinem, aut diſſimilitudinem, quæ eſt filijs cum parentibus, non aliunde, quam ex ſemine vtriuſq; parentis oriri; ita, vt cuius ſemen in ea commixtione præualuerit, ei ſimilis edatur fœtus, vel in aliqua parte, vel ſecundũ totum, prout ſemen vel in parte, uel in toto ſuperauerit.

Ariſtoteles lib. 4. de generat. animal. cap. 3. hac ipſa de re multis ediſſerit, qui tandem filiorum in vniuerſum ſimilitudinem, & contra, excitari putat, ex varia actione virilis ſeminis in ſanguinem (negat hic mulierem in concubitu eiaculari ſemen) meſtruum: ita, vt ſi ſemen viri vſquequaq; materiam mulieris euincat, prolem ſimilem patri, ſin autem mulieris materia ſuperauerit, ſimilem effici matri; idque vel toto corpore, vel ſingulis partibus. *Itaque ſi genitura ſuperat*, inquit Stagirites, *faciet marem, non fœminam, & ſimilem ei, qui generat, non matri: ſed ſi non ſuperat, pro ea, qua non ſuperauerit facultatem, defectum faciet, &c.*

Oritur præterea ſimilitudo ex parentum affectu, & imaginatione, adeò, vt Philoph. in problem. ſect. 10. quæſt. 12. cum quæſiuiſſet, cur proles cæterorum animantiũ magis, quàm ho-

hominis, ſuis parentibus ſimilem gerat naturam, ita pergat: *An quia homo vago, varioq; plurimùm animo in coitu eſt: prout autem pater, materq; in conceptu affecti fuerunt, ita partus euariãt. Cætera verò animantia omnia, aut certè plurima, rei tantum ipſi intendunt, totaque ſe ſe Veneri dedunt, &c.* Quid? tantum hic ualet imaginatio, ut (cætera ſileo) plerique aſſerant mulierem, quæ maritum auida cogitatione in congreſſu complectatur, illius imaginem exquiſitè imprimere fætui: idem etiam præſtare maritum. Quod tam exiſtimant veritati proximum, vt ex forma ac ſimilitudine, quam proles cum patre gerat, colligant ſyncerum vxoris affectum erga maritum, tum contra, ex ſimilitudine, quæ fætui cum matre intercedit, venentur animum, & diſpoſitionem mariti erga vxorem. Ex hoc loco Flaccus lib. 4. Carm. od. 5. eruit inuiolatam thori fidem in tranſmarinis mulieribus, dum ita canit,

Culpari metuit fides:
Nullis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos, & lex maculoſum edomuit nefas:
Laudantur ſimili prole puerperæ.

Et lepidiſſimus poeta Catullus in eo carmine, quod ſcripſit in Iuliæ nuptias, precatur, vt Torquatus filius naſciturus, ſuo ſit ſimilis patri Manlio, & vel ipſo ore indicet pudicitiam matris.

Sit ſuo ſimilis patri
Manlio: & facile inſcijs
Noſcitetur ab omnibus,
Et pudicitiam ſuæ
Matris indicet ore.

Theocrit. in Encom. Ptolem. eius mulieris, quæ virum ſuum non amat, mentem dicit in alio viro ſemper eſſe occupatam, idéoque eam liberos, patri diſſimiles parere.

Ἀστόργου δὲ γυναικὸς ἐπ' ἀλλοτρίῳ νόος αἰεί,
Ῥηΐδιοι δὲ γοναί, τέκνα δ' οὔποτ' ἐοικότα
πατρί: ideſt

Mulieris affectione carentis, ſemper in alieno (viro) mens eſt:
Faciles fœtus: liberi nunquam patri ſimiles.

Hæc de liberorum ſimilitudine quoad corpora tetigiſſe lubuit. Quod verò ad mores, propenſiones, & animos ſpectat, non ſemper, immò nec ſæpe, mores & ingenia filiorũ ſunt parentũ ſimilia. Quidẽ aliquando tanta intercapedine diſſident, vt nihil magis. Porrò, quæ hic morum, & animorum ſimilitudo? Socrates, vel Apollinis oraculo iudicatur ἀνδρῶν ἁπάντων σοφώτατος, at eius pater Sophroniſcus marmorarius, & mater Phenarete obſtetrix. Pindarus Lyricæ maieſtatis apex, at eius pater Scopelinus tibicen. Demoſthenes oratorum facile princeps, at eius pater cultrorum venditor. Contra, Socratis filij è Xantippe quidẽ Lambrocleus, ex Myrtone verò Ariſtidis iuſti filia Sophroniſcus, & Menexenus, ſtolidi. Periclis filij Paralus, & Xantippus ignaui. Themiſtoclis, Tleophantus malus. Alcibiadis, omnes inſani, & vt in ſumma dicã, *Heroum filij noxa*. Quod argumentum declamat Aelius Spartianus in Seuero Cæſare, vbi multis exẽplis declarat, ita ferè vſu veniſſe, vt viri, ſeu virtute, ſeu literis, ſeu fortunæ indulgentia inſignes, aut nullos omninò liberos habuerint, aut tales reliquerint, vt magis ex vſu rerum humanarum fuerit, illos abſque liberis decedere.

Quòd ſi quæras, cur ergo communi hominum cenſione, bonorum filij, boni; improborum, improbi; nobilium, nobiles; fortium, fortes exiſtimantur?

Has ob cauſas: Primò, in ſemine latet abdita quædam parentum vis, atq; ſpiritus, quinimo, auctore Philoſoph. lib. 4. de generat. animal. cap. 3. *Maiorum etiam propria in nepotum ſemine inſunt potentia.* Hæc in generatione, niſi adſit impedimentum, communicatur fætui, in ijs formis, ac facultatibus, quæ de poteſtate materię educuntur, cuiuſmodi ſunt vegetatrix, ſentienſq; anima, & vtriuſq; facultates. Cum itaq; præfata vis atq; ſpiritus in viris nobilibus, ob alimentorum munditiam exiſtimentur puriores, in fortibus, robuſtiores, fit, vt in illorum filijs puriores, in iſtorum robuſtiores ſpiritus ingenerentur, & ſic, *fortes creantur fortibus: & eſt in iuuencis, eſt in equis patrum virtus.* In bonis autem ac probis viris, adeſt etiam imaginatio rectè compoſita, quæ hac in parte plurimum habet momenti. Quia verò anima intellectrix, eiuſque facultates, quandiu ſunt in his incluſæ compagibus corporis, operantur ope & adminiculo imaginationis, & corporeorum inſtrumentorum, hanc ob cauſam nobilium liberi in ijs etiam actionibus plerunq; cenſentur accutiores, quę ſunt propriæ ingenij, & intellectus.

Accedit recta educatio: quippe rationi conſentaneum eſt, viros probos, tũ nobiles, quibus, vt veriſimile eſt, adiungitur facultatum commoditas, in id incumbere, vt ſuos liberos

vel

vel à teneris vnguiculis, probis ac rectis inſtitutis informent, quò ſibi quàm fiant ſimillimi. Illi verò quos ſemel à rudibus annis, & a ſaliua, quod aiunt, imbiberunt mores ac inſtituta, toto vitæ ſpacio retinent, nam

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

Multum præterea confert conuictus, & aſſidua cohabitatio: quippe cum homo ſuapte natura, vt Plato loquitur ſit *μιμητικώτατος imitantiſſimus*, puelli exemplo parentum, ac nutricum mirum in modum eorum ipſorum vitam ſiue bonam, ſiue malam imitantur, ac penè medullitus hauriunt. Nam *ſi iuxta claudum habitans, ſubclaudicare diſcet*, quanto magis proborum, & honeſtorum parentum cohabitatio, quaſi tacita quædam præceptio edocet filios quid deceat, quid non? Has ergo ob cauſas bonorum filij, boni, &c. non verò quia eorum animi procreentur a genitoribus, vt aſſerebatur in illo 8. arg.

Ad 9. Quod res externæ, vt circumfuſus aer, & locorum diuerſitas variet hominum operationes, hinc oritur, quoniam hæc immutant humani corporis humores, efficiunt organa ſubtilia, aut obtuſa, reddunt acutos, aut hebetes ſpiritus. Porrò quotuſquiſq; eſt, qui neſciat, pingue & craſſum cælum, pinguia quoq; & ſtupida ingenia progignere, & contra? Quia verò anima in hoc incluſa corpore, per inſtrumenta corporis operatur, fit, vt ipſa quoque in ſuis operationibus quodammodo varietur, quanquam inſemet immutabilis ſit. Suppetit alia etiam ratio, cur iſdem fere moribus videntur præditi, qui eandem incolunt regionem, ab aliorumq; inſtitutis, & exercitationibus alieni: nempe quotidianus conuictus & communis vitæ ratio, inueterata conſuetudo, mores deniq; loci illius tacita quadam incolarum approbatione vltro citroque agitati, iuſſu, exemplo, vel imitatione parentum, nutricum, vel maiorum hauſti, qui in naturam vertuntur, quos quidem poſtea, *furca licet expellas, tamen vſque recurrunt.*

De Cælorum autem, & ſtellarum in homines influxu, quantum ad præſens attinet, ita cenſeo: illa nec in intellectum, nec in voluntatem *directè influere*. Quid ita? quia nullum corpus, in id, quod eſt corporis expers, ſua natura influit: Atqui intellectus, vt ex lib. 3. de Anima didicimus, nec corpus eſt, nec actus organi corporei. Eadem ratione voluntas; cum reſideat in ratione, vt colligimus ex tex. 42. eiuſdem lib. 3. eſt itidem incorporea: ideoque cæleſtia corpora nihil in eam directè, ac immediatè imprimunt, neque ad aliquid proſequendum, fugiendumue impellunt. *Inclinant tamen diſpoſitiuè, in quantum imprimunt in corpus humanum; & per conſequens in vires ſenſitiuas, quæ ſunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus. Quia tamen vires ſenſitiuæ, obediunt rationi, vt patet per Philoſoph. 3. de Anima tex. 42. & 47. Et lib. 1. Eth. cap. vlt. nulla neceſſitas ex hoc libero arbitrio imponitur, ſed contra inclinationem cæleſtium corporum, homo poteſt per rationem operari*, inquit diuinus præceptor S. Thomas in 1. 2. quæſt. 95. art. 5.

At ne quiſquam arbitretur, me de domo, quod aiunt, produxiſſe teſtem, audi ipſummet Aſtrologorũ principem Ptolemæum, qui non ſemel hoc idem conceptis verbis aſſeruit. In Centiloq. Propoſit. 6. *poteſt*, inquit, *qui ſciens eſt, multos ſtellarum effectus auertere, quando naturam earum nouerit, ac ſe ipſum ante illorum euentum præparare*. Idem repetit tum alibi ſæpe, tum maximè lib. 1. Quadripart. cap. 1. & 2. Hem, cape quid in illo cap. 2. de hominum inclinationibus è cælo ortis aſſeueret; nempe eas impediri, penituſq; tolli, ſi contraria adhibeantur remedia; *& quemadmodum vlcera nec ſerpent, nec putrefactionem facient, ſi contraria curatio acceſſerit; nec ferrum trahet magnes, ſi magneti allium fuerit illitum; ſic & de inclinationibus a Cælo ortis dicatur, cum aut ignorantur futura, aut non impediuntur contrarijs rebus &c.* Homo itaque contra validam etiam propenſionem è ſyderibus inditam, poteſt, ſi lubuerit, per rationem agere, & ſæpe agit. Quanquam pauci ſint, fateor, qui ſe inclinationum calcaribus concitatos, rationis habenis compeſcant; immò plurima mortalium pars, poſt eas it præceps, *& ideò actus eorum diſponuntur, vt in pluribus ſecundum inclinationem corporum cæleſtium: & propterea Aſtrologi in multis vera pronunciant*, inquit S. Doctor loco quem dixi.

Ptolemæus ergo locis in 9. illo arg. adductis, cum de huiuſmodi hominum propenſionibus verba agitet, non ab re ait, qui propiores ſunt Auſtro, eos in genere eſſe ingenioſiores, callidiores, rerum diuinarum peritiores, ſagaciores habere animas &c. quæ tamen nihil animæ immortalitati officiunt, cum in huius facultates immediatè, vti dicebam, nil imprimant.

Ad

Ad 10. De monſtroſis illis hominibus (non equidem diſputabo vtrumne, & vbi terrarum ſint) haud temerè mecum ipſe ambigerem, verè ne ſint homines, an potius inter muta animantia annumerandi, ni mihi laborem hunc D. Auguſt. exemiſſet, qui in lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 8. præfatæ difficultati his omninò reſpondet. *Quiſquis vſpiam naſcitur homo, id eſt, animal rationale, mortale, quamlibet noſtris inuſitatam ſenſibus gerat corporis formam, ſeu colorem, ſiue motum, ſiue ſonum, ſiue quamlibet vim qualibet parte, qualibet qualitate naturæ, ex illo protoplaſto vno originem ducere, nullus fidelium dubitauerit.* Ea propter in ſerm. 37. ad fratres in eremo ſcribit, ſe ad monſtra quędam, quibus nec capita vlla, & oculi in pectoribus inſerti erant, ferendi Euangelij cauſa profectum, cum illos noſſet gentilitatis errore implicitos, & ratione alicuius, tametſi falſę, religionis teneri. Itaq; in quo cumq; apparet nō nihil rationis, cum inter homines annumerarem, eiuſq; animam abſque vlla hęſitatione arbitrarer immortalem: ſin autem nullum rationis elucet veſtigium, non amplius hominem cenſeo. Non hic plura: Vnum illud reſtat, quod in calce ſect. 1. huius Diſput. pollicebamur, vt nimirum præcipua Lucretij, & Plinij arg. adducamus, & confutemus; ſit ergo.

SECTIO XIII.

T. Lucretij, & C. Plinij argumenta, contra animorum immortalitatem allata, & confutata.

TItus Lucretius Carus, qui totis ſex libris de Natura rerum carminibus philoſophatus eſt, vt ſummo creditur fuiſſe ingenio, ita furioſo. *Solebat enim per interualla temporum ad carmen accedere, nō ſine quodam animi furore*, inquit Petrus Crinitus in vita Lucretij. vnde illud Statij,

Et docti furor arduus Lucreti.

Hic ergo veluti cornutus quidam Satyrus furibundo impetu in animorum immortalitatem irruit, & complura contra eam contorſit ſpicula, ex cuius poſtea officina, recētiores animi parricidæ, amentata ſua tela, vt plurimùm mutuati ſunt; quæ a nobis alio loco & relata, & confutata habes: nunc acutiora vnius Lucretij iacula, obiecto veritatis clypeo confringamus. Statuit itaq; hic in 3. lib. animam rationis intelligentiæq; participem, perinde ac cæteras formas, caducam ac mortalem eſſe; quod probat.

1. *Primùm animum dico, mentem quam ſæpe vocamus,*
In quo conſilium vitæ, regimenq; locatum eſt,
Eſſe hominis partem nihilominus, ac manus, & pes,
Atq; oculi, partes animantis totius extant.

Vis in eo poſita eſt, animus, ſeu mēs, eſt certo cuipiam organo affixus, perinde atque alia quæuis corporea facultas; vt videndi in oculo, ambulandi in pedibus, non ergo a corpore ſciungi poteſt. At quia ex Peripato, & Academia audiuerat, quod nos quoq; Diſput. 6. oſtendimus, animam in nullo organo incubare, ideò paucis interiectis, comprobare nititur eum in corde reſidere, dum ita canit.

Nunc animum, atque animam dico coniuncta teneri
Inter ſe, atq; vnam naturam conficere ex ſe.
Sed caput eſſe quaſi, & dominari in corpore toto
Conſilium, quod nos animum, mentemque vocamus:
Idq; ſitum media regione in pectoris hæret.
Hic exultat enim pauor, ac metus: hæc loca circùm
Lætitia mulcent: hic ergo mens animuſq; eſt.

In corde, inquit, excitatur pauor, metus, lætitia, ibi ergo incubat animus, ſeu mens. Verùm hic auctor meminiſſe debebat, lætitiam, pauorem, metum, amorem, odium, idq; genus alia, haud eſſe opera mentis, ſed compoſiti; nam, *cogitare & amare, aut odiſſe, non ſunt illius*, id eſt intellectus, *paſſiones, ſed huius habentis illud*, inquit Stagirites lib. 1. de Anima tex. 65. Quare extra chorum omninò ſaltat, quicunque naturam ac ſedem animi, ex hiſce venatur, quæ ex vno ac ſolo intelligendi munere deducenda eſt. Subnectit aliud arg.

2. *Prętereà gigni pariter cum corpore, & vnà*
Creſcere ſentimus, pariterq; ſeneſcere mentem:
Nam velut infirmo pueri teneroq; vagantur
Corpore, ſic animi ſequitur ſententia tenuis.
Inde vbi robuſtis adoleuit viribus ætas,
Conſilium quoq; maius, & acutior eſt animi vis.
Poſt vbi iam validis quaſſatum eſt viribus æui
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaq; menſque:
Omnia deficiunt, atq; vno tempore deſunt.

Ergo diſſolui quoq; conuenit omnem animai
Naturam.

Argum.eſt ab animi operatione; quæ in infantibus vix aut ne vix quidem obſeruatur; cum adoleſcit ætas, confirmatur; cum conſtat, viget; cum in ſenectam vergit, hebetatur; poſtremò, in profundo ſenio flaceſcit, & aboletur. Si itaq; animus creſcit, pariterq; decreſcit, perinde erit caducus, atq; corpus.

Hanc rationem multis confutauimus ſupra Diſput.5.ſect.10. Obuenit hoc, nō quia *in ſenio ſuſtinuit aliquid anima, ſed id, in quo; ſicut in ebrietatibus, & morbis*: auctore Philoſopho lib. 1. de Anima tex. 65. nempe ob inſtrumentorum labem: quo fit, *vt ipſum intelligere, & ipſum ſpeculari marceſcat, alio quodam interius corrupto: ipſum autem impaſſibile eſt.* Errat ergo Lucret. dum a corporei organi vigore, aut debilitate, ad animi naturam recurſat: quod præſtat multis alijs arg. quæ ad hoc ipſum adiecit: nempe, quod animus, ſicuti corpus, infeſtatur morbis: quod vini vis eum conturbat, & quaſſat: quod ſubita morbi vi ſæpe coactus aliquis ante noſtros oculos, vt fulminis ictu concidit, ingemiſcit, tremit, contorquetur, anhelat: contra, quia animus, vti ægrum corpus ſanatur, & medicina flectitur. Hæc omnia eadem ſolutione corruunt, quandoquidem vel ſunt affectus compoſiti, vel eueniunt propter inſtrumentorum labem. Pergit ex alio capite.

3 *Deniq; ſæpe hominem paulatim cernis obire,*
Et membratim vitalem deperdere ſenſum:
In pedibus primùm digitos liueſcere, & vngues
Inde pedes, & crura mori: poſt inde per artus
Ire alios tractim gelidi veſtigia leti.
Scinditur atqui animi hæc quoniam natura, nec vno
Tempore ſyncera exiſtit, mortalis habenda eſt.

Arg. eſt, cernimus partes corporis paulatim mori; ergo ibi extinguitur anima, ergo mortalis. Verùm hic Lucretius ſplendidè fallitur: nam extremę corporis partes primùm frigeſcere, & mori ſentiuntur, non quòd ibi anima euaneſcat; ſed quia earum partium temperamentum euertitur: quoquidem euerſo, anima deſinit illas informare, & quodammodo in ſemetipſam recipitur. Conturbatur verò euerriturq; primùm earum partium temperies, vt pote remotiorum a calore natiuo, qui *quaſi Lares, & focus corporis continetur, & ſeruatur in corde*, vt auctor eſt Philoſoph. lib.3. de partib. animal.cap.7. quod etiam in animali, *efficitur primùm, & per obitum vltimò deficit*, auctore eodem Philoſoph. lib.2. de generat.animal.cap. 6. Hinc efficitur, vt ad extima illa membra, nō amplius calor, non alimentum, non ſanguis, non ſpiritus deferantur; ideòq; illa primùm flaceſcere, emòriq; incipiunt, non ſecus atque in plantis, quæ deficiente alimento, incipiunt non circa radices & truncum, ſed in ſummitatibus areſcere. Sed inſtat Lucret. ergo anima, quæ paulatim extimas corporis partes deſerit, deberet porrò ſeſe inſemet contrahere, & conglomerare: eòque in aliquo animantis loco auctior, maiorque videri: quod cum nuſquam appareat, fateare neceſſe eſt, eam in partibus illis extingui. Audi ipſum.

Quod ſi forte putas ipſam ſe poſſe per artus
Introrſum trahere, & partes conducere in vnū,
Atq; ideò cunctis ſenſum deducere membris:
At locus ille tamen, quò copia tanta animai
Cogitur, in ſenſu debet maiore videri.
Qui quoniam nuſquam eſt, (nimirum vt diximus ante)
Dilaniata foras diſpargitur: interit ergo.

Nihil hic virium: nam introrſum contrahi, cogi, & glomerari, nota eſt rei corporeæ: Intellectrix verò anima *nec corpus eſt, nec virtus corporea*, iccircò nec introrſum cogitur, nec in copiam glomeratur; ſed cum tota ſit in toto corpore, & in quauis eius parte tota, deſinit informare eam partem, cuius temperamentum euanuit, quæue abſciſa ſit, & tandem tota ſimul exit, cum a corpore ſeparatur. Nec verò ea minor efficitur, tum pauciores corporis partes, quàm antea informat, ſicut nec Sol minor, maiorue dicetur, ſi plures, vel pauciores calfaciat res: Vnde etiam fuit aliud eiuſdem argum. quod ſic ille poſt aliqua ſubijcit.

Et quoniam toto ſentimus corpore ineſſe
Vitalem ſenſum, & totum eſſe animale videmus;
Si ſubitò medium celeri præciderit ictu
Vis aliqua, vt ſeorſum partem ſecernat vtramq;
Diſpertita procul dubio quoq; vis animai,
Et diſciſſa ſimul cum corpore diſijcietur.
At quod diſcinditur, & partes diſcedit in vllas,
Scilicet æternam ſibi naturam abnuit eſſe.

Nempe, quod eſt ſecabile, ac re ipſa ſecatur, id etiam eſt mortale. Anima humana eſt huiuſmodi: mortalis ergo. Deinde multis carminibus probat mediam propoſitionem: ſummatim omnia eò ſpectant, quia hominis partes

tes

tes abſciſſæ aliquandiu tremunt, mouentur, viuunt: ergo ab anima quæ in præciſis partibus remanet.

Omninò falſum eſt, & quod anima humana ſecetur, & quod hominis partes abſciſſæ viuant, aut diutius moueantur. Quid? in vniuerſum omnium perfectorum animalium partes præciſas, nec vitæ, nec diutini motus poſſe participes eſſe, docuit Stagirites lib. de animal. inceſſu cap. 5. & S. Thomas prima part. quæſt. 76. art. 8. quia præfata animantia, vt idem Ariſt. alibi loquitur, *ſunt maximè vnum*: quocirca lib. 3. de partib. animal. cap. 10. haud immeritò eos ſuggillat, qui abſciſſum hominis caput loqui poſſe aſſeuerabant, in cuius rei fidem vocabant quoq; illud Homeri

φθεγγομένη δ᾽ ἄρα τοῦγε κάρη κονίῃσιν ἐμίχθη, id eſt

Loquens itaq; huius caput pulueri mixtum eſt.

Quod quaſi interpretatur, vt ſit φθεγγομένου, nempe, loquentis. *Nam fieri non poteſt*, ſubnectit, *vt caput, præciſa arteria, & ſine motu pulmonis loquatur. Nec apud barbaros, qui capita ſumma cum celeritate abſcindunt, tale quid vnquam euenisse accepimus.* Cum verò aliqua hominis pars celerrimè obtruncata aliquantulum moueri cernitur, id potius palpitatio quędam eſt, quàm verè motus, profecta a calore & ſpiritibus in ea relictis, minimè verò ab anima, quæ, vti dicebam, actutum deſinit partem illam informare, & ipſamet quodammodo recipit, ſed ad Lucret. reuertamur, qui ita pergit,

6. *Nec ſibi enim quiſquam moriēs ſentire videtur*
Ire foras animam incolumem de corpore toto:
Nec prius ad iugulum, & ſuperas accedere fauces.
Verùm deficere in certa regione locatam:
Vt ſenſus alios in parti quemq; ſua ſcit
Diſſolui.

Hic nugas agit: quaſi verò anima velut offa quædam euomenda eſſet, ſic debeat ad iugulum, & fauces aſcendere, & ſentiri. Porrò hic auctor, ſi rectè colligere vellet, debebat prius patefacere, animam haud poſſe ſaluam incolumemq; de corpore egredi, quin ſentiatur. Nunc verò quæ eſt hæc conſecutio? anima non ſentitur exire, ergo interit. Quaſi verò quęcumq; de corporibus noſtris exeunt, ea omnia ſentiamus. Continuò, vt multa alia ſileã, efflũt de cute noſtra extenuati humores, quos nihilominus quis vnquam ſenſit exire? Vnde medici eos euaporaſcere dixerũt *per inſenſibilem tranſpirationem*: tu verò mirare, quod humana anima, quæ cuiuſuis molis eſt expers, non ſentiatur, dum migrat. Quid? ſi ſentiretur, eſſet vtiq; corporea, quia ſenſus vltra res materiatas, & concretas nihil percipiunt: atque adeò eſſet caduca & mortalis: ſed addit Lucret.

7. *Quod ſi immortalis noſtra foret mens,*
Non tam ſe moriens diſſolui conquereretur:
Sed magis ire foras, veſtemque relinquere vt anguis
Gauderet, prælonga ſenex aut cornua ceruus.

Perpende primò, quàm pugnantia, & contraria hic loquitur Lucret. nã ſi anima de corpore egreſſura, vel dum egreditur, non ſentitur, vti modo dicebat, quo pacto nunc ea moriens conqueritur ſe diſſolui? ſi conqueritur, ſentitur ergo. Hem, conqueritur homo, non anima. Hic diſſolui conqueritur, refugitque mortem, quam omnia animantia natura duce horrent. Verùm multa attulimus ſupra ſect. 11. huius Diſput. dum 5. argum. diluebamus, quare animus immortalis cum ſit, nihilominus adeò moleſtè e corpore migrat: hic ea repetenda non ſunt: ad alia Lucretij pergo, qui ita ſubdit

8. *Præterea ſi immortalis natura animai eſt,*
Et ſentire poteſt ſecreta a corpore noſtro,
Quinque (vt opinor) eam faciundam eſt ſenſibus auctam:
Nec ratione alia noſmet proponere nobis
Poſſumus infernas animas Acheronte vocari.
Pictores itaque, & ſcriptorum ſecla priora
Sic animas introduxerunt ſenſibus auctas.
At neque ſeorſum oculi, neque nares, nec manus ipſa
Eſſe poteſt anima: neque ſeorſum lingua, neque aures,
Auditum per ſe poſſunt ſentire, neque eſſe.

Arg. eſt. Si anima poſſet a corpore ſeiungi, ſeiuncta vtiq; ſentiret: haberet ergo quinque ſenſus: probat conſecutionem, quia ſecus non ſentiret. Deinde, quia hac ratione animæ feruntur ab Acheronte euocari. Tum, quia priſca ſæcula ita ſenſibus præditas induxerunt animas. Atqui ſenſus, nẽpe oculus, nares, aures, lingua, & manus ſeiũcta, haud conſiſtunt, nec ergo anima.

Nullus ex his quinque ſenſibus affectatur animam a corpore ſegregatam: corporei ſunt omnes, & vnà cum corpore quaſi grauis ſarcina deponuntur. Animus ſolus expeditus ac liber

liber egreditur, comitantur eum potentię tantum incorporeæ, intellectus, & volũtas. Sentit verò, nempe intelligit, vult, ratiocinatur, mouetur, omninò agit, & patitur, perinde ac cæteræ ſubſtantiæ, quæ ſunt à materiali ſocietate abiũctę. Videt ergo anima ſeparata, at non oculo ſed intellectu: audit, non aure, ſed eodem intellectu, id eſt, percipit: guſtat, non quidem lingua, ſed voluntate, quia delectatur, &c. Quo autem pacto veteres pictores, quibus poteſtas quodlibet audendi ſemper fuit, tum priſca ſæcula poſuerint animas, non eſt quod laboremus. Pergit Lucretius.

9. *Præterea ſi immortalis natura animai*
Conſtat, & in corpus naſcentibus inſinuatur,
Cur ſuper anteactam ætatem meminiſſe nequimus
Interijſſe, & quæ nunc eſt, nunc eſſe creatam?
Nec veſtigia geſtarum rerum ulla tenemus?
Nam ſi tantopere eſt animi mutata poteſtas,
Omnis vt actarum exciderit retinentia rerum,
Non (vt opinor) id ab leto iam longius errat:
Quapropter fateare neceſſe eſt, quæ fuit ante
Interijſſe, & quæ nunc eſt, nunc eſſe creatam.

Arg. eſt, ſi animus eſt immortalis, cur non reminiſcimur anteactę vitę? Hęc ratio pugnat aduerſus Platonis, & Pythagoreorum tranſanimationem, quam nos alio loco confutauimus: Contra nos verò nihil faceſſit negotij, qui animas intellectrices non antegredi corpora, ſed eo temporis articulo in ijs produci profitemur, cum ea perfectè inſtructa ac diſpoſita fuerint: ſubnectit aliud arg.

10. *Præterea, ſi iam perfecto corpore nobis*
Inferri ſolita eſt animi viuata poteſtas,
Tum cùm gignimur, & vitæ cùm limen inimus,
Haud ita conueniebat vti cum corpore, & vnà
Cum membris videatur in ipſo ſanguine creſſe:
Sed velut in caueà per ſe ſibi viuere ſolam
Conuenit, vt ſenſu corpus tamen affluat omne.
Quare etiam, atque etiam, neque originis eſſe putandum eſt
Expertes animas, nec leti lege ſolutas.
Nam neque tantopere adnecti potuiſſe putandum eſt.
Corporibus noſtris extrinſecus inſinuatas.
Quod fieri totum contra manifeſta docet res.
Namque ita connexa eſt per venas, viſcera, neruos,
Oſſaque; vti dentes quoque ſenſu participentur.

Arg. eſt. Si anima eſſet immortalis, inſereretur humano corpori iam perfecto & abſoluto, tunc non adeò inſinuaretur, nec commiſceretur cum eo; ſed velut in quadam cauea degeret, minimum aſſiſteret. Nunc ſecus eſt, cum anima connexa ſit per venas, viſcera, neruos, oſſa, vt etiam dentes ipſi eam participent: mortalis ergo eſt.

Patefecimus ſupra Diſput. 4. quo pacto anima rationis conſilijq; compos, ſit vera hominis forma, & tamen ab eo ſeiungi poſſit. Ea in præſens referre nulla ratio poſtulat. Quare anima non debet in corpore, velut in cauea quadam morari; ſed eſt vt forma, & actus in propria materia. Commiſcetur verò in corpore etiam cum venis, viſceribus, oſſibus, neruis, & vnguibus, ſecũdum gradus inferiores, vegetalem, ac ſentientem, quos in ſemet virtute complectitur. Sed hic vrget Lucret. ita ſubnectens.

11. *Quod ſi forte putas extrinſecus inſinuatam*
Permanare animam nobis per membra ſolere:
Tanto quæq; magis cum corpore fuſa peribit.
Quod permanat enim, diſſoluitur: interit ergo.

Nempe, ſi anima humana accedit quidem forinſecus, attamen permanat, ac penetrat in omnia membra, vti forma efficere debet, eò magis cum corpore interibit: quia quod permanat, penetrat, ac diffunditur in aliquod corpus, id etiam diſſipatur, diſſoluitur, ac tandem interit.

Hoc ruit eadem ſolutione: quod enim ita permanat, ac diffunditur per corpus, vt cum eo etiam extendatur, ac diuidatur, fateor, id cum corpore diſſipari, ac tandem emori. Anima verò intellectrix, qua huiuſmodi, ita eſt in toto corpore, vt nec eius extenſione extendatur, nec diuiſione ſecetur, vt alio loco docuimus, vnde nec cum eo diſſipatur, nec interit. Addit Lucret. aliud arg.

12. *Vtrum tãdem animæ venentur ſemina quæq;*
Vermiculorum, ipſaq; ſibi fabricentur ubi ſint,
An quaſi corporibus perfectis inſinuentur?
At neq; cur faciant ipſæ quare ne laborent
Dicere ſuppeditat: neque enim ſine corpore cum ſunt,
Sollicitæ volitant morbis, algoque fameque:
Corpus enim magis his vitijs & fine laborat:
Et mala multa animus contagia fungitur eius.
Sed tamen his eſſe quamuis facere vtile corpus
Cum ſubeant: at qua poſſint, via nulla videtur.
Haud igitur faciunt animæ ſibi corpora, & artus.

Arg.

Arg.eſt. Vel animæ eduntur ex ſemine in corpore, vel perfecto & abſoluto corpori deforis inferuntur: Non hoc ſecundum, quia cum animæ ſunt a corpore liberæ, cur ſe ſe in corpus intrudunt, vt morbis, & laboribus eius ſubiaceant? Quod ſi quiſquam, inquit, Lucret. reſpōdeat, id fieri ob corporis vtilitatem; adhuc non apparet via & ratio, qua id fieri poſſit. Quomodo enim formabit, & fabricabitur ſibi membra, & artus, ſi perfecto corpori aduenit?

Quomodo anima intellectrix procreetur in corpore, toties a nobis dictum eſt. Vnitur verò cum corpore naturaliter: & potius ob ſui bonum, quàm corporis. Cuius rei cauſam afferre in promptu eſt, nam anima ſuapte natura eſt pars, pars autem obtinet quandam perfectionem in toto.

13. Præterea addit Lucret. alia ſed minutiora atq. nempe quia animi mores ſequuntur corporeum temperamentum. Deinde, ridiculum eſt, ſi dicas animam immortalitate donari, & tamen ad connubia Veneris præſto adeſſe, & immortalem ſpectare mortalia membra. Ad hæc, conueniret animas certare inter ſe, quæ prima in corpus inſinuaretur: Poſt, quia deſipere eſt, mortale æterno iungere, & putare vnà conſentire, quæ inter ſe tam diſiuncta, & diſcrepantia ſunt. Poſtremò, fac, anima ſit immortalis, & diſſoluto corpore ſuperſtes maneat: attamen eius immortalitas nihil ad nos pertinet, qui anima, & corpore conſtamus, & tandem diſſoluimur.

Porrò, nos oſtendimus alio loco, quomodo animi mores non ſequantur temperamentum. Deinde, deridendus eſt ipſe Lucretius, dum ita nugatur, vt 2. & 3. loco facit. Nec animæ vlla connubia ſpectant, cum actiones ſint ſuppoſitorum: nec inter ſe certant, quæ prima in corpus illabatur, cum non ſint antiquiores corporibus. Immortale autem aptè coniungitur cum mortali, ſi illud ſpectetur nō in ſe, ſed quà eſt natura incompleta. Ad extremum, quamuis nos diſſoluamur, attamen multum intereſt maneat ne ſuperſtes animus noſter, necne. Quid? Nos quodammodo remanemus, cum maior, potiorq; noſtri pars, qualis eſt animus, remanet; modò res ab eo, quod in ea præpollet, denominanda eſt. Verùm equidem cum Lucret. haud amplius pugnabo, quādo ſecum ipſe acrius pugnat, ſuiſque ſe confodit armis. Quippe oblitus eorum omnium, quæ hic pro animorum mortalitate effutiuit, in ſecūdo lib. propè finem ſplendidè faſſus eſt, nos, id eſt, animos noſtros e Cælo eſſe ortos. Et, quemadmodum corpus cedit in terram, vnde compactum eſt, ſic animum in Cælum redire: Audi ipſum.

Deniq; Cæleſti ſumus omnes ſemine oriundi:
Omnibus ille idem pater eſt.

Et paullo poſt.

Cedit enim retrò, de terra, quod fuit ante,
In terras, & quod miſſum eſt ex ætheris oris,
Id rurſus Cæli rellatum templa receptat.

Id eius non erat dicere, qui totis animi lacertis in id incubuerat, vt extingui animos cū corporibus patefaceret: mendacem memorem eſſe oportet. *Sed victus eſt veritate, & imprudenti ratio vera ſurrepſit*, inquit Lactantius lib. 7. diuin. Inſt. cap. 12. At nihil mirum, ſi Lucret. ſua ſe auctoritate confodiat, cum etiam ſua ſe manu confecerit, agens ætatis ſuæ annum quartum ſupra quadrageſimum, vt inter alios retulit Gilbert. Geneb. in Chronol. ad ann. V.C. 679.

Excipe nunc Plinium, qui lib. 7. natural. hiſtor. cap. 55. pari animi niſu, nec minori verborum acerbitate præceps incurrit in animorum immortalitatem. Statuit verò hanc concluſionem: *Omnibus a ſuprema die, eadem quę ante primum: nec magis a morte ſenſus vllus aut corpori, aut animæ, quàm ante natalem.*

Probat, *ceu verò vllo modo ſpirandi ratio homini a cæteris animalibus diſtet, aut non diuturniora in vita multa reperiantur, quibus nemo ſimilem diuinat immortalitatem.* Quaſi verò ſpirandi ratio, vel diuturna vita reddat hominem immortalem, vt quia ęquè ac cætera animātia ſpirat, aut viuit; æquè etiam ſit mortalis. Illa ſortita ſunt vegetalem, ac ſentientem animam: homo verò etiam intellectricem, quæ eſt immortalis.

Pergit, *Quod autem corpus anima perſequitur materiam?* Nullum: nam anima e corporis compedibus laxata, vtpote ſpiritualis ſubſtantia, abſq; omni corpore conſiſtit.

Addit, *Vbi cogitatio illi? quomodo viſus, auditus?* Cogitatio eſt motus (vnde & cogitare eſt quaſi coagitare, ſiue ſimul agitare) deliberantis, qui nondum ad veritatis inſpectionem peruenit. Hic autē verſari poteſt uel circa res quæ ſunt a materiæ concretione ſeiunctæ, & vniuerſales dictæ, vel circa concretas & particulares, quocirca & cogitatio erit tum actus

intellectus, prout in illis occupatur, tum actus virtutis cogitatiuę, prout in his, quod luculenter explicat S. Thom. in ſecund. ſecund. quęſt. 2. art. 1. Itaq; animæ a corpore ſeparatę ineſt cogitatio priori modo, non poſteriori; quemadmodū nec viſus, nec auditus, nec vllus alius ſenſus. Anima hæc omnia mente percipit. Atq; ſicut ipſe Plinius lib. 2. cap. 7. de Deo loquitur: *Quis quis eſt Deus (ſi modo eſt alius) & quacumq; in parte, totus eſt ſenſus, totus viſus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus ſui*, ſic nos illi reſpondemus, animam corpore exutam, totam eſſe ſenſum, totam viſum, totam auditum, totam mentem, ac vitam.

Sequitur. *Quid agit? aut qui vſus eius?* Quid agunt alij ſpiritus? qui vſus intelligentiarum? intelligunt, volunt, ratiocinantur, quo fruuntur ſempiterno. Mira iſtius hominis cæcitas, qui nullum ſpiritum videtur agnouiſſe. Quid? de Deo ipſo ambigit num ſit alius præter Solem, vt in capite illo 7. lib. 2. apparet.

Pergit, *aut quod ſine his bonum?* ergo nulla extra ſenſus fælicitas? omne bonum arctis ſenſuum limitibus comprehēdere, porcorum eſt, non philoſophorum.

Annectit, *Quæ deinde ſedes, quantàue multitudo tot ſæculis animarum velut vmbrarum?* Sedes earum, quæ hic honeſtè ac piè vixerunt, in Cælo: quę verò turpiter & iniquè, apud inferos. Multitudo autem animarum tanta, quot homines ab exordio mundi ad hanc vſq; diē vixerunt.

Quæ (malum) ſubdit, iſta dementia eſt, iterari vitam morte? quæue genitis quies vnquam, ſi in ſublimi ſenſus animæ manet, inter inferos vmbræ? Non iteramus vitam animæ poſt corporis interitum, ſed continuamus. Quies autem animabus, & voluptas ſumma eſt, ſi caducam hāc vitam piè tranſegerint: ſumma calamitas, ſi turpiter & iniquè.

Poſtremò addit colophonem, *Perdit profectò iſta dulcedo, credulitaſq; præcipuum naturæ bonum mortem, ac duplicat obitus, ſi dolere etiam poſt futuri æſtimatione euenit*. Hæc eſt præcipua ratio, cur nefarij, impuri, ac ſcelerati homines repudient animæ immortalitatem: quia hęc credulitas omnes eorū delicias adimit, & ſubrepente futurorum ſuppliciorū amaritudine inſpergit omnes eorum voluptates, quoties ſubit cogitatio fore aliquando, vt omnium ſuorum ſcelerum pænam luant iuſtiſſimam. Quocirca ſibi conſcij, cum aliud bonum expectare non poſſint, ſed ſupplicium ineuitabile, facile inducunt io animum, vt credant animas extingui: hæc de arg. Plinij.

Cæterùm tanta eſt veritatis vis, vt ex inuito etiam pectore erumpat; nā hic auctor quaſi iſtorum omnium oblitus, animam humanam haud extingui, ſed ſolā ſuperfuturam his omninò ſcribit lib. 11. cap. 53. *Anima leonis virus graue, vrſi peſtileus. Hominis tantum* (ſcilicet anima) *natura infici voluit pluribus modis, & ciborum ac dentiū vitijs, ſed maximè ſenio. Dolorem ſentire non poterat, tactu ſenſuq; omni carebat ſine quo nihil ſentitur. Eadem commeabat recens aſſiduè, exitura ſupremo, & ſola ex omnibus ſuperfutura. Denique hac trahebatur e Cælo*.

Videor fortaſsè in hac Diſput. vltra philoſopici argum. ſepta tranſiliſſe, quòd per amæna politioris literaturæ pomęria, & Heliconis cultores paullò liberius expatiatus ſim, & ſtylo ſublimiori vſus. Factum hic eſſe id non nego, neque me id piget, quòd minimè ſim neſcius complures eſſe, quibus hæc varietas, & communis omnium ætatum ſenſus de animorum æternitate haud futura ſint ingrata: quod ſi cuipiam, is legat, ſi adhuc lubet, reliquas Diſputationes, (ad quarum etiam tenorem redeo) hanc ijs relinquat, quibus

Cum ſophia ingenium molle Thalia dedit.

Finis Diſputationis Septimæ.

DISPV-

DISPVTATIO OCTAVA.

DE INTELLECTV POSSIBILI.

INTRODVCTIO.

EGIMVS hucuſq; de anima rationis intelligentiæque participe ſecundum ſe: nunc docendi ratio exigit, vt de eius ipſius facultatibus inſtituamus ſermonem: in qua quidē re vel Stagiritæo monemur ordine, vt primò vim ac naturā intellectus poſſibilis, mox agentis enucleemus: illud in hac Diſputatione, diuina ope freti, præſtare conabimur; hoc in ſequenti: ſit ergo.

SECTIO PRIMA.

Opinio Alexan. Aphrodiſ. de intellectu poſſibili: tum pro ea aliqua argumenta.

ALexander Aphrodiſ. in lib. 1. de Anima cap. 22. & lib. 2. cap. 13. præter intellectum agentem, ſeu efficientem, aut actiuum, & actu intellectum, duplicem adhuc in nobis conſtituit intellectum: hunc quidem, qui in nobis ab ipſo ortu noſtri gignatur: atq; is, quia alterius ſuſcipiendi vim habet, vocatur materialis: ſiquidem omne quod aliquid ſuſcipere natum eſt, eius, quod ſuſcipitur materia eſt: hūc verò, qui dicitur intellectus in habitu, ſeu acquiſitus, *& doctrina, morumq; ſuffragijs in homine generatur*, de quo ita hic ipſe auctor loquitur in cap. 23. anterioris libri: *Hic autem intellectus in omnibus vulgo non eſt, ſed in ijs duntaxat, qui elaborata exercitatione, & doctrina profecerint, velut in ijs reperias, quos peritos, ſciēteſq; vocamus.* Hucuſque rectè: cæterùm offendit vehementer, dum intellectum materialem, ſeu poſſibilē, his omninò verbis explicat cap. 24. *nihil igitur eſt ex ijs, quæ ſunt actu materialis intellectus ſed omnia poteſtate ſolum: itaque materialis intellectus, facultas, & promptitudo quadam eſt ad formas excipiendas, tabellæ nondum inſcriptæ perſimilis, quinimmo ipſius tabella ἄγραφῳ, hoc eſt, inſcriptionis carentiæ, quàm tabellæ ſimilior.* Et cap. 13. lib. 2. *qui quidem*, ait, *intellectus materialis actu nihil eſt ex entibus, ſed omnia fieri poteſt*: ita ſentit, & aperit tum capite ſequenti, tum compluribus alijs in locis. Quare in Alex. ſententia, intellectus poſſibilis nihil entis eſt actu, ſed ſolū eſt quædam animæ aptitudo, & præparatio, qua ipſa poſſit lumen intellectus agentis recipere, & reduci ad actum intellectionis. Ex quo fit, vt præfata aptitudo minimè fundetur in aliqua intellectuali ſubſtantia, ſed conſequatur commixtionem elementorum in corpore humano. Etenim determinatus mixtionis humani corporis modus, facit hominem eſſe in potentia ad recipiendum lumen, ac influentiam intellectus agentis; atque adeò erit virtus generabilis, & corruptibilis, & a corpore omninò inſeparabilis. Sic etiam explicauerunt ſententiam Alex. S. Thomas in 2. cont Gent. cap. 62. et Auerr. in 3. de Anima com. 5. In quamquidē præcipites iuere po-

Digitized by Google

re poſtea multi recẽtiores: & quod longè peſſimum eſt, hac noſtra tempeſtate eam ipſam non nemo pugnaciter perfractèq; tutatur, vt nimirum quibuſcunq; poſſit modis, animam ſuam perimat. Cæterùm quibus vnquàm argumentorum machinis hæc Alexandræorũ ſententia pugnet, nunc videamus.

Alex. cum lib. 1. de Anima cap. 24. tũ lib. 2. cap. 13. huic potiſſimùm rationi dat manus: Omne recipiẽs debet eſſe a natura recepti denudatum, quia intus exiſtẽs intercludit extraneum, ex tertio de Anima tex. 4. Illuſtrat hoc ita ſubnectẽs. *Nam viſus, qui colores apprehendit, habet organũ coloris expers, in quo verſatur, & per quod apprehendit, quin etiam olfactus ex aere, qui inodorus eſt, odorum enim ſit apprehenſiuus, atque etiam tactus ea, quæ æquè ac ipſe calida, vel frigida, ſeu dura, ſiue mollia ſunt, non ſentit, ſed ea ſentit, ac percipit, quæ magis aut minus immutata ſunt.* Atqui intellectus poſſibilis apprehendit totum ens, *nam intelligit omnia:* eius igitur natura erit ab omni ente denudata, atque adeò non niſi mera animæ aptitudo, ac præparatio ſtatuendus eſt.

2. Cum vniuerſæ res ſic diuidantur, vt hæ quidem ſint intelligibiles, hæ verò ſenſibiles, intellectus apprehendit omnẽ intelligibilium naturam, erit ergo ab earum natura, & conditione ſpoliatus. Apprehendit etiam ſenſibilia cuncta, erit igitur ab eorum quoq; natura alienus, ſi omne recipiens, & apprehendens, denudatum eſſe debet a natura recepti. Quid verò? intellectus apprehendit, intelligitque ſe ipſum; ſi itaque ſtatuatur eſſe aliquod ens actu, debet a ſemetipſo denudari. Quæ cum abſurda ſint, dicendum eſt, eius naturam nullam eſſe realem, ſed eſſe poſitam in illa animæ præparatione, & aptitudine. Quod appoſitè explicauit Stagirites dum in tex. 5. tertij libri de Anima, huius intellectus naturam aperiens ait, *quare neque ipſius vlla eſt natura, niſi hæc ὅτι δυνατὸν, quod poſſibile.* Audin', nulla eſt huius natura? audin', niſi hæc quod poſſibile? quod adhuc ſollicitus reculcat dum ſubnectit, *qui igitur vocatur animæ intellectus, dico autem intellectum, quo intelligit, & exiſtimat anima, nihil eſt actu eorum, quæ ſunt, antequam intelligat:* nihil profectò eorum quæ ſunt, intellectus eſt actu.

3. Intellectus poſſibilis ſuapte natura, & intrinſecè eſt potentia, & nihil actu *τῶν ὄντων*, eorum quæ ſunt: inuoluit igitur contradictionem, quiſquis eum facit aliquod ens actu. Hoc enim pacto quod ſuapte natura potentia eſt, id non eſſet potentia. Conſimili argumento vtitur Commentator 2. Phyſic. tex. 12. & S. Thom. cum ſæpe alibi, tum quolib. 3. art. 1. vt coarguat illos, qui materiam primam per ſe, & abſq; ſubſtantiali forma exiſtere poſſe arbitrati ſunt: quia cum materia prima ſuapte natura ſit nuda ac pura potentia, ſi actu exſiſteret ſine forma ſubſtantiali, per ſe non eſſet potentia: quare &c.

4. Poſtremò, ſi intellectus poſſibilis, vllum eſſet actu ens, eſſet vtique ſubſtantia. Atqui Stagirites nuſquam in 3. de Anima, in quo omnem eius naturam, & conditionem explicauit, cum ſubſtantiam eſſe innuit, quod tamen ſummoperè neceſſarium erat, ad huius naturam enucleandam, ſed ſolum, vbi acri ſedulitate, eius conditionem aperuit, hæc protulit de eo, quod ſit ſuamet natura potentia, quod impaſſibilis, quod ſimplex, quod denique ſeparabilis ab organo, & immixtus: quæ omnia riè conueniunt intellectui poſſibili, qui eſt facultas, & aptitudo cognoſcendi. Hæc ſunt præcipua huius ſententiæ argumenta; nunc alios audiamus.

SECTIO SECVNDA.

Auerrois, & aliorum Arabum opinio de hoc ipſo intellectu: eorumque argumenta.

QVidam Arabes, vt Auempace, & Abubacher, referente Auerroe in 3. de Anima com. 5. & S. Thoma in 2. diſt. 17. quæſt. 2. art. 1. & lib. 2. cont. Gent. cap. 67. in ea fuerunt opinione, quod intellectus materialis, ſeu poſſibilis, nihil ſit aliud, quàm vis imaginatiua, *ſecundum quod eſt præparata, ad hoc vt intentiones, quæ ſunt in ea, ſint intellecta in actu.* Opinantur hi auctores phantaſmata, quæ ſunt in noſtra imaginatione, illuſtrari ope intellectus agentis ſeparati, atque in ijs illuſtratis apparere naturas rerum vniuerſales, & ſic in nobis celebrari intellectionem: quocirca imaginationem hominis, quæ continet dicta phantaſmata illuſtrata, dici, ac eſſe intellectum materialem, ſeu poſſibilem.

Auerr.

Auerr. autem poſtquam grauiter aliorum confutauit opiniones, eò tandem delabitur, vt velit, intellectum poſſibilem eſſe vnam aliquam ſubſtãtiam ſeparatam, ac ſempiternam, quæ omnibus hominibus aſſideat: (quod de agente quoq; intellectu aſſerit, vt ſuo loco dicemus) ipſum, ſi lubet, audi, com. 5. nuper commemorato. *Opinandum igitur eſt, quod in anima ſunt tres partes intellectus. Quarum vna eſt intellectus recipiens: Secunda autem eſt efficiens: Tertia factum: & duæ iſtarum trium ſunt æternæ, ſcilicet agens, & recipiens; tertia autem eſt generabilis, & corruptibilis vno modo, æterna autem alio: quod opinati ſumus ex hoc ſermone, quod intellectus materialis eſt vnicus omnibus hominibus: & etiam ex hoc ſumus opinati, quod ſpecies humana eſt æterna:* hæc Arabs. Intellectus igitur poſſibilis, in huius ſententia, eſt vna quædam intelligentia, atque ea quidem omnium intelligentiarum infima, & vſquequaq; æterna; quę ex omni æternitate præexiſtens, cunctos homines, quot quot in tempore naſcuntur apprehẽdat, omnibus extrinſecus accedat, omnibuſq; impertiat intelligendi vim. Quocirca hic vnicus omnium hominum intellectus, non eo tẽpore incipit eſſe, quo hic, vel ille homo in lucem prodit, neq; hoc, illo ue homine extincto, deſinit eſſe, ſed vt erat prius, ſic remanet, & ſemper eſt in corpore humano: perinde ac lumen ſolis haudquidẽ tunc primùm gignitur, quando homo videre incipit, ſed ante exiſtens illuminat hominem, cũ hic primùm oculos aperit, & quãdiu oculos apertos habuerit, facit vt videre poſſit, neq; tamen ipſo oculos claudente definit eſſe. Vel etiam quemadmodum intellectus eſt totus in toto corpore alicuius indiuidui, & totus in qualibet illius corporis parte, & nihilominus dempta vna parte, nihil eius deperit, ſed remanet ſaluus, & integer in reliquo corpore, ita eſt totus in quolibet homine, & totus in omnibus hominibus, nec tamen vno aliquo diſſoluto, quicquam eius deperit, ſed remanet ſaluus incolumiſq; in reliquis hominibus.

In hanc ſententiã pleriq; omnes retulerunt Theophraſtum, & Themiſtium, qui tamen, quid ſenſerint in Diſput. ſeq. aſſeremus. Cæterùm præfatum vnum cunctorum hominum intellectum, aſſiſtentem duntaxat hominibus poſuit idem Comment. vt ipſemet tradit tum ſępe alibi, tum maximè in 3. de Anima com. 5. Huius ſancitis adhæſere Iandunus 3. de Anima quæſt. 5. Zimara 12. Metaphyſic. contradict. 14. Marcellus libro ſuo 5. de Anima cap. 24. Vicomercatus diſputatione Peripatetica de Anima rationali, & complures alij. Non defuerunt etiam, qui monſtroſo quodam auctario abſurdis adijcientes abſurda, dixerint vnicum illum intellectum, eſſe formam, totam humanam ſpeciem informantem, licet ſingulis hominibus ſolum aſſiſtat. Sic Achillinus in lib. de intellig. quolib. 3. dub. 4. Antonius Bernard. Mirandulanus lib. 33. de euerſ. ſingul. certam. ſect. 2. Hieronymus Pontanus lib. 4. de immortalitate animæ cap. 5. Thomas Angelicus, Odo, & quidam alij. Sed quibus vnquam argumẽtorum coloribus hoc figmentũ, aut ornatum, aut oblitum in hominum conſpectum prodijt, vt ſe multis, & pręclaris alioquin Peripatecis *commendare potuerit in clientelam, & fidem?* ſpecioſiora huius pigmenta tibi perluſtranda ſubijcio.

Primo itaq; loco ſuaderi videtur vnitas intellectus ex ipſa cauſa multiplicationis indiuiduorum ſub eadẽ ſpecie, quam perpetuo Stagirites ex parte materię conſtituit. Nam cauſa multiplicationis, eſt diuiſio materiæ in plures partes eiuſdem ſpeciei, in quas diuerſa agentia agunt, producuntq; diuerſa indiuidua: plures quippe ſunt homines, aut equi in eadem ſpecie, quia materia ex qua fiunt, ita in plures ſecatur partes, vt plura ac diuerſa numero agentia, in diuerſas eius partes agant, hanc, vel illam eius partem diſponant, producant hoc, aut illud indiuiduum. Conſtat hoc ipſum etiam ex tex. 49. lib. 12. primæ Philoſophię, vbi cõceptis verbis Ariſt. ait, in ſeparatis a materia non dari multitudinem numeralem ſub eadẽ ſpecie. *Atqui Cælum,* inquit, *vnum eſſe videtur: nam ſi plures ſint Cæli, perinde ac homines, principium, quod cuique accommodatum ſpecie quidem vnum erit, numero autem plura,* ideſt, forma cuiuſq; propria erit vna ſpecie, plures verò numero, *ſed quæ ſunt numero plura,* ſubiũgit Ariſt. *ea materiam habent.* Ex quoquidem loco, & argumento habemus, formas, quę ſunt plures numero in eadem ſpecie, eſſe materiales. Atqui intellectus, eſt immaterialis, ſi interitus expers, vt a nobis alias demonſtratum eſt, non ergo multiplicatur ad multitudinem hominum, ſed erit in omnibus vnus.

2. Proprium ſpecierum intelligibilium ſuſceptiuum, eſt intellectus poſſibilis, ſi igitur in diuerſis hominibus diuerſi, numero inſerun-

tur intellectus, ſpecies etiã intelligibiles erunt in ijs ſecundum numerum diuerſæ, eædem verò in ſpecie: quippe quo pacto multiplicatur ſubiectum, hoc etiam eius accidens. Species autem, ſeu formæ, quæ ſunt numero multæ, conueniunt verò in ſpecie, ſunt formæ indiuiduæ, ac particulares; quare ſpecies intelligibiles erunt particulares, atq; adeò non actu intelligibiles cum iſtæ debeant eſſe vniuerſales: intelligibilia enim ſunt vniuerſalia, impoſſibile igitur eſt, intellectum poſſibilem eſſe iuxta hominum multitudinem diſcriminatum.

3. Conceptus eiuſdẽ rei, quæ ſimul a multis intelligitur, cum v. g. equus concipitur a Socrate, & Platone, erunt duo conceptus, numero quidem diuerſi, ijdem verò in ſpecie, ſi intellectus in Socrate, & Platone nõ eſt vnus, ſed alius, atq; alius. Hoc autem perabſurdum eſſe, vel hinc oſtendi poteſt, quia tunc duo illi conceptus haberent alium formalem, in quo conuenirẽt; perinde ac Petrus, & Paulus conueniunt in homine. Rurſus conceptus ille formalis, in quo præfati conuenirent, a pluribus itidem perceptus ac intellectus, eadem ratione erit multiplex numero, & idem ſpecie, cum recipiatur in diuerſis intellectibus ſingulariter diſtinctis: habebit ergo alium formalem, & ſic deinceps res abibit in infinitum: quare &c.

4. Si intellectus potentia eſſet in ſingulis hominibus multiplicatus, ac ſingularis, perpẽde, quot hinc conſequerẽtur abſurda. Primùm, quia idem intellectus eſſet mouẽs ac motum: nam omne ſingulare eſt ſolum poteſtate intelligibile, ex Ariſt. 3. de Anima tex. 16. Omne autem quod eſt potẽtia intelligibile, eſt obiectum motiuum intellectus poſſibilis, ergo idem intellectus eſſet obiectum ſibi ipſi; & moueret ſe ipſum, & reciperet ſe ipſum, atque adeò idem ipſe eſſet mouens, & motum, recipiens & receptum. Deinde, quia tunc reciperet res intelligendas ſingulariter, cum omne quod recipitur, recipiatur ad modum recipiẽtis: Hoc autem apprimè repugnat intellectui, cum hic ſit vniuerſalium, ſenſus verò particularium, vt tradidit Stagirites lib. 1. Phyſic. tex. 49. & lib. 2. de Anima tex. 60. & lib. 1. Poſter. & ſæpe alibi. Quid vero? ſi intellectus eſſet hoc aliquid, & ſingulare, ne lato quidem vngue differret a ſenſu, ſeu facultate imaginatiua: tum quia perinde hic apprehenderet ſingularia, ac facit ſenſus, vel imaginatio: tum etiam, quia exiſteret ſingularis, ſicut & ſenſus. Ad extremum, quia res in anima exiſtentes, nihil differrent a rebus extra animam collocatis, cum ex æquo vtrobiq; forent ſingulares. Quocirca vt hæc tam grauia euitentur incommoda, ponendus eſt vnus cunctorum hominum intellectus.

5. Dum præceptor erudit diſcipulum, aut transfundit in illum eandem numero ſcientiam, qua ipſe præditus eſt, aut eandem quidem ſpecie, numero verò diuerſam: ſi prius, ergo intellectus magiſtri, & intellectus diſcipuli erit vnus & idem: ſecus enim non communicaretur illi eadem numero ſcientia, & qualitas, cum idem accidens non migret de ſubiecto in ſubiectum. Si poſterius, ergo ſcientia quæ eſt in præceptore, erit forma quæpiam naturalis, generans ſibi ſimile in ſpecie; ſic omninò ſicuti forma ignis, cum alium generat ignẽ: qui tamen operandi modus non niſi rebus phyſicis conuenit: ergo communicatur eadẽ numero ſcientia, ac proinde vnus, idemque eſt magiſtri ac diſcipuli intellectus.

6. Poſita hac Auerrois de vnitate intellectus opinione, nullo parè negotio diluuntur difficultates, quæ quot circa animæ immortalitatem negotium faceſſere ſolent, & ſine cadiu multumq; extorquentur Stagiritæ, & naturalis Philoſophiæ principia, & tamen manent immota. Quippe hoc pacto intelligimus, quomodo intellectus, vt nos docuit Ariſt. 3. de Anima tex. 39. ſemper intelligat cum phantaſmate, ſemperq; dum intelligit, ſpeculetur aliquod phantaſma: & ſi enim ille ſeiungitur ab hoc, vel illo homine, nunquam tamen ab omnibus diuellitur, ſed in quibuſcumque eſt, agit ſemper cum phantaſmate. Intelligimus, quomodo non erit æterno tempore ocioſus; quia quoad humana ſpecies fuerit (futura autem eſt ad Auerr. decreta vſquequaq; æterna) ſemper in hominibus operabitur. Intelligimus, quomodo ſit immortalis, perpetuus, ingenitus: quomodo naſcenti homini forinſecus accedat, ſolusq; diuinus ſit: quomodo eſſe non incipiat, ſeu per generationem, ſiue vllo alio pacto: quomodo cum ſeparatur diſſolutis his, vel illis corporibus, nec eſſe deſinat nec moueatur, nec alium eſſe ei di, aut operandi cogatur ſubire modum, & ſtatum naturæ omninò incognitum: quo denique pacto, id, quod omnium maximè viget, euincitur multitudo actu infinita animarum, a corporibus ſeiunctarum,

ctarũ, quæ tamen neceſſario intrudenda eſt, ſi hominum intellectus immortales, & ſecundum hominum numerum multiplicatos cõſtituere velis. His permotus Beſſario, non minus in Stagiritæa, quàm Platonica diſciplina eruditus lib. 3. contra calumniatorem Platonis cap. 21. ſtatuit, alterutrum ex Ariſtotelis ſententia concedendum; aut vnum eſſe intellectum immortalem, aut plures, ſed omnes morti eſſe obnoxios. Cum itaq; intellectus & ad aures Ariſtotelis, & longè clarius ſecundum veritatẽ ſit immortalis, vt ſuo loco oſtendimus, omninò ſtatuẽdus eſt vnus, qui ſit vna quædam & communis cunctorum hominum lux, qua omnia hominum intelligibilia illuſtrentur; ſicut vna ſolis luce illuſtrantur omnia ſpectabilia. Hæc pro iſta ſententia quæ olim tot ac tãtas in ſcholis excitauerat turbas, vt quiſquis Aphrodiſienſis opinionem auerſabatur, is in hac ſine mora concederet; vix vno, aut altero excepto, vt infra dicam: iam ſit.

SECTIO TERTIA.

Intellectum poſſibile non eſſe præparationem, & animæ aptitudinem, ut opinabatur Alex. neq; imaginationem, vt alij.

APhrodiſienſis opinio (quamuis olim multis uiris doctis probaretur, nec hodie omninò ſine tutore iaceat) nihilominus tot, aut ego fallor, vrgetur incõmodis, vt tam ratione naturali, quàm Philoſophi teſtimonio planè euertatur, & concidat. Prima itaq; aduerſus eàm ratio ſit, quia aptitudo & potentia ſuſcipiendi aliquam formam, non recipit illam formã, ſed potius eſt ratio ſuſcipiendi. Id in materia prima liquidò conſtat: quod enim recipit formas ſubſtantiales, non eſt aptitudo, & potentia materiæ primæ, ſed ipſamet materia prima, prout tali potentia prædita eſt: ſimiliter in pariete non aptitudo, & potentia nigreſcendi, aut carentia nigredinis, quæ in eo eſt, ſed ipſe paries ſuſcipit albedinem. Cuius rei ea eſt ratio inquit S. Thomas 2. cont. Gent. cap. 62. *quia præparatio ipſa non eſt aliqua natura ſenſibilis determinata: eſt enim relatio quædam, & ordo vnius ad aliud.* Atqui intellectus poſſibilis, ipſe ſuſcipit intelligibilia, ipſe paritur a ſpecierum receptione, ipſe intelligit, vt tradit Ariſt. 3. de Anima; non ergo intellectus poſſibilis eſt animæ ſolum præparatio, & aptitudo, ſed eſt aliquod actu ens. Hoc argumentum innuit S. Thomas 2. cont. Gent. loco quem nuper citaui. Eodẽ poſtea vſi ſunt Iul. Caſtellanus aduerſus Alex. quamuis hic etiã ſit εἷς τῶν ψυχοθνήτων, Zabarella lib. de mente humana cap. 14. Iulius Cæſar Lagalla lib. 2. de immortalitate animorum cap. 3. & alij.

Atque hi quidem rectè, dum id eo conſilio faciunt, vt ſolum pateſaciant, intellectum poſſibilem haud eſſe illam animæ præparationem, & meram in eſſe entis potentiam ad ſuſcipiendas intelligibiles formas, ſed neceſſario aliquod actu ens. Verùm offendunt, dum temerè præfatam aptitudinẽ confundunt cum animæ facultate ac potentia, quæ eſt naturalis potentia, & qualitas ſecundæ ſpeciei. In eo etiam impingunt, quod opinentur hunc intellectum eſſe eandem animæ ſubſtantiam, (qua de re infra) quaſi verò idem ſit naturalis animæ potentia, atq; aptitudo illa, quæ nihil entis eſt actu.

Quamobrem vehementer miror, quidnam in animo obuerſabatur Zabarellæ, dum in lib. de mente humana cap. 14. aſſerebat, S. Thomam eniti, vt Alexandrum tueretur, ac defenderet. *Qui*, nimirum S. Thomas, inquit Zabarella, *conſiderans ea, quæ ab Auerroe in 3. de anima aduerſus Alexandrum dicuntur nititur Alexandrum defendere, nempe in eo, quod ei Auerroes attribuit, quod dixerit intellectum, de quo in eo libro agitur, non eſſe animã ipſam, ſed ſolum præparationem, & aptitudinẽ animæ, ad omnes rerum ſpecies recipiendas, & cognoſcendas: inquit autẽ Thomas. Alexandrum in hoc optimè ſenſiſſe, quia ſignificare voluit, intellectum eſſe potentiam quandam animæ, non animam ipſam.* Hucuſq; Zabarella: qui ſi Angelici Doctoris verba accuratius perpendiſſet, minimè Alexandream illam præparationem, cum potentia animæ naturali confudiſſet, vt ſæpe facit. Nec vnquam S. Doctor abſolutè Aphrodiſæum tuetur, ſed in hoc tantummodo, quod aſſeruerit intellectum, cuius tractatio ſuſcipitur in 3. de Anima, non eſſe ipſam animam rationalem, vt nonnulli eius operis expoſitores opinati ſunt: In eo verò, quod ad intellectus aptitudinem attinet, nunquam tuetur illius partes, quin ait, cum voluiſſe ſigni-

gnifi-

gnificare intellectum eſſe potentiam quandam animę, nam hæc duo longè diuerſa ſunt, nempe animę aptitudo vt Alex. poſuit, & animæ facultas ac potentia naturalis, vt conſtituit S. Thomas. Illa nihil entis eſt actu; hæc & ens actu, & actus, vt infra dicemus.

Huic quoq; diſtinctionis defectui innituntur multa argumenta, quæ facundus quidam vir multis exagitat: Vnum referam, ſed ſtrictim: vel intellectus poſſibilis eſt idem re cum anima, ſolaque ratione ab ea diuerſus, vel re ipſa ab ea diſtinguitur: ſi prius, ergo eſt ſubſtantia, ſicut & anima: quod enim re idem eſt cum aliqua ſubſtantia, profectò ſubſtantia eſt. Si poſterius, ergo intellectus erit accidēs, & mera potentia; atq; adeò homo conſtituetur (ſi quidem, eſt homo per intellectum) in eſſe hominis per aliquod accidens, quinimo per aliquid, quod ſit mera potentia, & nihil actu.

In quo quidem argumento inuoluuntur multa: primum, ſi intellectus, non eſt idem re, quod animæ ſubſtantia, ergo eſt accidens: rectè: ſed non iccirco iam erit præparatio, & ſola animę aptitudo, ſeu mera potentia, & nihil actu; vt præſati auctores omnia ſimul conglomerant; ſed eſt realis animæ facultas, & naturalis potentia, vt infra dicam.

Deinde, cū intellectus gemino modo vſurpetur, pro ipſa videlicet anima intellectiua, & pro eiuſdem animæ facultate, vt abundè a nobis in Diſput. 2. ſect. 3. oſtenſum eſt, homo conſtituitur in eſſe hominis, per intellectum, prout ſignificat animam, non animæ potentiam, & accidens. Verùm his omiſſis.

Alijs argumentis longè validioribus Alexandræorum opinio impugnetur. Primò, ſubiectum, quod in ſe immediatè ſuſcipit aliquā formam accidentalem, neceſſariò eſſe debet ens actu, quia quod actu non eſt, id formam accidentalem, cuius eſſe eſt inhærere, recipere nequit. Hinc Auerroes lib. 2. de Anima com. 4. hoc, ait, eſſe diſcrimen inter formam ſubſtantialem, & accidentalem, quod ſubſtantialis habet pro ſubiecto ens in potentia, nempe materiam primam: accidentalis verò habet ens in actu. Atqui intellectus poſſibilis, vt intelligat, recipit in ſe immediatè intelligibiles rerū ſpecies, quæ ſunt formæ quæpiam accidentarię, in quarum etiam receptione dicitur pati, auctore Philoſopho 3. de Anima tex. 2. & 12. ergo intellectus neceſſariò erit aliquod ens actu, & non pura potentia in genere entis, ſeu præparatio illa, & aptitudo. Tum præterea, quia intellectio, quę quoddam accidens eſt, ſuſcipitur in eodē intellectu poſſibili, cum ab eo eliciatur, ſitque actio immanens, cuius natura in hoc ſita eſt, ex Ariſt. 6. Metaphyſic. tex. 16. vt in eodem, a quo promitur, recipiatur, quare ex hoc etiam capite intellectus erit aliquod ens actu.

Quod ſi dicas, id quod immediatè ſuſcipit intelligibiles rerum ſpecies, & ipſam intellectionem, eſſe animam rationalē; intellectum verò eſſe rationem potius ea ſuſcipiendi: quocirca illa eſt ens actu, non hic.

Hoc temerè aſſeritur, nec adhuc vires effugit argumenti. Temerè, quia anima, cum ſit ſubſtantia creata, nequit eſſe immediatum principium operandi, ſed perpetuo medijs ſuis potentijs agit; quod infra multis oſtendemus, ergo anima nec immediatè ſuſcipit intelligibiles rerum formas, nec immediatè intelligit, ſed intellectus vt animę facultas, tum recipit, tum immediatè intelligendi munere fungitur. Deinde, Ariſt. 3. de Anima intellectū poſſibilem, ait, pati ab obiecto, non animā, & de eodem protulit in tex. 4. *neceſſe eſt itaq; quoniam omnia intelligit immixtum eſſe.* Quod longè vehementius vrget, quia Alex. intellectum, de quo Stagirites agit in 3. de Anima, interpretatur, non quidem pro ipſa anima rationali, ſed pro intellectu, quare hic eſt qui immediatè tum intelligibiles rerū ſpecies recipit, tum edit intellectionem.

Nec verò argumenti vires infringit, quia omne id, quod eſt alicui ratio, ac principium operandi, eſt actus, ac forma, cū vnumquodq; agat per ſuam formam, ſibi intrinſecè inhærētem, maximè verò, ſi ſit actio propria: quod liquidò conſpicitur in omni agente. Intellectus autem poſſibilis, vt ipſemet Alex. contitetur: eſt ratio ac principium intelligendi, *eſt enim id, quo intelligit, & exiſtimat anima* 3. de Anima tex. 5. ergo ſiue anima, ſiue homo agit, & intelligit, intellectus omninò erit aliquod actu ens, quinimo actus & forma, realis videlicet animæ facultas.

Quid vero? mirabile eſt in omni Philoſophia vt quicquam actu reddatur agens, & ad operandum aptum per id, quod actu non eſt, immò nihil eſt: Poteſt quidem aliquid pati, ac ſuſcipere per id, quod non eſt actu, ſed ſolum poteſtate, vt obuenit in materia prima,

at

at verò vt quicquam agat, per id, quod actu non eſt, ne imaginatione quidem fingi poteſt. Agit enim vnumquodq; in quantum eſt actu, patitur in quantum eſt potentia: eſt autem actu per ſuam formam. Quare ſi intellectus poſſibilis eſt ratio, & id quo anima, ſeu homo agit, & intelligit, impoſſibile profectò eſt, quin ſit aliquod ens actu. Et ſic merum putum figmentum erit Alexandræorum illa præparatio, & aptitudo, quæ intellectū facit meram potentiam in eſſe entis.

Iam quod altero loco me facturum ſpopondi, paucis dabo; nempe Alexandri dogmā cum Philoſophi doctrina pugnare. Principio Stagirites in 3. de Anima tex. 2. oſtendit intellectum poſſibilem *eſſe corpori impermixtum*. Hoc autem de animæ præparatione, aut vi, quæ conſequatur elementorum commixtionem, vt Aphrod. poſuit intellectum, nullo modo poteſt affirmari: tum quia quod ex elementorum caſtigatione conſurgit, id omne in commixtione eorundem elementorum fundatur, vt in ſapore, odore, idq; genus alijs videmus: & multis oſtendit S. Thomas 2. cont. Gent. cap. 36. quare ſi intellectus ex elementorum caſtigatione reſultaret, & eorum commixtionem conſequeretur, immerſus potius eſſet in ipſa elemētorum commixtione, quàm modo aliquo corpori impermixtus.

Tum etiam, quia ſi eſſe corpori impermixtum, conuenit intellectui in quātum eſt quædam præparatio, & aptitudo ad intelligibiles rerum ſpecies excipiendas, idem, vt liquidò conſequitur, conueniret omni præparationi: cumq; cum ſenſus ſit etiam quædam præparatio, & aptitudo ad ſenſibilia in actu recipienda, pari ratione ſenſus dicendus foret corpori impermixtus; quod tamen nullus admittet.

Deinde, cur Philoſoph. laudat Anaxagoram, quod aſſeruerat *intellectum eſſe immixtum* ἵνα κρατῇ, *vt teneat, ac dominetur*? num Anaxagoras ſomniauit vnquam hanc Alexandri aptitudinem? Hem, lōgè diuerſo modo poſuit ille intellectum, vt Diſput.6 ſect.3. expendi, ἵνα κρατῇ, *vt teneat, ac dominetur*. An nō præparatio, ſeu aptitudo, & id, quod omnino nihil eſt, quicquam tenere, dominari, apprehendere, & cognoſcere poteſt? Quid? protectò philoſophi demonſtratio, qua hunc intellectum eſſe corpori impermixtum oſtendit, id ipſum conuincit. Eam nos fusè proſecuti ſumus loco nuper commemorato. Quid altera eiuſdē demonſtratio tex.6. dum ait, *Vnde neq; rationabile eſt, ipſum mixtum eſſe cū corpore: qualis enim quidam vtiq; fieret, calidus, aut frigidus: Et ei inſtrumentum aliquod eſſet, ſicut ſenſitiuo*: Hæc ne de vlla præparatione affirmari poſſunt? quas hic nobis confictiones, & tricas nonnulli obtrudunt? *qui faciunt, ne intelligendo, vt nihil intelligant*. Itane, ſi intellectus non eſſet præparatio, & aptitudo ad intelligibiles rerum ſpecies excipiendas, ergo fieret calidus, aut frigidus? Si non eſſet præparatio, ergo haberet aliquod inſtrumentum, ſicut & ſenſus? Profectò deridendus, & exſibilandus eſſet Ariſtoteles, ſi nobis eiuſmodi ludos luderet.

Quid deniq; ſingulare illud diſcrimē, quod diuinus præceptor, inter ſenſum ac intellectum, ex intima vtriuſq; natura venatur: nempe, quod ſenſus hebetatur, corrumpiturq; ex vehementi, excellentiq; obiecto; intellectus verò nequaquàm; imò & perficitur, *& cum aliquid intellexerit valdè intelligibile non minus intelligit inferiora, ſed & magis*: 3. de Anima tex. 7. intelligi vnquàm poteſt de præparatione? hæc ne cū intellexerit aliquid valdè intelligibil, non minus intelligit inferiora, ſed & magis? Hæc nō obtunderetur a vehementi intelligibili? nugæ. Eundēm intellectum poſſibilem dicit Ariſtoteles, *ſimplicem, impaſſibilem, ſeparabilem*; quæ omnia Diſput.6. pluribus explicuimus: eorum nihil in præſentia repetam.

Nunc, demonſtrandum nobis eſſet, intellectum poſſibilem, nec eſſe imaginandi vim, nec ſenſum vllum, niſi id demonſtraſſet Ariſt. lib.2. de Anima duobus extremis capitib. & S. Thomas lib. 2. cont. Gent. cap. 66. & 67. quare hac ſolum ratione id attigiſſe ſat fuerit. Imaginatio eſt rerum corporearum ac ſenſibilium, quia phantaſia, vt aſſeritur 3. de Anima tex. 161. eſt motus factus a ſenſu ſecundū actum. Atqui intellectus eſt rerum immaterialium ac vniuerſalium: Hinc imaginatio mutis quoq; animantibus ineſt, quod apparet, quando ablatis ſenſibilibus obiectis, adhuc ea fugiunt, aut proſequuntur: quod non fieret, niſi in eis imaginatiua ſenſibilium obiectorum apprehenſio remaneret. Habes itaque intellectum poſſibilem, neque eſſe confictam illam Alexandræorum præparationem, & nudam in eſſe entis potentiam, ſed aliquod actu ens: nec eſſe imaginationem, vt Auempace

pace

pace, & Abubacher aſſeruerant: ſed ad alia properemus.

SECTIO QVARTA.

Refellitur Commentatoris error, ponentis vnum cunctorum hominum intellectum, qui ſit ſubſtantia quædam abſtracta, omnibus tamen hominibus pro intellectu poſſibili aſſideat.

QVA ex parte aſſerebat Auerroes, animam intellectricem non eſſe veram & informantem hominis formam, ſed aſſiſtentem duntaxat, ſatis a nobis Diſput.4. confutatum fuit. Quatenus verò omnibus hominibus eandem animam, (alterum enim ex altero quadam conſecutionis ſerie deducit) ſiue eundem intellectum poſſibilem attribuit, in præſens a nobis, tat.on.bus Phyſicis, & Philoſophi auctoritate refellendum eſt. Laboratum in hoc arg. fateor, multi; & quidem ſtrenuè; Alber. Mag. in peculiari tractatu de vnitate intellectus contra Auerr. S. Thomas opuſcul. de hac ipſa re, & lib.2. cont. Gent. cap. 73. & prima part. quæſt.76. art.2. & quæſt. de Anima art. 3. tum alij multi, quorum inuenta noſtræ induſtriæ viam præcludere non debent: maximè cum res ſæpenumerò quæritando reddatur facilior, *nihil eſt*, ait ille, *tam difficile, quin quærendo inueſtigari poſſiet*. Agemus ergo nos aduerſus hoc Arabicum figmentum ex triplici loco; communi: ex hominis eſſe: ex eius operatione, hoc eſt, intellectione: & deniq; ex parte intellectus.

Ex primo fonte hauritur hæc ratio, poſitis ijs, quæ Diſput.4. patefecimus, nempe animã intellectiuam, ſiue intellectum acceptum pro ipſa anima, eſſe veram hominis formam, tunc ita pergimus. Vnius rei, vna eſt forma, & multarum, multæ: tum quia proprius actus in propria materia natus eſt fieri: tum etiã, quia Ariſtoteles 7. Metaphyſic. tex. 45. expreſſè ait; *Quorum ſubſtantia eſt vna, & quod quid erat eſſe eſt vnum*. Atqui homines ſunt multi, eorũ igitur animæ intellectrices ſeu intellectus, (ſi eſt forma informans) erunt multi, & non vnus. Quod ſi quiſquam nomine intellectus poſſibilis capiat non ipſam hominis animam, ſed eius facultatem, ac reale accidens, vt infra dicemus, adhuc robur argumenti viget; nã ſi intellectus eſt animæ intellectiuæ facultas, ab eaq; manat, & in ea ſuſcipitur, prǽfecto fieri nequit, quin multiplicatis hominum animabus intellectiuis, multiplicentur etiam eorum facultates. Etenim multiplicato ſubiecto, multiplicatur, & accidens.

Vim huius argumenti, multi conati ſunt infringere, maximè verò Hieronymus Pontanus lib.7. de immortalitate Animæ cap.7. qui omnes in vna aliqua re cõſtituunt duplex eſſe: alterũ ſpecificum, alterum indiuiduale; qua diſtinctione putãt euadere arg. Sed reuera vnius rei, vnum eſt eſſe. Et iſti vitem, quod aiunt, vellunt, aut cædunt: eos multis redarguit Iul. Cæſar Lagalla lib. 2. de eodem arg. cap. 15. & nos inferius.

Huc facit aliud non minoris ponderis argumentum, quod ipſemet Auerroes ſibi obiecit: his omninò, *eſt alia quæſtio magis difficilis; ſi omnium hominũ intellectus eſſet vnus, tunc ego eſſem ſemper eſſe tui, & tu eſſes per eſſe mei*. Vis in hoc ſita eſt. Intellectus eſt hominis perfectio, per quam hic a quibuſuis alijs animalibus diſcriminatur: Siquidem homo ex Ariſtotele 2. de generat. animal. cap.3. & lib. 10. Ethic. cap. 7. per intellectum conſtituitur homo: ſi igitur conſtitutiuum, nimirum intellectus, eſt vnum, conſtituta etiam erunt vnum: eòque meum eſſe erit, tuum, & contra. Subiungit Arabs, *& vniuerſaliter homo eſſet ens antequã eſſet: & ſic homo non eſſet generabilis, & corruptibilis in eo, quod homo: ſed ſi fuerit, in eo, quod animal*. Nempe Socrates, & Plato ſunt animalia per animam ſenſitiuam, ſunt homines per intellectum; quare quia habent aliam, atque aliam animam ſenſitiuam, ſeu cogitatiuam, erũt duo animalia: quia verò habent vnum intellectũ, non erunt duo homines, ſed vnus: quinimmo omnes homines eſſet vnicus homo, cum intellectus, quo in tali eſſe conſtituuntur, omnium ſit vnus.

Vbi hic ita ſibi obieciſſet, nititur reſpondere, inquiens, etſi vnicus ſit cunctorum hominum intellectus, non idcircò ſequi, *vt ego ſim per eſſe tui, & tu per eſſe mei*: aut ſit omnium hominum vnum eſſe; quia homini ab intellectu ſolum tribuitur operatio, non autem eſſe. Intellectus enim hic aſſidet tantum hominibus, continuatus, coniunctuſque eis per phantaſmata: eſſe autem proprium ac peculiare cuiq;

homi-

Digitized by Google

hominum prouenit a cogitatiua, quę vnicuiq; homini propria ac ſingularis eſt, & per hanc (quam intellectum paſſiuum vocat) veluti per propriā differentiam, tum conſtitui hominem, tū a cæteris animalibus diſcriminari. Vnde in eodē 3. de Anima com. 20. in calce hæc haber, *& per iſtum intellectum paſſiuum differt homo ab alijs animalibus, etſi non, tunc neceſſe eſſet, vt continuatio intellectus agentis, & recipientis, cum animalibus eſſet eodem modo*, quod multis alijs in locis repetit.

Verùm hæc reſponſio merito optimoq; iure fatua & irrationalis à uiris doctis exiſtimatur, vt pote quæ homines intellectus, ac rationis expertes, ac mera bruta reddere enitatur. Fuit a nobis Diſput. illa 4. ſatis confutata: nunc illud addi poteſt. Homo ea ratione eſt rationalis, qua eſt intellectu præditus: ſi itaq; intimè hic non conſtituitur per intellectum, ſed per cogitatiuam, intimè ac ſecundum ſuum eſſe homo non erit animal rationale. Quid vero? cogitatiua nullo pacto excedit ambitum animæ ſentientis, ſed intra eius limites, & cancellos omninò concluditur. Hinc Stagirites lib. 2. de Anima a tex. 150. vſq; in finem, validè aduerſus Empedoclem, & Homerum, qui idem eſſe dixerunt *ſapere, ac ſentire* oſtendit, cogitatiuā, ſeu imaginandi uim, longo interuallo, a ratione & intellectu differre: quo loci illud etiam diſcriminis inter ſenſum ac intellectum appoſuit, quod ille omnibus animalibus inſit, intelligere autem paucis: & nulli, cui non inſit & ratio. Et tex. 153. *imaginatio igitur*, inquit, *aliud eſt, & a ſenſu, & a ratiocinatione*. Si itaq; homo per cogitatiuam, ſeu imaginatiuam intimè in eſſe conſtituitur, nequaquam gradum animę ſenſualis excedet, ſed intra, aut etiam infra brutorum animantium gradum iacebit.

Nihil plus valet id, quod iurati aliqui Auerrois aſſeclæ huc contentioſè obtrudunt: hominem videlicet appellari rationalem, a propria cogitatiua, quęquidē, quia eſt apta obſequi ac parere rationi, tum etiā cum intellectu coniungi, icircò a cogitatiua, ſeu potius imaginatiua brutorum, ſpecie differat, vnde & homo per hanc ipsā a cæteris animātibus, ſpecie differt.

Hoc, inquam, nihil habet penſi ac firmi: nam quod hominis cogitatiua poſſit obſequi ac parere rationi, aut cum intellectu coniungi, non ideò iam extrahitur a gradu, conditioneque animæ ſentientis, vt conſpicuum eſt, ergo voluitur idem Siſyphi ſaxum. Tum præterea, quia pars animæ concupiſcens in homine, eſt apta obtemperare obſequiq; rationi, vt Philoſophus aperit lib. 1. Ethic cap. vltim. attamē non propterea cum omni proprietate dicetur rationalis, vt idem Philoſoph. in eo ipſo loco oſtendit: pari itaq; ratione, licet hominis cogitatiua, nata ſit obtemperare, obſequiq; rationi, vel cum alio quouis conglutinari, non ideò cum proprietate appellabitur rationalis.

Ad hæc, quæro, quando primùm hic intellectus coniungitur homini? Statim ne ac formatus eſt in vtero fætus? At cum tot annos poſtea non exerceat operationes intellectus, fruſtra tunc ſe ei adiungeret; & toto illo tempore aſſideret ociose. An aduenit tùm cùm primùm homo aptus eſt habere vſum rationis, & opera intellectus exercere? At toto illo antea cto tempore non eſſet homo, ſed merum brutum, cum in eo ne veſtigium quidem intellectus reluceret, ſed ſolum eſſet anima ſenſitiua. Ad extremum, quia ex eo quod aliquis poſſit coniungi cum intellectu, tantummodo colligitur, cum habere potentiam vt aliquando efficiatur intellectiuus, ac rationalis, non verò quod actu ſit talis.

Antonius Bernard. Mirandulanus, Hieronymus Pont. & alij Auerrois Antagoniſtæ, bifariam, aiunt, hominem capi poſſe. Vno modo qua homo eſt, ac ſpecificè: altero, qua hoc indiuiduum. Hominem prout homo eſt, & in eſſe ſpecifico, conſtitui per intellectum; & ipſum intellectum eſſe totius humanæ ſpeciei veram ac informantem formam; ab eaq; minimè ſeparabilem, quinimmo, vt ex Ariſtotele & Auerroe humanū genus eſt vſquequaq; æternum, ſic cum eſſe ęternam formam, vniuerſam hominum ſpeciem actuantem. Cæterùm in eſſe indiuiduali, qua Socrates, aut Plato, eos conſtitui per cogitatiuam. Ex quo fit, vt in Platone v. g. ſit duplex eſſe, ſpecificum ab intellectu; indiuiduale, ab hac numero cogitatiua. Per prius eſſe diſtinguuntur homines a brutis: per poſterius, inter ſe: quare minimè ſequitur, vt ego ſim per eſſe tui, cum alia ſit cogitatiua mea, ac tua: neque quod homines per ſolam cogitatiuam diſcriminentur a brutis.

Hæc illi, ſed planè fingunt, dum in homine duplex eſſe a duplici forma, hoc quidem ab intellectu, hoc verò a cogitatiua prodigialiter aſtruunt. Vnius rei vna eſt forma, vnum igitur etiam eſſe. *Et quorum ſubſtantia eſt vna, &*

quod

Digitized by Google

quod quid erat eſſe eſt vnum ex 7. Metaphyſ. tex. 45. Deinde, quomodo eſſe ſpecificum erit diuiſum ab indiuiduali, cum ipſummet ſpeciei eſſe coarctetur in indiuiduis, & ſpecies dicatur totum in indiuiduis; genus autem pars? vt ex ipſis Logicæ rudimentis nouimus. Præter quam quod, illud eſſe ſpecificum re ipſa ab indiuiduali ſeiunctum, cum eſſet vnum aliquod in multis exiſtẽs, omninò eſſent ideæ, quarum poſitionem tantopere auerſatus eſt Philoſophus. Denique, nuſquam Auerroes inuenitur affirmaſſe, hunc Intellectum informare ſpeciem humanam, ſed aſſidere ſolum, & continuari per phantaſmata, & operationem. Concludimus itaque, confecta a nobis argumenta, neq; ab Auerr. neq; ab vllo eius ſectatore aut eſſe diluta, aut dilui poſſe: eòque ex primo fonte, hominis videlicet eſſe probauimus, intellectum poſſibilem non eſſe aliquam ſubſtantiam ſeparatam.

Secundo loco idẽ ex propria hominis operatione, hoc eſt intellectione, comprobatur. Vbi etiam ſemet cõfodit Auerroes, dum aliud argumentum tangit, cuius vires nec ipſe, nec poſtea vllus alius infregit. *Etſi prima perfectio*, inquit obijciens ſibi, *eſſet eadem omnium hominum, & non numerata per numerationem eorum, contingeret, quod cum ego acquirerem aliquod intellectum, vt tu etiam acquireres illud idem: & quando ego obliuiſcerer aliquod intellectum, vt etiam tu.* Si intellectus cũctorum hominum eſſet vnus, qui omnium intellectiones produceret, & in ſemet reciperet, vna etiam foret omnium hominum ſciẽtia: quocirca cum vnus aliquis rem quampiam intelligit, vel ſcientia tenet, eandem ſimul alius intelligeret, ac ſciret: & cum quiſpiam vel huius, vel alterius rei obliuiſcitur, eiuſdem omnes obliuiſcerentur, ſi vnus idemque intellectus hæc in omnibus ederet. Quid vero? cum diuerſorum hominum non modo diuerſæ, ſed etiam plerunq; contrariæ ſint intellectiones & opiniones, ille vnus omnium intellectus ſimul produceret, & in ſe reciperet tot, tamque diuerſas, contrarias, ac diſcrepantes actiones, vt ſimul idem exiſtimaret verum, & falſum; bonum, & malum; conueniens, ac diſſonum. Eidem conueniret ſcientia & error; virtus, & vitiũ; pietas & impietas, idq; genus ſexcenta alia. Quæ quàm maximè abſurda ſint, nemo, niſi qui intellectu caret, non intelligit.

Negat Commentator, ex vnitate intellectus hæc incommoda ſequi: cuius rei eam affert rationem, quod phantaſia, quæ præbet miniſtratq; intellectui materiam obiectiuam, Id eſt phantaſmata, nõ eſt omnium hominum vna, ſed pro ſingulorum diuerſitate diuerſa. Ex quo fit, vt ope ac miniſterio diuerſæ phantaſiæ, tũ phantaſmatum, & ſpecierum intelligibilium, diuerſo modo huic homini, atq; illi continuetur intellectus. Hinc diuerſa in hoc, quàm in alio operatio, quamuis omnes cunctorum hominum intellectiones, aliquo modo, reſpectu intellectus, eædem dici poſſint. Eum audi, *dicendum igitur eſt, tuam intellectionem, & meam, non eſſe penitus numero diſtinctas, ſed eſſe aliquo modo plures, & aliquo modo vnam. Plures enim ſunt ratione diuerſorum phantaſmatum: vna autem numero, ratione intellectus, qui eas recipit, quia vnus numero eſt*. Illuſtrãt hoc ipſum nõ nulli exemplo Solis, vt enim Sol vnus, multa, ac diuerſa corpora illuminat, qui tamẽ propter variam eorum corporũ præparationem, variè illuminat, ſic intellectus licet vnus, quia tamen vario modo per diuerſa phantaſmata, huic, aut illi continuatur, varias ac diuerſas in hoc, atque illo elicit operationes. Nec idem eſſe exiſtimat verum, & falſum; bonum, & malum; cum nec in eodem ſint, nec ſecundum idem, ſed in diuerſis, ac ſecundum diuerſa.

Verumtamen hæc reſponſio non effugit arg. Principio, phantaſmata ſe habent ad intellectum veluti motiua, & efficientia, *phantaſmata enim ſunt ſicuti ſenſibilia, præter quam quod ſunt ſine materia*, inquit Ariſt. 3. de Anima tex. 39. qua etiam ratione *intelligere dicitur quoddam pati* tex. 2. eiuſdem operis. Quo poſito ita inſurgit S. Thomas lib. 2. cont. Gent. cap. 65. Qualitates, & generatim accidentia, ſi ſunt eiuſdem ſpeciei, non multiplicantur numero penes cauſas & efficientia: quamuis hæc ſint numericè diuerſa, ſed ex ſubiecto, in quo recipiuntur. Hoc apparet, cum duplex ignis vnum aliquod ſubiectum comburit, *nam a duobus calefacientibus non ſequitur in vno calefactibili duplex calefieri, ſed vnum tantum*. Atqui intellectio noſtra eſt quoddam accidens, ſcientia eſt quædam qualitas, vtriuſq; ſubiectum eſt intellectus poſſibilis, phantaſmata verò ſunt motiua duntaxat, & efficiẽtia; (& quidem eiuſdem ſpeciei dum vterq; noſtrũ concipimus equum verbi gratia) ergo licet diuerſorum hominum diuerſa, multipliciaq; ſint phantaſmata, nihilominus propter vnitatem ſubiecti, hoc eſt intelle-

tellectus, intellectio, & ſciẽtia vtriuſq; noſtrum, immò cunctorum hominum erit vna & eadem.

Nec exemplum allatum quicquam ad rem facit: lõgè enim diſſimilis eſt ratio de Solis illuminatione, ac intellectus operatione. Illa eſt actio tranſiens, recipitur in rebus illuminatis, quocirca licet vna, ac ſimplex a Sole proficiſcatur, multiplicatur tamen, ac variatur pro multitudine ac varietate corporũ, in quibus ſuſcipitur, perinde ac geminatur calefactio cũ vnus ignis duo ſimul calefacit ſubiecta. Intellectio verò cum ſit actio immanens, minimèq; tranſeat in aliã materiam, ſed in eo ipſo intellectu maneat, a quo producitur, viget adhuc eadem difficultas, nimirum quomodo idem numero intellectus poſſit in ſe ſimul habere innumeras intellectiones, & earum pleraſq; planè contrarias, ac inter ſe pugnantes?

Vt huius arg. vim deflecteret Cõment. ſtatuit ſcientiarũ habitus, & ipſam intellectionem, non recipi in intellectu poſſibili velut in ſubiecto, ſed potius in intellectu paſſiuo, ſeu cogitatiua.

Verùm hæc doctrina vel ex eo apparet falſa, quia habitus in eo tanquam in ſubiecto recipiuntur, in quo & actus ipſi, per quos illi gignuntur, & quod eſt principium, ſimiles actus eliciendi: cum ex Ariſt. 2. Ethic. cap. 1. ex ſimilibus actibus fiant ſimiles habitus, & ſimiles etiam actus reddant. Atqui ex actibus intellectus poſſibilis gignuntur in nobis habitus facultatum, & ſecundum habitum ſciẽtiæ poſſumus conſimiles actus exercere, ergo habitus eiuſuis ſciẽtię ſunt in intellectu poſſibili, non paſſiuo; id eſt cogitatiua. Deinde, habitus tenet ſe ex parte potentiæ, eam obſirmat, ac perficit: minimè verò ex parte obiectorum. At potentia intelligendi, ac ſciendi eſt intellectus poſſibilis, *eſt enim id quo intelligit & exiſtimat anima:* cogitatiua verò, & phantaſmata ſunt ex parte obiectorum: impoſſibile igitur eſt, hęc in alio, quàm in intellectu poſſibili iacere.

Huc etiã facit, quod ſciẽtia, cum ex Ariſt. lib. 1. Poſter. ſit habitus per demonſtrationem acquiſitus, eſt de concluſionibus, quę quidẽ ſunt vniuerſales, ſicut & principia: in ea igitur facultate inſidere debent, quæ eſt illarũ cognoſcitiua. Hęc eſt intellectus poſſibilis, nõ paſſiuus, quia ille eſt vniuerſaliũ, cogitatiua verò eſt ſolum *particularium intentionum:* ergo ſcientia, & habitus ſcientifici reſident velut in ſubiecto in intellectu poſſibili.

Denique, intellectio eſt actio immanens, maximèq; vitalis, cuius natura in eo poſita eſt, vt a quo oritur, in eodẽ ſuſcipiatur: Si igitur ea proficiſcitur ab intellectu poſſibili, in eo etiam ſuſcipiatur omninò neceſſe eſt.

Tandem, hic ſilentio prætereundum non eſt, Auerroem, quemadmodũ viri docti adnotauerunt, ex eo fortaſſe in eam fuiſſe adductum opinionem, vt crederet, ſciẽtiarum habitus inſidere in cogitatiua, quia ob diuerſam cogitatiuæ, ſeu imaginatiuę diſpoſitionẽ, homines diuerſo modo aptos, diſpoſitoſq; videret ad facultates, ac ſcientias tum acquirẽdas, tum tractandas: ita, vt qui meliore imaginatione prædìti ſunt, ijdẽ melius, fęliciuſq; intelligant, diſcant, ratiocinentur: qui verò deteriori, peius, & obtuſius. Veruntamen hoc ex dictis potentijs, veluti ex remotis diſpoſitionibus prouenit: ſicuti ex bonitate tactus, carniſq; mollitie, maior etiã promptitudo mentis: nã ex Ariſt. lib. 2. de Anima tex. 94. *duri carne, inepti mẽte, molles autem carne, benè apti.* Tum etiã, quia melior phantaſia id ſolum habet vt melius pręparet phantaſmata, quò clarius ab intellectu agente illuſtrẽtur, faciliorq; reddatur intellectio: id verò totum eſt ex parte obiecti, nõ ex parte potentię, nẽpe intellectus poſſibilis. Atqui habitus & diſpoſitiones ſtare debẽt ex parte potentię, nõ obiecti: id, quod exẽplo fortitudinis egregiè illuſtrat S. Tho. 2. cont. Gent. cap. 73. *nõ enim* inquit, *diſpoſitiones, quibus terribilia fiunt magis toleranda, sũt habitus fortitudinis, ſed diſpoſitio, qua pars animæ, ſcilicet iraſcibilis diſponitur ad terribilia ſuſtinenda.*

Nunc audi aliud arg. pro principali inſtituto, nã iuxta commune hominũ iudiciũ, homo verè dicitur, & eſt intelligens. Quod etiã quilibet hominum inſemet experitur; quippe quemadmodũ quilibet experitur, ſe eſſe qui videt, audit, olfacit, & omninò ſentit; ſic etiã experitur, ſe eſſe qui intelligit, & non aliquam aliam ſubſtantiam ab ſe diuiſam, ac ſecundum eſſe abiunctam, quæ in eo promat, recipiatq; intellectionem. Non eſſet autem verè intelligens, ſi intellectus poſſibilis ſit homini dumtaxat aſſiſtens, & cum eo continuatus; quandoquidẽ id ex vero dicitur intelligens, quod verè producit, recipitque intellectionem: tunc verò non homo ipſe, ſed intellectus in homine promeret, reciperetq; intellectionem: ille igitur, & non homo diceretur intelligens.

Prҽterea, ſicut paries luce Solis illuſtratus, ſui ſimilitudinem in oculum immittit, nõ tamen ob id appellatur videns, ſed potius viſus; ſic ex eo quod phãtaſia Socratis, ſeu cogitatiua tranſmittit phantaſmata ope intellectus agentis illuſtrata, & facta ſpecies intelligibiles, in intellectum ſeparatum, Socrates nunquam diceretur intelligens, ſed paſſiuè potius intellectus ſeu apprehenſus; vt paries viſus.

Poſtremò, cum phantaſma, prout huiuſmodi,

Digitized by Google

quia eſt materiale, & potentia tantũ intelligibile, nec intellectum poſſibilẽ, nec intellectionem attingat, ſed neceſſe ſit prius illuſtrari ab intellectu agente, reddiq; actu intelligibile, mirum eſt, ſi in homine vterq; hic intellectus, agẽs inquam ac poſſibilis, eſt quędam ſubſtantia ſecundũ eſſe ab homine abiũcta. Quomodo homo dicetur intelligere? quid hic conferet ad intellectionẽ præter phantaſmata, ac materiam pæne remotã? Hominis actio tunc in ſola phantaſmatis miniſtratione terminaretur; quippe phantaſmatis illuſtratio, & abſtractio ſpeciei intelligibilis nõ eſſet hominis opus, ſed intellectus agẽtis, qui itidem ponitur abſtracta quędam ſubſtãtia. Actio verò intelligendi elicitur ab intellectu poſsibili, ſubſtantia itidem ſeparata. Nihil igitur homini pręſtandũ relinqueretur; ſed pręfati duo intellectus inter ſe actum intelligendi celebrarent, perinde ac ſi duo homines in cubiculo, aut in naui luderent. Hoccine ergo eſt hominem eſſe intelligentem? hoccine intelligere?

Euidentius hoc ipſũ colligitur ex illa Auer. ſimilitudine, qua huius intellectus continuationẽ cũ homine nititur explicare, dũ hæc ſcribit in 3. de Anima com. 5. *Et iſta proportionalitas magis inuenitur perfecta inter ſubiectũ viſus, quod mouet ipſũ, & inter ſubiectũ intellectus, quod mouet ipſum. Quemadmodum enim ſubiectũ viſus mouens ipſum, quod eſt color, non mouet ipſum, niſi quando per præſentiam lucis efficitur color in actu, poſtquã erat in potentia, ita intentiones imaginatæ nõ mouent intellectum materialem, niſi quando efficiuntur intellecta in actu: poſtquã erant in potentia: propter hoc fuit neceſſe Ariſtoteli ponere intellectum agentem:* hęc ille. Sic ergo ſe habebit ſpecies intelligibilis ad phantaſma, vt ſe habet ſpecies viſibilis ad id, quod extra animam eſt coloratum: vt enim hoc eſt potentia viſibile, ſic phantaſma potentia intelligibile; & ſicut illud Solis ope redditur viſibile actu, & per ſpeciẽ viſibilẽ, quam emittit, continuatur oculo, ſic phantaſma beneficio intellectus agentis fit actu intelligibile, ſeu intelligibilis ſpecies, per quam intellectui poſsibili continuatur. Quare continuatio pręfati intellectus per ſpeciem intelligibilem, ſic eſt ad phantaſma quod in nobis eſt, ſicut continuatio viſus ad coloratum, exempli gratia ad parietem, ex doctrina Cõment. tunc ſubſumo: Atqui huiuſmodi continuatio non facit coloratum parietem videre, ſed tantũ videri, ergo & prædicta intellectus continuatio nobiſcũ, non reddit nos intelligentes, nec facit intelligere, ſed potius intelligi. Quæ ſi ita ſunt, vlterius conſequitur, neq; ſpeculatiuos habitus eſſe in homine, ſed in illo intellectu, ac ſubſtantia ſecundum eſſe ab homine abiuncta; neq; habitum vllum actiuum, & ad virtutes ſpectãtem, neq; liberum arbitriũ (quod procul dubio ad rationem, & partem animæ ſuperiorem attinet) ſed ſpontaneum tãtum, vt eſt in brutis animantibus, nec vitium, nec virtutem, nec fælicitatẽ, nec vllum vnquam hominis proprium ornamentum, ſed omnia ſuſq; deq; confundi, agiq; miſerrimè. Hinc ſcitè Mag. Albert. in opuſcul. de vnitate intellectus cap. 5. vniuerſam, ait, Philoſophiam ab hac Auerrois poſitione tolli, euertique.

Tertio loco ex parte intellectus id ipſum vanum, ac planè fictitium eſſe, ita oſtenditur. Vbi etiam veterem difficultatem obijcit ſibi Arabs, cuius ſolutio adhuc deſideratur: *exiſtimatur* inquit, *quod impoſſibile eſt imaginari, quomodo intellecta erunt facta, & iſta,* hoc eſt intellectus agens, & poſſibilis, *non erunt facta: quando enim agens fuerit æternum, & patiens fuerit æternum, neceſſe eſt, vt factum ſit æternum*. Intellectus poſſibilis ab Auerr. æternus vſquequaque poſitus eſt, qui ex omni æternitate aſtiterit ſpeciei humanæ, & qui vna aliqua Intelligentia ſit: nec ſecus agens. Quod ſi agens, & recipiẽs hominum intellectus ſunt æterni, eorum effectus erit quoq; æternus. Effectus autem eſt receptio ſpecierum intelligibilium, & intellectio; hæc igitur in intellectu fuerunt æterna, eòque nullam hic ſpeciem de nouo recipiet, nec vllam de nouo edet intellectionem. Præterea, in Auerr. Schola pro comperto habetur, a principio æterno, ac immutabili non poſſe immediatè prouenire nouum aliquem & variabilem effectum: qui igitur præfati intellectus ęterni, ac immutabiles de nouo hanc phantaſmatum illuſtrationem, hanc ſpecierum receptionem, hãc numero intellectionem efficient?

Hæc incommoda ita deflectere nititur Comment. Species, ait, intelligibiles duplex habent ſubiectum, intellectum poſſibilem, & phantaſma; vt viſibilis quoque ſpecies, pro ſubiecto habet rem extra animam, & potentiam viſiuam. Quocirca prædicta omnia ab intellectu habent æternitatem, a phantaſmate nouitatem.

Veruntamen hoc non demit difficultates nec enim aperit quì vnquam agens ac recipiens æternum, non habeat æternum effectum, qui eſt receptio huius numero ſpeciei intelligibilis, & hæc numero intellectio. Minus explicat quomodo a principio æterno ac immutabili proficiſcatur immediatè hic nouus, & variabilis effectus, nempe hæc mea intellectio.

Quid vero? facultas videndi, (vt eius exemplo vtar) dum recipit ſpeciem colorati, nonne de potentia in actum mutatur? pari igitur ratione, cum intellectus poſſibilis recipit ſpeciem ab hoc phantaſmate deductam, mutabitur de potentia ad actum, quod tamen Auerroiſtæ horrent, *vt nudis preſſit qui calcibus anguem.*

Deinde, ex hac Comment. reſpõſione conſequitur, intellectum poſſibilem haud eſſe ab omni intelligibili denudatum, nec quaſi abraſam tabulam, in qua nihil depictum ſit, cum in eo tot hominum cogitationes, qui ex omni æternitate fuerunt, totq; receptæ ſpecies præextiterint; cuius tamen oppoſitum docuit nos Ariſt. 3. de Anima tex. 16. Immò verò cũ nihil recipiat, quin ſit a natura recepti denudatum, *quia intus exiſtens, prohibet, intercluditq; extraneũ;* & hic intellectus non ſit denudatus a ſpeciebus intelligibilibus, ſiquidem eæ ante intellectionem omnium hominũ, qui nunc ſunt, fuerunt in eo, ſecus enim homines qui ante nos vixerunt, non intellexiſſent, liquidò cõſequitur, quod hic intellectus ex nullo hominũ, qui modo ſunt, poſſit recipere ſpeciem vllam, nec per ſpeciem ab illis acceptã intelligere. Immò nec illis vllo modo vniri, cũ hic ex Auerroe per huiuſmodi ſpecies continuetur hominibus.

Poſtremò, ſequeretur quod intellectus humanus nullam omninò ſcientiã, cognitionemue de nouo acquireret, ſed potius ad earumrerum recordationem excitaretur, quarum ſpecies iamdudum in ſe ſe haberet, vnde intruderetur Platonis reminiſcentia. Deniq; ſequeretur; intellectũ haud eſſe potentia omnia intelligibilia, qualem nobis deſcripſit Ariſt. in 3. de Anima, cum actu, & perpetuò intelligeret ſe, quemadmodum reliquæ intelligentiæ faciunt. Intelligeret quoq; ſubſtãtias ſuperiores. Quod coactus eſt Cõmentator fateri dum in illo com. 5. ait, *& iſte intellectus recipiens neceſſe eſt, vt intelligat intellectum, qui eſt in actu.* Coactus etiã eſt, habitum primorũ principiorum inſitum, & coæternum huic intellectui, contra Ariſtotelẽ, facere, dum ita ſcribit, *neceſſe eſt vt intellectus materialis non ſit denudatus a principijs naturalibus, communibus toti ſpeciei humanæ, ſcilicet primis propoſitionibus, & formationibus ſingularibus cõmunibus omnibus. Hæc enim intellecta ſunt vnica ſecundum recipiens, & multa ſecundum intentionem receptam; ſecũdum igitur modum, ſecundum quem ſunt vnica, neceſſariò ſunt æterna.* At contra Philoſophus lib. 2. Poſter. Analyt. cap. vltim. ex profeſſo inductione a ſenſibus accepta, oſtendit habitum principiorum non eſſe nobis a natura ingenitum, ſed in nobis fieri. Quæ omnia quàm abſurda ſint, nemo, opinor, eſt non in Peripato modo, ſed in omni hominum ſocietate, qui non videat.

Si quis dicat, ſpecies prius ab alijs hominibus in intellectu receptas, iã eſſe obliteratas, penituſq; euanuiſſe, ideò alias de nouo in eodem commodè recipi poſſe, ex quo illata incommoda videntur ceſſare; ſic enim erit a natura recepti denudatus &c.

Hoc omninò falſũ eſt, quia intellectus non modo recipit, ſed recepta etiam cõſeruat, qua ratione ab Stagirite 3. de Anima tex. 6. dictus eſt *locus formarum*, id eſt, ſpecierum: nempe vt locus continet conſeruatq; locatum, ſic intellectus. Tum etiã, quia intellectus eſt ſuperior quædam vis, quàm ſenſus, eòq; prehabet in ſe quicquid in inferioribus potentijs reperitur. Inter ſenſus autem aliqui ſolum recipiunt, vt exteriores; alij verò etiam retinent, vt imaginatio: longè igitur magis intellectus, tum recipiet, tum conſeruabit. Hac de re multis agit S. Tho. 2. contr. Gẽt. cap. 74. & in prima part. q. 79. art. 6. contra Auic. qui in ea fuit opinione, quod in intellectu non remaneant ſpecies intelligibiles, niſi quandiu actu intelliguntur.

Denique, lubens ab Auerroe quæſierim, cũ hic intellectus applicat ſe, & vt ipſe loquitur continuatur alicui homini de nouo edito, cognoſcit ne eũ, cui ſe applicat, an non? Si prius, rurſus quæro per quidnã cognoſcat eum, cui ſe de nouo applicat? num per phantaſmata eius, qui de nouo gignitur? At in eo nulla ſunt effecta phantaſmata: num per phantaſmata aliorum hominũ? At verò fieri poteſt, vt alios homines eius generatio lateat, vt ſi quis in abſtruſo, & remoto loco, extra aliorum notitiam generetur. Sin autem non cognoſcit, ergò hic intellectus neſcit quid agat, & caſu ac temerè ſemet applicat. Quare vt ſe homini, ſic poterit vel equo, vel cani applicare. Quod eò etiã magis obuenire poterit, quia non nunquam phãtaſmata hominis, & alicuius bruti poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei, vt ſi Socrati, & eius cani eædem res cognitæ repreſententur, ſimulacra ac phantaſmata earum rerum, eiuſdem ſpeciei ſunt in Socrate, & in cane. Quò fit, vt præfatus intellectus perinde cani ac Socrati per phantaſmata continuari poteſt; atq; adeò ſicut ob dictam intellectus continuationem cum Socrate, Socrates eſt intelligẽs, pari modo canis erit intelligẽs. Vnde ab aliquibus dictum eſt,

Auerroem hac ſua machinatione, intellectum belluis donare, hominibus adimere.

In hanc ergo Commentatoris abſurditatẽ credimus vnquam iuiſſe Ariſtotelẽ? apage id, putes: longè ſecus exiſtimauit. Hic enim, (vt cætera ſileam) intellectum nunc quidem poſuit pro anima rationali, vt lib. 2. de Anima tex. 24. dum ait eſſe *id, quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primò*: nunc pro animæ particula, vt 3. eiuſdem operis tex. 1. *De particula autem animæ, qua cognoſcit anima, & ſapit*: nunc *id quo intelligit & exiſtimat anima.* Qua de re vide quæ a nobis dicta ſunt in Diſput. 4. de Animæ intellectricis informatione: tum quæ Diſput. ſeq. de intellectu agente. Ego vt quod ſentio liberè fatear, ſic exiſtimo, quæ hucuſq; attuli, rem planè demonſtrare: vt mihi ſæpiſſimò mirari ſubeat, cur Beſſario vir alioquin egregiè doctus, in lib. 3. contra Calumniatorem Platonis, eos dicat, qui vnitatem intellectus poſuerunt, nondum phyſicis rationibus conuinci potuiſſe. Alijs verò æquè grauiſſimis viris, vnitas intellectus tam tetrum in omni Philoſophia monſtrum videtur, vt eo nullum maius Arabum ſyluæ genuerint. Quod porrò vnicum ſat debuiſſet eſſe ad eos coarguendos, qui filium Rois tanti fecerunt, vt eius animam Ariſtotelis animam eſſe iactarent: ſed alia nunc videamus.

SECTIO QVINTA.

Intellectum poſſibilem, prout eſt id, quo intelligit, & exiſtimat anima, non eſſe ipſam animæ ſubſtantiam: ſed eius facultatem, ac formam accidentariam, quæ ab anima fluat, re que ipſa ab ea differat.

VNICA hic Theſi, veluti vno faſce multa complectimur. Scio non paucos eſſe, qui in multis ab ea diſſentiũt, nobis ſecus videtur, nec in cuiuſquã verba iurauimus: quæ aſſerimus, magnorum virorum auctoritate, & graui ratione moti aſſerimus: *arbitrium veſtrum, veſtra exiſtimatio valebit*: mearum partiũ eſt, eniti, quoad eius fieri poteſt, ſingula comprobare.

Principio itaq; intellectum poſſibilem gemino modo ſumi, alio loco commemoraui: primò quidẽ pro ipſa animæ intellectiuæ ſubſtantia, quæ eſt, vt Diſput. 4. oſtendimus vera hominis forma, qua ratione *intellectus nobis innaſcitur, ſubſtantia quædam cum ſit*, lib. 1. de Anima tex. 65. *Et de foris aduenit*, 2. de generat. animal. cap. 3. Quo etiam ſignificatu Angelicus Doctor cum ſæpe alibi, tum verò lib. 2. cont. Gent. cap. 60. oſtendit, *hominem non ſortiri ſpeciem per intellectum paſſiuum; ſed per intellectum poſſibilem*, id eſt per animam intellectiuam. In qua quidẽ ſignificatione nemo nobis eorum aduerſatur, quicumque Arabum figmenta, uel illam Alexandræorum aptitudinem, & animæ præparationem ſumma cum ratione auerſatur. De ſecunda verò intellectus ſignificatione, qua nimirum eſt principium proximum operandi, & id quo intelligit, & exiſtimat anima, atq; vt ſemel dicam, qua eſt potentia animæ intellectricis, magna eſt inter auctores altercatio, vtrumne, & quomodo ab anima diſtinguatur. Iam verò vt ſibi maiores, vberioreſq; fructus decerpendos proponam, generatim quæro, vtrumne omnes animæ potentiæ ab ea differant, & quomodo?

Qua quidem in re, auctores quadrifariam diuiſos inuenio. Sunt qui volunt, animæ facultates, nec re, nec ex natura rei, ab eius eſſentia diſcriminari, ſed tantum ex quodam ſignificandi modo, & ex varietate tantum actionum ſortiri varia nomina; ita vt ipſa anima quà intelligit, nuncupetur, ſitq; intellectus; qua vult, voluntas, quà audit, auditus; quà videt, aſpectus; & ita de reliquis eius facultatibus. In hac ſententia fuit Gregor. in 2. diſt. 16. quæſt. 3. Ochamus eadẽ diſt. quęſt. 24. Marſil. ibidem quęſt. 7. art. 3. Marcel. in ſuo lib. de Anima cap. 75. Auguſt. Niphus in 3. de Anima pag. 875.

Alij aſſeuerant animæ facultates, differre quidem ab eius eſſentia, ex natura rei, ac formaliter, non tamen re ipſa. Sic vniuerſa Scotiſtarum Schola cũ anteſignano ſuo, in 2. diſt. 16. quæſt. vnica. Quidam alij adiecta diſtinctione, volunt, potentias animæ ſentientis, & intellectiuę, eſſe re ipſa diſtinctas: minimè verò potentias animę vegetatricis: facultatem videlicet nutriendi, augendi, & generandi. Hoc tuetur Durand. in primo diſt. 3. quęſt. 3. Quarto denique loco affirmant alij, cunctas animæ facultates, re ipſa ab eius eſſentia, quaſi accidentia diſtingui, ac diſcriminari a ſubſtantia. Ita Alber. Mag. in 1. diſt. 3. art. vlt. & lib. 2. de Anima tract. 1. cap. 11. S. Thomas in prima part. quæſt. 77. art. 1. & quæſt. 54. art. 3. & quæſt. de ſpiritualib. creat. art. 1. & in primo, diſtint. 3. quęſt. 4. art. 2. & vbicumq; hanc rem attigit. Quod deinceps vniuerſa Thomiſtarum familia ambabus, quod aiunt vlnis, &

am-

amplexa eſt, & tutata: Capreol. in 1. diſt. 3. quæſt. 3. art. 2. Caietan. in primã part. S. Thomæ quæſt. 77. art. 1. Bannes ibidem: Ferrar. lib. 2. de Anima cap. 7. Huc iuit Aegid. Rom. quolib. 3. quæſt. 10. Heruæus quolib. 1. quæſt. 9. Iandunus in 2. de Anima quæſt. 9. Apollinaris in 2. de Anima quæſt. 7. Marſilius Ficinus lib. 10. de Platonis Theologia, vbi oſtendit eandem etiam fuiſſe Platonis mentem. Quæ ſententia nobis tum eſſe Ariſtotelis, tum omninò amplectenda videtur: Quare ordine ſic progredimur.

Primùm omninò nobis videtur falſum, animæ facultates re, vel ex natura rei idem eſſe cum eius eſſentia, & ſolum penes diuerſum ſignificandi modum differre, vt auctores primæ ſententiæ opinabantur.

Cuius rei rationem afferre, in promptu eſt, quia nulla ſubſtantia creata poteſt eſſe proximum, ac immediatum principium operandi, ergo potentiæ animæ non ſunt ipſamet animæ ſubſtantia. Conſecutio valida eſt, quia potentiæ ſunt proxima operationum principia. Aſſumptum verò concluditur, tum quia quæcunq; ſubſtantia creata eſt indifferens ad operationes, cum ſubſtãtia & eſſentia rei non ordinetur ad aliquid extra ſe, quare in ſe ſpectata manet indeterminata, ac indifferens ad operationes, quæ proculdubio ſunt aliquid extrinſecum. Tum etiam, quia cum animæ eſſentia ſit vna, actus autem plures, & inter ſe re ipſa distincti, vt videre, intelligere, velle, idq; genus alia, ſi anima ſuapte natura eſſet determinata ad actus, idem ſecũdum idẽ eſſet ſimul determinatũ ad plura, & re ipſa diuerſa: quod nullo modo fieri poteſt. Tum prętérea, quia forma agentis ita ordinatur immediatè ad eſſe, vt indifferenter ſe habeat ad hanc, vel illam operationem, niſi ab aliquo alio determinetur: ſiquidem anima mea non magis propendet ad intelligẽdum, quàm ad videndũ: quod etiam docuit Auerroes 7. Metaphyſ. com. 31. Si igitur animæ ſubſtantia ſuapte natura eſt indifferens ad ſuos actus, omninò per aliquid aliud ad hunc, vel illum actum determinetur neceſsè eſt, ſi actio oriri debeat: nã a causa indifferenti, vt indifferẽs eſt, non egreditur determinatus effectus, vt inquit Commentator 2. Phyſic. tex. 48. & S. Thomas prima part. quæſt. 19. art. 3. vbi hæc habet, *ab eo, quod eſt ad vtrumlibet, non ſequitur aliqua actio, niſi ab aliquo alio inclinetur ad vnum.* Hoc autem quo animæ eſſentia determinatur, nihil aliud eſt, quàm ipſæ eius facultates, ergo iſtæ erunt aliquid ſuperadditum ipſi animæ ſubſtantiæ, & ab ea diuerſum.

Idem ex eo oſtenditur, quia alioquin verè affirmare poſſemus, hominem volunrate intelligere, intellectu velle, auditu ſpectare, viſu olfacere, idq; genus alia, cum idem omninò eſſet immediatum principium omnium horum actuum: id quod aliqui auctores primæ ſententiæ, maximè verò Gabriel, quo citaui loco, coacti conceſſerunt: ſed abſq; ratione, & contra communem hominum ſenſum, ac modum loquendi. Quamobrem ſicut in corpore habemus multa membra, quod eſt exemplum Anſelmi: ad diuerſas operationes, ſic anima noſtra diuerſas habet virtutes, & inſtrumenta ad operandũ: quæ virtutes ſunt intellectus, & voluntas, quæ non ſunt ipſa anima, ſed in anima exiſtentes. Quod apprimè conſonat cũ illo Philoſophi ſect. 30. Problemat. quæſt. 5. quo loci cum in quęſtionem vocaſſet, cur ſeniores amplius mẽte valeamus, iuniores ocyus diſcamus? ita pergit, *quia natura parens, & auctor omnium, inſtrumenta duo nobis inſeruit, quorum opera inſtrumẽtis externis uti valeremus, manum inquam corpori dedit, animo mentem: eſt enim mens quoque rebus a natura nobis impertitis adnumeranda, vicem ſanè gerens inſtrumenti.* Audin', quemadmodum natura duo nobis inſeruit inſtrumenta? manum corpori, animo mentem? vt igitur manus non eſt corpus hominis, ſic mens, & intellectus non eſt ipſa anima, ſed aliquid eius. Verùm hæc clariora reddentur, ex his quæ mox ſubijciam, quare.

Aſſerimus ſecundò, omnes animę facultates nõ modo ex natura rei ac formaliter, ſed re ipſa, veluti accidentia a ſubſtantia, diſtingui ab animæ eſſentia: idq; generatim tam de facultatibus animæ intellectricis aſſerimus, quàm ſentientis, quàm etiam vegetatricis.

Hoc aſſerũ data opera probat S. Thom. in prima part. quæſt. 77. art. 1. hoc pacto. Actus, & potentia ex ſua natura ad illum ordinata, collocantur in eodem genere, vt colligitur ex Ariſt. 9. Metaphyſic. tex. 3. Et lib. 12. tex. 26. & 28. tum verò ex eo apparet, quia actus, & potentia diuidunt ens, & quodcumque genus entis. Diuide genus v. g. ſubſtantiæ: quo diuiſo in actum, & potẽtiam, proculdubio actus ille eſt ex genere ſubſtantiæ, & potentia ad eum, eſt itidem in genere ſubſtantiæ: Secto

etiam quantitatis, aut qualitatis genere per actum, & potentiam, ſi actus eſt accidens, potentia quoq; ad eum erit accidens, cum vtraq; ſint ea ipſa, quæ dictum genus diuiſeru t. Hac ratione fulcit S. Doctor effatum illud, dum ita ſubnectit, *actus & potentia &c. quia, cum potentia, & actus diuidant ens, & quodlibet genus entis, oportet, quod ad idem genus referatur potentia, & actus: & ideò ſi actus non eſt in genere ſubſtantiæ, potentia, quæ dicitur ad illum actum, non poteſt eſſe in genere ſubſtantiæ.* Cum igitur actus noſtri, vt intellectio, volitio, viſio, ſint accidentia, variantur enim citra interitum ſubiecti, liquidò conſequitur, horum potentias, intellectum, voluntatem, viſum &c. eſſe ex genere accidentium: eòq; animæ facultates verè, ac re ipſa ab eius eſſentia, tanquam accidentia a ſubſtātia, diuerſificari.

Non me fugit eſſe aliquos, quibus hæc ratio ex eo parum firma videtur, quòd Ariſtoteles, aiunt, eo loci, nullam de potentia actiua, aut paſſiua mentionem facit, ſed abſolutè de potentia in ordine ad actum, prout illa contra ipſum diſtinguitur, & vt aliqui loquuntur, *de potentia obiectiua*; ita vt ſenſus ſit, *actus, & potentia ſunt in eodē genere*, hoc eſt, res quæ primò eſt in potētia, eſt eiuſdem generis cum ſe ipſa, cum eſt in actu: vt roſa, quę hyeme eſt in potētia, ad idē omninò genus ſpectat cū roſa, quæ verno tempore eſt in actu. Quod ſane ex Ariſt. exemplis eo loci adductis colligunt. *In quibuſdam*, inquit Stagirites *idē quandoq; actu, quādoq; potentia eſt, vt vinum, aut caro, aut homo.* Hæc nimirum eadem quæ prius erant in potentia, modo ſunt actu. Quocirca D. Thomam planè abuti aiunt, hac Stagiritæa auctoritate, quò probet facultates animæ re ipſa ab ea diſtingui.

Verùm hæc præter omne æquum, & liuidè in S. Doctorē. Nouerat ſanctiſſimus vir hunc eius loci ſenſum, nec vnquam eum negauit; ſed tamen altiori indagine ex hoc ipſo fonte egregiè collegit, potentiam, quę ex ſuamet natura eſt potentia reſpectu actus ſecundi, debere eſſe in eodem genere cum ipſo actu, vt vidimus. Quamobrem immeritò iſti S. Doctorem rodunt, pro quo ego in pręſentia verbum non faciam, maximè cum diuinus hic vir ſua quadam propè diuinitate ſeſe extra omnē ictum, ſupraq; omnem iniuriam poſuerit.

Secundo, hoc idem ita probat. Anima ſecundum ſuam eſſentiam nequit eſſe immediatum principium ſuarum operationum; Si enim eſſet, tunc habens animam, ſemper actu operaretur, ſicut quia anima eſt immediatum principium vitę, habens animam, ſemper actu viuit. Et quamuis anima ſit cauſa formalis vitæ, operationum verò ſit efficiens: Adhuc tamen, quando ſubſtantia ſe ipſa ac immediatè eſt cauſa efficiens alicuius rei, ſemper eandem rem, eademmet efficientia, qua ſemel produxit, conſeruat: vt quia ſubiectum eſt immediatè ac per ſe cauſa efficiens ſuæ paſſionis, ſemper conſeruat paſſionem, quam ſemel produxit. Huc etiam facit, quod anima ſecundum ſuam eſſentiam eſt actus, *eſt enim actus corporis phyſici:* id verò quod eſt immediatum principium, operationum eſt ſuaptè natura potentia, cum ab intrinſeco reſpiciat actum ſecundum: *nihil autem eſt in potentia ſecundum actum, in quantum eſt actus:* quare animæ ſubſtantia non eſt eius potentia, ſed re ab ea diuerſa.

Tandem, eſſentia animæ immediatè ac per ſe ordinatur ad ipſum eſſe, tanquam ad proprium actum ſubſtātialem: potentiæ verò immediatè ac per ſe ordinātur ad operationem, veluti ad proprios actus, per quos etiam diſtinguuntur: Atqui eſſe ſubſtantiale, & operatio cuiuſuis creaturæ ſunt realiter diſtincta, quare eſſentia quoque cuiuſcumque rei creatæ, & actiua eius potentia ſunt re ipſa diſtincta.

Præterea, in hanc eādem rem ſic argumentamur. Si animæ facultates re ipſa eſſent idem quod animæ, eſſent idem quoq; realiter inter ſe, nam *quæcumq; ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*; atq; adeò facultas viſiua re ipſa eſſet eadem, quę auditiua, & hęc eadem, quæ olfactiua, & iſta idē quod reliquę omnes. Quod tamen nemo concedere audet, cum in quolibet viuente facultates ſint plures, non vna.

Huic argumento nituntur nōnulli occurrere aientes, potentias animæ bifariam poſſe conſiderari: Vno modo ſecundum internam rationem: Altero, ſecundum externam: Si priori modo ſumantur, totum argumentum admittunt, hac enim ratione omnes animę facultates ſunt ipſamet anima, quæ vna eſt. Sin autem capiantur poſteriori modo, argumentū nihil, aiunt, obtinet virium, quia pro vt eadem anima reſpicit diuerſas operationes (eſt enim anima ſubſtantia apta, nec ocioſa ad multiplicem operationem) appellatur diuerſarum facultatum nominibus, ob diuerſas habitudines,

Digitized by Google

nes,& reſpectus. Quocirca potentia,exempli gratia, viſiua, nihil aliud eſt, quàm ipſamet anima,cum hac habitudine, & reſpectu ad videndum: Auditiua, nil aliud, quàm ipſa eadem anima cum reſpectu ad audiendum: Intellectus,eadem anima,cum reſpectu ad intelligendum,ita de reliquis.

Hęc tamen reſponſio non effugit argumentum, nam vt optimè aduerſus eam inſurgit Zabarella lib. de mente human. cap. 14. habitudines, ac reſpectus illi, penes quos aiunt conſiſtere potentiarum diſcrimẽ,vel ſunt aliquid, vel nihil:Si nihil, nulla erit potentiarum differentia,atq; adeò redit argumentum,vnam potentiam eſſe aliam. Si aliquid,vel eſt ſubſtantia, vel accidens: Non ſubſtantia, niſi dare velis in vno viuente plures ſubſtantias. Si accidens, vt reuera ſunt accidentia, cuiuſnam prædicamenti?an relationis? At verò cum relatiua ſint ſimul & tempore, & natura, ita, vt exiſtente altero,alterum quoq; exiſtat neceſſe ſit;in anima autem ſint actu facultates, etiam nulla exiſtente operatione, nequeunt profectò ad relationis prædicamentum attinere. Neq; erit relatio rationis, quia abſq; vlla intellectus ope, anima habet potentiam videndi ab auditrice diſtinctam. Quare iſtiuſmodi potentiæ non erunt aliquid reſpectiuum, ſed abſolutum:Quod ſi ita eſt, in nulla alia categoria collocari poſſunt, quàm in qualitatis quæadmodũ etiam nos cum S. Thoma conſtituimus: *& ſic aduerſarij hoc dicentes,* inquit Zabarella,*veniunt in ipſammet opinionem S.Thomę, quod enim dicunt potentias omnes ſecundum internam rationem idem eſſe,nihil aliud eſt, quàm dicere,vnam eſſe animæ ſubſtantiam, a qua omnes eius facultates emanant: cum autem dicunt eas diſtingui ſecundum varios reſpectus, fateri coguntur, eas vel eſſe qualitates, vel nullo modo inter ſe diſtingui.*

Poſtremò,elementa,quę maximè ſunt actiua,ſortita ſunt vires ad operandum a ſuis formis ſubſtantialibus re ipſa diuerſas, quæ ſunt accidentia,nẽpe primariæ qualitates,vt ignis calorem & ſiccitatem: aqua frigus & humiditatem: ergo multò magis vires, ac facultates, quibus viuentia,& præcipuè homo operãtur, erunt ab eorum formis ſubſtantialibus realiter diſtinctæ. Conſecutio eſt optima, aſſumptum verò conceptis verbis tradit Ariſt.lib.de ſenſu,& ſenſibili cap.4.vbi docet, ignem, terrã, cæteraq; ſimiliter non eſſe apta quicquam agere ſecundum quod ſunt ignis, & terra, hoc eſt, ſecundum ſuas formas ſubſtantiales, ſed prout contrarietatem habent, calorem, frigiditatem,& alias qualitates,quarum interuentu efficiunt. *Quà igitur,* inquit,*ignis,& quà terra, nihil natum eſt agere, vel pati, nec aliud quicquam: quà autem ineſt contrarietas in eis, hæc omnia agunt,& patiuntur.* Audin',nec ignem, nec terram,nec vllam omninò rem naturalem,natam eſſe quicquam agere, aut pati, quà talis res eſt? (eſt verò talis per ſuam formam ſubſtantialem)nec vllam immediatè ex ſua forma ſubſtantiali, ceu principio agendi actionem edere poſſe, ſed ex contrarijs qualitatibus, vt ignis ex calore,aqua ex frigiditate? vnde colligit Alex.ignem,non quà calidus eſt, ſed qua ignis eſt,agere,Stoicã eſſe, non peripateticam ſententiam.

In primo etiam de ortu, & interitu tex. 50. ſcriptum eſt, actionem non poſſe fieri niſi vbi eſt contrarietas, *non enim quodcumq; natum eſt pati,& facere,ſed quæcumq; aut contraria ſunt,aut contrarietatem habent.* Atqui contrarietas non eſt propriè in ſubſtantia, non igitur ignis, vel quoduis aliud,agit per ſuam ſubſtantiam, ſed per aliquid illi ſuperadditum. Hinc Auerr.7. Metaphyſic.com.18.nec elementa,ait,nec vllas ſubſtantiales formas eſſe actiuas, & paſſiuas, niſi propter qualitates. Et ſemen quod non eſt actu animatum,facere actu animatum per calorem naturalẽ,qui in eo ineſt. Quò etiã facit tritum illud ex eodẽ auctore acceptum, *idem eſſe agens quod diſponit materiam,& inducit formam*: quippe generans & eius ſubſtantia, præparat materiam ope ac miniſterio accidentium:ergo eorundẽ interuentu introducit formam,& operatur.

Accidentia autem attingunt, producuntq; ſubſtantiam,non quidem ſuapte vi,ſed in virtute ſubſtantiæ,cuius ſunt naturales vires,& inſtrumenta;quod luculenter explicat S. Thomas cum ſæpe alibi, tũ maximè in prima part. quæſt.77.art.1.& in tertia part.quæſt.77.art. 3.(quicquid in contrarium opinetur Scotus in primo, diſt.37. quęſt.1.& in 4.diſt. 12. quæſt.3. Durand. ibidem quæſt.2. & in 2. diſt.1. quæſt.4. Iandun. in primo de Anima quæſt.8. & complures alij.) Quod adeò verum eſt, vt præter ea, quæ hucuſq; attulimus, frequenti etiam experientia videamus, ſolum accidens alienæ ſubſtantiæ inhęrens,in virtute ſuæ, producere ſubſtantiam. Nam calor, qui

qui eſt in ferro ignito producit ignem in ſtuppa, & aqua calida calefacit manū, ququę idem actiones, cum a forma ſubſtantiali aquæ, & ferri, omninò alienæ, ac peregrinæ ſint, neceſſe eſt, vt a ſolis illis accidentibus, in virtute ſuæ ſubſtantiæ operantibus proficiſcanrur.

Ex his, quæ adhuc ediſſeruimus, ſic habe; in vniuersùm omnes animę facultates eſſe re ipſa ab eius ſubſtantia diuerſas: tum ex conſequenti intellectū poſſibilem, prout eſt *id quo intelligit, & exiſtimat anima*, atq; animę intellectricis facultas, non eſſe ipſam animæ ſubſtantiam, ſed quandam eius accidentariam formam, realiter ab eius ſubſtātia diſtinctam; ita, vt in anima noſtra hæc tria re ipſa diſtincta, ponenda ſint, eſſentia animæ, facultates eius, & actiones.

Quod ſi obijcias, anima eſt principiū, quo quis operatur, vegetatiua quidem quo vegetatur, ſenſitiua, quo ſentit, locoq; mouetur, intellectrix, quo intelligit: *eſt enim anima id, quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus primò*, ex 2. de Anima tex. 24. Atqui principium quo quis agit, eſt potentia, quare potētia animæ, erit ipſamet anima. Tum præterea, quod non eſt de eſſentia alicuius tei, id omne eſt ei accidens, ſi igitur intellectus non eſt de eſſentia animæ intellectricis, erit ei accidens, atque adeò poterit ab ea ipſa incolumi, diuelli: hoc enim eſt proprium accidentis: quare anima intellectiua, remanebit non intellectiua. Ad hæc, ſi intellectus, & generatim omnes animę facultates re ipſa diſtinguuntur ab eius ſubſtantia, quærendum eſt, a quonam eæ principio immediatè producuntur? ab aliquo externo? At nullum hic eiuſmodi externum principium, quod eas in anima procreet: & qua actione procrearet? An immediatè producuntur ab ipſa animæ eſſentia? (quod aduerſarij fatentur, dum aiunt facultates immediatè fluere ab eſſentia animæ.) Quod ſi ita eſt, cur eadem animæ ſubſtantia immediatum principium ſuarum functionum conſtitui nequeat? quippe ſi vtraq; ſunt accidentia, quid abſque neceſſitate multiplicanda entia? maximè cum natura apprimè ſtudeat compendio, & paucitatem magis, quàm multitudinem rerum affectet.

Verùm his facile occurritur: Ad primum dicendum eſt, in actione duplex reperiri principium, alterum remotum, ac primum: alterum proximum, ac immediatum. Anima eſt principium operandi, ſed primū, a quo veluti a radice viuimus, & operamur: potentia verò eſt principium proximum, & immediatum, quo etiam operamur. Concurrit proculdubio anima mea dum video, concurrit & facultas viſiua, vtraq; veluti forma, & vt quo: ſed illa vt radix, hæc vt principium immediatum. Quod quidem diſcrimen innuit Ariſtoteles (ne longè abeam) in ea ipſa animæ definitione, dum conſultò appoſuit. *Primò*, quia, vt optimè S. Thomas prima part. quęſt. 77. art. 1. in reſpōſi ad 4. *hoc ipſum*, inquit, *quod forma accidentalis eſt actionis principium, habet a forma ſubſtantiali: & ideò forma ſubſtantialis eſt primum actionis principium*.

Ad ſecundum, accidens vel capitur pro omni eo, quod non eſt ſubſtantia, quà ratione inter ipſum, & ſubſtantiam nihil interuenit; *quia diuiduntur ſecundum affirmationem, & negationem, hoc eſt, ſecundum eſſe in ſubiecto, & non eſſe in ſubiecto*. Vel capitur prout eſt quintum prædicabile, nempe quod citra interitum ſubiecti adeſſe, & abeſſe poteſt, quo pacto inrer ſubſtantiam, & accidens eſt aliquid medium, id videlicet quod non eſt ſubſtantia rei, tamen ab eius principijs intrinſecè fluit. Huiuſmodi ſunt animæ facultates: ideſt, accidentia propria a principijs eſſentialibus cauſata, (nam, *proprium* inquit Porphyrius, *non eſt de eſſentia rei, tamen ex principijs eſſentialibus ſpeciei cauſatur*) & collocata in ſecunda ſpecie qualitatis; in qua ponitur ab Ariſtotele *naturalis potentia, & impotentia*. Quò fit, vt naturaliter non poſſint ab ipſa anima, cuius ſunt facultates diuelli ac ſeparari. Num verò poſſint diuina virtute, non eſt præſentis inſtituti ſancire. Affirmat Soto in prædicabilibus cap. 4. quæſt. 1. Bannes in primam part. S. Thomæ quæſt. 77. art. 1. dubio 1. Ferrar. in 4. cont. Gent. cap. 65. Negat Caietan. in primam part. S. Thomæ quæſt. 54. art. 3. Soncinas 8. Metaphyſic. quæſt. & alij. Ratio autem tertio loco conſtructa, expoſcit vt enodemus, quomodo animæ facultates ab eius eſſentia manent, quare ſit.

SE-

Digitized by Google

SECTIO SEXTA.

Quomodo, & in quonam genere cauſæ, intellectus, & generatim omnes animæ facultates, ab eius eſſentia manent?

OMNES intellectricis animę, ſeu verius hominis operationes, gemino modo a Philoſophis diſtributę ſunt: hę quidem, quę alicuius organi opere exerceantur, vt viſio, auditio, ambulatio: hę verò, in quibus exercendis nullum aſſocietur corpus, vt intellectio, *cum qua non communicat actio corporalis*, ex 2. de generat. animal. cap. 3. Operationes anterioris claſſis appellantur communes, quòd corpori ęquè ac animæ conueniant: poſterioris verò, dicuntur animæ propriæ. Pari pacto omnes animæ facultates in duas partes diſtribuũtur: Aliæ ſunt organicæ, id eſt corporeis organis inhærentes: eæ ſunt quæ reſpiciunt actiones prioris ordinis, vt potentia videndi, audiendi, ambulandi, & omnes facultates animę ſentientis, ac vegetatricis. Aliæ non organicæ, vt intellectus, & voluntas. Hæc facultatum diſtinctio colligitur ex Ariſt. 2. de Anima tex. 33. Et ex eo manifeſta eſt, quia ſicuti multæ ſunt in nobis facultates organicæ, ſic intellectus non eſt organicus, vt oſtendit Philoſophus in tertio de Anima.

Inter quas quidem facultates hoc intercedit diſcrimen, quod non organicæ immediatè in ipſa anima intellectrice veluti in ſubiecto inſident: organicæ verò non in anima, ſed omnes in ipſo compoſito ceu in ſubiecto immediatè recipiuntur. Cuius rei ea eſt ratio, quia auctore Philoſopho in lib. de ſomno, & vigilia cap. 1. eius eſt potentia ſicuti ſubiecti, cuius eſt actus: illæ igitur facultates, quarum actiones exercentur ab anima abſq; interuentu organi corporei, iacent in ipſa anima, velut in ſubiecto: Illæ autem, quarum opera fiunt cum organis corporeis, sũt in toto ceu in proprio ſuſceptibili. Quare eodem in loco Ariſt. *ſentire*, ait, *neq; animæ proprium eſt, neq; corporis, ſed coniuncti*. Ex quo etiam deducitur, omnes brutorum animantium facultates, immediatè inſidere in ipſis eorumdem compoſitis.

Ita etiam docuit S. Thomas in prima part. quæſt. 77. art. 5. quicquid in contrariam partem ſenſerit Apollinaris in lib. 2. de Anima quæſt. 7. Iandunus ibidem quæſt. 10. Paulus Venetus in ſumma de Anima cap. 4. Gregor. Arimin. in 2. diſt. 17. quæſt. 2. & nonnulli recentium Philoſophorum, qui quidem opinantur nullas vnquam facultates inhærere immediatè in toto cõpoſito, ſed hominis quaſcunq; facultates immediatè ac intimè recipi in anima intellectiua; & omnes brutorum animaliũ immediatè velut in ſubiecto incubare in eorumdem animabus.

Quibus pro nunc hoc tantum objicio, quomodo facultates organicæ, corporeæ, & materiales immediatè in anima intellectiua, re penitus incorporea, & immateriali inſidere poſſunt? Verum enimuerò inter ſuſceptiuum, & ſuſceptibile, proportio eſſe debet: hic nulla eſt. Præterea, ſi res ita eſſet, iam viſio, auditio, & omninò ſenſatio omnis immediatè in ipſa anima rationali inhæreret, cum ſint actiones immanentes, quæ in eo manent, a quo oriuntur; atque adeò anima nexu corporis ſoluta, videret, audiret, perinde ac intelligit: quod profectò impoſſibile eſt, cum illa ſit immaterialis, viſio verò materialis.

Poſita ergo præfata facultatum diſtinctione, nimirum alias reſidere in anima, alias in ipſo compoſito, aſſerimus, omnes animæ facultates, vtriuſq; conditionis, fluere ac manare ab ipſa eſſentia animę.

Ac primùm quidem de ijs potentijs, quæ immediatè in anima intellectrici inſident, vel ex eo oſtendi poteſt, quia iſtæ nequunt ab vllo corpore dimanare, cum omnem corporis vim excedant, ſicut excedit earum operatio.

Facultates itidem quæ apprimè in coniuncto inſident, ab anima emanare liquet, quia cũ nihil omninò poſſit aliquid cauſare, niſi pro vt eſt actu, potentiæ vitales, quæ ſunt in corpore, a corpore cauſari non poterũt, niſi pro vt illud eſt actu. Eſt autem actu per animã, ſine qua relinquitur materia nuda; quare anima eſt proprium principium, a quo etiam huiuſmodi potentiæ fluunt, quamuis eędem poſtea in compoſito immediatè ſubiaceant: Hinc S. Thomas in articulo quinto quæſtionis ſeptuageſimæ ſeptimæ citatæ, ad 2. explicans quomodo potentię per prius ſint in anima, quàm in corpore, ait, *omnes huiuſmodi potentiæ per prius ſunt in anima, quàm in coniuncto, non ſicut in ſubiecto, ſed ſicut in principio.*

Vtraq;

Digitized by Google

Vtraque pars ſimul ita comprobatur. Potentiæ, vt dictum eſt, ſunt quædam accidentalia formæ, cõnaturales ſubiecto, ac veluti eius comites, eiq; tribuunt eſſe ſecundum quid: ergo neceſſe eſt, vtram potentiæ immateriales concomitentur animam, veluti radicem ſuam, quàm materiales ab ea ipſa dimanent.

Inſuper ſcito, vnam animę facultatem manare ab eſſentia animæ mediantè alia: quod vt penitius apprehendas, animaduerte, quod cũ anima ſit vna, potentiæ verò plures, *ordine autem quodam ab vno ad multitudinem procedatur*, fit, vt in animæ potentijs ſeruandus ſit quidam naturalis ordo, qui in hoc poſitus eſt, vt vna potentia aliquo modo pendeat ab alia. Quæ dependentia duplici modo contingit: ſecundum perfectionem, & ſecundum viam generationis. Secũdum perfectionem, quia cum perfecta naturaliter ſint imperfectis priora, fit, vt intellectrices facultates, vt pote perfectiores, ſint ſenſitiuis priores: & hæ, vegetatricibus. Via autem generationis, quia cum ex imperfecto ad perfectum progrediamur, ideòq; prius animal generatur quàm homo, *non enim ſimul & animal fit, & homo*, cõſequitur, vt vegetatrices potentiæ, ordine generationis, ac temporis ſint ſenſitiuis priores: & iſtæ, intellectricibus. Præterea, in ijs, quæ ex ordine naturali proueniunt, hoc ſedulò obſeruamus, vt, quemadmodum primum eſt cauſa omnium, ſic id, quod primo propinquius eſt, ſit quodammodo cauſa ſubſequentis: ignis calefacit aquam, hæc meam manum, hæc rurſus tuam: profectò quemadmodum ignis eſt cauſa iſtarum omnium calefactionum, ſic aqua eſt quodãmodo cauſa calefactionis meæ manus, & hæc identidem tuæ: ex quo fit, vt, cum animę facultatum vna ſit prior quàm alia, vna dimanat ab eſſentia animæ mediantè alia: ita vt prior, & quæ eſt animæ propinquior, ſit quodammodo cauſa ſubſequẽtis, & ſic deinceps. Hæc omnia rectè, vt opinor, dilucidata ſunt: Verùm nunc quæret aliquis, in quonam genere cauſæ, facultates ab eſſentia animæ fluunt?

Anima reſpectu potentiatum ſortitur triplex cauſæ genus: materialis, finalis, agentis. Ac primum quod ſit materialis, ex eo conſtat, quia anima in ſemet ſuſcipit, ſuſtentatque facultates, vel ſeorſim per ſe, vel ſimul cum corpore, perinde ac paries ſuſcipit, & ſuſtentat albedinem. Quod autem ſit finis, etiam conſtat, quia in confeſſo eſt, accidentia propria eſſe propter ſubſtantiæ conſeruationem: caliditas enim eſt propter conſeruationem ſubſtantiæ ignis, & grauitas ob conſeruationem ſubſtantiæ grauis.

Cęterùm magna inter Philoſophos verſatur altercatio, quomodo anima ſit cauſa effectiua facultatum? Multi id eſſe omninò impoſſile crediderunt, & cur ita credant, hæc afferunt. Primoquidem Ianduns in 2. de Anima quæſt. 10. ſic arguit. Fieri nequit, vt idem ſecundum idem, ſit principium actiuum potentiarum, & earumdem receptiuum. Anima, cuncta ſuffragãte philoſophia, eſt principium receptiuum, ac ſubiectum facultatum, nulla igitur ratione erit actiuum: Secus, cum animę ſubſtantia ſit vna ac indiuiſibilis, idem ſecundum idem eſſet principium actiuum, & receptiuum.

Auguſtinus Niphus in 2. itidem de Anima ad tex. 29. alio argumento inuehitur, quod ipſe demonſtrationem appellat. Nihil poteſt eſſe actus, & potentia, niſi idem ſit ex materia & forma conflatum; vt ratione materiæ ſit potentia, ratione verò formę ſit actus. Atqui anima non eſt ex materia, & forma; non ergo poterit eſſe actus, & potentia: cum itaq; ea ſit ſubiectum, quod in ſemet recipit facultates, eſt potentia: & ſi eſt principium actiuum earum, erit actus, quare &c.

Alij, inter quos eſt Bened. Pererius lib. 8. ſuæ Phyſic. cap. 13. hac potiſſimùm ratione tuentur, ſubiectum nõ eſſe cauſam effectiuam propriæ paſſionis. Nam vel produceret eam per eandem actionem, qua ipſum ſubiectum producitur: At hoc repugnat: quia producere præſuppoit eſſe: quare ſi ſubiectum per huiuſmodi actionem producit, iam eſt; ſi per eãdem producitur, nondum eſt, ergo ſimul eſt, & non eſt; & eſſet poſterius illa actione, vt pote per quam ipſum producitur, & eſſet prius illa eadem actione, vt pote per quam producit illam propriam paſſionem. Vel producit per aliam actionem; Sed hoc modo propria paſſio eſſet tempore poſterior ſubiecto, & non flueret ex quidditate ſubiecti ſimpliciter, ſed ex quidditate rei exiſtentis, quod falſum eſt: ergo anima, ſiue ſubiectum, nullò modo eſt cauſa efficiens ſuarum paſſionum. Adducunt pro hac ſententia Commentatorem in 4. Metaphyſic. cuius verba mox audies.

In oppoſito ſtetit S. Thomas, qui tum ſæpe alibi, tum prima part. quæſt. 77. art. 6. in reſpon-

ſponſione ad 2. *reſpondendum eſt*, ait, *quod ſubiectum eſt cauſa proprij accidentis, & finalis, & quodammodo actiua, & etiam vt materialis.* Quod ſtatim in art. 7. in corpore abſq; illa particula, *quodammodo* repetit: idq; tam altè in omnium Thomiſtarum pectoribus inſedit, vt Caiet. ad 6. illum art. hæc ſcribat: *In reſponſione ad ſecundum aduerte, quod multi putant, & malè doctrinam hanc ab Auerroe diſſẽtire, eo quod in 4. Metaphyſic. com. 2. dixerit, quod ſubſtantia non eſt agens, aut finis accidẽtium, ſed ſubiectum; ſed reuera hi quamuis multi, tamen cæci ſunt.*

Cæterùm Thomiſticæ doctrinæ proceres ſic aiunt animam eſſe cauſam efficientem facultatum, vt eas producat non quidem per veram aliquam, & intermediam actionem, ſed per ſimplicem emanationem, & quandam naturalem reſultantiam. Non per veram actionem, quia tunc aliquid eſt cauſa per veram actionem, cum inter ipſum, & effectum interuenit vera actio. Inter eſſentiam verò, & proprietates eiuſmodi actio intercedere nequit: Si enim intercederet, iam ipſa animę ſubſtantia ſe ipſa, ac immediatè aliquid ageret, (quod tamen eſſe impoſſibile diximus.) Etenim cum actio illa omnes animę facultates præuerteret, nil ſanè aliud, quàm ipſam animę ſubſtantiam haberet pro principio. Tum etiam, quia cum omnis actio propriè dicta, ſupponat effectricem cauſam, vt inductione videre eſt, fieri nequit, vt eſſentia producat facultates per veram actionem: hoc enim pacto tempore præcederet ſuas potentias, quod eſt falſum.

Alteram aſſertionis partem, nimirum facultates animæ produci ab eſſentia animę per ſimplicem emanationem, ita ſuadet. Quotieſcunque aliqua multa proueniunt ordine quodam ab vna cauſa, id, quod ab illa procedit prius, eſt in eodem genere, cauſa ſubſequentium: vt enim ſe habet primum ad omnia, ita prius ad ſubſequentia naturæ. Hoc patet etiam exemplo concluſionum, quæ ab vno principio deriuantur. Atqui eſſentia, & facultates ab vno eodemq; agẽte, ordine quodam proueniunt, quippe qui dat formam, dat & conſequentia ad formam; ergo eſſentia, quæ in hoc progreſſu eſt prior, erit cauſa ſubſequentium proprietatum: eòq; ipſum agens mediante eſſentia rei productæ, quaſi intermedia cauſa, eadẽ actione comproducit paſſiones. Et hanc productionem appellant ſimplicem emanationem, & naturalẽ reſultantiam. Quam tradit S. Thomas, dum in articulo illo ſexto in reſponſione ad 3. *dicendum*, inquit, *eſt, quod emanatio propriorum accidentium a ſubiecto, non eſt per aliquam transmutationem, ſed per aliquam naturalem reſultantiam, ſicut ex vno naturaliter reſultat aliud, vt ex luce color.* Adi, ſi vacat, Thomiſtas, qui etiam argumentis in aduerſam partem adductis, ita occurrunt.

Ad primum, etſi anima eſt actus, nõ tamen purus, ſed conſtat ex actu & potentia, quod alio loco explicuimus: qua igitur ex parte eſt actus, eſt principium effectiuum ſuarum facultatum: qua verò eſt potentia, ſtat pro earumdem ſuſceptiuo: quocirca minimè conſequitur, vt idem ſecundum idem ſit principium actiuum, & receptiuum; ſed idem ſecundum diuerſa.

Eodem pacto obuiam itur argumento Niphi, nam etſi anima non eſt compoſita ex materia & forma, includit tamen actum & potentiam. Qua informat corpus, eſt actus; qua recipit eſſe, eſt potentia. Secundum itaq; diuerſas rationes ſtatuitur tum effectiuum, tum ſuſceptiuum facultatum principium: ex quo apparet nullam in argumento Niphi ineſſe vim, nedum id eſſe demonſtrationem, vt ipſe ſibi perſuaſit. Occurrunt etiam alio pacto, nempe, inconuenit quidem, cum efficientia eſt per veram actionem ac transmutationem, idem eſſe actiuum, ac receptiuum principium: quia tunc idem a ſemetipſo moueretur, quod impoſſibile eſſe oſtẽdit Ariſt. 7. Metaphyſic. cap. 1. Veruntamen, cum aliquid per ſimplicem dũtaxat emanationem efficit, commodè idem ſtatui poteſt tum effectiuũ, tum recipiens principium. Illuſtrant exemplo feruidæ aquę, dum ſe ad priſtinam frigiditatem reducit. Illa quippe noua frigiditatis acquiſitio, cõſequitur naturaliter ab ipſa ſubſtãtiali forma aquæ, abſq; vlla noua transmutatione; ſicut motus lapidis deorſum ſublato impedimento. Quod ſi aqua in illa reductione eſt actiuum, & ſuſceptiuum principium, cur non anima facultatum? De qua quidẽ re Caietan. in primam part. S. Thomæ queſt. 54. art. 4. Capreol. in 2. diſt. 6. queſt. vnica, Soto in 2. Phyſic. quæſt. 1, Bannes in primã part. S. Thom. quæſt. 77. art. 1. dubio 5. Ferrar. & alij.

Ad tertium aiunt, effectricem cauſam, quæ per veram actionem ac trãſmutationem quicquam efficit, tempore vtiq; præire ſuum effectum: prius nimirum tempore eſſe: quam agere,

re,quę verò per ſimplicem emanationem agit, eam non niſi prioritate naturæ, & cauſalitatis præire: ſic in præſentia contingere, nam actio generantis,qua producitur ipſum ſubiectum, & comproducuntur proprietates,prius quidem natura terminatur ad ſubiectum,poſterius verò natura ad ipſas paſſiones: cuncta tamen eodem temporis momento ſunt,vt docet S. Thomas art.2.quæſt.77. Quo fit,vt nullum ex incommodis illis, in argumento congeſtis conſequatur.

Addunt nonnulli ex doctrina S. Thomæ prima part.quæſt.63.art.5.quo loci confutans S. Doctor opinionum aientium (ſermo eſt de Angelorũ peccato) duas actiones, ſe inuicem conſequentes, haud poſſe eodem inſtanti terminari,ait, id apparere falſum, *cum mutationes inſtantaneæ in eodem nunc poſſint terminari, quamuis vna ſequatur ex alia, ſicut in eodem inſtanti, in quo illuminatur Luna a Sole, illuminatur aer a Luna*. Ex qua colligunt,etiam in actione,quę per veram,ac nouã trãſmutationem efficitur, neutiquam generatim,ac perpetuò verum eſſe,effectricem cauſam tẽpore præſupponi ad actionem: verùm ſufficere prioritatem naturæ, & cauſalitatis. Sic in propoſito, & ſi admitteretur, (quod tamen minimè cõceditur) proprietates per veram aliquam actionem ac nouam tranſmutationẽ ab anima effici, non inde conſequeretur, quod animæ ſubſtantia tempore anteuerteret facultates ſuas, ſed ſolum prioritate cauſalitatis. Quæ doctrina eo ſolum animo a nobis adducta eſt, vt appareret magis,non eas eſſe illius argumenti vires,quas ſibi recentiores neſcio qui Philoſophi perſuaſerunt.

Nec denique illud Commentatoris quicquam officit, videlicet ſubſtantiam non eſſe agens, aut finem accidentium,ſed ſubiectum: loquitur enim de accidentibus in communi, quà illis eſt inhærere: quo pacto ſolum reſpiciunt ſubiectum, cui inhærent: ex quo tamen non rectè colligitur, aliqua accidentia, nimirum propria,penes peculiarem aliquam rationem,prout ab animæ ſubſtantia fluunt,non referri ad eam, veluti ad principium actiuum: & prout ordinantur ad eiuſdem conſeruationem, ac perfectionem, non reſpicere eandem vt finem.

Hæc pro ſententia S. Thomæ,cui plurimum & aſſcribo, & tribuo. Veruntamen, vt quod ſentio, ex animo dicam, perdifficile mihi perpetuò viſum eſt, quì vnquam aliquid ſit actiua cauſa, abſque vlla actione. Porrò nullum denominatur,niſi a forma ſibi inexiſtente;quì igitur,ſi in animæ ſubſtantia nulla eſt actio,ea ſtatui poſſit actiua cauſa paſsionum? Profectò perinde foret, ac ſi conſtituatur paries albus ſine albedine. Deinde,quod ab aliqua cauſa verè fit, & acquirit eſſe, id ſanè per veram aliquam actionem ab ea effici debet: vel igitur facultates non efficiuntur ab animæ ſubſtantia, vel per veram aliquam actionem efficiuntur, quando ne imaginatione fingi poteſt, quod aliquid verè fiat, & non per veram actionem. Ad extremum, in productione coniuncti, ac paſsionum,vel ſola generantis actio influit, ac terminatur ad ipſas proprietates, vel præter illam, influit quoque aliquid ipſa animæ ſubſtantia: Si prius, ſolum igitur generans eſt cauſa effectrix ſubiecti,& paſſionum,eademq; actione vtrumq; producit:illud quidem per ſe primo; has verò per modum naturalis, & neceſſariæ conſequentiæ. Si verò præter generantis actionem, ipſa quoq; animę ſubſtantia in paſſiones quicquam influit; iam, præterquã quod ſubſtantia erit immediatum principium operandi, quod ipſi perhorrent, quærendum etiam eſt, quid, & quomodo influit? vix profectò poteſt intelligi,ne dum exponi.

Ex his, quæ pro virili parte hucuſque determinauimus, vt compendio dicamus, habes, intellectum poſſibilem non eſſe præparationem, & ſolam animæ aptitudinem, ad excipiendum intellectus agentis influxum, ſiue potentiam nudam in eſſe entis. Non imaginationem, quà eſt præparata, ad hoc vt intentiones, quæ ſunt in ea, ſint intellectæ actu. Non ſubſtantiam aliquam ſeparatam, ac vnum in omnibus. Denique intellectum, quo intelligit, & exiſtimat anima, non eſſe ipſam animæ ſubſtantiam: verùm eſſe eius facultatem, re ipſa ab ea diſcriminatam, & emanantem ab animæ intellectricis ſubſtantia per ſimplicem emanationem, quæ ſit eius cauſa in genere cauſæ materialis, finalis, & ſi vis etiam actiuæ. Quæ omnia ex argumentorum ſolutionibus, quæ in aduerſam partem conſtructa ſunt,clariora euadent,quare ſit.

Se-

Digitized by Google

SECTIO SEPTIMA.

Dilutiò argumentorum Alex. quibus probari videbatur, intellectum poſſibilem eſſe animæ præparationem, & puram potentiam in genere entis.

OMnia Alexandræorum argumenta actutum ruent, ſi tantum dicas, intellectum poſſibilem eſſe quidem puram potentiam in genere intelligibilium, non verò in genere entium. Porrò aliquid eſſe nudam potentiam bifariam accidere poteſt: Vno modo in genere entis, Ita vt nullũ in ſe intercludat actum, ſic materiam primam nudam potentiam appellamus, quòd ex ſuapte ratione nec ſubſtantialem, nec vllum accidentarium includit actum. Altero, in genere intelligibilium, vt id videlicet ex primæua ſua origine nullam ſibi connaturalẽ, & congenitam ſiue ſpeciem, ſeu notionem obtineat, ſit tamen in potentia ad omnes illas tractu temporis acquirendas, perinde ac materia prima eſt in potentia, vt in ſe omnes ſenſibiles formas progreſſu temporis hoſpitetur. Priori pacto negamus intellectum eſſe nudam potentiam, & cur negemus, iam aduerſus Alex. oſtendimus.

De poſteriori verò modo, magna fuit lis inter Platonem, & Ariſtotelem: ille enim vt Diſputatione tertia vidimus, cum aſſeueranter, pugnaciterq; tueretur, humanos animos extra corpora fuiſſe procreatos, ibiq; ex Idearum influxu rerum omnium cognitionem hauſiſſe, quàm tamen dum in hęc mortalia corpora, veluti in tetrum aliquem carcerem detruderentur, deponerent, & omnium rerum illarum obliuiſcerentur, ex conſequenti aſſeruit, eoſdem animos haud eſſe puram potentiam in genere etiam intelligibilium, ſed dc ferre ſecum inditas rerum omnium imagines, notiones, & ſcientias omnes: ex quo aſſeuerabat, nos, dum inter homines agimus, nihil de nouo diſcere, aut ſcire, ſed ope phãtaſmatum, ad illarum rerum recordationẽ excitari, quas noueramus antea: nec noſtrum ſcire aliud eſſe, quàm merum putum reminiſci.

Cõtra verò Ariſtoteles, quia intellectrices animas, veras eſſe hominum formas ex animo tenuit, tum verò nullam formam eſſe ante id, cuius eſt forma, docuerat in 12. primæ Philoſophiæ tex. 16. merito, optimoq; iure intellectum noſtrum ſtatuit meram potentiam ineſſe intelligibilium: ita vt is in hoc genere nihil ſpeciei, nihil imaginis, nihil cognitionis a ſua primæua origine & conditione obtineat, ſed omnia ſit tantum potentia, & *quoniam potentia quodãmodo eſt intelligibilia intellectus, ſed actu nullum, antequam intelligat: oportet autẽ ſic, vt in tabula in qua nihil eſt ſcriptũ actu*, 3. de Anima tex. 14. Audin' quomodo intellectus nullum eſt intelligibile actu antequam intelligat? audin' quomodo omnia potẽtia? quomodo quaſi abraſa tabula in qua nihil actu depictum ſit?

Hoc Peripatetica Schola communi aſſenſu tuetur. Quocirca non rectè Alex. lib. 1. de Anima cap. 24. intellectum, ait, melius comparari τῷ ἀγράφῳ τοῦ γραμματείου, quàm τῷ γραμματείῳ, hoc eſt potius carentiæ ſcriptionis tabulæ, quàm ipſi tabulæ, quia tabula eſt aliquod ens actu. Sic res habet ò Alexander: ſed ideò Stagirites intellectum cum tabula, & non cum ἀγράφῳ contuiit, quia tenuit eum eſſe verè actu ens, & potentiam ſolum in genere intelligibilium. Hinc S. Thom. in prima part. quæſt. 87. art. 1. *intellectus*, ait, *humanus ſe habet in genere rerum intelligibiliũ, vt ens in potentia tantum; ſicuti materia prima ſe habet in genere rerum ſenſibilium*. Quod olim explicuerat Commentator 3. de Anima com. 5. Alij verò idem alio modo efferunt, dum aiunt, intellectum eſſe puram potẽtiam, reſpectu operationum, non autem reſpectu ſuæ eſſentiæ. Hoc multis proſequitur Iacob. Zabarella lib. de mente humana cap. 14. Quam quidem potentiæ nudæ partitionem, cum Alexander non animaduertiſſet, tum ipſe deceptus eſt, tum permultos alios *ad ſcopulum è tranquillo intulit*.

Hoc adnotato, ſingillatim argumenta illa diluenda ſunt. Ad primum, *omne recipiens debet eſſe denudatum a natura recepti &c.* dicendũ, Philoſophum eo loci oſtendere intellectum poſſibilem non eſſe cum corpore mixtum, hac ratione. Quicquid eſt in potentia, & receptiuum alicuius, id eſſe debet ab illius natura denudatum, quia intus exiſtens prohibet, intercluditq; extraneum. Intellectus eſt in potentia reſpectu rerũ omnium corporearum, ac ſenſibilium, erit igitur ab earũ natura denudatus. Quod autem huiuſmodi eſt, non commiſcetur

Digitized by Google

eum corpore, quare intellectus nō eſt corpori cōmixtus. Hæc Philoſophi demonſtratio pluribus expoſita eſt a nobis Diſput. 6. ſect. 3. ex quo non colligitur, intellectum noſtrum eſſe denudatum ab omni natura entis, ſed *quod tantum non ſit corpus, aut virtus in corpore*, vt inquit Comment. ad tex. 5. ſicut viſus, vt Aphrodiſei exemplo vtar, ſpoliatur quidem ab omni viſibili, ſed tamen eſt aliquod ens actu.

Immò verò effatum illud *omne recipiens &c.* intelligendum eſt de ſolo obiecto primario, non de ſecundario: nam oculus recepturus colores, tanquam obiectum primarium, debuit vtiq; eſſe abſq; colore, quia color quicunque naturaliter oculo inexiſteret, profectò eum ab aliorum colorum receptione prohibuiſſet. At verò propria oculi quantitas, non impedit eū, quominus aliarum rerum quantitates percipiat, videatque: quia quantitas non eſt obiectum primarium viſus, ſed ſecundarium. Cum ergo primarium intellectus obiectum (ex quo diluitur aliud quoq; argumentum de intelligētijs, & ipſomet intellectu, ſecūdo loco obiectum) ſit quidditas rei materialis, ab ea duntaxat denudatur, non verò ab intelligētiarum natura, aut a ſeipſo. Enimuero tantum abeſt, vt res molis materiæq; expertes ad primariū intellectus obiectū, pro hoc ſtatu attineant, vt hic omnem earum cognitionem a ſenſibilibus hauriat, aut per negationem, aut per collationem ad hæc inferiora, aut deniq; per effectus ſenſibiles, ac materiales; quo etiam pacto Stagirites ex æterno, continuoq; motu, ad cognitionem primi motoris deuenit: noſq; explicuimus alias, & oſtendit etiam S. Thomas in prima part. quæſt. 88. art. 1. & lib. 2. cont. Gent. cap. 41. Se etiam intelligit intellectus, nō primariò, aut per ſuam eſſentiam, ſed rerum ſenſibilium ope, ac ſecundariò: nam *& ipſe etiam intellectus intelligibilis eſt, ſicut alia intelligibilia*, inquit Ariſt. 3. de Anima tex. 15. & in 12. primæ Philoſophiæ tex. 39. *ſe ipſum verò*, ait, *intellectus intelligit aſſūptione intelligibilis*, hoc eſt, ex receptione ſpecierum, rerumq; aliarum. Hinc perſpicuè apparet, quonam pacto intellectus poſſibilis neq; a rerum immaterialium natura, & conditione, neq; a ſe ipſo denudatus ac diſtinctus debeat eſſe, quamuis ſit denudatus ab omni natura corporea.

Quod ſi obijcias, Philoſophus conceptis verbis ait, nullam eſſe aliam huius intellectus naturam, niſi aptitudinem, *quare neque ipſius vlla eſt natura niſi hæc, quod poſſibilis* tex. 5. ergo.

Ex hoc potiſſimùm loco in errorē inductus eſt Alexand. Sed pròh hominis ingenium, qui *quaſi opere maximo, dedit, vt erraret, operam*: Quotus quiſque enim eſt, qui vel obſcura adhibita diligentia non apertè videat, Stagiritem loqui de intellectu, quoad eius operationem, & in genere intelligibilium? vt concordi ſuffragio plerique omnes eius Interpretes expoſuere. Hæc huius intellectus natura, hæc conditio, vt nihil eorum ſit actu, quæ progreſſu temporis apprehendit, ſed tantummodo ſit id, videlicet animæ facultas, quo omnia intelligere, & exiſtimare anima poſſit. Quare in tex. 6. hic ipſe intellectus dicitur *locus formarum*, hoc eſt ſpecierum: *neque actu, ſed potentia forma*. Tandem ex græco fonte hoc hauri, Ariſtotelem, dum huius intellectus conditionem explicaret dixiſſe *δυνατὸν*, nimirum id quod poteſt, *ὥστε μηδ' αὐτοῦ εἶναι φύσιν τινὰ μηδεμίαν, ἀλλ' ἢ ταύτην, ὅτι δυνατόν*, quæ ſonant, quare neq; ipſius vlla eſt natura, niſi hæc, quod ſit id quod poteſt: Quo dicendi modo planè entitatem intellectus indicat: ſi enim illam Alexandri aptitudinem innuere vellet, dixiſſet *δύναμιν*, non *δυνατόν*.

Dum verò tertio loco obijcitur, intellectum ſuapte natura, & ab intrinſeco eſſe potentiam, eòque non eſſe aliquod ens actu, quo quidem argumento Portius lib. de mente humana cap. 7. pugnaciter perfractèq; tuetur, intellectum neceſſario eſſe a corpore inſeparabilem: id ſua ſponte ruit: eſt enim hic ſuapte natura potentia in genere intelligibilium, non in genere entium vt dictum eſt. Poſtremò intellectus poſſibilis non eſt ipſa animæ ſubſtantia, ſed eius facultas, cuius naturam pleno gradu Philoſophus indagauit, enodauitque, quod ſit corpori impermixta, quod ſimplex, quod impaſſibilis, & denique quod potentia omnia: quæ intellectus attributa multis proſecuti ſumus Diſput. 6. ſect. 2. 3. & 4. Verùm hic amplius verbum non addam.

Sec

SECTIO OCTAVA.

Confutantur Auerroiſtarum argumenta.

QVÆ in ſecunda ſectione pro intellectus vnitate, ſeu potius vanitate, vel Auerrois, vel eius poſtea ſectatorum retulimus argumenta, quàm commodè diluantur, ex his, quę hic ſubijcio tute dignoſce. Ex quo intelliges etiam, temerè a quibuſdā eſſe dictum, argumenta, quæ pro intellectus afferri vnitate ſolent, diſſolui non poſſe niſi ab eo, qui Lycęum egredi, & Peripateticis placitis minimè aſtringi velit. Multò ſecus res habet: multi ante nos e Stagiritęis principijs viriliter ea cōfutauere: huc nos etiam pro modulo ingenij noſtri aliquid conferamus. Cum itaque primo loco obijcitur, ſi intellectus eſſet numero multiplicatus, haberet materiam, quia quæcumque multa numero, materiam habent, hæc ratio multis cōfutata a nobis eſt Diſput. 6. ſect. 10. in reſponſione ad 8. Interea dicimus, quod licet intellectus ſit materiæ expers, multiplicatur tamen ſecundum numerum hominum, quia (loquor de intellectu quà eſt animæ facultas) multiplicantur hominum animæ, quarum hic eſt proprium accidens. Animæ autem ſunt multæ, non ex aliqua materia, ſed ex ordine, & habitudine tranſcendentali ad propria corpora, quibus initio coaptatæ, & commenſuratæ ſunt: nam etſi anima intellectrix careat materia ex qua conſtet, non tamen caret materia in qua, cum ſit actus corporis, *vniuſcuiuſque autem actus, in eo, quod potentia exiſtit, & in propria materia, aptus natura eſt fieri*, ex 2. de Anima tex. 26. Illud verò quæcumque multa numero, materiam habent, hunc habet ſenſum: Vel actu ſunt in materia, vel habitudine, & per ordinem ad eam multiplicantur, vt loco nuper commemorato oſtendimus.

Ad 2. ſpecies intelligibiles bifariam conſiderari poteſt, primò ſecundum ſuum eſſe materiale, & qua eſt aliquod ens. Deinde in eſſe repræſentatiuo. Priori modo accepta, ſingularis vtique eſt, nempe quædam qualitas, in ſingulari intellectu huius indiuidui inhærens. At verò ſecundum eſſe repræſentatiuum eſt vniuerſalis, cum in ea relucet natura vniuerſalis. Porrò poteſt aliquando ſpecies intelligibilis in hoc etiam genere eſſe ſingularis, cum videlicet intellectus, ſeu directè, ſiue reflexè rē aliquam ſingularem intelligit, v. g. Socratem. Quippe tunc ſpecies qua Socratem cognoſco, in vtroq; genere ſingularis eſt. Hoc adnotato, ad argumentum dicendum eſt, ſpeciem hominis receptam in ſingulari meo intellectu, iuxta ſuū eſſe materiale, & in eſſe entis, vtiq; ſingularem eſſe, attamen repræſentare mihi naturam vniuerſalem hominis: & ſic intellectus eſt vniuerſalium: ſicut exempli gratia ſpeculum, ſi capiatur in eſſe entis, prout eſt hoc aliquid, nulli dubium, quin ſit aliquid ſingulare: idē ipſum quà actu repræſentat, fac centum homines, multiplex eſt: ita ſpecies intelligibilis. Hoc, opinor, innuere voluit S. Thomas 2. cont. Gent. cap. 75. dum ad hoc argumentum reſpondens ait, ex eo deceptum fuiſſe Auerroem, *quod non diſtinguit inter id, quo intelligitur, & id, quod intelligitur. Species enim recepta in intellectu poſſibili non habet ſe vt quod intelligitur. Cum enim de his, quæ intelliguntur ſint omnes artes, & ſcientiæ, ſequeretur quod omnes ſcientiæ eſſent de ſpeciebus exiſtētibus in intellectu poſſibili. Habet ſe igitur ſpecies intelligibilis recepta in intellectu poſſibili in intelligendo, ſicut id, quo intelligitur: ſicut ſpecies coloris in oculo, non eſt id, quod videtur, ſed id, quo videmus: id verò quod intelligitur eſt ipſa ratio rerum &c.* Quia, inquit S. Thomas, ſpecies intelligibilis, non eſt id quod intelligitur, (quamuis ſecus alij arbitrentur, nec ego id in præſens decerno) ſed quo aliud intelligitur, hoc ſecundum debet eſſe vniuerſale, non ſpecies, id eſt in eſſe entis. Cum itaq; ſpecies in eſſe rei ſint ſingulares, nihil prohibet, quominus vnius, & eiuſdem rei ſint plures in diuerſis hominum intellectibus, diuerſę quidem numero, eædem verò in ſpecie: vt cum ego, & tu intelligimus equum.

Quod ſi quiſquam obijciat, ſpecies intelligibiles in eſſe entis ſunt plures numero, & eædem in ſpecie, atque adeò indiuiduæ; erunt igitur intelligibiles ſolum potentia, non verò actu: quandoquidem ſingularia, & indiuidua ſolum potentia ſunt intelligibilia ex Ariſt. 3. de Anima tex. 16. Si autem ſunt potentia ſolum intelligibiles, debent per alias ſpecies, intelligibiles cognoſci, & res abiblt in infinitum.

Occurrendum eſt, quod licet ſpecies intelligibiles ſint numero multæ, eædem autem in ſpecie, ac indiuiduę, nihilominus ſunt actu intelligibiles, & non ſicuti cætera indiuidua. Ratio eſt, quia eſſe actu intelligibile non repugnat alicui, qua ex parte eſt indiuiduum, ſed qua materiale: nam ipſe quoq; Auerroes, quamuis vtrumq; intellectum quaſdam ſeparatas ſubſtantias homini tãtummodo aſſiſtentes inducat, dicatq; oportere eas eſſe quædam indiuidua, tamen intelligibilia actu. Impedimento igitur eſt materialitas, quominus aliquid ſit intelligibile actu, non indiuidualitas. Argumento ſunt formæ rerũ materialium, quę vt actu reddantur intelligibiles, abſtrahuntur a materia. Hinc fit, vt ſingularia, quæ per materiam indiuiduantur, ſint tantum potentia intelligibilia, quia vt actu intelligantur debent, ab ea, in qua ſunt materia, abiungi. Idem contingit in ijs, quæ ſunt vnica in ſua ſpecie, vt Sol, Luna &c. Singularia verò, quæ non indiuiduantur per materiam, ſunt intelligibilia actu. Modo ſpecies intelligibiles non indiuiduantur per aliquod materiale, ſed quia recipiuntur in intellectu: hic autem immaterialis eſt, ergo etiã illæ erunt immateriales, atque adeò actu intelligibiles, quamuis ſingulares, ac indiuiduę.

Ad 3. dum obijciuntur conceptus eiuſdem rei, quę a Petro & Paulo ſimul cõcipitur; nempe, ſi ij eſſent numero multi, conuenirẽt verò in ſpecie, & in vno aliquo conceptu formali, rurſus hic perceptus a Petro, & Paulo, cum multiplicaretur numero, conueniret in alio conceptu formali ac ſpecifico, & res abiret in infinitum: Reſpondeo, ſi præfati conceptus, ac intellectiones capiantur in eſſe rei, profectò ſunt numero multi, & hoc pacto conueniunt in vna aliqua ſpecie. Si verò conſiderentur in eſſe repræſentatiuo, & qua formaliter ſunt conceptus ac intellectiones, minimè conueniunt in vna aliqua ratione formali, ac ſpecifica, ſed ipſæ ſunt ſiue ſpecies, ſiue genera, pro vt ſunt res ipſæ intellectæ, nec vlterius progredientur.

Ad 4. aliquid eſſe, ac dici ſingulare, gemino modo capitur. Vno quidem pro eo, quod ſuapte natura exiſtit vnum, a quouis alio circumſcriptum: *quia videlicet conſtat ex proprietatibus ſuis, quæ omnes in alio eędem nullo modo eſſe poſſunt:* inquit Porphyrius in cap. de ſpecie: ſic Metaphyſici definiunt ſingulare, ſeu indiuiduum, *eſſe indiuiſum a ſe, & diuiſum a quolibet alio.* Tum etiam eſſe id, *quod tãtum de vno ſingulorum prædicatur.* Qua ſignificatione, cunctæ etiam intelligentiæ ſunt ſingulares: quinimo Deus ipſe, quia eſt vnus in ſubſtantia. Alio modo ſingulare pro eo ſumitur, quod exiſtit in materia quanta, atque ita exiſtit, vt ab ea, & quod ſit hoc aliquid, & quod ſingulare, accipiat: ita eſt ſingularis forma equi: quin etiam viſus, auditus, & quiuis alius ſenſus. Nunc intellectus noſter eſt ſingularis priori modo, non poſteriori. Cum itaque Auerroes arguit, ſi intellectus eſſet multiplicatus, reciperet intelligibilia ſingulariter, negandum eſt: Hoc enim ſequeretur, ſi eſſet ſingularis ſecundo modo, ſi coarctatus, & immerſus in materia: nunc verò quamuis ſit ſingularis, eſt tamen a materia abiunctus, nec in ſua operatione vllo vtitur organo. Hinc etiam intellectus magna intercapedine differt a ſenſu. Et denique res, pro vt ſunt in intellectu, maximè differunt ab eo modo, ſecundum quem ſunt extra intellectum. In intellectu ſunt vniuerſales, in ſe ſingulares, ibi immateriales, hic materiales &c.

Ad 5. in rem cadit adagium, *ἡ αἶξ τὴν μάχαιραν:* ſic enim quintum illud argumentum in auctores retorquent viri docti. Multa animalia muta multa diſcunt ab homine: teſtantur hiſtoriarum monumenta, & frequens rerum vſus. Pſitacus, (vt innumera alia ſileam) vocem humanam excipit auribus, imaginatur, in memoria figit, ſolers perpendit, imitatur, loquitur, ſuum expedit χαῖρε. Num ergo dices eandem in aue phantaſiam, ac intellectum eſſe, atque in homine? Ad argumentum itaque dicimus, quod ſcientia præceptoris, & ſcientia diſcipuli de eadem re, (loquor quo ad ſpecies intelligibiles, & habitum, non quo ad rem ſcitam, quæ in vtroque eadem numero eſt) numero differt, vt etiam vtriuſq; intellectus. Cum verò opponitur, ergo ſcientia pręceptoris erit quędam forma materialis, quæ ſibi ſimile edit in ſpecie, ſicut forma ignis; negandum eſt. Scientia enim præceptoris, vt eſt id, quo ille artificioſè operatur, agit quidẽ in intellectu diſcipuli, in eoq; parit ſcientiam a ſe numero diuerſam: Veruntamen id efficit, non actione materiali, vt calor, dum edit alium, ſed quadam ſpirituali. Fit autem hoc pacto, Socrates v. g. iam ſcientia, rerumque cognitione imbutus, exprimit Platoni diſcipulo, media voce, id quod animo concepit: quia verò vo-

Digitized by Google

tes non modo ſunt ſigna, ac notæ affectuum animi Socratis, ſed etiam ſunt ſignificatiuæ obiectorum realium, quæ per illas exprimuntur, fit, vt Plato audiens præceptoris vocem, illicò effingat phantaſma rei, miniſterio vocis expreſſæ, tum ſpeciem intelligibilem, demum Socratis conceptum, & rem ipſam per illum expreſſam animo concipit, ſibiq; parit ſcientiam rei illius: perinde ac quiſpiam videns colorem, & quantitatem, poteſt hæc imaginari, ac demum intelligere, & horum cogitationem beneficio viſus acquirere.

Quod vt penitius habeas, ſcito ex Ariſt. 7. Metaphyſic. tex. 29. artium has quidem eſſe, in quarum materia nõ eſt aliquod principium actiuum, quod ſit ad effectum artis producendum; vt in arte ædificandi: non enim in lignis ac lapidibus eſt vis aliqua ad extruendam domum, ſed paſſiua tantummodo aptitudo. Has verò eſſe artes, in quarum materia eſt aliquod actiuum principium, mouens ad producendum effectum artis, vt in materia artis medendi: enimuerò in corpore ægro eſt, aliquod actiuum principium ad ſanitatem. Hinc eſt, quod effectus primi generis efficitur ſolum ab arte: effectus ſecundi generis, ab arte, & a natura, tum aliquando etiam ſine arte. In hoc poſteriori genere collocatur doctrina, & ſcientia. Qui enim docetur, habet in ſe principium actiuum ad ſcientiam, hoc eſt intellectum, & ea, quæ naturaliter intelliguntur, videlicet prima principia, ideòq; ſcientia gemino modo acquiritur, tum ſine doctrina, per inuentionem, tum ex doctrina, cum quiſpiam eruditur. Qui igitur docet, offert diſcipulo principia ab eo nota, cum omnis doctrina & omnis diſciplina fiat ex præexiſtẽti cognitione, eaq; in cõcluſiones deducit: tum ei proponit exempla ſenſibilia, ex quibus omnibus quia in anima diſcipuli eſt principium actiuum ad hæc ipſa, effinguntur phantaſmata neceſſaria ad intelligendum: & hoc pacto generatur in eo ſcientia.

Poſtremò, quæ in vltimo argumento congeſta ſunt, fateor, multũ habere virium ac difficultatum: nec ita ſtrictim hic expediri poſſẽt, niſi ſingillatim a nobis alijs in locis ſingula copioſiſſimè fuiſſent dilucidata. Iam enim in Diſput. 5. oſtendimus quomodo anima dũ eſt in hac vita mortali, agat cum phantaſmate: quomodo nexu corporis abſoluta, minimè degat otioſa, ſed tum intelligit, tum etiam vult, ac meminit. Quomodo non educatur de poteſtate materiæ, ſed eo temporis momento, quo corpus perfectè diſpoſitum inſtructumq; eſt, deforis adueniat, ſola quę diuina ſit, Diſput. 2. Quomodo extinctis corporibus alium acquirat eſſendi, & operandi modum, Diſput. 5. & 6. Et tandem quomodo Stagiritęis principijs non adeò repugnat, admitti aliquam multitudinem actu innumeram ac infinitam, in rebus quæ ſunt materię, & quantitatis expertes, cum Ariſt. vbiq; tollat infinitum ſolummodo quantum. Ac profectò cum finitum & infinitum, auctore Philoſopho lib. 1. de Phyſic. auſcul. tex. 15. ſint paſſiones quanti, prout quantum eſt, vbi non eſt quantitas, neq; finitum, neque infinitum erit: Nam hoc potiſſimùm argumẽto innixus Philoſophus ſuſtulit infinitum actu, quia infinitum eſt paſſio quanti: quãtum autem infinitum actu non datur, ſiue ſit continuum, ſiue diſcretum. Cum igitur animæ a corporibus ſeparatæ, ſint omninò immateriales, & cuiuſuis quantitatis expertes, non erunt dicenda infinitæ, quo pacto Stagirites negauit infinitum, ſed alio pacto, cum in ijs, nec materia, nec quantitas, nec vllus ordo eſſentialis ſit.

Quid uero? ingenioſè dixerunt aliqui, Philoſophum ſatis innuiſſe, extra vniuerſum eſſe quaſdam immateriales ſubſtãtias actu infinitas, quando lib. 1. de Cælo tex. 100. ita ſcribit *extra autem Cælum, quod neq; eſt, neque contingat eſſe corpus oſtenſum eſt: manifeſtum igitur eſt, quod neq; locus, neq; vacuum, neq; tempus eſt extrinſecus. Quapropter neq; τὰ ἐκεῖ, ea quæ illic ſunt, nata ſunt in loco eſſe, neq; tempus ipſa facit ſeneſcere, neq; vlla tranſmutatio vllius eorum eſt, quæ ſuper extima diſpoſita ſunt latione, ſed inalterabilia, & impaſſibilia, optimam habentia vitam, & per ſe ſufficientiſſimam, perſeuerant toto æuo* Quod ſi extra Cælum datur actu aliqua multitudo, quę corporis, & quãtitatis eſt expers, neq; vllo concluditur, & continetur loco, neq; vllis vrgetur tẽporũ ſpatijs, erit vtique, aiunt iſti, actu infinita: ſiquidem non eſt finita: quia quod eſt finitum, aut eſt huiuſmodi ratione termini quantitatis, aut ratione loci, aut denique ratione tẽporis: cum itaque dictæ multitudini extra vniuerſum degenti, nullum ex hiſce conueniat, vt hoc loco affirmat Stagirites, neq; ratio finiri ei conueniet, ſed ſtatuenda eſt infinita. Pulchra ſanè & elegans herminia, ſed num etiam Philoſophi textui harmonica? Vt vt eſt, id dixiſſe ſa-

tis, huiuſmodi infinitum actu, qualis fuiſſet animarum multitudo; etſi re ipſa non datur, tamen cum Ariſtotelis principijs non ita pugnare (quod faſſus etiã eſt S. Tho. lib. 2. cont. Gent. cap 8.. & in opuſcul cont. Auerr. ex Algazelis ſentẽtia) qui vt mundi, & motus ęternitatem comprobaret, *manibus, pedibuſq; obnixè omnia fecit, magis id adeò*: ex quo hoc falſi conſecutum eſſet, animas eſſe actu infinitas: ſed de hoc ſatis dictum eſt ſupra Diſput. 6. ſect. 9. Ex his, quæ hucuſq; diximus, clarè apparet, quomodo omnia Auerroiſtarũ argumenta ex Peripateticis principijs diſſoluantur.

Quamobrem faceſſant inanes Auerroiſtarum pollicitationes, & ampollæ proiectæ. Iactant illi admiſſa intellectus vnitate, omnes ſcrupulos, qui circa animorũ immortalitatem oriri ſolent, abſq; vllo Ariſtotelicorum principiorum incommodo eximi poſſe: Hoc ego nego; & cur negem, adduxi. Iactant, abſq; huius intellectus poſitione, in tuenda anima intellectiua immortali, cũcta peripatetica placita extorqueri, nec adhuc ſatis eam ab interitu vindicari: Hoc etiam nego; quando & Philoſophi auctoritatibus Diſput. 5. & ex eiuſdem fundamentis Diſput. 6. demonſtrauimus animorum immortalitatem. Sed dic ſodes, quæ vnquam animæ immortalitas ab Auerroiſtis defenſatur? An intellectus poſſibilis? At hic in eorum decretis nihil eſt animæ noſtræ, ſed vna aliqua intelligentia vſquequaq; æterna. An agentis? At ne hic eſt aliquid animæ noſtræ: & vterque eſt communis omnibus, & cunctorum hominum vnus. Porrò, quid refert animum, aut verius illum intellectum manere ſuperſtitem, qui nullius hominis proprius ac peculiaris ſit, ſed omnium hominum, quique fuerunt, quiq; futuri ſunt, idem & cõmunis? Quid mea intereſt, memet extincto, num hæc intelligentia, quæ aliquãdo mihi pro intellectu vel agente, vel poſſibili ſtetit, immortalis ſit? Quid magis hæc quàm illa, quæ mouet Lunam, aut Solem, ſi nihil mei quod pręmijs affici, nihil quod pęnis affligi, nihil quod poſſit aliã anteactę vitæ ſubire remaneat? hęccine animi immortalitas? Hem, tollit iuſtitiam, conuellit pietatem, labefactat religionem, omnia cunctarum virtutum fundamẽta euertit; atq; vt ſemel dicam æquè impia eſt hæc ſententia, atq; ea, quæ abſolutè, & apertè profitetur humanam animam mortalem. Abeant ergo iſti cum laruata hac animæ immortalitate: ſecus, vt equidem opinor, loquuntur, atq; ſentiunt. Quibus porrò lubens Platonis illud ex Theæteto obijcio, ἀτὰρ ὡς ἔοικεν ἐὰν ὅτι ἐστὶν; εὐριπίδειόν τι συμβήσεται, ἡ μὲν γλῶττα ἀνέλεγκτος ἡμῖν ἔσται, ἡ δὲ φρὴν οὐκ ἀνέλεγκτος, ideſt, *ſed vt videtur, ſi Euripideum quiddam nobis accidet, lingua quidẽ nobis erit irredarguta, mens autem non erit irredarguta*. Verùm de hac Diſputatione ſatis: venio nunc ad alteram animæ facultatem, ideſt intellectum agentem, ſit ergo.

Finis Diſputationis Octauæ.

DI-

DISPVTATIO NONA. DE INTELLECTV AGENTE.

INTRODVCTIO.

INTELLECTVS poſſibilis operari nequit ſine agente: ideò vt actio humanæ animæ habeatur, peracto illius argumēto, quod Diſputatione proximè antegreſſa præſtitimus, meritò ſuccedit huius tractatio. At verò quia nonnulli intellectum agentem omninò de medio ſuſtulerunt, alij poſuerunt quidem, ſed prauè, dum eum externum quiddam, atque ab anima ſecundum ſubſtantiam ſeiunctum ac ſeparatum conſtituerunt, ſiue Deum Opt. Max. ſiue aliquam intelligentiam, quæ nobis aſſideat tantum irradietque, operæprecium eſt, vt præſens Diſput. ſuis numeris abſoluta prodeat, tria hic a nobis præſtari. Agemus itaque primò cum ijs, qui hunc intellectum negarunt. Mox eorum placita æqua trutina perpendemus, qui hunc ipſum prauè ac temerè intruſerunt. Tandem, quid nos in hac quoque parte tam ex vero, quàm ex Ariſtotele ſentimus, pro virili parte declarabimus: ſit ergo.

SECTIO PRIMA.

Opinio, & argumenta eorum, qui intellectum agentem negarunt.

QVIDAM ſcriptores, vel aduerſo quodam ſydere nati, re uera & ex animo fere ſemper contra communia Doctorum decreta ſentiunt, vel ita ſentire diſſimulant, vt in Republ. literaria noui aliquid inueniſſe exiſtimentur, ita de intellectu agente obtigit. Quippe etſi diuinus præceptor Ariſt. in 3. de Anima tex. 17. 18. & 19. ex inſtituto probauerit intellectus agentis neceſſitatem, & communis Doctorū aſſenſio ſubſecuta ſit, nihilominus Iſaac Narbonenſis, & nonnulli alij, vt retulit Albert. Mag. in ſum. de homine, quæſt. de intellectu agente, & Dominicus Bannes ſuper primam part. S. Thom. quæſt. 79. art. 3. talem intellectum omninò negarunt, permoti his potiſſimùm rationibus.

Primò, hic intellectus agens ob id præcipuè ponitur, vt faciat intelligibilia actu. At res ipſæ a parte rei, & ſecundum ſe ſunt actu intelligibiles: nam iuxta commune Philoſophorū effatum, vnumquodq; vt ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci, quod deſumitur ex Ariſt. lib. 2. Metaphyſic. tex. 4. aiente, *vt ſecundum eſſe vnumquodque ſe habet, ita etiam ſecundum veritatem.* Res autem in ſemetipſis ſunt actu, ergo etiam in ſemetipſis ſunt actu intelligibiles; eòque nihil eſt opus intellectu agente, qui

qui eas amplius reddat intelligibiles.

Secundò, ſi intellectus agens faceret intelligibilia actu, & produceret in intellectu poſſibili ſpecies intelligibiles, iſtæ profectò deberent eſſe ſimiles ipſi intellectui agenti; cum, auctore Philoſopho lib. 2. de Anima tex. 32. commune ſit omnium agentium naturalium producere ſibi ſimile, *& facere aliud quale ipſum*. Atqui non ſunt ſimiles intellectui agenti, ſed eſſentijs, ac naturis rerum, & phantaſmatum: ſunt enim ſpecies intelligibiles imagines ac ſimulacra rerum intellectarum, ergo non fiunt ab intellectu agente, ſed potius a phantaſmatibus, quare &c.

Tertiò, ſi eſſet ponendus intellectus agens, cum eſſet intellectus, vtiq; intelligeret, & cognoſceret: ſecus enim perinde foret ac ſi dicas dari viſum ſine viſione, vel auditum ſine auditione. Iam verò ſi intelligeret, ſuperfluus eſſet intellectus poſſibilis: ergo non eſt ponendus. Hæc pro iſta ſententia.

Hue iuit poſtea Durandus, qui in 1. diſt. 3. quæſt. 5. multis, nec inualidis argumentis inſurgit contra intellectus agentis poſitionem, quę ſtrictim ita colligi poſſunt.

Ac primò quidem veluti leui quadam armatura ita excurrit. Si oporteret in nobis inducere intellectum agentem, maximè id foret, vel vt eſſet principiũ paſſiuum, ac receptiuum actus intelligendi, vel vt eſſet principium actiuum. Non propter prius, quia tale principium intellectionis eſt intellectus poſſibilis. Nec propter poſterius, quia cum intellectio, auctore Philoſopho 2. Metaphyſic. tex. 16. ſit actio immanens, nequit habere aliud quidem principium a quo prodeat, aliud verò in quo recipiatur, ſed vnus intellectus poſſibilis, tum eam producit, tum recipit: ideòq; quiuis alius intellectus erit ſuperuacaneus.

Secũdò, preſſius ita philoſophatur: cum potentiæ, vt auctor eſt Ariſt. lib. 2. de Anima tex. 33. innoteſcant per actus, nam operatio facit ſcire formam, ſi in nobis eſt neceſſarius huiuſmodi intellectus, profectò erit ob aliquã eius operationem, quæ ſit ad intelligendum neceſſaria. Illa verò operatio vel eſſet neceſſaria reſpectu phantaſmatum, vel reſpectu intellectus poſſibilis: quippe præter hæc nihil aliud vel excogitari poteſt. Atqui talis intellectus neq; in phantaſmata, neq; in intellectum poſſibilem vllam habet operationem, ergo ſuperuacaneè ponitur. Minorem probat quoad vtramq; partem.

Et primò, quod non agat in phantaſmata hoc pacto. Si intellectus agens ageret aliquid in phantaſmata, id porrò efficeret vel imprimendo ijs aliquid, vel ab ijs aliquid abſtrahendo. At nihil poteſt phantaſmatibus imprimere, quia omnis virtus, quæ recipitur in corpore, & nec ipſa, nec eadem ſecundum ſpeciem poteſt eſſe niſi in corpore, eſt merè corporea, quamuis ſit a cauſa ſpirituali creata, vel increata. Cuius effati ea eſt ratio, quia res iudicanda, eſt ſit ne corporea, nec ne, ex principijs internis, non verò ex agente extrinſeco, nempe æquiuoco; a quo æquè res corporea, atq; incorporea prodire poteſt. Modo quæcunque virtus fuiſſet ab intellectu agente in phãtaſmatibus, eſt in corpore, vt liquidò conſtat: nec ipſa, nec eadem ſecundum ſpeciem poteſt eſſe niſi in corpore, cum in corpore, & ſpiritu nulla ſit communis proprietas recipiendi aliquod vnum & vniuocum: ergo illa virtus, ſi qua eſſet, fuiſſet planè corporea, eòque eum phantaſma per huiuſmodi virtutem mouere intellectum poſſibilem minimè poſſet, quia fuiſſet corporea, ſuperuacaneè (ad hoc enim ab ijs ponitur) intruditur. Vnde liquet intellectum agentem, non poſſe agere in phantaſmata, aliquid ijs imprimendo.

Quod autem non agat in ea ipſa abſtrahendo, vel remouendo aliquid ab ijſdem, etiam probat. Nam illa abſtractio vel eſſet realis, vel rationis. Non realis, quia hæc vel eſſet ſeparatio alicuius actu pręexiſtentis in phantaſmatibus, ſicut abſtrahitur & ſeparatur accidẽs a ſubiecto, per corruptionẽ ſubiecti, aut lapis ab altero lapide. Et hoc non, quia ad præſentiam intellectus agentis, neq; corrũpitur quicquam in phantaſmate, neq; ita ſeparari poteſt vt vnum ſine alio transferatur in intellectum poſſibilem; cum forma, ſiue illa eſſet ſpecies intelligibilis, ſiue quæuis alia, non migret de ſubiecto in ſubiectum. Vel talis abſtractio eſſet eductio alicuius de potentia ad actum, ſicut forma dicitur educi de potentia ſubiecti: Et hoc etiam non, quia forma educta de potentia in actum, eſt in illo tanquam in ſubiecto, de cuius potentia educitur: ſi igitur intellectus agẽs educeret aliquam formam de potentia paſſiua phantaſmatum, illa educta inſideret vtique in ipſis phantaſmatibus ſicut in ſubiecto: & ſic agens hic intellectus ageret in phantaſmata ijs aliquid imprimendo (pręterquam quod illa forma cum eſſet in corpore, nempe phantaſ-

mate,

Digitized by Google

mate, eſſet materialis, & ſic non poſſet mouere intellectum poſſibilē) quod tamen ſuperius im probatum eſt. Quare talis abſtractio nequit eſſe realis.

Quod verò non ſit ſecundum rationē, etiam probat, quia quod eſt ſecundū rationē, id omne cognoſcitur Actio autem huius intellectus præſupponitur ad omnem cognitionem: quippe ponitur vt fiat cognitio, & intellectio; ergo eius actio circa phātaſmata non eſt abſtractio ſecundum opus rationis: nullo igitur modo agit in phantaſmata, nec aliquid imprimendo, nec aliquid abſtrahendo, neq; ſecundum rem, nec ſecundum rationem.

Quod ſi quiſquam reſpondeat, inquit Durand. præfatam diuiſionem haud eſſe ſufficientem, quia agens iſte intellectus agit in phantaſmata, non quidem imprimendo ijs aliquid, ab ijs ue remouendo, ſed ſolum ſua præſentia præbet illis virtutem mouendi intellectū poſſibilem; perinde ac lumen non imprimit quicquam coloribus, nec ab ijs aliquid abſtrahit, ſed tantū ſua præſentia elargitur vim, vt aſpectum moueant: ita dicendū de intellectu agente reſpectu phantaſmatum: maximè cum, *phantaſmata ſint veluti ſēſibilia, præterquam quod ſint ſine materia*, 3. de Anima tex. 39:

Inſtat Durand. Profectò id eſt mirabile, vt vnum aliquid det alteri virtutem operandi, & nihilominus in illud non influat, nec tollat impedimentum, ſed ſolum aſſiſtat. Hoc ſanè videtur inuoluere cōtradictionem, ſcilicet quod det virtutem nihil dando. Exemplum verò allatum de lumine procedit ex ignorantia, ſiquidem lumen non requiritur ad videndum, vt colori præbeat vim mouendi viſum, cum huiuſmodi vim color ex ſe ipſe obtineat, ſed propter medium, & organum, quę actionem coloris ſuſcipere nequeunt, niſi ſint illuminata. Ex quibus omnibus apparet, quomodo minimè oporteat inducere intellectum agentem ob aliquam eius operationem circa phantaſmata.

Quod autem nec poni debeat propter aliquam eius actionem erga intellectum poſſibilem, quæ erat altera pars principalis arg. itidem probat. Nā eiuſmodi actio gemino modo intelligi poteſt: Vno quidem, ita vt ſolus hic intellectus agat in poſſibilem; phantaſma autem nec agat quicquam, nec ſimul cum intellectu agente coagat, ſed habeat ſe tātummodo obiectiuè. Altero, ita vt tam intellectus agens, quàm phantaſma agant ſimul in ipſum poſſibilem, quaſi duo agentia imperfecta, quæ vicem vnius perfecti agentis ſuppleant: ſimiliter atque duo homines trahunt nauim, quorum neuter per ſe ſufficeret. Atqui neutrum dici poteſt. Non prius, quia ſenſus apprehendit obiectum ſibi propoſitum abſq; vllius alterius adminiculo, quod eum moueat ad ſentiēdum: ergo pari, vel maiori etiam cum ratione, intellectus poſſibilis poterit apprehendere obiectum ſibi propoſitum, abſque eo quod præter obiectum illi repræſentatum, intrudatur alius intellectus, qui illum ipſum moueat ad intelligendum. Quod ſi quis dicat, phantaſma haud ſufficienter repræſentare obiectum intellectui poſſibili, niſi per actionem intellectus agentis circa ipſum: Hoc nihil eſt, & ſuperius iam reprobatum: nec id in præſentia quæritur, ſed inueſtigatur operatio intellectus agentis in ipſum poſſibilem, an ſit neceſſaria ad actum intelligendi, ſuppoſita præſentia obiecti: & oſtenſum eſt non requiri, ſicut ad ſentiendum non requiritur aliud agens, ſed tantum præſentia obiecti.

Præterea, idem manens idem, & reſpectu eiuſdem, ſemper natum eſt facere idem; maximè ſi agat ex neceſſitate naturæ, vt auctor eſt Philoſoph. lib. 2. de generat. & corrupt. tex. 66. Atqui intellectus agens manet ſemper idem ſecundum ſe, & in habitudine ad poſſibilem, quantumuis varietur phantaſma: tum agit ex neceſſitate naturæ, ergo ſi hic eſſet in anima, ab initio ortus noſtri ſemper facit idem in intellectu poſſibili, licet phantaſmata, quæ illi obijciuntur, diuerſas ſubeant vices: atque adeò per vnicam intellectus agētis actionem, intellectus poſſibilis intellexit, intelligitque omnia ſibi repręſentata, quod tamen non eſt dicendum. Ex quibus liquidò conſtat, haud eſſe poſſibile, vt agens iſte intellectus agat in ipſum poſſibilem, phantaſmate nihil agente.

Quod deniq; non agat in intellectum poſſibilem vnà cum phantaſmate, veluti vnū perfectum agens, probat; quia intellectus agens eſſet immaterialis; phantaſma verò materiale: non rectè autem intelligitur, quonam pacto ex hiſce duobus conflari poſſit vnum principium ad producendas ſpecies intelligibiles. Quare ſententiam ſuam præfatus auctor his omninò concludit. *Patet ergo ex præcedentibus, quod ſicut non ponitur ſenſus agens, qui cum obiecto cauſet actum ſentiendi, ſic non oportet ponere intel-*

intellectum agentem ad hoc vt cum phantaſmate moueat intellectum poſſibilem ad actum intelligendi. Cum ergo intellectus agens non agat in phantaſmata aliquid imprimendo, vel aliquid abſtrahendo, neq; ſecundum rem, neq; ſecundum rationem: nec agat in intellectum poſſibilem, nec ſine phantaſmate, nec cum phantaſmate, vt deductam eſt, videtur quod non debeamus ipſum ponere.

Cæterùm ratio a ſenſu agente tracta, preſſius ad hunc modum formatur. Ita ſe habet intellectus ad intelligibilia, & ipſam intellectionem, ſicuti ſenſus ad ſenſibilia, & ſenſationem; auctore Philoſopho 3. de Anima tex. 2. quo loci habemus, *ipſum intelligere eſſe ſicuti ſentire, aut pati aliquid.* Quod etiam ex eo apparet, quia intellectus poſſibilis ita eſt potentia paſſiua, ſicuti potentiæ ſenſitiuæ: quod præter Ariſt. oſtendit S. Thomas, cum ſæpe alibi, tum maximè in prima parte quæſt. 79. art. 3. At non eſt in nobis collocãdus ſenſus aliquis agens, qui faciat ſenſibilia actu, reducatq; potentias ad ſenſationes, ſed ipſa ſenſuum obiecta ex ſemetipſis immittunt ſui ſimulacra in medium, & in organum ſui ſenſus: pari igitur ratione obiecta intelligibilia à phantaſmatibus repræſentata, poterunt producere ſui ſpeciem in intellectu poſſibili, fierique intelligibilia actu, citra vllum miniſterium intellectus agentis: quare hic ſuperfluè induceretur.

Poſt Durand. Iulius Cæſar Scaliger Exercitat. 307. in Cardan. cap. 18. multa congerit, vt probet, *quod iſte agens intellectus*, hæc eſt eius cõcluſio, *uel ſuperfluus, uel ſolus ſine alio materiali, vel etiã fortaſsè ridiculus ſit.* Quæ contra fusè diſputarũt alij: nobis ſecus videtur: nec virũ philoſophũ de cuiuſuis dicterijs ſolicitũ eſſe debere exiſtimamus. Tamẽ duo validiora eius arg. ſubijcio; & ea eius ipſius verbis; primũ ſic effert. *Intellectus materialis ipſe recepta phaſmata per diſcurſum nudare poteſt: ſicut iſtorũ cogitatiua ex ijſdem deducere ſingularem concluſionem. Dicit enim: Cæſar non eſt Cato. Receptio ſpeciei Cæſaris, eſt eius apprehenſio, & paſſio. Patitur enim tunc: non agit. At cum dicit: Cæſar non eſt Cato: quia Cæſar hic, Cato ibi: tunc agit, non patitur. Sic nobilior animæ pars intellectus ipſe, vbi accepit phaſma: conſiderat ipſum eſſe hic, & nunc. Tum promouet ſe ac intelligit: Cæſarem, qui nunc hic eſt, aliquando fuiſſe, ac futurum alibi: Hæc ergò ab eo tolli poſſe: quia & mutari. Aufert igitur: Quæ ex ablatione pura remanet natura hominis: quæ nullis præſcriptionibus accidentalibus coarctari poteſt. Itaque agnoſcit eodem modo in Catone. Quare cognoſcit ipſam eſſe communem vtriq; nec mutari poſſe. Hunc ad modum ſpecies illa facit intellectionem ſui, ideſt impreſſionem, atq; inhæſionem.*

Deinde paucis interiectis annectit. *Nam ſi accipit, vt aiunt,* ideſt intellectus agens, *phantaſma, intelligit ipſum. Et cognoſcit eſſe ſingulare, a quo detrahat ſingularitatem. Quæro: intelligat ne illud vniuerſale, an non. Si non intelligit; bruta res eſt, ſicuti piſtrini mola, quæ quid ſit farina, neſcit. Si intelligit; duo ſequuntur, quæ tamen recidunt in vnum. Alterum, quòd non eſt neceſſarius intellectus materialis: intelliget enim per illum ſatis homo. Alterum, quòd ſi faciat vniuerſale, & intelligit vniuerſale: idem facit, & recipit. Non igitur eſt opus intellectu materiali, qui recipiat. Aut non fuit opus intellectu agente, qui faceret. Eodem enim modo poterit, & materialis.* Poſt hæc pergit oſtendere hunc ipſum intellectum eſſe ridiculum, quia de eo varia ſenſerunt varij. Verùm dum hic auctor τὰ ἀκίνητα ταῦτα κινεῖ, videat ne, vt eius vtar verbis, *vel moderatiſſimo ſapientiæ ſtudioſo excutiat riſum.* Ego hic non amplius moror.

Poſtremò, non ſunt hic reticendæ rationes Franciſci Toleti contra intellectus agentis poſitionem, qui ſuper 3. lib. de Anima quæſt. 13. etſi non vna concluſione ſanxerat dari oportere in nobis intellectum agentem, nihilominus in concluſ. 9. probabilem exiſtimat ſententiam Durandi, & eorum, qui negant intellectum agentem, aut ſaltem ſola ponunt ratione diſtinctum: pro qua ita ſubnectit. *Neque enim duos habemus intellectus, vt videtur, ſed vnum: ſicut nec duas voluntates, nec duas memorias, nec duos appetitus, nec duas imaginationes, ſed vnã; &c. Et ſecundò, quia ille vnus ſati ſeſe videtur ad producendum lumen, & poſtea eliciendũ ſpecies, & producendum in ſe notitiam. Nihil enim vetat in ſe ipſam agere actione perfectiua. Et tertiò, quia nulla eſt ratio contra hoc conuincens: tamen, quia nec in contrarium rationes habentur conuincentes, ſequimur communem ſententiam.* Hæc ille, nec ego plura: ſit ergo.

Se-

SECTIO SECVNDA.

Allata, & explicata eorum opinio, qui intellectum agentem exiſtimarunt eſſe Deum Opt. Max. tum illorum argumenta.

QVicunque in Peripato philoſophati ſunt, didicerunt ex Ariſt. conſtitui oportere in anima noſtra intellectum agentem: quem incomparabilis ille vir in 3. de Anima tex. 17. 18. & 19. de induſtria probat, aperitque: ſed porrò quãta maxima fieri poteſt breuitate, & acumine: quod in cauſa fuit, vt plerique interpretum, eius verba ad contrarias, diſtortas, ac pene dixerim inopinabiles extorſerint opiniones: de quibus nunc dicere aggredimur. Primò itaq; Alexander Aphrodiſæus lib. 1. de Anima cap. 27. quod eſt, *de intellectu agente*, & lib. 2. cap. 18. 22. & 23. opinatur, intellectum agentem, de quo Philoſoph. ſermonem habet, non eſſe quicquam animæ noſtræ, ſed aliquid extrinſecus aduentiens, ab eaq; ſecundum ſubſtantiam ſeparatum, & omninò nil aliud eſſe, quàm primam rerum omnium cauſam, & Deũ. Atq; vt loquitur, in cap. illo 27. *Si eiuſmodi intellectus prima cauſa eſt, quæ cæterarum rerum eſſentiæ cauſa, & principium eſt, profectò eſſe poterit eatenus intellectus agens, quatenus cæteris rebus intellectis cauſa eſt vt ſint &c.* Et paullo poſt: *Porrò intellectus quoque impaſſibilis eſt: cum autem ſit impaſſibilis, & nulli materiæ commixtus, incorruptibilis eſt actu ens, & forma citra potentiam, atq; materiam. Talem autem eſſe primam cauſam, ab Ariſt. commonſtratum eſt*, quod etiam ſæpe alibi reculcat. Quam deinde aſſertionem in Peripato amplexati, ac tutati ſunt non extremæ notę philiſophi, Pomponatius, Madius, Caſtellanus, Zabarella, & alij huius claſſis: nec deſunt hodie, qui illorum analecta colligunt.

Sternunt itaq; iſti, intellectum agentem debere conſtitui aliquam ſubſtantiam omninò a materia abſtractam. Tum aiunt, eam nullam eſſe aliam, quàm primã, & Deum ipſum. Cuius rei hanc ſubnectunt rationem, quia reliquę intelligentiæ ſunt particulares quædam virtutes, proprijs orbibus applicatæ, vt illos moueant, cieantque: nec vim ac virtutem habent vniuerſalem, quæ ad rerum omnium regimen extendatur, vt omnibus etiam hominibus ſtare poſſit pro intellectu agente. Prima autem cauſa non modo primum orbem mouet, ſed totum ſimul cæleſtem globum, immò & mundum vniuerſum: & eſt prima omnium rerum cauſa, omnia gubernans, omnia perficiens, omnia conſeruans, virtute ſua diffuſa per omnia. Hæc ergo prout eſt illuminans quoddam & illuſtrans, ac per ſuam aſſiſtentiam facit, quæ ſunt intelligibilia potentia, eſſe intelligibilia actu, educitq; intellectum poſſibilem ad actum intelligendi, dicitur intellectus agens, & noſter.

Quod ſi quiſquam ab ijs quærat, cum Deus Opt. Max. omnibus rebus, & quæ vita carent, & quæ illa prædita ſunt, aſſiſtat, virtute ſua diffuſus per omnia, cur non omnibus dat intellectum agentem, nec omnia facit intelligere, ſed ſolum hominem?

Reſpõdent, quia ſolus humanus intellectus poſſibilis, eſt aptus natus recipere lumẽ intellectus diuini, ac fieri intelligens: Cæteræ verò res haudquaquam: quia omne agens agit in ſubiecto apto, & idoneo ad agentis effectum recipiendum. Videmus quippe ignem, aut Solis calorem indurare lutum, ceram verò diſſoluere: Et Solis radium, æquè vitrum, ac lapidem: æquè vas aureum, ac luteum ferire: vbi tamen diuerſos ac varios vides effectus. Sic igitur quamuis Deus rebus omnibus aſſiſtat, cunctaſq; pro illarum capacitate foueat, quia tamen non omnes ſunt aptæ, & idoneæ ad illius lumen excipiendum, ſed ſolus humanus intellectus poſſibilis, qui ob ſui præſtantiam *eſt quaſi*, vt Alexand. loquitur, *inſtrumentum diuini intellectus ad intellectionem in homine producendam*, hic inquam ſolus verè illuſtratur, fitq; intelligens. Immò verò ne hic quidem a principio ſui ortus: quamuis illi etiamtum Deus aſtet; ſed tunc ſolum, cum obfirmatus fuerit, & adoleuerit. Quam quidem rem audi, vt adnititur explicare, vel potius implicare Aphrodiſæus lib. 2. de Anima cap. 22. *Vnà cũ prima ſeminis emiſſione eſt intellectus in actu, qui per omnia penetrauit, & actu exiſtit: veluti in alio quodam corpore quorumlibet. Poſtquam verò etiam per noſtram poteſtatem agit, tunc & noſter intellectus nuncupatur, & nos intelligimus.* Deinde pergit exẽplo artificis declarare, quomodo hæc eadem diuina mens, ſiue agens ille intel-

tellectus, quamuis a prima noſtri conceptione nobis aſtiterit, non tamen faciat nos tunc intelligere. *Quemadmodum*, inquit, *ſi quis cogitatione complecteretur artificem, qui nunc ſine ferramentis ageret ex arte, nunc cum ferramentis, cum etiam actus iuxta artem circa materiam in ipſo eſt. Eadem quoque ratione diuina mens, ſemper quidem agit, quamobrem & eſt actu: & per organum etiã, vbi ex collatione corporum, ac temperatura factum fuerit inſtrumentum eiuſmodi. Tunc enim materialem quendam actum agit*: Quod repetit in cap. ſequenti inquiens, *atque is noſter intellectus eſt, & ſecernitur ſanè, quemadmodum etiam concipitur. Neque enim aliò migrat: ſed quoniam vbiq; eſt, manet in corpore, quod ex ſecretione diſſolutum eſt, corrupto, atque abolito organo. Velut artifex amiſſis ferramentis, agit quidem etiam tunc, non tamen materialē, atq; organicum actum*. Hęc Alexand. neq; ego de eo hic plura.

Scio aliquos credidiſſe, Platonis etiam fuiſſe dogma, quod intellectus noſter agens ſit Deus, propterea quod in calce lib. 6. de Republ. dicat, animos noſtros cælitus irradiari ab Idea Boni, quam etiam cum Sole comparat: ita vt quemadmodum ſe habet Sol reſpectu viſibilium, ſic Idea Boni reſpectu intelligibilium. Vnde S. Thom. in prima part. quæſt. 79. art. 4. hæc omninò ſcribit, *Ariſt. comparauit intellectum agentem lumini, quod eſt aliquid receptum in aere: Plato verò intellectum ſeparatum imprimentem in animas noſtras, comparauit Soli, vt Themiſtius dicit*. Verùm de hac re inferius redibit ſermo: nunc Alexandræorum argumenta lubeat audire, qui duplici præſidio, auctoritatum, & rationum munitì procedunt.

Et primò quidem, nam Philoſophus lib. 3. de Anima tex. 19. de agēto hoc intellectu hæc habet. *Et hic intellectus ſeparabilis eſt, & immixtus, & impaſſibilis*. Hoc verò de aliqua potentia animæ, nulla vnquam ratione poteſt affirmari: nam animæ potentiæ, cum ſint in corpore, nec ſeparabiles ſunt, nec immixtæ: ergo neceſſariò intelligitur de aliquo externo, & a nobis ſeiuncto. Hoc autem nihil eſt aliud, quàm Deus.

Secundò, ibidem Philoſoph. ait, *quod hic intellectus* (nimirum agens) *eſt ſubſtantia actu ens*: vel vt alia lectio habet, *eſt ſubſtantia actu exiſtens*. Quid verò eſſe poteſt ſubſtantia actu ens, vel ſua met ſubſtantia actio, præter Deum? de quo ſic Ariſtoteles lib. 12. Metaph. tex. 39. *Si quidem intellectus diuini operatio vita eſt: ille verò eſt actus: actus verò per ſe illius, vita optima, & perpetua eſt*: Ergo intellectus agens, de quo Philoſoph. loquitur, ſi eſt actu ens, ſi ſuamet ſubſtantia, ſi eius actio eſt eiuſdem ſubſtantia, non poterit profectò niſi Deus eſſe.

Tertiò, nam ibidem tex. 18. ait, intellectum agentem omnia facere: inquit enim: *Et eſt quidam intellectus, qui omnia fit*, nimirum poſſibilis, *quidam verò qui omnia facit*. At quid aliud prætet Deum omnia poteſt facere? Hic enim eſt a quo, *veluti a principio tum Cælum, tum natura dependet*, vt dicitur 12. Metaphyſic. tex. 38. Et a quo *rebus communicatum eſt eſſe, his quidem clarius, his verò obſcurius*: ergo hic ſtat nobis pro intellectu agente.

Quartò, item tex. 20. ait, *qui verò ſecundum potentiam tempore prior in vno eſt: omninò autem nec tẽpore: ſed non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit*: Id verò de intellectu, qui eſt animæ potentia, nec vnquam dici, nec cogitari poteſt. Is enim, vt cuilibet liquet, quandoq; intelligit, quandoq; non intelligit: non enim ſemper intelligimus. Quare intellectus, de quo Philoſophus ſermonem habet, eſt Deus, qui ſolus & actus puriſſimus eſt, & ſemper intelligit.

Quintò, eodē textu de intellectu agente dicitur, *ſeparatus autem eſt ſolum hoc quod verè eſt*. Vel vt alia lectio habet, *ſeparatus autem eſt ſolū hoc, quod quidem eſt*. Ex quo in triplex ratio deſumitur. Primò, ſi ſolus intellectus agens eſt ſeparatus, ergo nō eſt aliquid animæ, quia tunc non eſſet ſeparatus, quin imo nec ſeparari poſſet, quin & anima, in qua vt in ſubiecto inheret, ſecerneretur: quod tamen Ariſt. non dicit ſeparari: malè enim dixiſſet *ſolū hoc*, nimirum intellectum agentem ſeparari, ſi etiā anima ſeparari poſſet. Deinde, hic intellectus a Stagirite dicitur *iam ſeparatus*: potentiæ verò animæ non ſunt iam ſeparatæ. Poſtremò, quia hic idem intellectus dicitur eſſe, *id quod quidem eſt*: ſeu (*id quod verè eſt*) hoc eſt, inquit Zabarella lib. de mente humana cap. 2. *eſſe actum purum, & ipſammet entitatem*. Quod profectò nulli, præterquam Deo competit.

Sextò. Et hoc toties inculcatur, nam text. 18. dicitur, *& eſt quidam talis intellectus, qui omnia fit, quidam verò qui omnia facit: vt habitus quidam, qualis eſt lumen*. Vides, aiunt, habitus eſtne pars animæ, aut illius potentia? haudquaquam,

quam, ſed forinſecus aduenit, & acquiritur noſtris actibus: Sic intellectus agens eſt ipſe Deus ſeiũctus à nobis, atq; extrinſecus, quem tamen ſpeculando, & contemplando acquirimus.

Septimò, vides repetunt, quomodo omnia cohærent? Et hoc eſt, quod lib. 2. de gen. animal. cap. 3. dicebat Philoſophus, *reſtat igitur, vt mens ſola extrinſecus accedat, eaq́; ſola diuina ſit; nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis*. Quæ quidem verba ad Alexandri mentem, ſolum de intellectu agente intelliguntur. Et hoc eſt, quod in Ethicis dicitur, *Sapientem viſitari à Deo, tanquam amicum, ab amico*. Et hoc deniq; (ſi Deo placet) eſt, quod in Sacris litteris habetur, quod, *Deus eſt lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ*; ergo &c.

Octauo, hoc ipſum confirmatur alio exemplo Ariſt. de lumine. Lumen quippe eſſentialiter diſtinguitur à colore, cui coniungitur, & à viſu in quem agit. Atqui phantaſmata ſe habent vt colores, intellectus verò poſſibilis vt viſus, agens vt lumen, ergo intellectus agens diſtinguetur eſſentialiter ab vtroq; tam phantaſmate, quàm poſſibili intellectu: atque adeò erit quid omninò extrinſecum ab ipſa anima. Quid verò? nonnè Philoſophus tandẽ tex. 20. concludit, intellectum paſſiuum eſſe mortalem ac diſſolubilem: agentem verò ſolum immortalem, ac perpetuum? Quicunq; igitur intellectum agentem aliquid extrinſecum ab anima eſſe negant, ij profectò apertè ſentiũt contra Philoſophum.

Hoc ipſum rationibus comprobatur. Prima ratio, pro qua ſupponitur ex Ariſt. 3. de Anima; præcipuum munus, & officium intellectus agentis, eſſe, vt reddat intelligibilia actu, quæ ſunt talia in potentia: Quo quidem fundamento iacto, ſic pertexunt arg. In quocumq; genere reperitur aliquod per ſe, & prius tale, & alia ſecundariò talia, hæc neceſſariò fiunt talia ab illo primo quod eſt per ſe, ac prius tale. Quod quidem effatum, conſpicuis innititur fundamẽtis, nempe, *quod eſt per accidens tale, eſſe ab eo, quod eſt per ſe tale*. Et, *primũ in vnoquoq; genere eſſe cauſam cæterorũ*: Tum patet inductione. Nã quicquid eſt per accidens, & ſecundariò calidum, videmus eſſe ab igne, qui primò, ac per ſe eſt calidus. Atq; vt probatione, & exemplis ab Alexandro lib. 1. de Anima cap. 27. ad hoc ipſum adductis vtamur, *id quod maximè viſibile eſt (tale autem eſt lux) cæteris viſibilibus rebus in cauſa eſt, vt viſibilia ſint. Verùm, & id quoque, quod maximè, ac præcipuè bonum habetur, cæteris quæ bona ſunt, cauſa eſt vt bona cenſeãtur. Cætera enim quæcumq; bona ſunt facta ad id, quod maximè ac præcipuè bonum eſt, cõtributione penſitantur*. Ex quibus omnibus liquidò cõſtat, in rebus omnibus, id quod propriè, pręcipuèq; & per ſe aliquid eſt, cęteris eſſe cauſam, vti eiuſmodi ſint. Cum igitur res poteſtate intelligibiles debeant ab intellectu agẽte reddi actu intelligibiles, non poteſt intellectus agens eſſe aliud, quàm illud ſolum, quod primũ intelligibile, & maximè omnium intelligibile eſt. Ab hoc enim, & a nullo alio, poſſunt alia reddi intelligibilia. At maximè omnium intelligibilis Deus eſt, & eſt primum in genere intelligibilium, ergo nihil aliud ſtatui poteſt intellectus agens, niſi ſolus Deus. Hoc eſt argumentum Alexandri, quod poſtea omnes eius aſſeclæ fecerunt maximi.

Secunda ratio. Quò facultas aliqua eſt pręſtantior, eò magis indiget puriori medio, & externo lumine pręſtantiori, vt ſuam edat operationem: id quod clarè diſpicimus in viſu, qui quoniam longè excellentior eſt, quàm reliqui ſenſus, vt exerceat ſuam operationem, eget puriori medio, & pręſtantiſſimo lumine Solis: cuiuſmodi medijs non opus habent reliqui ſenſus, quia minus perfecti. Atqui intellectus poſſibilis eſt facultas omnium ſublunarium præſtãtiſſima, & vt Stagiriites lib. 1. de Anima tex. 66. loquitur *eſt diuinius quid*, ergo ad ſuam operationem eliciendam, opus habet lumine præſtantiſſimo. Et quia intellectus agẽs, teſte Philoſopho 3. de Anima tex. 18. *eſt quale lumen*, nobiliſſimum autem lumen eſt ipſe Deus, ſequitur, Deum, & non aliud eſſe intellectum agentem.

Tertia ratio. Fælicitas hominum eſt ipſe Deus Opt. Max. ſiue nexus, & coniunctio cum illo. Sed nexus, & copulatio intellectus poſſibilis cum agente, eſt fælicitas hominis, quia in illa copulatione fit cõtemplatio, in qua collocata eſt hominis in hac vita beatitas, quod docuit Ariſt. lib. 10. Ethic. cap. 7. vbi hęc omninò legimus, *fælicitas hominis eſt eius, quod in nobis optimum eſt, operatio ſecundum propriam virtutem, quam eſſe contemplatiuam dictum eſt*. Ergo intellectus agens, in cuius nexu, & coniunctione ſita eſt contemplatio, & fælicitas hominis, neceſſariò conſtituendus eſt ipſe Deus.

Poſtremò, Iacob. Zabarella lib. de mẽte humana cap. 14. huc cõtruſit S. Thom. quaſi iſtã ſententiam minimè auerſantem, propterea quod in prima part. q. 79. art. 4. & quæſt. de ſpiritualibus creaturis art. 10. & quęſt. de Anima art. 5. cum illorum ſententiam conſiderandam ſumpſiſſet, qui intellectum agentem dixerunt eſſe ſubſtantiam aliquam ſeparatam, eam diuiſit: Deinde, vtramq; ſeparatim impugnat. Inquit verò aliquos dixiſſe intellectum agentẽ eſſe quandam ſubſtantiam a materia ſeparatam, inferiorem Deo: alios verò exiſtimaſſe, Deũ ipſum eſſe intellectum agentem. Tum; priorem ſententiam aſſerit multipliciter Catholicæ fidei repugnare: potiſſimùm verò quia cum perfectio cuiuſcunq; rei in nobiliſſima eius operatione conſiſtat; nobiliſſima autem noſtra operatio ſit coniunctio animæ noſtræ cum illo, a quo lumen recipit, eſſet perfectio noſtra conſtituta in cõiunctione cum alio præter Deum, quod abſurdum, atque impium eſt. Alteram verò ſententiam, quod Deus ſit intellectus agens, non ait eſſe Catholicæ veritati repugnantem, quinimo aſſerit, eam fuiſſe ſententiam quorumdam catholicorum. Portò catholicos non nominaret, ſi impiam, & Catholicę fidei aduerſantem eorum opinionẽ arbitraretur. Verba D. Thomæ ex quæſt. de Anima art. 5. ſunt, *quia fides Catholica Deum, & non aliquam aliam ſubſtantiam ſeparatam in natura, & in animabus noſtris operantem ponit, ideò quidam Catholici poſuerunt, quod intellectus agens ſit ipſe Deus, qui eſt lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Quid? hanc ſentẽtiam videtur approbare, dum maximè in art. illo 4. primæ partis ait, *neceſſe eſſe ſupra animam intellectiuam ponere aliquem ſuperiorem intellectum, a quo anima virtutem intelligendi obtineat*: & ad hoc probandum ſubiungit argumẽtum Alexandri, *ſemper enim quod participat aliquid, & quod eſt mobile, & quod eſt imperfectum, praexigit ante ſe aliquid, quod eſt per eſſentiam ſuam tale, & quod eſt immobile, & perfectum. Anima autem humana, intellectiua dicitur per participationem intellectualis virtutis &c.* Et paucis interiectis penè eam concedit dum ait: *ſed dato, quod ſit aliquis talis intellectus* (nempe Deus) *agens ſeparatus, nihilominus &c.*

Hæc ſunt, quod ſciam, potiſſima Alexandræorum argumenta: nam reliqua, quæ nonnulli vano labore conglomerant, & ſæpe reculcant, vt ſua fortaſſe opera extumuiſſe, & ingranduiſſe videant, nullius momenti ſunt: quibus referendis, & confutandis parco. Præterquam quod ex confutatione argumentorum, quæ nos adduximus, illa etiam, ſi vlla in ijs vis, nullo negotio depelluntur. Verum eſt, quod illorum rationes, qui intellectum agentem, vnam aliquam intelligentiam conſtituerunt quamuis inferiorem Deo, non minimum adiumenti ſuppeditant præfatæ Alexand. opinioni. Quare horum quoque placita, nunc audienda ſunt: ſit ergo.

SECTIO TERTIA.

Diuerſa placita eorum, qui intellectum agentem conſtituerunt vnam aliquam intelligentiam, ipſo Deo inferiorem: tum potiſſima eorum argumenta.

POſt Alexandrum Aphrod. Marinus clari nominis Philoſophus, Procli Diadochi auditor, eiuſque in Athenienſi gymnaſio ſucceſſor, propriam de intellectu agente inuexit opinionem. Nam, vt legimus apud Philoponum ſuper 3. de Anima tex. 18. aſſeuerabat, intellectum agentem, vtique non eſſe aliquid animæ noſtræ, ſed tamen nec primam rerum omnium cauſam, & Deum: ſed eſſe quendam δαίμονος intellectum: nimirum vnam aliquam ſubſtantiam, ac mentem abſtractam, Deo ipſo inferiorem, quæ perinde ſit media inter Deum, & humanã animam, ſicut lumen, cui Stagirites comparauit intellectum agentem, eſt medium inter id quod illuminat, & quod illuminatur. Verumenimuero Deus Opt. Max. eſt Solis illuminantis inſtar, anima noſtra eſt illuminata, illuminatur media hac intelligentia, quæ vna eſt omnium hominum intellectus agens.

In quod quidẽ dogma pręcipites deinceps iuere plerique Arabum, quamuis mentem illam ac ſubſtantiam abſtractã, non omnes vno modo poſuerint. Primus quidẽ prodit Algazel, qui lib. 2. tract. 5. cap. 2. agens ex inſtituto de intellectu agente, eum facit intelligentiam orbis Lunæ motricem; quam vocat vltimam

de-

decem intelligentiarum: ab eaq; fieri ait intelligibilia actu, educiq; intellectum poſſibilem de potentia ad actum: quæ porrò ſunt munia intellectus agentis. Addit, legem etiam manifeſtè docere, in hominibus, & prophetis cognitiones non fieri, niſi mediantibus intelligentijs.

Auicennas cum ſæpe alibi, tum verò 9. Metaphyſic. cap. 4. conſentit quidem Algazeli, quod intellectus agens ſit quędam ſubſtantia ab omni materiali cõcretione abiuncta: at negat eſſe an Lunę, an alterius ętherei orbis motricem: ſed pugnaciter aſſeuerat, eſſe vnam aliquam ſublunarem intelligentiam, præter cæleſtium globorum motrices, quæ toti elementari mundo aſſiſtat. Ea in omnibus ſublunaribus producat formas, tum ſubſtantiales, tum intentionales, atq; intelligibiles; (ideò arabico idiomate Colchodea nempe formarum datrix, appellatur) illas producat in materia prima, aptè ab agentibus particularibus ad hanc, vel illam formam ſubſtantialem, diſpoſita: has, in intellectu noſtro poſſibili. Pro vt ergo facit formas intelligibiles, extrahitq; intellectum Alheiulani, hoc eſt poſſibilem, de potentia ad actum, per ſuam irradiationem factam ſuper ipſum, eſt intellectus agens.

Poſtremò, Auennaſar, & Auerroes conſentiunt adhuc intellectum agentẽ eſſe ſubſtantiam aliquam abſtractam: at perfractè negant eam eſſe vel Lunæ, vel vllius cæleſtis globi motricem, vt putabat Algazel: neq; toti ſubcæleſti mundo aſſiſtentem, vt Auicennas: ſed eam aſſiſtere tantum vni, ſoli, & vniuerſæ ſpeciei humanæ, coniungique & continuari cum vna, & ſola anima rationali, ſiue cum intellectu poſſibili mediantibus phantaſmatibus. Quamobrem Auerroes, quemadmodum poſuit vnã intelligentiam, quę cunctis hominibus pro intellectu poſſibili ſtaret, vt Diſput. proximè præcedenti vidimus, ita in omnibus hominibus ſtatuit pro intellectu agente vnam aliam intelligentiam, diſtinctam eſſentialiter ab ea, quę eſt intellectus poſſibilis. Ita legimus apud eum tum in alijs operibus, tum maximè in 3. de Anima com. 4. 5. 18. & 20. vbi hos duos intellectus ſæpenumero vocat duas ſubſtantias æternas: Audi eum in com. 5. *opinandum igitur*, inquit, *eſt, quod in anima ſunt tres partes intellectus: Quarum vna eſt intellectus recipiens: Secunda autem eſt efficiens: Tertia factum: & duæ iſtarum trium ſunt æterna, ſcilicet agens, & recipiens.* Quod ſi Auerroes quandoque dicere videatur, vnum eſſe in homine intellectum, conſideranda ſunt eius verba: nam vt adnotauit Zabarella lib. de mente agente cap. 9. vnũ appellat id, quod ex eis tanquam ex materia, & forma conflatur: nunquam verò inuenitur dicere eos eſſe eſſentialiter vnum.

In hanc Auerrois opinionem plerique omnes, eius ipſius teſtimonio inducti, retulerunt Themiſtium, immò & Theophraſtum, qui tamen longè aliter ſenſerunt, vt inferius dicam. Verùm iam nunc probantur omnes hæ ſententiæ quatenus in eo conueniunt, quod intellectus agens, de quo Stagirites loquitur, haud ſit aliquid animæ noſtræ, ſed abſtracta quædam ſubſtãntia, ſiue intelligentia, quæ vna cunctis hominibus aſſideat, irradietque, & faciat intelligibilia actu, necnõ intellectum poſſibilem de potentia extrahat ad actum.

Primò, Stagirites comparauit intellectum agentem lumini: inquit enim 3. de Anima tex. 18. *Et eſt quidam talis intellectus, qui omnia fit: quidam verò*, id eſt agens, *qui omnia facit, vt habitus quidam: quale eſt lumen*. At cum lum ine neque anima humana, eiuſue intellectus, vllam habet proportionem, quia hæc eſt illuminata: neque prima rerum omnium cauſa, & Deus, quia lumen dependet a corpore luminoſo: Deus autem a nullo depẽdet: quare non cum lumine, ſed potius cum Sole comparatur. Ergo intellectus agens, de quo loquitur Ariſt. neque eſt quicquam animæ noſtræ, neque Deus ipſe, ſed medius aliquis intellectus, inter Deum, & animam, perinde ac lumen eſt medium inter Solem illuminantem, & res illuminatas.

Secundò, id ipſum colligitur ex altero Stagiritæ exemplo, quod intellectus agens ſit *vt habitus quidam*: quandoquidem habitus non eſt quicpiam animæ noſtræ, ſed quid externum, & actibus noſtris acquiſitũ: ſic ergo hic intellectus non eſt aliquid animæ, ſed quid externum, cui coniungimur, quemq; acquirimus contemplando. Immò verò ſicuti habitus eſt aliquid medium inter facultatem, & actionem, ita intellectus agens, de quo Stagirites verba facit, eſt medius inter animam noſtram, & Deum, qui eſt *ἡ αὐτὴ ἐνέργεια*, ipſa actio, vt idem auctor loquitur lib. 12. Diuinorum tex. 39.

Tertiò, talis eſt conditio intellectus agentis ad poſſibilem, qualis eſt artis, vel ſi mauis

artificis ad materiam, in qua agit, ex Ariſt. 3. de Anima tex. 17. *eſt enim cauſa, & factiuũ, quod faciendo omnia, quod ars ad materiam paſſa eſt*. Compertum autem eſt, artem, & artificẽ haud eſſe aliquid materiæ, in qua agit, ſed extrinſecus aduenire, expolire materiam, & de eius potentia euocare formam. Sic igitur intellectus quoq; agens non eſt aliquid animæ, neque conſociatur intellectui poſſibili in ſubiecto, ſed forinſecus accedens, mouet eum, qui eſt tanquàm materia, & aptus omnia fieri: quare &c.

Quartò, ſi intellectus agẽs non eſſet aliqua ſubſtantia ſeparata &c. maximè quia Stagirites in tex. 19. vocat eum *ſeparabilem*: quod non ſignificat aliquid actu ſeparatum, cuiuſmodi ſunt intelligentiæ, ſed id quod poſſit ſeparari: inquit enim: *Et hic intellectus ſeparabilis eſt, & immixtus, & impaſſibilis, ſubſtantia actio exiſtens*. At verò hoc non obſtat, quia hoc loco *ſeparabilis* capitur pro ſeparato: nam græca illa vox χωριστὸς non tam ſignificat ſeparabile, quàm actu ſeparatum: in qua quidem ſignificatione, ea ſæpenumero vtitur Ariſt. vt quando intelligentias appellat χωριστὰς, nempe ſeparatas; Ita legimus lib. 7. Metaphyſic. tex. 6. *καὶ πότερόν ἐστί τις χωριστὴ οὐσία, καὶ διὰ τί, καὶ πῶς, ἢ οὐδεμία παρὰ τὰς αἰσθητάς, σκεπτέον*. vbi *χωριστὴ οὐσία*, eſt ſubſtantia ſeparata: quocirca interpres etiam tranſtulit, *& vtrum eſt aliqua ſubſtantia ſeparata, & cur, & quomodo, an nulla præter ſenſibiles, perſcrutandum eſt*: ergo agens intellectus, de quo loquitur Philoſophus, haud eſt aliquid animæ, ſed actu & ſubſtantialiter ab ea ſeiunctus. Augetur difficultas, quia in eo ſenſu accipiendum eſt hic χωριστὸς *ſeparabilis*, in quo ſumuntur ſubſequentia eiuſdem intellectus attributa. Atqui hæc ſunt *immixtus, & impaſſibilis, & ſubſtantia actio exiſtens*; quæ porrò ſignificant actu immixtum, & actu impaſsibile, ergo etiam *ſeparabilis* capitur pro actu ſeparato. Quid? Philoſophus ex eo probat hæc attributa ineſſe intellectui, quia eſt *ſubſtantia actio exiſtens*, quia nimirum eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam actio. Hæc enim non eſt quarta conditio, ſed probatio, & medius terminus, per quem tres illæ conditiones oſtenduntur, vt in Græcis verbis manifeſtum eſt, quæ ſunt *τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια*. Hic enim loquendi modus apud Græcos probandi vim habet, vt multis in locis notare poſſumus: importatque quia ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt actio. Cum igitur in omnibus formis materialibus actio ſit diſtincta ab eſſentia, in formis verò a materia abiũctis eſt idem quod eſſentia, liquidò conſequitur intellectum agẽtem, ſi eſt ſuamet ſubſtantia actio, eſſe aliquam formam omninò a materia abſtractam.

Quintò, intellectus agens eſt ſubſtantialiter ſeparatus ab intellectu poſſibili, ergo non eſt aliquid animæ, ſed &c. Conſecutio conſpicua eſt, quia intellectus poſſibilis vel eſt ipſamet hominis forma, vel huius facultas. Antecedens verò probatur. Primò, nam in vniuerſa natura, agens, & patiens ſunt ſeiuncta ac diuerſa ſecundum ſubſtantiam: cum nihil in ſe ipſum agere, & influere poſſit. Atqui alter iſtorum intellectuũ eſt agẽs, & *omnia facit*: alter eſt patiens, & *omnia fit*, vt habetur in tex. illo 18. ergo nequeunt eſſe idem ſecundum ſubſtantiam, ſed vnus ab altero ſubſtantialiter diſcriminatur: eòque cum poſſibilis ſit aliquid animæ, agens neceſſariò erit quid extrin ſecum, ab eaque ſeiunctum. Deinde, nihil vnquam idem poteſt eſſe cauſa efficiens, & materialis, quia vnumquodque efficit in quantum eſt actu: ſubit rationem materiæ in quantum eſt in potentia. Modo intellectus poſſibilis, cum omnia fiat, eſt veluti cauſa materialis: agens, cum omnia faciat, eſt efficiens: ergo neceſſariò alter ab altero tota ſubſtantia diſtinguitur: quare &c.

Præterea, ex Ariſt. lib. 7. & 8. Phyſic. nullum ſimplex poteſt mouere ſeipſum. Si autem intellectus agens foret re ipſa idem cum poſſibili, profectò idem ſimplex moueret ſe ipſum: ſiquidem intellectus agens vtique eſt aliquid ſimplex, & mouet poſſibilem, ergo ſi eſſet idem cum illo, idem ſimplex moueret ſe ipſum, quare &c.

Ad extremum, vel intellectus poſſibilis eſt forma ſeparata a materia, nec largitur eſſe homini, vt Auerroes exiſtimauit, vel eſt forma materiam informans, hominemque conſtituens, vt plerique omnes arbitrantur. Si eſt forma abiuncta a materia, multò magis oportebit intellectum agentem eſſe a materia ſeparatum, *quia ſemper honorabilius eſt agens patiente, & principium materia*, ex 3. de Anima tex. 18. Sin autem intellectus poſſibilis eſt forma conſtituens hominem, agens non poteſt eſſe forma informans materiam: quia ſi intellectus poſſibilis eſt forma ſpecifica, qua homo eſt homo, ergo omne id, quod in homine conſtitu-

to ſuperuenit, porrò ſuperuenit vt nauta naui iam conſtitutæ, & formatæ. Omnibus igitur modis fateri oportet, intellectum agentem haud eſſe quid animæ, ſed ſubſtantiam penitus immaterialem.

Sextò, quod eſt cauſa ſimplicitatis, eſt in ſe maximè ſimplex: ſi quidem *propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*. Profectò ignis qui eſt caliditatis cauſa, in ſe maximè eſt calidus. Intellectus verò agens eſt per ſe cauſa ſimplicitatis in rebus. efficit quippe eas actu intelligibiles, producendo in intellectu poſſibili illarum formas ſimplices atque immateriales: ergo in ſe eſt maximè ſimplex. Quod autem eſt eiuſmodi, eſt forma penitus a materia abſtracta.

Septimò, intellectus poſſibilis, quicquid is ponatur eſſe, eſt forma immaterialis & a corpore ſeparatus: ſecus enim nõ intelligeret vniuerſalia: ergo multò magis intellectus agens: quia *agens eſt honorabilius patiente*: ac proinde erit ex toto a materia ſeparatus. Tum prætere a, intellectus poſſibilis eſt minus perfectus, quàm agens: omnis verò imperfectionis cauſa eſt materia, quare intellectus poſſibilis materialior eſt agente: ergo hic erit magis a materia abſtractus, atq; adeò eſt vna aliqua ſubſtantia ſeparata.

Octauò, intellectus agens eſt vnus in omnibus hominibus, ergo eſt aliqua ſubſtantia abſtracta. Antecedens ex eo probatur, quia vnitas effectus arguit vnitatem cauſæ: quia ſingularis effectus pendet a cauſa ſingulari, & vt Philoſophus lib. 2. Phyſic. tex. 38. loquitur, *ſingularia ſunt cauſa ſingularium: vt Statuarius quidem Statua, hic verò huius*. Atqui in omnibus hominibus reperiuntur eædem primorum principiorum notitiæ, nulla doctrina vel induſtria conquiſitæ, ſed cenſentur a natura omnibus inſitæ, quoniam ope vnius, eiuſdẽq; intellectus agentis illuſtrantis, cunctis ſuppeditantur: ergo &c. Sed iam modus ſit: vlterius pergo, quare ſit.

SECTIO QVARTA.

Recenſentur ij, qui intellectum agentem conſtituerunt aliquid ex parte animæ noſtræ, ſed vario modo: Tum eorumdem argumenta.

Non minori diſſidio ij diſſident inter ſe, qui intellectum agentem conſtituerunt aliquid ex parte animæ noſtræ. Quippè quàm variè eum poſuerint, vel hinc cognoſce. Principio, fuit antiqua nonnullorum opinio, vt ex Themiſtio 3. de Anima cap. 31. S. Thoma lib. 2. cõtr. Gent. cap. 78. Alber. Magn. in ſum. de homine tract. de intellectu agente, quæſt. 3. & alijs accepimus, intellectum agẽtem nihil eſſe aliud, quàm habitum primorum principiorum, & notionem dignitatum.

Quę ſententia his potiſſimũm videtur inniti rationibus. Primò, Ariſt. 3. de Anima tex. 18. intellectum agentem appellat habitum: id verò de nullo alio intellegi poteſt quàm de habitu primorum principiorum: ergo intellectus agens eſt habitus primorum principiorum.

Secundò, hic intellectus loco commemorato aſſimilatur arti: eſt enim *cauſa, & factiuum quod faciendo omnia, quod ars ad materiam paſſa eſt*. Comperiũ autem eſt ex lib. 6. Ethic. cap 6. artem eſſe habitum intellectus, ergo intellectus agens eſt habitus, & hic quidem primorum principiorum, & notitia dignitatum.

Quid? nonne Stagirites in capite illo, quod nuper citaui enumerans habitus, habitum primorum principiorum, conceptis verbis appellat intellectum? Cum igitur is non niſi duplicem conſtituat intellectum, hunc quidem poſſibilem, hunc verò agentem; & cuiuis conſtet, habitum primorum principiorum non eſſe intellectum poſſibilem, liquidò conſequitur eſſe intellectum agentem: verba Philoſophi hæc ſunt. *Si igitur ea, quibus verum & nunquam falſum dicimus, circa ea quæ vel poſſunt, vel non poſſunt aliter euenire, ſunt ſcientia, & ſapientia, & prudentia, & intellectus*. Et mox *ex tribus autem horum eſſe nihil poteſt: tria dico, prudentiam, ſapientiam, & ſcientiam. reſtat intellectũ eſſe principiorũ.*

Fuit ſecunda opinio, & ea itidem priſca, vt ſupradicti auctores retulerunt, vnum ſolummodo eſſe in nobis intellectum ſecundum ſubſtantiam: qui dum eſt in mera poteſtate, omnique cognitione caret, nuncupatur poſſibilis: dum verò habet habitum primorũ principiorum, vocatur agens, quia horum principiorum cognitio eſt actiuum principium ſciẽtiæ conclusionum. Quæ opinio huic potiſſimùm innititur fundamento. Intellectus dicitur agens, quia cum lubet poteſt agere: Talis autem eſt intellectus poſſibilis habitu digestatum ornatus; tũc enim vt loquitur Ariſt. 3 de Anima tex. 8. *cum ſic ſingula factus eſt, vt ſciens, dicitur qui ſecundum actum: hoc autẽ tunc accidit, cum poteſt operari per ſe ipſum.*

Ab hac ſententia parum videtur diſceſſiſſe Philoponus: qui intellectum agentem exiſtimat nil eſſe aliud, quàm ipſum intellectum humanum, ſeu poſſibilem, quatenus actu intelligit. Itaq; agentem intellectum quaſi conſtitui, & conflari ex intellectu poſſibili, & cognitione, ſeu ſcientia. Sic legimus apud ipſum in 3. de Anima tex. 17. quo loci cum Alexandri, Marini, & Plotini opiniones retuliſſet, ſubijcit Plutarchi, & ſuam, his omninò: *Plutarchus autem, quod & nos ponimus, non exiſtimat eſſe apud nos duplicem intellectum, ſed ſimplicem: & hunc ſimplicem dici non ſemper intelligentem, ſed aliquando intelligentem. Exiſtimat ergo Plutarchus intellectum, qui actu eſt,* (hic eſt agens) *eum dicere humanum, quem putat etiam quandoq; intelligere.*

Quæ ſententia probatur primò, intellectus agens dicitur quia agit. At intellectus poſſibilis dum actu intelligit & iudicat, agit: ergo tunc eſt agens. Præterea, intellectus agens Ariſtoteli eſt intellectus actu: Talis eſt intellectus poſſibilis dum actu intelligit. Ad hæc, ille eſt intellectus agens, cui competunt hæc attributa, ab Ariſtotele in contextu adiecta; nempe, quod omnia faciat, quod ſubſtantia operetur, quod ſemper intelligat, & ab operatione nunquam deſiſtat, quod ſit animalis, quod immortalis ac ſeparabilis, quod cum habitu & luce habeat proportionem, quod qui eſt potẽtia intellectus, ab eo qui actu eſt, differat tempore, & ſubiecto, quod obliuiſcatur, & deniq; quod ſemper cum imaginatione operetur. Hęc autem omnia cadunt in intellectũ poſſibilẽ vt actu intelligit, quod pręfatus auctor longo ſermone proſequitur, ergo &c.

Plotinus, vt ex Philopono, loco commemorato colligimus, duos in nobis poſuit intellectus. Alterum quidem qui in nobis quandoq; intelligat, quandoq; ocietur: & hunc exiſtimat eſſe intellectum poſsibilem. Alterum verò, qui ſemper intelligat: & hunc eſſe intellectum agentem: deceptus vel auctoritate Platonis, *ex quo cum audiuiſſet eſſe ſemper mobilem animam, exiſtimauit eum illam ſemper mobilem dicere, quòd ſemper intelligat: & propterea eſſe exiſtimat intellectum ſemper intelligentem*, vt Philoponus loquitur: vel auctoritate Stagiritæ, quòd dixit, *intellectus non aliquando quidem intelligit, aliquando verò non intelligit.*

Poſtremò (vt alios ſilentio voluam) S. Thomas cum ſæpe alibi, tum in prima par. quæſt. 77. art. 1. 4. & 6. Et q. 79. art. 1. & 4. necnon ante eũ Albert. Mag. de vnitat. intellect. cõtra Auerr. cap. 6. in ea fuerunt opinione, quod intellectus agens ſit animæ rationalis facultas, ab ipſa animæ eſſentia fluens: & omninò ſit quædam qualitas ſecundæ ſpeciei, quæ naturalis potentia dicitur. Pro qua ſententia nihil hic ſubijcio, quia inferius plura: nunc quid in tota hac re ſentiam, age iam vel ab ipſo nomine incipientes explicemus.

SECTIO QVINTA.

Vnde dicatur intellectus agens, & quæ ſit neceſsitas, cum in anima noſtra conſtituendi: Tum perpenditur textus 17. & 18. tertij libri de Anima.

CVm nomen, agens ſit paſsi correlatiuum, proculdubio intellectus nuncupatus eſt agens, ex habitudine tum ad intelligibilia, tum ad intellectum patientem, ſeu poſsibilem. Ad illa quidem, quia facit intelligibilia actu, ea quæ ſunt intelligibilia in potentia. Quod vt penitius intelligas, ſcito, intellectũ noſtrum, quæcumque intelligit, modò ſint corporea ac materialia, ea intelligere minimè poſſe, niſi in ipſo ponantur alio modo quàm in ſe ipſis & a parte rei reperiuntur. Cuius rei ea eſt ratio, quia cum obiectum intellectus noſtri ſit vniuerſale, ſiquidem, *vniuerſale ſecundum rationem notum eſt, ſingulare autem ſecundum ſenſum: ratio*

enim

Digitized by Google

enim vniuerſalis eſt, ſenſus autem particularis, inquit Philoſoph. lib. 1. Phyſic. tex. 49. Omnia verò vt ſunt in ſemetipſis & a parte rei, ſint particularia, neceſſè eſt, vt a conditionibus particularibus abſtrahantur, quò poſſint ab intellectu attingi. Ex quo fit, vt quæcumque res materialis & corporea (immaterialia enim vt eſt Deus, & intelligẽtiæ ſuapte natura ſunt actu intelligibilia) quà eſt in ſe ipſa, ſit ſolum intelligibilis in potentia, & quidem remota: ea ipſa prout eſt in phantaſia, adhuc particularis, ſit intelligibilis in potentia proxima: tandem vt eſt a ſingularitate, & materialibus cõditionibus denudata, ſit actu intelligibilis. Quæ quidem denudatio celebratur ab intellectu agente: agit ergo hic in ipſa intelligibilia, modo quo dixi: ideòq; ſortitur nomen agentis ex parte intelligibilium.

Præterea, ſicut intellectus patiens, ſeu poſſibilis, hoc nomine venit appellatus, quia cum ſit tanquam abraſa tabula, in qua nihil eſt depictum, natus eſt *omnia fieri*, ideòque pati, ac perfici ab intelligibili, ſic e regione intellectus agens, quia eſt actu, & natus *omnia facere* in eſſe intelligibili, meritò dicitur agens. Appellatur etiam agens ex habitudine ad intellectum poſſibilem, quia mouet illum ad intelligendum.

Ex hoc fundamento colligitur etiam neceſſitas, quare hic intellectus conſtituendus ſit. Quippe ſi poſſibilis intellectus nullam vllius rei habet congenitam imaginem, vti ponebat Plato, ſed eſt in potentia ad intelligendũ omnia, profectò reduci debet ad actum per ipſum intelligibile actu; ſicuti ſenſus fit in actu per ſenſibile in actu. At intelligibilia in actu non ſunt extra animam, vt dicebamus: ergo oportet ponere aliquam virtutem, quæ faciat intelligibilia in actu per abſtractionem ſpecierum a conditionibus materialibus, & hic eſt intellectus agens.

Sed nunc conſulamus Ariſtotelem, qui lib. 3. de Anima tex. 17. & 18. ex induſtria probat huius intellectus in anima noſtra neceſſitatẽ: qui quidem locus quia & de ſe difficilis eſt, & a compluribus interpretibus diſtortus atque inuolutus, exſcribatur hîc a nobis græcè iuxta ac latinè. Et quidem græcè ſic habet. Ἐπεὶ δ᾽ ὥσπερ ἐν ἁπάσῃ τῇ φύσει ἐστί τι, τὸ μὲν ὕλη ἑκάστῳ γένει. τοῦτο δὲ, ὅτι πάντα δυνάμει ἐκεῖνα. ἕτερον δὲ τὸ αἴτιον καὶ ποιητικὸν, τῷ ποιεῖν πάντα, οἷον ἡ τέχνη πρὸς τὴν ὕλην πέπονθεν, ἀνάγκη καὶ ἐν τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν ταύτας τὰς διαφοράς. Καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς, τῷ πάντα γίγνεσθαι, ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν, ὡς ἕξις τις, οἷον τὸ φῶς: quæ quidem verba in pleriſq; codicibus latinis, maximè ab Argyropylo latinitate donatis, ita leguntur. *Quoniam autẽ in omni natura eſt aliquid, hoc quidem materia vnicuiq; generi, id autem eſt, quod potentia omnia illa: alterum autem cauſa, & factiuum, quod faciendo omnia, quod ars ad materiam paſſa eſt; neceſſe & in anima has exiſtere differentias. Et eſt quidam talis intellectus, quia omnia fit: quidam verò, quia omnia facit, vt habitus quidam: quale eſt lumen.*

In qua quidem verſione animaduerto primò, deeſſe ὥσπερ, *ſicut*, quod tamen Græci codices omnes habent. Apud me ſunt tres, & quidem vetuſti, in quibus omnibus lego Ἐπεὶ δ᾽ ὥσπερ. Præterquam quod in antiquiori etiam latina tranſlatione legitur, *Quoniam ſicut &c.* de qua nihilominus particula, quia variat Ariſtotelicæ rationis ſtructuram, mox dicemus.

Secundò, verba quæ ſubſequuntur, τοῦτο δὲ, ὅτι πάντα δυνάμει ἐκεῖνα, *id autem eſt, quod potentia omnia illa*, verterem, id autem eſt, quia potentia omnia illa: vel appoſito apice notata voce *quòd*, ne videatur eſſe pronomen. Siquidem græcum ὅτι idẽ omninò pollet atq; quia, quoniam, quòd: & eſt coniunctio cauſalis. Quocirca in præſens hunc facit ſenſum, *id autem eſt*, nempe materia vnicuiq; generi, quia eſt potentia omnia illa. Notum quippe eſt, in quocunq; genere entis, quod habet materiam ex qua fiat, illam materiam eſſe poteſtate omnia illius generis, vt materia humani generis eſt illa, quæ eſt poteſtate omnes homines, & materia totius generis mixtorum eſt, quæ poteſtate eſt omnia mixta.

Tertiò, in his verbis, *quod faciendo omnia*: omninò delenda eſt dictio *quod*; quia græcè eſt, τῷ ποιεῖν πάντα, qui quidem dicendi modus latino ſermone exquiſitè reddi vix aut ne vix poteſt: vertatur tamẽ *faciendo omnia*: vel, *eò quia facit omnia*.

Quartò, malè traſfertur, *quod ars ad materiam &c.* dicendum eſt, ſicut ars, vel, vt ars: græcè eſt οἷον ἡ τέχνη: modo οἷον eſt explicandi nota, importatq; ſicut, vt, qualiter. Siſto eundem Philoſophum teſtem, qui paullo ſuperius, nempe lib. 2. de Anima tex. 161. ita loquitur, οἷς ὑπάρχει τὰ ἴδια. λέγω δὲ, οἷον κίνησις καὶ μέγεθος: *quibus inſunt propria, dico autem, vt mo-*

motus, & magnitudo. Et 12. Metaphyſic. tex. 16. οἷον εἰ ἡ ψυχὴ τοιοῦτον : *veluti ſi anima taleſit*.

Quintò, peius translatum eſt illud, πρὸς τὴν ὕλην πέπονθεν, *ad materiam paſsa eſt*. Numquid ars patitur? Hem error irrepſit in verbo πέπονθε, quod ſignificat quidem pati, at non hoc ſolum: ſed inter alia ſignificat etiam accidere alicui. Sic dicimus εἴ τι πάθοι ὁ πέτρος, ſi quid Petro accidet: cuius locutionis exempla vide in Theſauro linguæ Græcæ, & apud Guliel.n. Budæum in comment. ling. Græc. Quid? πάσχειν, a quo πέπονθε, ſignificat quoq; facere, vt intelligimus ex hoc Demoſthenis dicto τὸ μὲν γὰρ ἐξ ἀρχῆς τι μὴ δοῦναι, γνώμη χρηστιμέτων ἀνθρώπων ἐστί: τὸ δὲ τοὺς ἔχοντας ἀφαιρεῖσθαι, φθονούντων: τοῦτο δὲ οὐχὶ δεῖ δοκεῖν ὑμᾶς πεπονθέναι, quæ latinis auribus ita ſonant; *etenim a principio non dare aliquid, prudentum hominum eſt auferre verò a poſſidentibus, inuidorum eſt. Hoc autem non oportet videri vos feciſse*. Et Iſocrat. orat. 1. ad Nicloclem, μηδὲ τὰς χάριτας ἀχαρίστως χαριζόμενος, ὅπερ πάσχουσιν οἱ πολλοί. *neque ipſas gratias ingratè gratificans, quod faciunt multi*. Et Galen. 10. Therapeut. τί ἂν οὖν τις πάθοι πρὸς ἀνθρώπους μήτε ἔργῳ, μήτε λόγῳ πεισθῆναι δυναμένους; *Quid igitur faciat quis cum hominibus, qui neque opere, neque verbo perſuaderi poſsunt?* Sic ergo prælata Stagiritæ verba οἷον ἡ τέχνη πρὸς τὴν ὕλην πέπονθε, verterem, vt arti reſpectu materiæ, vel ad materiã accidit. Aut ſic, ſicuti ars eum materia facit.

Iacob. Zabarella in expoſitione huius tex. vehementer exacuitur, in illo articulo τῇ, vt probet *naturam* hoc loco ſumi debere collectiuè, non diſtributiuè. Eum audi, *Præterea, iuxta omnes aliorum expoſitiones oportet eam dictionem (omni) eſse ſignũ diſtributiuum, quod tamen dicere non poſſumus, ſi benè expendamus græca verba ὥσπερ ἐν ἁπάσῃ τῇ φύσει, articulus enim collectionem potius denotat, quàm diſtributionẽ; & facit vt ἁπάσῃ idem dicat, quod ὅλῃ quod non diſtributionem, ſed integritatem ſignificat &c.* Et paullo inferius animaduertit alia verba dum ita pergit. *Ariſtoteles igitur volens mentem ſuam clarius ſignificare, repetit eandem concluſionem manifeſtiorem, in qua exprimit nomen intellectus, & dicit vtrumq; eſse intellectum vnum qui patitur, alterum qui agit. In verbis eſt error: græcè enim dicitur,* Καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς; *quæ verba non benè ſic vertuntur. Et eſt quidã talis intellectus, ſed ita legẽda ſũt, Et eſt hic quidã talis intellectus.* Hæc ille.

Verùm equidem ſicut de priori adnotatione non multum laboro, ita poſteriorem aſſeuero falſam: nam dictio ὁ μὲν, latinè ſonat, hic quidem, quod profectò in idem recidit ac *quidam*. Vnde hæc verba, Καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς, verterem, *Et eſt hic quidem talis intellectus*, vel manco in communi translatione, *Et eſt quidam talis &c.* His itaq; adnotatis, quæ ſanè Stagiritæam rationem lõgè reddunt clariorem, ad eam proprius accedo.

Atq; primo quidem quamuis eorum ſententiam haud improbem, qui dicunt, Ariſtotelem hic non probare, oportere dari in anima noſtra intellectum poſſibilem, ſed ſupponere ipſum iam eſſe in anima, vtpote ſuperius probatum: Et eo iam ſuppoſito, & declarato vti veluti medio termino ad probandum omninò in ea ipſa anima conſtitui debere intellectum quoq; agentem. Quocirca validiſſimè deducit rationem hoc pacto. Datur in anima intellectiua intellectus poſſibilis, qui naturam patientis habet, & cum omnibus intelligibilibus careat, potis eſt ea omnia recipere, & tranſire de potentia ad actum: ergo neceſsè eſt dari etiam agentem, qui intellectui patienti correſpondeat, deducatque illum de potentia ad actum. Conſecutio ex eo eſt manifeſta, quia Deus, & natura nihil in caſſum moliuntur: Et nihil poteſt ſe ipſum de potentia trahere ad actum. Hinc enim neceſſariò fit, vt omni potentiæ paſsiuæ correſpondeat actiua: & omnis materia habẽs potentiam ad recipiendum aliquod genus formarum, habeat quoque ſtatutum aliquod agens, quod eam deducat de potentia ad actum: ſecus enim fruſtra eſſet illa potẽtia, quæ nullam vnquam haberet actum. Si datur itaque in anima intellectus patiens, dari debet & agens. Quamuis inquam hæc non improbem, probabilius nihilominus exiſtimo, æquè ab Stagirite probari, oportere dari in anima vtrumq; intellectum.

Cuius ratio rudius, vt aiunt, & planius ita habet. Quoniam in omni natura reperitur aliquid, quod eſt tanquam materia, & patiens; & aliquid quod ſe habet vt agens reſpectu illius patientis, neceſsè eſt & in anima intellectiua reperiri has differentias, nempe intellectum patientem, & agentem. Rectè. Cæterùm in ſubſtituenda minori propoſitione, vt Stagiritæum enthimema ad formam ſyllogiſticam redigatur, tum in modo conſtituendi, valde diſsident auctores. Nos relictis aliorum al-

tercationibus gemino modo conſtruemus, quemadmodum initium illius textus gemino modo legitur. Vno quidem, *Quoniam in omni natura eſt aliquid &c.* alio, *Quoniam ſicut in omni natura &c.*

Et quidem priori modo ſic. In omni natura, (nempe generatim, in vniuerſa rerum naturalium conſiſtentia) & in vnoquoq; genere (hoc particularius: cum enim vniuerſa rerum natura cõtineat plurima rerum genera, vt ſimplicia, mixta, ſtirpes, animalia, & hæc vlterius contineant genus humanũ equinum &c. quinimo præter ſubſtantias, ſint etiam quamplurima accidentium genera, in vnoquoque horum generum) eſt aliquid, quod eſt vt materia. Cuius naturam explicans Philoſophus ait, eſſe, quia eſt potentia omnia illius generis. Et eſt etiam alterum, vt cauſa & factiuum, quod facit omnia illius generis (cauſam vocat effectricem, more Platonis, qui efficiens, & finem nominabat cauſas: materiam autem & formam concauſas vocabat, non cauſas: ideò Ariſtoteles id clarius aperiens addit *& factiuum:*) id illuſtrat exemplo artis cum materia. Hæc maior: & eſt manifeſta ex his, quę paullo ſuperius dicebamus.

Minor verò erit hæc, ſed anima intellectiua eſt natura, & determinatum naturæ genus. Et quidẽ quod ſit natura patet vel ex definitioni bus naturæ, & animę: nam *natura eſt principium & cauſa vt moueatur, & quieſcat id, in quo eſt, primò, per ſe, & nõ ſecundum accidens*, lib. 4. Phyſic. tex. 31. Et anima intellectiua, vt legimus in 2. de Anima tex. 24. *eſt id, quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primò*; quare anima intellectiua verè eſt natura. Quod verò ſit determinatum naturę genus etiã patet, nam ea ſola haud eſt tota natura.

Ergo neceſſe eſt in anima intellectiua has eſſe differentias: principij nimirum materialis, & agentis. Atque hæc ratio ita conſtructa abſoluitur in tex. 17. Tũ vlterius, pergit Ariſt. in tex. 18. Quia principium materiale in vnoquoq; genere eſt id, quod eſt potentia omnia illius generis: & ex alia parte intellectus poſſibilis eſt in potentia vt omnia intelligat, quod retrò declarauerat, meritò eũ comparat principio materiali: his verbis. *Et eſt quidam talis intellectus, quia omnia fit*, ſiue clarius, *Et eſt hic quidem talis intellectus, eò quia omnia fit*. Alterum verò intellectum nẽpe agentem, quia eſt cauſa, & factiuum, declarat etiam his verbis, *quidam verò quia omnia facit &c.* vel *hic verò, eò quia omnia facit*. Hanc exiſtimo eſſe ſynceram, & germanam Stagiritæ rationis ſtructuram, ſine tot & tantis ambagibus, quæ abſq; ratione intenduntur a multis: & hoc pacto conſtructa ratio eſt demonſtratiua.

Quod ſi retineamus particulam ὥσπερ, vt Græci codices, & antiqua translatio habent, nempe, *Quoniam ſicut in omni natura eſt aliquid, hoc quidẽ materia vnicuiq; generi &c.* tunc verbã illa, *ſicut in omni natura* claudẽda ſunt per parẽtheſim: vel ſaltem legenda ſeiunctim a conſequẽtibus, ita vt reliqua cõſtruantur hoc pacto. Quoniã eſt aliquid, quod eſt materia vnicuiq; generi, & alterum cauſa & factiuum, neceſsè eſt & in anima exiſtere has differentias. Et puto Philoſophum verbis illis, *vnicuique generi*, complecti vniuerſaliter tam res naturales, quàm artefactas: & naturales quidem explicare per illa verba *ſicut in omni natura:* res autem artefactas explicare exemplo artis, *vt ars cum materia facit*. Ex quo conſequitur, rationem Ariſtotelis etiam hoc pacto conſtructam non eſſe a ſimili, & ſolum probabilem, vt multi hallucinantur: ſed eſſe neceſſariam, & per veram cauſam, quæ innititur tum rebus naturalibus, tum arte elaboratis. Quia in quocumq; genere reperitur aliquid, quod eſt ut materia illius generis, reperitur etiam alterum vt cauſa & factiuum, quæ enuntiatio indubitata eſt, vt ſuperius dicebamus. Præterea, præfatam rationem haud eſſe ſolum probabilem, & ab exemplo, ſed neceſſariam, argumẽto eſt, quòd Stagirites neutiquam dixiſſet in conſequenti *neceſſè & in anima has eſſe differentias*, id porrò indicat argumentum neceſſarium. Hæc ſunt, quæ in hunc difficillimum Ariſtotelis locum, præter ea, quæ ab alijs dicta ſunt, pro tenuitate ingenij noſtri breuiter afferre voluimus. Tu quiſquis es,

ſi quid nouiſti rectius iſtis,
Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum.

SECTIO SEXTA.

Intellectum agentem, de quo Philoſophus loquitur, nullo pacto eſſe Deum, vel aliquam intelligentiam.

DEmonſtratum a nobis hucuſq; eſt, neceſſariò in anima noſtra conſtitui oportere intellectum agenrem : proximum eſt vt oſtendamus hũc ipſum intellectum, de quo loquitur Stagirites, haud eſſe aliquid extrinſecum ab anima noſtra, an Deum, an aliquam intelligentiam, quod auctoritate, & ratione præſtabimus. Et primò quidem Ariſt. in tex. illo 18. conceptis verbis hunc intellectum vocat animæ differentiam, dũ ait, *neceſse eſt & in anima has eſse differentias*: Et aperiens quęnã ſint iſtę differentiæ, ſubdit. *Et eſt quidam talis intellectus, qui omnia fit* : hoc eſt poſſibilis. *Quidam verò qui omnia facit*; nimirum agens, ergo agens intellectus, cum ſit animæ intellectiuæ differentia, nequit eſſe extrinſecum aliquid, ac ſeparatum ab illa, ſiquidem differentia cuiuſcumque rei, eſt aliquid illius.

Ad quam auctoritatem, quid nõ ſibi οἱ ψυχόθνητοι οὗτοι, καὶ φιλοσώματοι cõminiſcuntur? multas, ſi vacat, reſponſiones videbis apud Piccolomineum lib. de mẽte c. 10. Nos vnam, quam neſcio quis veluti ſacram ancoram iacit, impugnabimus: ea hæc omninò eſt. Falluntur iſti: nec Ariſtotelem intelligunt: nam Philoſophus non dicit intellectum agentem, & poſſibilem, eſſe differentias animæ noſtræ, vt in argumento temerè ſumitur; ſed ait in anima noſtra eſſe has differentias, agentis, & patientis, ſiue iſtæ ſint aliquid animæ, ſiue extrinſecum: hoc enim in textu non habetur. Verum autem eſt, in anima noſtra dari iſta duo: quia intellectus poſſibilis; vt patiens, eſt aliquid in anima: agens autem eſt ipſe Deus; in anima itidem noſtra, per quem intelligimus. Quare videtis quomodo omnia cohærent?

Mirabilem cohęrentiã, quam tamen ego nõ video: quinimo vſquequaq; exiſtimo falſam: & quoniam hic auctor tàm vehementer, & anxiè in vna literula, *In*, cruciatur, primò nos adnotamus ex Græco fonte, quod idem eſt dicere ταύτας τὰς διαφορὰς ὑπάρχειν ἐν τῇ ψυχῇ, *has differentias eſse in anima*, ac dicere ταύτας ὑπάρχειν τῆς ψυχῆς has eſſe animæ; cum illa particula *In*, inter alia ſignificata, quæ vltra quinquaginta ſunt, idem polleat, ac *Intra*. Exemplum Hẽrici Stephani eſt ἐν αὑτοῖς. intra ſe ipſos: ſic igitur poteſt in præſentia ſumi, in anima, nimirum intra animam: atque adeò erit aliquid intrinſecum illi.

Sed doceat nos hac de re Philoſoph. qui 4. Phyſic. tex. 23. ad hæc omninò commitrit litteris; *Poſt hac autem accipiendum eſt quot modis aliud in alio eſt. Vno igitur modo vt digitus in manu, & omninò pars in toto: alio verò vt totum in partibus: alio autem modo, vt homo in animali: alio vt genus in ſpecie; amplius vt ſanitas in calidis, & frigidis, & omninò forma in materia: amplius &c.* Viden' quomodo permulta ſunt interna alicui, quę tamen dicuntur eſse in illo? nonne digitus, eſt intrinſecus manui, & pars interna, ac intima toti? & vt ſemel dicam in omnibus his exemplis, ea, quæ in alio eſſe nunciantur, ſunt interna? vt idem fuerit eſſe in aliquo, atq; eſſe quid eius.

Quid? ſi preſſius loqui volueris, verius dixeris hoſce intellectus, agentem, atq; poſſibilem eſſe in anima, quã animę: nam eſſe aliquid animæ, propriè, ac in rigore loquendo ſignificat aliquid de ſubſtantia animæ: neuter verò intellectus eſt quid eſſentię animæ, cũ ſint eius potentię, re ipſa ab ea ſeiunctę; quod alio loco oſtendimus: atq; adeò ſunt animæ intellectiuæ propria accidentia. Cum itaq; accidentis eſſe ſit ineſſe, verius hoſce intellectus aſſerueris eſſe in anima tãquam in proprio ſubiecto, quàm eſſe animæ.

Quod ſi quiſquã his acquieſcere noluerit, audiat Anteſsignanum ſuum Aphrodiſæum lib. de anima primo c. 3. hunc in modũ loquentem: *Oſtendetur vtiq; animam eſſe formã corporis, præſertim quia omnes illam in corpore animalis eſse fatentur*. Dic age forma eſtne aliquid intrinſecum animali & corpori? affirmabis. Atqui Alexandreorum Anteſsignanus, eam ait, eſſe in corpore: Sequitur; *multipliciter enim aliquid in aliquo eſse dicitur; vel vt ſpecies in genere, ſicut homo in animali; vel vt genus in ſpeciebus; vel vt pars in toto, ſicut manus in corpore; vel*; & quæ ſequuntur: ſit ergo intellectus in anima (vt craſſa quadam ſimilitudine vtamur) vti manus in corpore, & quemadmodum hæc a corpore, ſic ille ad modum propriæ paſsionis ab anima

Digitized by Google

mà fluat,cum manu comparauit Ariſt. intellectum dum lib. 3. de Anima tex.38.ita ſcribit. *Quare anima ſicut manus eſt: manus enim inſtrumentum inſtrumentorum, & intellectus forma formarum.*

Huc etiam ſpectat illud eiuſdẽ Philoſophi ſect.3.Problem. quæſt.5. vbi quærens, *cur ſeniores amplius mente valeamus, iuniores citius diſcimus?* Reſpondet, *quia natura duo inſtrumenta nobis inſeruit; quorum opera inſtrumentis extraneis vti valeamus;manum corpori dedit;anima verò mentem.* Cum itaq; id cenſeatur mens, ac intellectus ipſi animæ, quod manus corpori, fit, vt ſi manus extrinſecum aliquod à corpore ſanciri nequit, nec etiã ab anima intellectus.

Sed quid ego hic diutius laboro, cum ipſe Philoſophus luculẽtiſſimè nobis aperiat,mentem ac intellectum eſſe in anima, veluti partem,ſeu potentiam in aliquo toto. Hæc enim habet lib.1 Ethic.c.4.*quemadmodũ in corpore eſt viſus, ita in anima mens:* Viſum autem, & oculum eſſe vt partem in corpore, quis vnquam neget? Quapropter eodẽ pacto eſt, & intellectus in anima. Illud tamen hic conniuentibus oculis nequeo tranſilire, viſum in præſens non ſumi, pro actione videndi, vt temerè nonnulli interpretantur,ſed pro ipſa videndi facultate, quod è græco fonte conſtat, ὡς γὰρ ἐν σώματι ὄψις. quod in cauſa fuit, cur aliqui verterint,*ſicut oculus eſt in corpre,ſic mens in anima.*

Sed reuera præfata reſponſio vel vnica hac ratione euertitur, quia auctore Philoſopho lib.4. Phyſic. tex. 23. citato, octo duntaxat modis contingit aliquid eſſe in aliquo:nempe vt locatum in loco, vt genus in ſpeciebus, vt ſpecies in genere, vt effectus in ſuo fine, vt totum in partibus, vt pars in toto, vt effectus in ſua cauſa effectrice,& denique vt forma in materia. Compertum autem eſt intellectum agentem haud eſſe in anima tanquam locatum in loco, quia hic eſt quid incorporeum, aptumq; non eſſe in loco. Neque eſt in ea vt genus in ſpeciebus, non enim anima eſt ſpecies intellectus agentis. Neq; eſt vt ſpecies in genere, quia genus prædicatur de ſpeciebus: anima verò neutiquam prædicatur de intellectu agente. Neque eſt vt effectus in ſuo fine, quandoquidem anima non eſt finis intellectus agentis, ſed ſolum generationis hominis. Neq; eſt vt totũ in partibus, quippe impoſſibile eſt vt anima ſit pars intellectus agentis. Reliquum igitur eſt, vt hic intellectus ſit in anima, vel tanquam pars in toto, qua ratione Stagirites ſępenumero vocat facultates animæ μόρια particulas. Vel eſt in ea vt effectus in ſua cauſa effectrice: ſiquidem dictum a nobis eſt ſupra Diſput.8. ſect.6. potentias manare ab anima etiam in genere cauſæ efficientis:nõ quidem per veram aliquam actionem,ſed per ſimplicem emanationem,& quandam naturalem reſultantiam. Vel denique eſt in ea vt forma accidentalis in ſuo ſubiecto, a quo, vt dictum eſt, fluit, & in quo ſubiectatur. Quocumq; modo ex his tribus dicatur ineſſe, illud clarè colligitur, intellectum agentem non eſſe aliquid extrinſecũ, an Deum, an vllam aliam intelligentiam, ſed neceſſariò eſſe aliquid ipſius animæ. Verum ad idem arguitur.

Secundò, ſi ideò intellectus agens, non eſt aliquid animæ noſtræ,quia dicitur eſſe in anima,pari ratione intellectus poſſibilis,non erit aliquid animæ, ſed forinſecus nobis accedet: nam etiam hic dicitur à Philoſopho eſſe in anima: quod tamen Alexandræi minimè concedunt. Adde,ſi vnus horum intellectuum eſſet animæ internus, alter autem non: & nihilominus Stagirites de illis edisserens, vtrumque dicat eſſe in anima, ineptè profectò, ac pueriliter loqueretur, & æquiuocatione nos falleret, quod quidem à tanto Philoſopho procul eſt abigendum.

Tertiò,cum Ariſtoteles,intellectus agentis neceſſitatem hac ratione venetur,quoniam in omni natura inuenitur aliquid, vt materia vnicuique generi,& aliud,vt cauſa, & factiuum,neceſſe eſt in anima eſſe has differentias. In illo antecedente, per cauſam, & factiuum, non intelligit agens vniuerſale,ſed particulare, & materiæ proportionatum: non enim limitaret paſſũ,nec diceret *vnicuiq; generi*, quoniam agens vniuerſaliſſimum cuiuſmodi eſt Deus, eſt cauſa non modo vnius generis, ſed abſolutè omnium rerum: ergo etiam in conſequenti, *neceſſe eſt, in anima has eſſe differentias* agentis,& patientis, intelligit agens (nempe intellectum agentem) non vniuerſale, cuiuſmodi ſtatuitur Deus;ſed particulare,atq; huic materiæ, quæ potentia animæ eſt,proportionatũ. Alias enim fallax & inanis eſſet illatio. Porrò quæ eſſet hæc conſequutio, vt fiat v. g. ſcamnum,neceſſariò requiritur materia, & ars, igitur vt eliciatur intellectio, exigitur materia (intellectus poſſibilis) & Deus? inferendum

dum ſanè eſt, vt fiat intellectio, dari oporteat materiam hanc, & agẽs hoc particulare quod erit &c. Præterea, cum prima, & vniuerſaliſſima cauſa concurrat cũ omnibus rebus ad agendum, fatuum eſſet tanta ſedulitate ac ſolicitudine inquirere, vt fit in præfatis textibus, hoc vniuerſaliſſimum agens eſſe in anima noſtra, & cum intellectu poſſibili cõcurrere ad actionem eliciendam: quippè, ſi cum omnibus rebus concurrit, cùm hoc quoque abſq; vlla vnquam inquiſitione concurrat neceſſe eſt. Cum itaq; Philoſoph. tàm diligenter, & anxiè ſcrutetur hoc agens in anima noſtra, non intelligit illud vniuerſaliſſimum, ſed aliquod particulare; quod non eſt aliud, quàm facultas quædã animæ intellectiuæ.

Quartò, omnis potentia paſſiua particularis, & omne patiens particulare, præter vniuerſaliſſimum agens, exigit neceſſariò actum particularem vt reducatur ad actum. Cuius dicti cauſam afferre promptiſſimum eſt, quia inter actum, & potentiam; agens, & patiens, debet eſſe proportio: nulla quippe actiuitas, ſecundum naturæ leges, vbi proportio non intercedit. Quod etiam luculenter oſtendit Ariſt. lib. 8 Phyſic. & in 2. Poſteriorum. Inter patiens autem particulare, & vniuerſaliſſimum agens, nulla proportio eſt, quinimò infinita diſtantia. Idem facilè conſpicis in omnibus alijs rebus: nam materia prima, quæ eſt in potentia ad formam equi; nunquam reducetur ad actum, nec vllam formam habebit, per ſolum principium vniuerſaliſſimum, ſed præter illud, exigitur hoc agens particulare, quod inducat diſpoſitiones in materiam, & formam de illius potentia euocet: Nec vnquam lignũ, quod, vt artificiatum aliquod fiat, eſt in potentia, per ſolum vniuerſale factiuum fiet illud artificiatum, niſi hæc ars, & artifex adhibeatur: Et quoniam in fœmina eſt principiũ paſſiuum, neceſſariò etiam requitur actiuum, nempe mas. Quapropter optimè Philoſoph. 2. de Anima tex. 26. *hominem generant ſol, & homo ipſe*, idque per omnes effectus nobiles expatiando verum reperies. Cum igitur intellectus poſſibilis ſit potentia paſſiua, & patiens particulare, quod etiam aduerſa opinio concedit, & intellectio ſit effectus nobiliſſimus, profectò præter agens vniuerſale, ac Deum, requiritur alius actus, aliud agens particulare, proprium, & quod intellectui poſſibili, veluti perfectiuum, ex altera parte reſpondeat. Quare intellectus agens de quo loquitur Philoſophus, nõ eſt ſiue Deus, ſiue aliqua alia ſubſtantia abſtracta, ſed &c.

Ad quam rationem triplicẽ reſponſionem attulit Zabarella lib. de Mente agente cap. 16. Prima eſt, quod *ea valida quidem eſt in alijs agentibus: nam agens vniuerſale non agit niſi per agens particulare adequatum effectui, ſed in Deo nihil habet efficacitatis: poteſt enim immediatè hominem producere ſine aliqua cauſa ſecunda, quem Sol ſine altero homine agente producere non poteſt.*

Quę reſponſio nec ad aures Ariſtotelis, nec ſecundum veritatem ſubſiſtere poteſt. Quippe ſi hic auctor loquitur in Peripato, tueri nequit, Deum immediatè ſe ſolo, & ſine aliqua cauſa ſecũda poſſe producere hominem, cum in ſententia Stagiritæ, & ad eius ipſius Zabarellæ expoſitionem, Deus non agat in hæc inferiora niſi mediãte Cælo, quod agit motu, & lumine: ergo hic contradictio eſt, quod Deus poſſit immediatè hominem producere ſine aliqua cauſa ſecunda. Si verò loquitur vt ſana, & catholica doctrina habet, nempe Deum immediatè & produxiſſe, & producere poſſe quæcumq; vult in Cælo, & in terra, profectò animaduertere debebat, id fieri a Deo per creationem, ad quam nulla creata res etiam vt inſtrumentum concurrere poteſt, vt alio loco oſtendimus. Sed tunc reſponſio nihil facit ad rẽ, primò quia talis productio ſemper difficilis viſa eſt in Peripato. Deinde, quia homo ita productus non eſſet genitus ſicuti cæteri homines, ſed creatus: & ex modo productionis non eſſet effectus naturalis. Nos autem in preſentia loquimur de effectibus naturalibus, vnde præfata reſponſio eſt merum putum refugium: icircò dictus auctor animaduertens huius reſponſionis imbecillitatem, reſpondet ſecundò.

Pręterea, dicimus magnum eſſe ſenſilium, & intelligibilium rerum diſcrimen: nam ſenſilia quidem efficit Deus vt cauſa vniuerſalis, nec ſine cauſis ſecundis, quia ipſemet hanc rebus legem præſcripſit: At in mundo intelligibili, ipſe abſq; cauſis ſecundis immediatè agit; poſſumuſq; hoc Thomæ argum. aduerſus ipſum inſolubiliter retorquere: Deus animam humanam creat, & eſt agens vniuerſale, & vniuerſalis creator rerum omnium, & mundi vniuerſi; ergo requiritur alia media cauſa creata, & homini adequata, per quam creet animam humanam: quoniam igitur Deus, & ſi eſt creator vniuerſalis, animam tamen humanam immediatè creat ſine vlla

cau-

cauſa media, ſic immediatè eandem illuminat, non requiritur alius illuminator creatus.

Quæ reſponſio eadem ratione labefactatur, nam ſi hic auctor loquitur ad aures Ariſtotelis, vnde porrò mirabilem hanc diſtinctionem hauſit, quod Deus in rebus quidem ſenſibilibus agat medijs cauſis ſecundis, in mundo verò intelligibili ipſe ſine cauſis ſecundis immediatè agat? Eadem facilitate, qua profertur, reijcitur. Si verò loquitur vt res ipſa habet, id adhuc falſum eſt. Stat enim contra commune Theologorum decretum in 3. ſent. diſt. 11. & in prima part. S. Thomæ quæſt. 106. Angelos inferiores (hi ſunt in mundo intelligibili) illuminari a ſuperioribus. Et illud D. Dionyſij Areop. cap. 8. Cæleſt. Hierarch. & cap. 6. Eccleſ. Hierarch. *quod Angeli ſecundæ Hierarchiæ purgantur, & illuminantur, & perficiuntur per Angelos primæ Hierarchiæ.* Temerè igitur aſſeritur Deum, in mundo intelligibili immediatè, & abſq; cauſis ſecundis agere.

Præterea, allata reſponſio ſubterfugit vim argumenti: non enim eſt ſermo, num Deus poſſit immediatè producere aliquem effectum ſe ſolo, & ſine cauſis ſecundis; ſed eſt, vbicunque datur potentia paſſiua particularis, & patiens particulare, neceſſariò debere etiam dari agens particulare, & eiuſdem ordinis præter agens vniuerſaliſſimum, vt in exemplis dudum adductis apparet. Atq; vt hæc medullitus capias, ſcito, nos non negare, quod Deus ſit intellectus & quidem actu ſupra animam humanam, ac etiam ſit intellectus agens, cuius ope anima intelligit: ſed aſſerimus præter illum oportere ponere in eadem anima aliquam virtutem ab illo intellectu participatam, quæ virtus ſit principium immediatum, vt fiant intelligibilia actu; & educatur intellectus poſſibilis de potentia ad actum: & hæc virtus propriè ſit intellectus agens, de quo Philoſophus loquitur, ideòque prior intellectus meritò comparabitur Soli, poſterior lumini, quod etiam eſt aliquid receptum in aere, vt intellectus noſter agens, eſt manans a Deo, & receptus in anima noſtra.

Inſtantia verò præfati auctoris de creatione animæ, & vniuerſi a Deo, propter hanc ipſam rationem ruit, quia in creatione nulla ſupponitur potentia paſſiua, cum creatio ſit productio totius entis ex nihilo: in anima verò noſtra de facto eſt potentia paſſiua naturalis, videlicet intellectus poſſibilis.

Addit præfatus auctor tertiò loco. *Dicere etiam poſſumus, diuinũ lumen per omnia diffuſum eſſe quidem cauſam maximè vniuerſalem, ſed vnitũ phantaſmatibus, quæ ſunt noſtri intellectus obiectum proprium, reſtringi, & fieri proprium agens & quodammodo obiecti proprij rationem ſubire, &c.*

Verùm, explicare quidnam ſit hoc lumẽ diuinũ diffuſum per omnia, quoque pacto phantaſmatibus vniatur noſtris, ac reſtringatur, hoc opus: qua de re inferius redibit ſermo. Interim peto, lumen hoc eſtne aliquid creatum, an increatum? Si increatum, ergo ipſemet Deus exceſſus, ac infinitus: quod ſi, quomodo infinitũ reſtringi ac limitari poteſt a phantaſmatibus? Si creatum, vbi ſubiectatur? profectò nõ extra nos: vbi enim ergo ſubiectatur in nobis ipſis, nempe immediatè in anima, & cum debeat facere intelligibilia actu, ac immaterialia, vtique eſt quid immateriale. Hoc igitur lumen creatum, quod in anima noſtra eſt, participatum a Deo, dicimus intellectum agentem, de quo in præſentia verba facimus.

Quintò, intellectus, quem Ariſtoteles dicit eſſe differentiam in anima, eſt in nobis etiam cum actu non intelligimus: nam Philoſophus ſermonem habet de intellectu, quantum ad actum primum, & facultatem agendi: & ideò illum appellat cauſam, & factiuum. Perſpicuum enim eſt cauſam, & factiuum illud eſſe, quod aptum eſt atq; idoneum efficere, & cauſare. Tum etiam idem colligitur ex diſcurſu Philoſophi, qui non contendit eo loci probare, in anima noſtra dari oportere actionem, & paſſionem, ſed agens, & patiens: Et quemadmodum dixerat prius, in anima reperiri intellectum potentia quoad actum primum, & facultatem, qui omnia fieret, ſic tandem concludit, dandam eſſe in anima facultatem actiuam, quæ patiens illud reducat ad actum. Hinc comentator ſuper 3. de Anima coment. 4. *neceſſe eſt,* inquit, *ponere in anima rationali has duas differentias, ſcilicet virtutem actiuam, & virtutem paſſionis.* Ex quibus liquidò conſtat, intellectum agentem, de quo Philoſophus loquitur, eſſe in nobis etiam cum actualiter non intelligimus. Alexandreorum autem intellectus, & quem illi pro agente ſtatuunt, non eſt in nobis cum actualiter non intelligimus, etenim ex eorum ſententia, tunc intellectus agens nobis, ac intellectui poſſibili coniungitur, cum actu ſpeculamur, ac intelligmus; & ideò dicunt, nos eum acquirere noſtris actibus, & vi-

Dd ſitari

ſitati ab hoc intellectu agente, tanquam amicum ab amico. Tunc etiam, quia ſi ſemper eſſet coniunctus, ſemper moueret intellectum poſſibilem, & ſemper intelligeremus.

Sextò, nam Philoſophus intellectum agentem ait eſſe, *vti habitum quendam: quale eſt lumen*. Atqui habitus non eſt aliquid ſeparatum, & exiſtens per ſe; quemadmodum ſunt Deus, & intelligentiæ, ſed eſt alicuius habentis. Item, ſi Philoſophum audias, hic intellectus, *ſeparatus, eſt ſolùm hoc, quod quidem eſt: & hoc ſolùm immortale eſt, ac perpetuum*. Quæ quidem, nec de Deo, nec de intelligentia aliqua capi queunt: Si enim per hæc primam cauſam intellexeris, non eſt ſola immortalis, ac perpetua; cum alia quoque multa apud Ariſt. æterna ſint, ac immortalia: nec ſi intelligentiam aliquam, ac mentem ſeparatam dixeris, ea rurſus ſola fuerit immortalis. Adde, ſi Philoſophus Deum in præſentia, aut intelligentiam aliquam intelligeret; quid eſſet, vt tàm anxiè diceret, illam eſſe immortalē atq; perpetuam? Nunquid is, aut quiſpiam alius eò fatuitatis, demētiæq; deuenerit, vt ambigeret, eſſetne immortalis Deus ipſe, vel intelligentiæ?

Septimò, illud in nobis pro intellectu agente ſtatui debet, cuius operatio eſt accidens: At nulla vnquam Dei actio eſſe poteſt accidens, ergo nullo pacto intellectus agens, de quo loquitur Ariſt. poteſt eſſe Deus. Maior, vel ex eo patet, quia officium atq; munus intellectus agentis eſt, vt illuſtret phantaſmata, abſtrahatque ab iis ſpecies intelligibiles: tum vt moueat intellectum poſſibilem. Siue eſt motus quidam actiuus in intellectum poſſibilem: quod nec Alexandrei inficiantur. Minor etiam eſt manifeſta, quia cum Deus ſit puriſſimus actus, quicquid in illo reperitur, eſt ipſemet Deus, eiuſque eſſentia: vnde fit, vt quæcumq; actio Dei, ſit eiuſdem eſſentiæ: id quod optimè demonſtrat S. Thomas in prima part. quæſt. 3. Atque eò vſque eſt euidens, vt Ariſtoteles ipſe id apertè docuerit lib. 12. Metaphyſic. tex. 39. vbi ſua lingua ita loquitur, ἡ γὰρ νοῦ ἐνέργεια, ζωὴ, ἐκεῖνος δὲ ἡ ἐνέργεια. ἐνέργεια δὲ ἡ καθ' αὑτὴν, ἐκείνου ζωὴ ἀρίστη, καὶ ἀΐδιος. id eſt, *ſiquidem intellectus*, nempe Dei, *operatio vita eſt: ille verò eſt actus: actus verò per ſe illius vita optima, & perpetua eſt*. vbi *actus* ſignificat actum ſecundum, & ipſam actionem: nam in Græco eſt ἐνέργεια: ita vt intellectum primum, & Deum, aſſerat Ariſtoteles eſſe ipſam eiuſdem actionem: ideòque paullo inferius de eodem aiebat, *ſe ipſum ergo intelligit, ſi eſt quidem quod optimum eſt: & eſt intellectio, intellectionis intellectio*. Sequitur igitur, Deum nullo pacto ſtatui nobis poſſe pro intellectu agente, de quo verba facimus.

Præterea, actio intellectus agentis habet eſſe, poſt non eſſe, & vbi prius non erat, poſtea eſt: neq; enim ille ſemper illuſtrat phantaſmata, aut ſemper poſſibilem mouet intellectum: alias ſemper intelligeremus. Hæc verò qui vnquam conuenire poterunt Deo? Num eius actio interrupta? num antea non erat in anima ac poſtea venit? at quo pacto?

Quid? hi, cum quibus eſt diſputatio, acriter contendunt, primam rerum omnium cauſam, eſſe ſolum finalē, atq; immediatè agere in primum cælum, excitādo illius appetitum ad ſui deſiderium: ergo inuoluunt contradictionem, dum ex alia parte, eandē cauſam primam, intellectum agentē ſtatuunt, quæ illuſtret phantaſmata, moueatq; poſſibilem intellectum. Hęc enim non ſunt effectus cauſæ finalis, ſed efficientis; ſicut etiam Sol effectiuè illuſtrat.

Octauò, ſi intellectus agens eſſet Deus, vel aliqua externa, ac ſeparata ſubſtātia, illud abſurdi conſequeretur, quod non eſſet in noſtra poteſtate, elicere intellectionem, & ab ea ceſſare, prout nobis eſt libitū. Quod ex eo patet, quia illa operatio, cuius formale, & actiuum principium, eſt externa cauſa, atq; a nobis aliena, non eſt in noſtra facultate: nec enim in tua facultate fuerit, vt cum velis, pluat, Sol luceat, vel ego intelligā, aut lætetur: idq; propterea, quia horum effectuū principia ſunt extrinſeca tibi. Atqui intellectus agēs, eſt formale, & actiuum principium intellectionis noſtræ, quod ex 3. de Anima cōſtat, quare ſi is eſſet ſubſtantia aliqua externa, intellectio non eſſet in noſtra libera facultate. Quicunq; igitur fatetur hoc eſſe abſurdiſſimum, illud quoque fateatur neceſſe eſt, intellectum agentem non eſſe aliquid extrinſecum nobis.

Conſimili argumento vrget S. Thomas in prima part. quæſt. 79. art. 2. & lib. 2. cont. Gent. cap. 76. nam ſi intellectus agens eſſet ſubſtātia ſeparata, vel ſemper intelligeremus, vel nō eſſet penes nos intelligere. Patet conſecutio, quia actu intelligimus, cum phātaſmata ab intellectu agente actu fiunt intelligibilia. tunc ſi res ita ſe habet, vel operatio intellectus agentis (ſi eſt Deus, vel alia ſubſtantia ſeparata)

eſt

Digitized by Google

eſt continua, vel interrupta: ſi continua, ſemper intelligeremus; ſi interrupta, non eſſet penes nos intelligere; Cum huius actionis principium, non eſſet penes noſtram facultatem.

Reſpondent aliqui, inter quos eſt Iacobus Zabarella lib. de Mente agente cap. 16. quod hoc argumentum vtique eſſet efficaciſſimum, ſi Deus aliquando ſuam nobis operam recuſaret, nec ſemper ad nos effunderet lumē ſuum. Nunc autem ſecus euenit; etenim præpotentis Dei lumen omnibus, & ſemper adeſt, immutabile, & nunquam deficiens. Quapropter, non ſequitur, aut intellectionē non eſſe in noſtra facultate, aut nos ſemper intelligere. Et cū vrgetur, cur ergo aliquando intelligimus, aliquando autem non? dicunt, id prouenire a nobis, vel quia non habemus habitum: vel quia organum phantaſiæ, non eſt diſpoſitum. Addunt exemplum, *quemadmodum enim ſi ſtatueremus Solem a noſtro hemiſphærio nunquam recedere, ſemper lumen præſens haberemus, quare ſi colorem quoque haberemus præſentem, in noſtro arbitrio eſſet inſpicere quando volumus: ſic de noſtro intellectu dicendum eſt: habet enim ſemper præſens lumen agentis.*

Sed hęc reſponſio ſuſtineri nequit: Nam ex ea clarè, & neceſſariò conſequitur, hominem, qui habet habitum, & eſt ad intelligendum diſpoſitus, ſemper ac neceſſariò intelligere. Atqui aliquis habens habitum, & ad intelligendum diſpoſitus, poteſt, ſi velit, ab intellectione deſiſtere, & operam ſuam, ad aliā rem transferre, vt experientia conſtat: ergo falſa eſt prædicta reſponſio. Conſequētia maioris patet; nam in hoc homine ſupponitur habitus, & eſt ad intelligendum diſpoſitus: Et per allatam reſponſionem tunc aliquis intelligit, cum habet habitum, & eſt ad promendam intellectionem diſpoſitus; ergo hic homo ſemper, & neceſſariò intelligit.

Et ſanè ſi hoc argumētum feceris diſiunctiuè, nimirum, *vel quia non habet habitum, vel quia organum phantaſiæ non eſt diſpoſitum*, vt nonnulli loquuntur, inter quos eſt Zabarella, profectò non recipit ſolutionem.

Cōfirmatur, Deus, in via Philoſophi, ad mētem etiā eorum, qui Alex. ſequuntur, eſt agens naturale, & neceſſarium. Huiuſmodi autē agēs eſt, quod ſemper, & eodem modo operatur, ſi quidem idem, manens idem, idem ſemper, & eodē modo operatur, quò fit, vt, ſi prima cauſa eſſet intellectus agens, & lumē eius perpetuò in nobis eſſet, ſemper, & eodem modo phantaſmata illuſtraret, & moueret intellectū, atq; adeò ſēper, ac neceſſariò intelligeremus. Hæc cōſecutio patet, quia poſſibilis intellectus nequit non intelligere, repræſentatis illi actualiter ſpeciebus intelligibilibus, & phantaſmatibus illuſtratis; ſicuti viſus nequit non videre, repræſētato illi actu obiecto viſibili: quoniam omnis potētia naturaliter fertur in ſuum obiectum. Cum itaq; falſum ſit, nos perpetuò, ac neceſſario intelligere, falſum quoq; erit hunc intellectum eſſe cauſam primam. Exemplum autem Solis, apprimè fauet ſententiæ noſtræ: etenim phantaſmata, vt legimus in 3. de Anima, ſunt veluti colores: ſi igitur lumen præfati intellectus agētis perpetuò nobis adeſt, perinde ac lumen Solis, ſi hunc ſtatueremus in hemiſphærio noſtro, ſequitur vt qui habet phantaſma alicuius rei, ſemper, & neceſſariò rem illam intelligeret, ſicuti qui habet colorem illuminatum præſentē, neceſſariò eum videt, propter rationem dictam.

Nonò, ſi intellectus agens non eſſet quid animę noſtrę, ſequeretur hominē a natura imperfectum eſſe productum, quia non haberet in ſe principia illa, per quę exercere poſſet ſuas operationes, inter quas præcipua eſt intellectio: vt in ea haud immeritò Stagirites lib. 10. Ethic. cap. 8. & 10. beatitatē hominis collocarit. Intellectio autem elici nequit ſine intellectu agente, & poſſibili: quamobrem perfectio humanę naturę requirit, intellectum tam agentem, quàm poſſibilem, qui ſunt intellectionis principia, eſſe ſibi aliquid intrinſecum.

Item, nos experimur abſtrahere vniuerſalia a phantaſmatibus, quod eſt facere intelligibilia actu: ſiquidē ea ad arbitratum noſtrum intelligimus; hinc Auerroes 3. de Anima com. 18. de abſtractione, & intellectione ſic ait, *& iſta actiones reducta ſunt ad noſtram volūtatem, ſcilicet abſtrahere intellecta, & intelligere*, ergo intellectus agēs, qui eſt huiuſce abſtractionis principium, erit neceſſariò aliquid noſtri. Nulli enim competit aliqua actio, niſi eidem inſit principium, & ratio agendi: quare &c.

Decimò, cum omne, quod reducitur de potētia ad actum, per contactum aliquem realem immediatè ab aliquo reduci debeat; hic etiam aſſignandum eſt aliquod principium actiuum, quod per contactum realem immediatè reducat intellectum poſſibilē de potentia ad actum intelligendi. Si autem principium hoc, atque

Dd 2 agens

agẽs eſſet aliquid extrinſecum, illud ſanè, aut eſſet ſubſtantia aut accidens.

Non ſubſtantia, quia vel eſſet aliquid animæ, & hoc pacto habemus intentum; intellectum agentẽ eſſe aliquid nobis intrinſecum: Neq; verò poſſet eſſe alia ſubſtantia pręter ſubſtantiam animæ; nam illa, vel eſſet materia, vel forma, vel tandem compoſitum, omnis quippè ſubſtantia, ſi Philoſophũ audias, 2. de Anima, tex. 2. in hæc tria ſecatur; ſi eſſet materia, non ageret: ſi forma, duæ formę ſubſtantiales eſſent in vno homine: nec deniq; compoſitum aliquod, ergo principium illud actiuum non poſſet eſſe ſubſtantia.

Nec poſſet eſſe accidens; Primò ſi eſt accidens, neceſſario de potentia alicuius ſubiecti educi debet, atque in eodem hærere. Omnium enim Philoſophorũ ſuffragijs eſt comprobatum, accidens non migrare de ſubiecto in ſubiectum. At in præſens de cuius nam potentia educitur, & in quo ſubiectatur? Ab anima ne? At hoc pacto non erit quid ab ea èxtraneum. Quinimò hoc ipſiſſimũ eſt, quod contendimus, intellectum agentem eſſe accidens aliquod animæ rationalis, ad modum proprię paſſionis, ab ea fluens. An ab intellectu poſſibili? idem profectò cõſequitur. Præterea, lubens ab illis quęſierim, hoc accidens, quod pro intellectu agente ſtatueretur, eſtne materiale, & corruptibile, an verò immateriale, atq; ab omni corruptione immune? ſi primum dixerint, ſtatim redarguentur à Philoſopho, qui intellectum agentem clamat eſſe immortalem, atq; perpetuum. Tum etiam, quia ſi eſſet materiale, nõ poſſet attollere intellectum vt intelligat. Si verò dixerint eſſe immateriale, incorruptibile atq; perenne, petas quæſo; quo igitur pacto illud educitur de potentia animę, aut intellectus? quæ ipſi materialia, & inſtar aliarum formarum ſublunarium corruptibilia ponunt. Profectò implicat, vt à ſubiecto materiali, & corruptibili, educatur accidens immateriale atq; incorruptibile. Poſtremò, nam accidens ad ſui conſeruationem, neceſſariò exigit ſubiectum, in quo conſeruetur, ad cuius etiam corruptionem corrumpitur: quo fit, vt, ſi accidentis immaterialis, & incorruptibilis ſubiectum, eſſet corruptibile, illud accidens eſſet corruptibile & non eſſet corruptibile. Tandem, quia abſurdum videtur, accidens eſſe præſtantioris ordinis, & conditionis, quàm ſit eius ſubiectum: eſſet autem huiuſmodi, ſi hoc ſecũdum affirmetur: quare principium illud, quod intellectum poſſibilem deberet reducere ad actum, nequit eſſe aliquod accidens externum, ergo &c.

Quòd ſi dicat aliquis, illud actiuum principium, eſſe lumen aliquod à Deo in intellectum poſſibilem diffuſum; quo is eleuatur, vt intellectionem eliciat.

Contra: hoc ipſum eſt quod quæritur, lumen iſtud, eſtne ſemper, ac neceſſariò diffuſum in intellectu, an interrumpitur? vnde, & quomodo? eſtne accidens, & quale? Vnde contra hoc refugiũ redeunt omnia argumenta iam facta. Quo fit, vt Alex. eiuſq; ſequaces, planè Siſyphi ſaxũ laborioſè voluere videantur. Præterquam quod, ſi pro intellectu agente ponunt lumen iſthuc, ineptè igitur dicunt, eſſe Deum. Item lumen illud in intellectu diffuſum, aut eſſet particulare aliquid, aut vniuerſale: non primum; quia non poſſet attollere intellectum, ad intelligendũ vniuerſalia: nam actio commenſuratur formæ, quæ eſt principium agendi, vt patet in calefactione, quæ commẽſuratur calori. Nec poſſet lumen illud eſſe vniuerſale, nam reciperetur in intellectu poſſibili, quem aduerſarij ponunt materialem, atq; adeò particularem: Et cum vnumquodq; recipiatur ad modum recipiẽtis, ſequitur vt, cũ illud reciperetur in aliquo particulari, ex neceſſitate eſſet particulare, ac ſingulare aliquid: quare &c.

Poſtremò, Deus ex ſententia Ariſtotelis non agit in hæc inferiora, niſi mediantibus cauſis ſecundis, nempe Cælo, quod agit motu, & lumine: quod etiam Alexandrei veluti iurati tuentur: ergo Deus nequit eſſe intellectus agẽs: quia ad illuſtranda phantaſmata, & ad intellectionem eliciendam, nullam habet proportionẽ motus Cæli, aut lumen ſenſibile, cum hæc non niſi in corpora, vel in facultates corporeas, & organicas agant; cuiuſmodi non eſt intellectus, vt ab Stagirite probatum eſt lib. 3. de Anima. Præterea, cum apud Alexandrum, eiuſq; ſequaces pro cõperto habeatur, a principio æterno, ac immutabili non poſſe immediatè prodire nouum aliquẽ, ac variabilem effectum, quounquam pacto ex alia parte docẽt, hanc numerò actionem, hanc phantaſmatum illuſtrationem, hanc in intellectum poſſibilem motionem, quæ ſanè noua ac variabilia ſunt, ab ipſo

ſo

ſo Deo immutabili, æternoq; principio immediatè cauſari?

Hæc duo argumenta tanti ponderis viſa ſunt, vt reipſa ſunt, Portio acerrimo Alexandri propugnatori, vt propterea coactus fuerit præfatam Alexandri opinionem de intellectu agente damnare: quam tamen non ſemel alio loco tutatus fuerat, & ad quam velut ad ſacram anchoram ſeſe receperat, vt complura Philoſophi loca de animorum immortalitate deluderet. Excipe eius verba ex libello de Mente humana cap. 4. *Alexander, & ſi multum luminis verbis Ariſtotelis attulerit, quò apertius eius ſententiam perciperemus, duo tamen ſemper in eius placitis minus me delectarunt: vnum, quod intellectus agens Deus ſit: nam ſi Deus eſt, qua ratione nobis corruptibilibus vnitur? Quare cum ponat Alexander nouum effectum, nullo alio intercedente a Deo proficiſci, prorſus a Philoſopho 8. Phyſicorum diſſentit, vt explicat quoq; ibidem Auerroes. Alterum eſt, quod cum Ariſtoteles aſſerat, quod quicquid Deus operatur, motu, & lumine Cæli id perficiat, ſi hoc ita eſt, quo pacto facultatem noſtram intelligendi illuminans perficiet, & non lumine Cæli, ſed proprio, & peculiari ſua eſſentia, & qua ratione Ariſt. agentem intellectum lumini, & habitui cōparauit? hæc enim vt non fuerunt a prioribus explicata, ita neque poſteriores nobis aperuerunt.* Hæc Portius.

Tandem ad confirmandam noſtram opinionem referunt nonnulli alia quoq; Ariſtotelis loca, vt tex. 92. libri primi de Anima, & tex. 11. lib. ſecūdi, & cap. 10. lib. 4. de partib. animal. & cap. 3. lib. 2. de generat. animal. Verùm vt quod ſentio liberè fatear, *οὐδὲν πρὸς ἔπος*. Ex his, quæ hucuſque attulimus, niſi nos omnia fallunt, planè conuincitur, intellectum agentem, de quo Stagirites diſſerit; nulla ratione conſtitui poſſe an Deum, vt Alexander exiſtimauit, an vllam aliam intelligentiam, vt Marinus, Auerroes, & alij opinati ſunt. Verumenimuerò quoniā Auerroes, & ab ipſo plerįq; omnes, eò cōtruſerunt Theophraſtum, & Themiſtium, quaſi hi quoq; exiſtimauerint intellectum poſſibilem, & agētem eſſe aliquid extrinſecū ab anima, & eſſe ſubſtātias abſtractas; quinimo Iacob. Zabarella ad Alexandri opinionē compulit diuinum Platonem, haud omninò ab re fore exiſtimauimus, ſi cultoribus veritatis hanc adeò immanem calumniam detexerimus: ſit itaque.

SECTIO SEPTIMA.

Nec Theophraſtus, nec Themiſtius, nec Simplicius, nec vllus vnquam ex præclaris Philoſophis Græcis, conſtituit intellectum vel poſſibilem, vel agentem, de quo loquitur Ariſtoteles, eſſe aliquid extrinſecum ab anima rationali, & vnam aliquam ſubſtantiam ſeparatam, omnibusq; hominibus communem: Minimè verò omnium diuinus Plato.

AVerroes 3. lib. de Anima com. 5. impoſuit Theophraſto, & Themiſtio, quod exiſtimauerint intellectum poſſibilem, & agentem, de quo Stagirites in 3. de Anima, tex. 17. & 18. haud eſſe quicpiā animæ noſtræ, ſed ſubſtantias quaſdam ſeparatas, æternas, & quæ cunctis hominibus aſſideant. Deinde eius dictum ita in poſterorum inſedit animis, vt vix pauci, & *vel duo, vel nemo*, germanam Theophraſti, & Themiſtij mentem excuterent, ſed quod Arabs retulerat, vt ratum, & quaſi Pythagoricum effatum amplecterentur, immò factum eſt, vt plerique arbitrarentur, Auerroem ſuam ſententiam ab illis fuiſſe mutuatum. Nos longè aliud apud hos auctores inuenimus: nempe eos nunquam eiuſmodi figmenta ſomniauiſſe, ſed ex animo tenuiſſe intellectum poſſibilem, & agentē (quod etiam de Themiſtio adnotauit S. Thomas opuſc. 16.) de quo in præſentia loquimur, verè eſſe aliquid animę noſtræ: ambo cum ea congenitos, & iuxta numerum intellectricium animarum multiplicatos.

Lubeat verò ipſum Auerroem prius audire, qui vbi dixit intellectum poſſibilem non eſſe corpus, aut virtutem in corpore, ſed aliquam naturam a materię commercio ſeiunctā, quòd alias nō reciperet res vniuerſaliter, ſubiungit: *Et hoc idē induxit Theophraſtū, & Themiſtium, & plures expoſitores ad opinandum, quod intellectus materialis eſt ſubſtantia: neq; generabilis, neq; corruptibilis*: Et paullo poſt, *ſed cum poſt viderunt Ariſt. dicere, quod neceſſe eſt, ſi intellectus in potētia eſt, vt etiam intellectus in actu ſit, ſcilicet agens; & eſt illud quod extrahit illud, quod eſt in potentia de potentia ad actum, & vt ſit*

intellectus extractus de potentia in actum, & eſt ille, quem intellectus agens ponit in intellectum materialem & cum poſt hoc viderũt, opinati ſunt, quod iſte tertius intellectus, quem ponit intellectus agens in intellectum recipientem materialem, & eſt intellectus ſpeculatiuus, neceſſe eſt, vt ſit æternus. Cum enim recipiens fuerit æternum, & agens fuerit æternum, neceſſe eſt vt factum ſit æternum neceſſariò &c.

Cæterùm hæc præter omne æquum, præclaris his auctoribus imponuntur, quorum germana mens vt cuique appareat, paullo altius rẽ deducam. Referã primò de Theophraſto, quod in eius libro *de Phantaſia, & intellectu*, atq; in commentatione Priſciani Lydi, tum apud alios auctores ſcriptum reperio. Et quidẽ in cap. 16. præfati libri ita philoſophatur, entia a materia ſeparata, in triplici gradu cõſiſtunt: in primo quidem ſunt ea, quæ penitus a materia ſegregata ſunt, & in ſeipſis penitus indiuidua. In alia parte collocantur ea, quæ explicantur, & ad materiam, corpuſque extenduntur. Inter hæc duo ſiſtunt alia, quæ licet in ſemetipſis ſint indiuidua, tamen ſunt determinatiua eorum, quæ explicantur. Clarius ſonant, entium immaterialium, quædam ſunt omninò & purè actus: vt Deus Opt. Max. quædam licet in ſe immaterialia ſint, nihilominus extenduntur, & contrahuntur ad materiam & corpus, vt anima rationis compos, eiuſq; intellectus: alia denique ſunt media, vt intelligentiæ. Excipe Theophraſti verba ex Priſciano, capite illo 16. *At quoniam in rebus reuera ſeparatis, expertibuſque materia differentia quadam eſt ſub deſcenſu quodam; alia enim ſubſtantiæ ſunt penitus indiuidua, alia cum explicatione quadam, aliæ deniq; inter hæc media ſunt, tanquam indiuidua quidem, determinatiua tamen explicatorum, &c.*

Ex qua quidẽ radice colligit etiam triplicẽ debere conſtitui intellectum. In primo gradu, & apice ſiſtit diuinus intellectus: in vltimo gradu eſt intellectus humanus, tota nẽpe vita rationalis, inter hoſce intellectus, ſunt intellectus intelligentiarum. Audi auctorem in eodem cap. 16. *Sic & intellectus ipſe ſe habet, primo quidem gradu ſeparatus eſt ille, qui ſecundum actum dicitur intellectus. Secundò verò intellectus ſecundum potentiam deſignatus, & participatus a anima atque ipſa rationalis anima. Hæc enim quamuis cum explicatione ſe habeat, tamen ad indiuiduum ipſum, & ſe, & alia colligit. Hæc enim a ſe ipſa ſuum opus orditur, hæc in ſe ipſa res inuenit, atque vera, hæc igitur ſeparata eſt &c.*

Iam verò priuſquã ad alia progrediamur, duo hic adnotare oportet. Alterum, quod dum Theophraſtus ait, ſecũdo loco poni intellectum ſecundum potentiam deſignatum, & ab anima participatum, ipſamq; animam rationalem, pro ſecundo intelligit infimum gradum, nempe humanum intellectum. Res eſt clara: quia eo ordine nunc percenſet intellectus, quo ſuperius retulerat ſubſtantias immateriales: ibi verò ſecundo loco poſuit ſubſtantias materiæ expertes, quæ tamen explicantur, & extenduntur ad materiã; quæ proculdubio ſunt animæ intellectrices: quocirca hic quoque pro ſecundo loco intelligit infimum. Alterum eſt, quod in hoc poſtremo intellectuum gradu eſt intellectus agens, intellectus poſſibilis, atq; ipſa anima rationalis: id a Platonicis appellatur, tota vita rationalis, vt optimè animaduertit Priſcianus in dicto lib. cap. 6. cuius hæc ſunt verba. *Videntur ſanè Ariſtoteles, & Theophraſtus intellectum aliquando totam vitam rationalem cognominare, vbi etiam vſque ad phantaſiam intellectus nomen extendunt.*

Quod ſi dicas, cum Theophraſtus triplicem, vt vidimus, conſtituerit ſubſtantiam a materia ſeparatam, & pari pacto triplicem intellectum, cur non explicuit tertium intellectum, qui nimirum eſt medius inter diuinum, & humanum?

Ideò; quia in eo libro cum ex profeſſo tractaret de intellectu humano, eſt enim liber ille *de Phantaſia, & intellectu*, neceſſe habebat exponere intellectum humanũ. At quia hic, quemadmodum habet eſſe a primo ac diuino intellectu, ita citra eius opem operari nequit, operæprecium erat de illo quoque fieri mentionem. Cæterùm intellectus intermedij nihil ad præſens attinebant, ob id, & ſi ſubſtantiam immaterialem, & intellectum in triplicem gradum partitus fuerit, non iniuria medium intellectum explicare neglexit.

Verùm vlterius pergo: idem auctor, intellectum potentia, ſiue humanum, appellat *animalem*: quia nimirũ eſt propria intellectricis animæ virtus. Addit, eum vocari intellectum potẽtia reſpectu primi ac diuini intellectus, qui sẽper eſt actu. Excipe eius verba ex c. 4.

Quan-

Quando, inquit, *intellectus cum natura comparatur, ſecundum quandam proportionis comparationem id aſſumendum eſt, & quatenus in potentia quadam eſt intellectus alter ad alterum: ſic enim intellectus animalis ad ipſum, qui ſemper actu, eſt intellectus, atque ſeparatus', meritò omnia eſſe in potentia dicitur.* Et paullo poſt; *Hac igitur ratione animalis intellectus eſſe dicitur in potētia, quatenus videlicet ad intellectum pertinet ſeparatum, quoniam ille prorſus eſt impartibilis, ſyncerèque vnitus ad intelligibilia praclariſſima &c.* Tū etiam, *Intellectus autem animalis nec eſt vt materia, nec vt ſenſus: eſt enim ſpecies, omniumq; ſpecierum ſecundum ipſius eſſentiam comprehenſor.*

Quod ſi quiſquā vberius ſcire auet, cur intellectum humanum vocitet animalem, is porrò adeat Marſilium Ficinum in Platonica Theolog. lib. 1. 3. & 7. Et in Epitome ad lib. 1. & 2. Plotini de Anima, vbi hęc omninò legimus. *Generatio ſemper contendit ad eſſe: primùm quidē ad eſſe nudum, deinde ad eſſe viuum, poſt hac ad eſſe quod dicitur ſenſuale, denique ad eſſe intellectuale tanquam ſummum, vbi anima intellectualis ad corporis deſcendit comercium. Super hunc ordinē extat ordo eſſentia in aternis gradibus vniuerſi, in quo ſummum tenet velut principium ipſe ſimpliciter intellectus: a quo intellectus animalis in generatione deſcendens, ſummum tenet in toto generationis ordine, tanquam finis: non quidem ſimpliciter generatione factus, ſed accōmodatus corpori ad prouidentiam totius explendam:* quæ omnia ex Academiæ fontibus manarunt.

Præterea, Theophraſtus præfatum intellectum aſſerit eſſe congenitum cum anima noſtra, profectumq; a primo ac diuino intellectu, ideòq; etiam perfici ab illo, & intelligibilibus, quę in eo ſunt. In cap. 5. ita loquitur. *Hac vtiq; ratione quodammodo patitur, quando de generatus a pura, & prorſus indiuiſibili ſeparatorum intelligibilium vnione, & tanquam inde digreſſus, propterea quod cum anima congenitus eſt,* (audin' cum anima congenitus eſt?) *nimirum tanquam alter ab alteris, tam ab ipſo ſecundum actum intellectu, quàm ab intelligibilibus, qua ſunt in ipſo perficitur.* Idem lego in verbis eiuſdem auctoris relatis a Themiſtio 3. de Anima cap. 39. quæ ſunt. *De intellectu itaq; poteſtatis hac dicit,* id eſt Theophraſtus, *quomodo intellectus extrinſecus accedat, & quomodo tāquam appoſitus, inuectuſq; ſit, quaritur quemadmodum congenitus nobis dicatur? &c.*

Ex his itaq; quæ hucuſq; ex Theophraſto adnotauimus, clarè colligitur, intellectum potentia ad eius mentem, non eſſe vnam aliquam ſubſtantiam ſeparatam, vt ei Auerroes impoſuit, ſed aliquid animæ intellectiuę. Primò, quia ſi exiſtimaſſet intellectum noſtrum eſſe vnam aliquam ſubſtantiam ſeparatam, & intelligētiam, ineptè diuiſiſſet ſubſtantias a materia ſegregatas, tum etiam intellectum in tres gradus, diuinum, humanum, & intelligētiarum, vt primo loco adnotauimus: Verùm ſecuiſſet in ordinem duntaxat diuinum, & intelligentiarum. Deinde, eundem intellectum non appellaſſet animalem.. Porrò intellectus animalis vtiq; eſt aliquid animæ. Quid? ſi eſt congenitus cum anima noſtra, qui vnquam non eſt aliquid animæ?

Cæterùm vt rem penitus intelligas, ſcito, intellectum animalem apud Theophraſtum diuidi in intellectum potētia, ſeu poſſibilem, & agentem. Et quidem de intellectu potentia vel ex eo, quod iacet in cap. 4. præfati lib. liquidò conſtat, nempe, *intellectus autem animalis nec eſt vt materia, nec vt ſenſus: eſt enim ſpecies, omniumq; ſpecierum ſecūdum ipſius eſſentiam comprehenſor:* Atqui rerum omnium comprehenſor, eſt intellectus potentia, vel ipſo Philoſopho auctore lib. 3. de Anima tex. 4. ergo &c.

Quod verò intellectus animalis ſit quoq; agens, colligitur primò, quia intellectus agēs eſt qui mouet intellectum potentia ad intelligendum: quippe eſt vt cauſa & factiuum 3. de Anima tex. 17. Atqui intellectus animalis, quiq; cum anima noſtra eſt congenitus, præterquam quod a primo ac diuino intellectu, perficitur, ipſe quoque perficit ſeipſum, ſeque ipſum expergefacit ad intelligendum, quod his omninò verbis tradit Theophraſtus in cap. 5. *Et tanquam inde digreſſus, propterea quod cum anima congenitus eſt, nimirum tanquam alter ab alteris, tam ab ipſo ſecundum actum intellectu, quàm ab intelligibilibus, qua ſunt in illo perficitur. Veruntamen ipſe quoq; perficit ſeipſum, quantum expergiſcitur a ſeipſo, ſeq; ad illum actum intellectu accommodat, perfectionemq; ab illa actione propria ſuſcipit:* ergo intellectus animalis, & cum anima noſtra cōgenitus, eſt etiam agens.

Præterea, in cap. 17. ſic indubitat, cum rerum aliæ quidem ſint materiales, aliæ verò materiei expertes, & intellectus nobis congenitus, vtraſq; intelligat, quomodo intelligit

git materiales, quomodo immateriales? Reſpondet, illas quidem intelligere per abſtractionem, has verò quando ſyncerè vtitur ratione, neque ad ſenſum, phantaſiamue protenditur, ſed contemplatur ſpecies, & rationes (hoc etiam hauſtum eſt e Platonis fontibus) ſibi inſitas. Atqui abſtractio eſt munus intellectus agentis, quare ſi intellectus nobis congenitus abſtrahit, profectò hic idẽ eſt agens.

Idem colligo ex alijs Theophraſti verbis, relatis a Themiſtio in 3. de Anima. Et primo quidem in cap. 39. hæc omninò lego. *Ex quibus liquet, Theophraſtum de intellectu potentia eadem ferè in dubitationem vocaſſe, quæ de intellectu quoq; agente quæruntur. Vtrum deforis accedat. vtrum congenitus habeatur. Definitum præterea eſt, quemadmodum deforis accedere, & quemadmodum congruitus haberi probetur.* Iam ſi Theophraſtus æquè de intellectu agente atq; de poſſibili dubitauit, num deforis accedat, dein definiuit eum nobis congeneratri, profectò intellectus agens eſt aliquid noſtri: quippe intellectus qui cum anima noſtra congignitur, aliquid eius eſt. Addit Themiſtius in eo ipſo cap. 39. tum in cap. 30. Theophraſti dubitationẽ, & ſolutionem his omninò. *Eodẽ modo Theophraſtus videtur de intellectu agẽte indubitaſſe: Si, inquit, illi, potẽtia, vt habitus eſt. aut congenitus ſit oportet, aut poſterius acceſſit. Si congenitus, ſemper ergo, & iam inde ab initio protinus moueret. Si poſterius acceſſit, quo inſtrumento. aut quo genere abſolutio hæc facta eſſe dicetur? Videtur ergo tanquam ingenitus, ſi incorruptus. Inhærens verò, aut aſſiſtens cum ſit, cur non ſemper moueat? aut vnde obliuio, & deceptio naſcitur? num de permiſtione.* Quibus quidem verbis cum Theophraſtus in dubium vertiſſet: Verum ne illi, id eſt animæ intellectiuæ vterque intellectus, potentia, & habitus, hoc eſt agens, a primo noſtri ortus momento ineſt: & agens intellectus æquè atq; poſſibilis eſt illi congenitus: quippe ſi illi eſt congenitus, cur non ſemper mouit intellectum poſſibilem, vt ſemper intelligeremus? Sin autem non eſt congenitus, quo inſtrumẽto accedit, aut quonam pacto fit hæc abſolutio intellectus poſſibilis? Soluit: intellectus agens eſt illi; nempe animæ congenitus, cum ſit incorruptus: tum, non mouet autem ſemper, & contingit obliuio &c. ex temperamento. Ex his ſatis colligitur, Theophraſtum ex animo tenuiſſe, intellectum quoq; agentem, de quo hic agimus, verè eſſe aliquid animæ noſtræ.

Veruntamen vt huius auctoris ſententia, quæ deinceps, & Themiſtij, & complurium aliorum extitit, penitius introſpiciatur, animaduertere opus eſt, geminum ab his conſtitui intellectum agentem ſubordinatè: hunc quidem primum, ſubordinantem, & veluti remotum: hunc verò ſecundum, ſubordinatum, & proximum propriumq; intellectricis animæ. Ille eſt omninò vnus, hic multiplex: ille eſt Deus Opt. Max. qui perinde ac Sol vnus, cunctos homines illuminat, hic eſt facultas, ſeu pars animæ, qui vt lumen a Sole, ita a primo intellectu profectus, accõmodatur, & coaptatur huic, vel illi homini atque tum ab illo primo intellectu mouetur, illuminatur, perficitur: tum ipſe mouet intellectum potentia, illuminat, perficit. Totum hoc adamuſſim expreſſum habes a Theophraſto cũ alibi, tum cap. 5. præfati libri de Phantaſia, & intellectu, quo loci eum dixiſſet, intellectum, qui nobis congignitur, *tàm ab ipſo ſecundum actum intellectu*, id eſt Deo, *quàm ab intelligibilibus, quæ in illo ſunt perfici*, ſubiungit, eum ipſum etiam a ſemet perfici. *Veruntamen ipſe quoque perficit ſeipſum, quantum expergiſcitur a ſeipſo, ſeque ad illum actum intellectu accommodat, perfectionemq; ab illa, actione propria ſuſcipit.* Audin' quomodo intellectus noſter perficitur quidem a primo intellectu, attamen ſe ipſe etiã perficit? ipſe videlicet prout eſt agens, mouet ac perficit ſe vt poſſibilis eſt, ſeque ad actum intelligendi accommodat, necnon propria actione ſuſcipit perfectionem a primi intellectus perfectione? Idem repetit in cap. 18. his omninò verbis; *Intellectus enim hic in potẽtia nominatus, quatenus eſt inferior, atque ipſemet in ſe duntaxat excogitatur, nondum eſt actus, ſed quatenus copulatur primo, ſic ab illo perfectus, immò ſecundum illum perficiens inde ſeipſum.* Conſimilia reperies paſſim tum apud hunc ipſum auctorem, tum apud Veteres noſtros, maximè verò Platonicos.

Quę cũ ita ſint, hoc ſedulò adnotato, quod ſi vſpiã Theophraſtus, Themiſtius, vel etiam Plato, intellectum agentẽ dicunt eſſe Deum, indicant intellectum agentem priori modo, primum nempe ac ſubordinantem; & ex verò loquũtur: nec id nos vnquam inficiamur: quinimo pleno ore fatemur, & profitemur,

Deum

Deum Opt. Max. verum ac primum intellectum, veramq; lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Attamen paſſis velis contendimus, præter illum, debere in nobis conſtitui alium quoq; agẽtem intellectum, illi ſubordinatum, proximumque & proprium animæ, quod nec præfati auctores, vt iam patefecimus, negauerunt. Ideò nos in hac Diſput. vbicumq; obtigit nominare intellectum agentem, cõſultò ſemper adiecimus hæc verba, intellectus agens, de quo loquitur Ariſtoteles, vel tale quicpiam, vt innueremus, nos in præſentia neutiquam verba facere de intellectu agente primo ac diuino, ſed de ſecundo.

Hanc doctrinam luculentiſſimè explicauit Themiſtius, qui lib. 3. de Anima cap. 32. cũ in dubium reuocaſſet, *An intellectus agens ſit in omnibus hominibus vnus*, pro eiuſq; vnitate duplex aſportaſſet argumentum: Quia & Sol, cui hic intellectus comparatur, vnus eſt. Et quia, ſi hi intellectus diſcriminarentur numero, & ad ſingulos intellectus potentia ſinguli agentes accommodarentur, profectò conſtarent ex materia, quoniam quęcumq; multa numero, materiam habẽt: Dein reſpondet, intellectum agentem eſſe duplicem, alterum primum, & ſolummodo illuminantem; & hunc eſſe vnum, & comparari Soli: alterum ſecundum, ſimulque illuminatum, & illuminantem, hunc eſſe multiplicem, & comparari lumini. Excipe eius verba, quanquam longiuſcula, *Ac primum quidem ſi lucem, cui collatus comparatusque eſt, reſpicias; obtinebit vnum eſſe: quando vniuerſis vnus idem lucis ſplendoriſque largiatur: proindeque vnus auctor, & principium luminis ſit, unde omnium animalium oculi collustrantur. Quemadmodum autem luminis huius mundi publicè incorruptio, immortalitaſq; aſpectus ſingulorum animalium non pertingit, ita intellectus agentis æternitas nihil pertinere ad ſingulos homines videtur. Iam verò ſi multi intellectus agentes inuehendi eſſent, & ad ſingulos intellectus potentia ſinguli agentes accommodandi, aſſociandiq; viderentur, quonam modo viciſſim differrẽt? nam ſingularia, quæ eadem ſpecie habentur: interſtinctione materia diſcernuntur: intellectus autem agẽtes, ſi plures forent, eadem ſpecie continerentur, tum quia omnium eorum ſubſtantia definiretur actu: tum quia eadem generatio conſtitui oporteret, quæ promiſcue ab omnibus vſurparentur, cognoſceerenturque. Si enim non eadem omnibus ſint futura; ſed diuerſa, qualis viam obſecto iſthæc ſortitio, & diſtributio fuerit? Quo item pacto intellectus potentia omnia intelliget, niſi intellectus agens, qui illum ad actum perducit, etiam intelligat omnia? An primum quidem intellectum illuminantem credi vnum oportet, illuminatos verò & ſubinde illuminantes, multos: quemadmodum quanquam Sol eſt vnus, tamen lux quæ de Sole prodit, & mittitur, quaſi abiungitur ab eo, & diuellitur, atq; ita in multos obtutus diſtrahitur. Quamobrem Ariſtoteles intellectum non Soli, ſed lumini comparauit: Plato autem Soli, quia intellectum, & animum hominis, Deo eſſe quam ſimillimum volebat.* Hæc Themiſtius.

Ex quibus quidem verbis colligitur primò, hunc auctorem ex animo tenuiſſe, intellectus poſſibiles eſſe ad hominum numerum multiplicatos: quippe hoc ſuppoſito, quęrit, num intellectus quoq; agentes plures, ſeu ſinguli ad plures ac ſingulos intellectus potentia accommodandi, aſſociandiq; ſint. Secundò colligitur partitio intellectus agentis, iam retro a nobis expoſita. Tertiò, quomodo primus intellectus agẽs comparetur Soli, alter lumini: Et, quemadmodum Sol, qui eſt fons, & origo luminis, vnicus eſt, vnde etiam Sol, quaſi ſolus, dictus; lumẽ verò ab illo profectum, in plures obtutus receptum, diuiditur diſpartiturque; ſic prior ille intellectus vnus eſt: alter autem qui ab illo tanquam lumen a Sole dimanat, eòq; & illuminatus quà ab illo eſt, & illuminãs quà mouet intellectum potentia, hic inquam multiplicatur diſpartitus ad ſingulos homines, & intellectus potentia, perinde ac lumen ad diuerſos obtutus. Poſtremò, quomodo Plato intellectum agentem comparauerit Soli, Ariſtoteles verò lumini, quia ille loquebatur de priori intellectu, hic de poſteriori, & noſtro: Iſte multiplicatur, ille non: de quo etiam primo intellectu intelliguntur ſubſequentia Themiſtij verba, & argumenta, dum ait, *Quod ſi cui extrema opinio incredẽda videatur, omnes homines, qui ex actu, & potentia conditi dicimur, ad vnicum intellectum agentem referri, vnde conſiſtimus, ſumuſque homines, nihil eſt quamobrem auerſari abſterrerine debeat. Vnde enim &c.*

Quod ſi quiſquam eſt, qui his acquieſcere nolit, audiat adhuc eundem auctorem in cap. 91. quod eſt, *contra eos qui dicunt, intellectũ agentem eſſe Deum: aut propoſitiones primas. Item intellectum agentem eſſe ſpeciem animæ, ſeu partem:* vbi conceptis verbis hunc intellectum ſancit eſſe vel partem animæ noſtræ, vel nos ipſos: id eſt,

di; vel illud profectò multò præſtat argumenti, quòd is pro firmo & conſtituto habuit, animas intellectrices, priuſquam in hæc caduca & mortalia corpora demitterentur, habuiſſe ſibi inſitas rerum omnium formas ac ſpecies: verùm a primo intellectu, ac Deo digreſſas, degenerauiſſe, atque in corpus quaſi in letheum flumẽ immerſas, memoriam omnium illarum rerum depoſuiſſe: Qua de re Plato in Menone, in Phędone, in Cratylo, in lib. 9. de Repub. in lib. 12. de legib. in Epimenide, in Epiſtolis ad Dionyſium, & alibi ſæpe: Plotinus Enneade 1. & 4. Marſilius Ficinus in Theologia Platonica, & nos ſupra Diſput. 3. ſect. 1.

Cæterùm, quamuis hæ formæ inſint in anima, ſiue in intellectu poſſibili, & quidem actu, nihilominus non intelliguntur, niſi præſentia, ope, & luce primi intellectus, id eſt Dei: Atque vt litteræ ſucco cepæ inſcriptæ, quod eſt quorundam Platonicorum exemplum, etſi in papyro actu incubant, tamen non videntur, niſi papyrus calefiat, *ita rerum formæ, quæ in intellectu reſident, haud cernuntur, niſi in conſpectum veniant ignis diuini præſentia.* Porrò intellectus diuinus aſſiduè quidem infundit in anima lucem atque intelligentiam, ſed anima non aſſiduè, ſed interpollatè eam recipit: prout ſeſe excitat, mouet, conuertitq; ad illum, ſua ſponte. Quo verò pacto Deus aſſiduè infundat in anima intelligentiam, hæc verò per diuerſa tantummodo temporum momenta recipiat, (ſecus enim ſemper intelligeremus, quod tamen experimur eſſe falſum) multis proſequuntur Platonici. Quod elegantiſſimo exemplo illuſtrat Marſilius Ficinus lib. 3. de Platon. Theolog. cap. 1. *Sed rem totam,* inquit ille *hoc accipe exemplo. Sol ex ſeipſo lumen habet, infundit ipſum momento in Mercurium, Mercurius quoque momento totum ſuum accipit lumen, manetque ſemper deinde pleniſſimus. Sol idem lumen momento infundit in Lunam, Luna non ſuſcipit ipſum momento, ſed tempore: Nam prout alias aliter in Solem vertitur, ita alias aliter accipit lumen, & per naturam ſuã viciſſitudine luminis variatur. Sol Deum, Mercurius Angelum, Luna ſignificat animam. Anima enim ſola ſicut Luna ad Solem, ita ſe habet ad Deum. Quapropter nihil obſtat, quin anima a diuinis deſcendat, capiatque diuina, & tamen per naturam propriam moueatur, &c.*

Ex his euidenter colligitur, præter communem, ac diuinum intellectum, eſſe in anima noſtra conſtituendum aliud agens particulare, ipſiq; animæ internum, quod eam, ſiue intellectum poſſibilem excitet, moueatq; vt a primo illo intellectu recipiat lumen, atq; intelligentiam.

Hoc enim anima, ſeu intellectus poſſibilis a ſemetipſo præſtare nequit, cum ſit in potentia ad eiuſmodi motum, & receptionem: & nihil extrahat ſe de potentia ad actum. Quare ad mentem Platonis neceſſariò danda eſt in anima noſtra aliqua vis, ipſimet animæ interna, quæ eam excitet, moueatq; ad pręfatam lucem ſuſcipiendam, eliciendamque intellectionem. Et hæc vis eſt intellectus agens, de quo loquimur.

Præterea, id ipſum conſpicis in Platonico illo exemplo, de litteris ſucco cepæ exaratis. Quippe, ſicuti non ſatis eſt eſſe dictas litteras in charta inſcriptas, & ignem: ſed præterea requiritur aliquod agens, quod chartam approximet, applicetq; ad ignem; ita haud ſatis fuerit eſſe intellectui inſitas rerum formas, ac ſpecies; tum etiam eſſe primi ac diuini intellectus lucem, ſed præter hæc exigitur aliquod particulare agens, quod intellectum poſſibilem moueat, ac pæne applicet ad primi intellectus ſplendorem: Et hoc eſt intellectus agens, quẽ indagamus.

Quid? in illo ipſo loco, 6. de Republ. ex quo Iacobus Zabarella, vt retulimus, opinatus eſt, Platonem in Alexandri extitiſſe opinione, clariſſimè diuinus Plato indicat, præter primum intellectum agentem, ac Deum, debere in nobis alium proximum propriumque animæ conſtitui, cum ita philoſophetur. Ad hoc vt quiſquam audiat, non ſatis eſt eſſe aurem, & vocem, ſed præterea requiritur medium: tum vt videat, non ſatis eſt eſſe viſum, etiam intentum, & colores, ſed requiritur quoque medium, quod eſt lumen, quod a Sole proficiſcitur: Ita ad hoc vt aliquis intelligat, haud ſatis eſt eſſe intellectum poſſibilem, & res intelligibiles, ſed requiritur adhuc quodam lumen. Modo ſicuti eſt Sol in ordine viſibilium, ita Boni filius, nempe primus ac diuinus intellectus eſt in ordine intelligibilium. Quare quemadmodum lumen non eſt ipſe Sol, ſed aliquid ab eo profectum, & in oculis receptum, ita lumen intellectuale, hic eſt intellectus agens, de quo loquimur (ex hoc loco, opinor, ſumpſit Ariſtoteles exemplum de lumine, dum 3. de Anima text. 18. comparauit intellectum agentem lumini, *qui-*

dam

Digitized by Google

dam verò, qui omnia facit, vt habitus quidam: quale eſt lumen) non eſt ipſemet primus ac diuinus intellectus, ſed aliquid ab eo profectum, & animæ noſtræ appropriatum.

Vin' eius verba audire? Hæc ſunt. *Sic autem, conſidera. Eſt ne auditui, atque voci alio genere opus, ad hoc vt ille quidem audiat, hæc audiatur? quo tertio abſente, ille non audiet, iſta non audietur. Nequaquam. Arbitror equidem, neque alijs multis, ne dicam nulli, tali quodam. An tu talem aliquam vim reperis? Minimè. An non aduertis viſus ipſius, & eius quod viſui ſubiacet vim, tali aliquo indigere? Quo pacto? Præſente oculis viſu, ipſiſque ad ſpectandum directis, præſente item colore, niſi adſit, & genus tertium, propriè ad hoc natura aptum, neque viſus videbit quicquam, neque videri colores poterunt. Quidnam id eſſe dicis? Quod tu lumen vocas. Vera loqueris. Quem potiſſimum Deorum cæleſtium huius cauſam putas, cuius lumen efficit, vt & viſus noſter quam optimè cernat, & oculis obiecta cernantur? Quem tu putas, & alij. Nempe de Sole interrogas. Ita verò ad hunc Deum ſe viſus habet. Quomodo? Viſus Sol non eſt, neque oculus, cui ineſt viſus, Sol eſt. Non certè, ſed ex omnibus ſenſuum organis, ad maximè Solis particeps. Multum ſanè. Nonne, & vim, quam habet ex Sole infuſam, ſeruat? Prorſus. Quinetiam Sol viſus non eſt: Cauſa verò ipſius cum ſit, ab eo ipſo proſpicitur. Sic planè. Hunc me vocare Boni filium dicito, quem ipſum Bonum in hac ſecum genuit comparatione conſimilem: vt quemadmodum ipſum in loco intelligibili ad intellectum, & ea quæ intelliguntur, ſe habet, ſic & iſte in loco viſibili ad viſum, ſe habeat, & ad ea, quæ videntur, &c.* Sed iam modus ſit: nam ſicut abſtruſa hæc Platonis dogmata velle vberius explicare prolixæ admodum eſſet orationis, ita ex his, quæ hucuſque ex eo attulimus, clariſſimè apparet aſſertio noſtra. Ego ad Peripatum redeo.

Vbi, ipſummet Alexandrum Aphrodiſeum amplexatum fuiſſe dictam intellectus partitionem, & re ipſa exiſtimaſſe, præter primum intellectum agentem, ac Deum, quem illuminantem ſolummodo diximus, eſſe præterea conſtituendum in nobis alium intellectum agentem, peculiarem propriumq; animæ humanæ, contendunt aliqui viri docti. Auguſtinus Steuchus Eugub. lib. 9. de Perenni Philoſophia cap. 21. & Iulius Cæſar Lagalla lib. 3. de immortalitate Animæ cap. 1. Hinc etiam adnotant Alexandrum lib. 2. de Anima cap. 23. innuere, eſſe aliquem alium intellectum ſuperiorem eo, qui in nobis eſt agens; maximè illis verbis. *Is autem intellectus, ſiue ſolus ipſe res gubernat, quæ in hoc orbe ſunt, ad relationem diuinorum, & concernit, ac diſcernit: vnde ipſe intellectum in poteſtate creat, ſiue cum ordinato, certoque cæleſtium motu, (ab eo enim res, huius orbis gignuntur, acceſſione præſertim, & receſſione Solis,) ſiue ab eo procreantur, & ab intellectu noſtro.*

Hinc etiam ex cap. 18. eiuſdem lib. 2. colligunt; Alexandrum aſſeruiſſe, intellectum agentem eſſe re, & ſubſtantia idem ac intellectum potentia, ſolaque ratione diſtingui: Tum etiam cap. 22. cum hæc omninò ſcribat: *Quoties igitur conſecutus fuerit hoc organum*, id eſt, intellectus agens, *tunc & tanquam per organum, & tanquam circa materiam, & tanquam per materiam agit; & tunc nos dicimur intelligere*, ſubnectunt iſti, Atqui nos dicimur intelligere per intellectum potentia, ergo idem eſt intellectus potentia, quod intellectus agens. Idem colligunt ex cap. 20. quo loci differentiam ſtatuens inter ſenſum, & intellectum, ait, ſenſum quidem propriè pati: *Intellectum verò eſſe actiuum: cum enim plurimarum rerum intellectiuus ſit, ſimul etiam agens, vt eas intelligat fiet*, vbi clarè pronunciat, eundem re ac ſubſtantia eſſe intellectum agentem, & poſſibilem; nec differre, niſi ratione.

Ob id præfati auctores piè conantur eundẽ Alexãdrum ab animarum parricidio liberare. Et Marſilius Ficinus lib. 1. de Theologia Platon. cap. 1. de hoc ipſo auctore hęc habet. *Quid verò ipſe ſentiat Alexander, in quæſtionibus naturalibus declarat, vbi inquit, Medicina, & ſi ſcientia eſt, tamen in opere ſuo ars apparet: quemadmodum anima, & ſi eſt immortalis, tamen in corpus mortale demerſa, videtur eſſe mortalis. Atque iterum ait: Noluiſſe mundi opificem, diuinos cæleſteſque hominum animos corporibus terrenis abſque congruo quodam medio colligare*: hæc Ficinus. Verùm de Alexandro non equidem plura: neque anxius laborauerim. Ad alia pergo: ſit ergo.

SE-

SECTIO OCTAVA.

Intellectus agens non eſt habitus primorum principiorum: neq; eſt intellectus poſſibilis prout actu intelligit: ſed eſt vera animæ rationalis facultas, quę adinſtar propriæ paſſionis ab ea dimanat.

ET quidem intellectum agentem haud eſſe notitiam dignitatū, ſiue habitum primorum principiorum, vel ea demōſtrant, quæ Stagirites 3. de Anima tex. 17. & 18. huic intellectui attribuit. Principio air tex. 17. eū eſſe in anima, in qua pariter intellectus poſſibilis ineſt, *neceſſe enim eſt, & in anima has eſſe differentias.* Atqui habitus principiorum, & generatim quiuis habitus intellectualis, nō reſider in anima, velut in proprio ſubiecto, ſed in intellectu poſſibili, ergo intellectus agens non eſt habitus principiorum. Sic enim nō eſſet in anima, ſed in intellectu poſſibili.

Deinde, hic idem intellectus, eodem Philoſopho auctore tex. 18. facit in intellectu poſſibili, quaſi in materia, omnia: eſt enim *quidam talis intellectus, quia omnia fit: quidā verò quia omnia facit*, nēpe actu intelligibilia. Hoc nulla via præſtare poterit habitus, vel primorum principiorum, vel vllus alius. Quì enim faciet omnia actu intelligibilia, qui vt acquiratur, opus eſt ea ipſa fieri actu intelligibilia, ex quibus ipſe debet acquiri?

Preterea, Intellectus agens Ariſtot. tex. 19. eſt a corpore *ſeparabilis, & immixtus, & impaſſibilis.* Quæ porrò in habitum primorum principiorū cadere nequeunt: Eſt enim habitus primorum principiorum, vt colligitur ex Ariſtot. 2. Poſterior. cap. vlt. qualitas primæ ſpeciei recepta in intellectu poſſibili, ad cognoſcendas primas veritates indemonſtrabiles, ſuppoſita terminorum cognitione. Qui ſi eiuſmodi eſt, profectò nec erit a corpore ſeparabilis, nec corpori immixtus: & longè minus impaſſibilis, quare, &c.

Secundò probatur ratione: Intellectus agēs præſupponitur ad notitiam dignitatum, ſiue ad habitum primorum principiorum, ergo impoſſibile eſt quod ſit præfatus habitus: Secus idem ad ſe ipſum prēſupponeretur. Antecedens ex eo conſpicuum fit, quia principia indemonſtrabilia intelligimus abſtrahendo a ſingularibus, vti & cæteras res; id quod luculenter oſtendit Philoſ. 2. Poſterior. cap. nuper citato: ergo neceſſariò ante illorum cognitionem, ponēda eſt in nobis facultas, quę illa a ſingularibus abſtrahat. Hæc verò facultas eſt intellectus agens: vnde contradictionem inuoluit, vt hic cōſtituatur eſſe habitus principiorū.

Accedit, quod auctore Philoſ. in eo ipſo loco, cognitio primorum principiorum accipitur ex ſenſibilib. inquit enim *huius cognitionis*, nempè primorum principiorum, *origo, ſenſibilibus tribuenda eſt.* Tum demū ita concludit: *Ex his planū eſt, prima initia inductione fieri nobis manifeſta. Quid enim aliud eſt profecta hoc modo a ſenſib. notitia, quàm inductio?* Atqui a rebus ſenſibilibus nequeunt intelligibilia accipi, niſi per abſtractionem intellectus agentis, ergo hic intellectus præſupponitur ad notitiam, ſiue habitum primorum principiorum.

Poſtremò, habitus horum principiorum, minimè ſe extendit ad omnia intelligibilia, ſed ſolummodo ad principia indemonſtrabilia. Atqui intellectus agens verſatur circa omnia intelligibilia, nam *facit omnia* 3. de Anima tex. 18. producendo eorum ſpecies, ac ſimulacra in intellectu poſſibili, quare &c.

Nullo etiā negotio conuincitur, intellectum agentem non eſſe ipſummet intellectum poſſibilem quà actu intelligit, vt Philoponus opinabatur. Nam Ariſtot. 3. de Anima tex. 17. intellectum agentem, & poſſibilem apertè indicat eſſe duos, cum ait, *Et eſt quidam talis intellectus, quia omnia fit, quidam verò, quia omnia facit*; ergo temerè aſſeritur, intellectū agentē nō eſſe aliū a poſſibili, ſed eum ipſum prout actu intelligit.

Deinde, intellectus poſſibilis Ariſtoteli omnia fit, agens omnia facit: ille eſt in anima veluti materia, hic veluti cauſa, & factiuum: ille in ſua functione patitur, & perficitur ab intelligibilibus: hic nec vllo modo patitur, nec ab intelligibilibus perficitur, ſed contra ea perinde perficit, atq; lumen colores. Quare fieri nequit, vt intellectus agens ſit ipſemet poſſibilis, quà actu elicit intellectionem. Etenim præfata attributa, vni eidemque ſimul conuenire nō queunt. Hæc omnia clariora reddentur ex his, quæ paullò inferius dicemus.

Ex his, quæ hucuſque edíſſeruimus, vt tandem colligamus, liquidò conſtat, intellectum agentem neceſſariò eſſe aliquid animę noſtrę. Quippè ſi datur in nobis hic intellectus, vt ſect. 5. vidimus: & nō eſt vel Deus, vel vlla alia ſubſtantia ſeparata, quod ſect. 6. ni nos omnia fallunt, demonſtrauimus; item nec eſt habitus primorum principiorum, vt paullò ſuperius oſtendebamus: profectò a ſufficienti diuiſione colligitur, eſſe aliquid animæ noſtræ.

Iam verò hunc eundẽ intellectum non eſſe ipſam animam, ſed veram eius facultatem, etiá patet. Primò, quia Ariſtot. aſſerit, hunc intellectum eſſe in anima. Nihil autem eſt in ſeipſo: vt idem Philoſophus eſt auctor lib. 4. Phyſic. tex. 24. Præterea, quia iotellectus agẽs eſt proximum principium operandi, *facit enim omnia*. Atqui nulla ſubſtantia creata poteſt eſſe proximum, ac immediatum principiũ operandi: qua de re multa diximus Diſput. proximè præcedẽti, ſect. 5. cum de facultatum diſtinctione ageremus, ergo intellectus, de quo agimus, eſt vera animæ rationalis facultas: & quemadmodũ cæteræ facultates ab anima fluunt, quod expoſuimus loco nuper citato, ita hic quoque.

Porrò, vt huius intellectus natura penitius introſpiciatur, duo hic diſquirenda ſunt. Vnũ, vtrumne intellectus agens re ipſa, an tantũ formaliter à poſſibili differat? Alterum, vtrum hic quoque intellectus intelligat, an non?

Quod ad prius quæſitum attinet, vtraque eius pars aſſertores habet. Aſſerit Albert. Mag. in Summa de homine, tract. de intellectu agente quæſt. 6. S. Thom. in 1. par. q. 54. art. 1. ad 1. & qu. 79. art. 10. & in 1. diſt. 17. qu. 2. artic. 1. & in 3. diſt. 14. quęſt. 2. art. 1. & lib. 2. cont. Gent. cap. 77. & 78. & Opuſc. 3. cap. 83. eiuſq; ſeccatores omnes. Adeundus eſt Dominic. Bannes ad pri. par. S. Tho. quæſt. 79. art. 3. Dub. 1. Huc ẽt videtur iuiſſe Scot. in 1. diſt. 3. q. 8. & cõplures alij. Quorum aſſertio his potiſſimùm rationibus comprobatur. Primò, quia in cæteris rebus, id quod agit, diſponit, præperatq; alterũ ad illius operationem, perpetuò re ipſa diſcriminatur ab eo, quod patitur, diſponitur, & pręparatur: Ita vniuerſales cauſæ, corpora cæleſtia, & intelligentiæ re ipſa diſtant à mundo elementari, quem ad rerum generationes, diſponunt: Ità ignis à ligno, quod calefacit, frigus a corpore, quod refrigerat, color, cæteraq; externorum ſenſuum obiecta, differunt ab externis ſenſibus, quibus ſui ſimilitudinem imprimunt. Atqui intellectus agẽs agit, diſponitq; : intellectus verò poſſibilis patitur, ac diſponitur ad intellectionem eliciendam, ergo re ipſa alter ab altero diſcriminatur.

Deinde, Intellectus poſſibilis ſuaptè natura eſt in pura potentia ad ſpecies intelligibiles, ſiquidem, *intellectus, quo intelligit, & exiſtimat anima, nihil eſt actu eorum, quæ ſunt, antequam intelligat*. 3. de Anima, tex. 5. ergo impoſsibile eſt vt ipſe a ſemetipſo reduci poſsit ad actum illarum ſpecierum: Conſecutio patet a ſimili, nam quia materia prima eſt in pura potentia ad formas ſubſtantiales, nullo pacto reducit ſe ipſa ad actum, ſed extrahitur ab alio, nempè a cauſa efficienti: pari itaque ratione, cum intellectus poſsibilis ſit in pura potẽtia in ordine intelligibilium, profectò reduci debet ab alia potentia realiter ab ea diſtincta. Et ſanè generatim eſt impoſsibile, vt quicpiam reducat ſe ipſum de potentia ad actum: quare &c.

Negat alij, inter quos eſt Aug. Niphus lib. 1. de intellectu tract. 4. cap. 21. & Abulenſ. qu. 70. in cap. 23. Exod. aientes, quemadmodum, auctore S. Thoma in 1. par. q. 79. art. 7. memoria, & ratio haud ſunt potentiæ re ipſa ab intellectu poſſibili diſtinctę, ſed ſolâ ratione formali, ſic intellectum agentem ſola ratione formali a poſſibili differre. Quæ opinio duplici innititur fundamento. Primò, quia res, non ſunt citra neceſsitatem multiplicandæ. At nulla cogit neceſſitas, vt in nobis duos intellectus re ipſa diſtinctos conſtituamus, quia tam eductio ſpecierum a phantaſmatibus, quàm ipſa intellectio eſt opus vnius, eiuſdẽq; intellectus poſſibilis. Pro quo ſupponunt, intellectum poſſibilem, inter alia duo præſtare: nẽpè euocare ſpecies intelligibiles a phãtaſmatib. & intelligere. Ad prius nihilo indigere. Ad poſterius excitari a ſemetipſo, prout habet rationẽ agentis: eòq; nõ eſſe conſtituendũ alium, atq; aliũ intellectũ.

Deinde, ita natura paratũ eſt, vt quæ in rebus inferioribus reperiuntur ſparſa, ea in ſuperioribus adunentur: quod optimè oſtendit S. Tho. cum alibi, tum lib. 2. cont. Gent. cap. 100. Quo fit, vt quæ in rebus corporeis per diuerſas facultates fiunt, ea porrò videamus ad vnã aliquam facultatem ſuperioris ordinis reuocari: quemadmodũ quæ pluribus ſenſibus tã externis, quàm internis percipimus, ea omnia ſub vnum intellectum poſſibilẽ cadere: & quæ ad geminũ appetitum ſenſitiuũ pertinent, reduci ad vnam voluntatem: ergo licet in rebus corporeis, quod agit, & diſponit aliquid ad illius operationẽ, re ipſa differat ab eo, quod patitur, & diſponitur, id tamen in intellectu noſtro locum non habet, quia hic eſt ordinis ſuperioris, ac immaterialis, in quo adunantur, quę ſunt in rebus materialibus, & inferioribus ſparſa.

Porrò nobis ex his duabus ſententijs, perpetuò magis arriſit prior: maximè quia Stagirites de his intellectib. verba faciens, 3. de Anima, tex. 17. & 18. ſatis indicat, hoſce eſſe duos, cum ait, *Et eſt quidam talis intellectus, quia omnia fit: quidam verò, quia omnia facit &c.*

Nec

Nec argumenta poſterioris ſentētiæ quicquam nos mouēt: nām primum id ſupponit, quod vertitur in quæſtione, nempè intellectū poſſibilem, abſtrahere ſpecies intelligibiles a phantaſmatibus,& intelligere: quod eſt inſimul agere,&pati:quandoquidem abſtrahere eſt agere: *intelligere autem eſt quoddam pati.*

Ad 2. quamuis verum ſit, ea quæ pluribus facultatibus materialibus attinguntur, ſæpenumero reuocari ad vnam aliquam ſuperiorē ac immaterialem vim, vt in exemplis in arg. adductis apparet, id nihilominus haud eſt vniuerſaliter verum:præſertim cū aliunde quicpiam obſit,vt in præſens contingit. Quippe cum intellectus poſſibilis ſuaptè natura ſit nuda,ac mera poteſtas in ordine intelligibiliū, fieri nequit,vt ſe ipſe reducat ad eorum actū, perinde ac materia prima nunquam ſe ipſa reducet ad aliquam formam ſubſtantialem. Hæc de priori quæſito.

Venio nunc ad alterum: nimirum,vtrumne intellectui agenti conueniat etiā intelligere? Quæ dubitatio locum habet tantūmodo ſuppoſita noſtra ſentētia,quæ,vt dicebamus, intellectum agentem,a poſſibili re ipſa ſecernit: nam qui vtrumque intellectum, vnam eandemq; potentiam faciunt,ſolaq; diſcriminant ratione formali,fatentur, ac profitentur,intellectum agentem perinde, atq; poſſibilem intelligere. Suppoſita itaque priori ſententia, quod intellectus agens re ipſa a poſſibili diſtet, Albertus Mag. loco ſuperius adducto, q. vlt.aſſerit, intellectum agentem vtiq; intelligere,non quidem per aliquam ſpeciem in ſe receptam,ſed per ſuammet eſſentiam, iuuādo intellectum poſſibilē. Caietanus verò in 3. de Anima ad tex. 18.cū,inquit,intellectus agens ſit intellectus,& ſit agens, omninò fatendum eſt,eū intelligere. Iandun. In 3. de Anima q. 23.multis contendit,qđ intellectus agēs producat intellectionē in ipſo intellectu poſſibili.

Contraria ſententia, quæ aſſerit intellectū agentem neutiquam intelligere,cōmunior eſt inter DD. eamq; innuit S. Thom.in 3.diſt.3. quæſt.1.art.1.& qu. de Anima art. 4. De qua re adeundus eſt Magiſt.Bannes in 1. part. S. Thomæ,quæſt.79.art.3.dub.1. & Henricus Gandauenſis quodlib.8. qu.12. Et probatur primò, quia ſi intellectus agens intelligeret, ſuperuacaneus foret in nobis intellectus poſſibilis. Deinde, cum intelligere noſtrum ſit quoddam pati cauſaliter, potentia quę intelligit,debet vtiq; recipere in ſe ſpeciē intelligibilem. Atqui intellectus agens,nullam in ſemet recipit ſpeciem,qua ratione nuncupatur quoque potentia purè actiua:ergo non intelligit. Hinc etiā Stagirites,dum de intellectu agēre diſſereret, nunquam ei intelligendi munus attribuit,ſed ipſum a poſſibili totis officijs diſcriminauit, quod iſte ſit in potentia ad recipiendas ſpecies, ille eas ipſas imprimet. hic vt fiat omnia, ille vt faciat omnia &c.

Speciatim verò ſententia Ianduni ex eo labefactatur, quòd auctore Philoſopho lib. 9. Metaphyſ.tex.16. intellectio eſt actio immanens. Si autem intellectus agens produceret intellectionem in intellectu poſſibili,eſſet trāſiens,quandoquidem non maneret in ea ipſa potentia,a qua elicitur. Itaq; licet intellectus agens ſit primum, & quaſi mediatum intellectionis principium, tamen nullo pacto elicit intellectionem, ſed eius munia ſunt,illuſtrare phantaſmata, efficere obiectū intelligibile actu,& producere in intellectu poſſibili ſpecies intelligibiles, quæ oīa alio loco expoſuimus.

Ex his ergo quæ hucuſq; a nobis diſputata ſunt, habes,quæ initio Diſput. pollicebamur. Primò,verè in nobis conſtitui intellectū agentem: Tum,exploſa illorum figmenta,qui ipſum fecerunt,vel Deum, vel aliquam aliam intelligentiam: Poſtremò, quid nos in hac quoq; parte ſentimus: Nunc vnū ſupereſt,vt aduerſariorū argumenta diluamus: quare ſit.

SECTIO NONA.

Diluuntur argumenta in prima Sectione constructa, quibus probabatur non dari intellectum agentem.

DOctrinam aliquam benè fuiſse conſtitutam,illud eſt indicio, quod ex ea,omnes difficultates, quæ emergunt, paruo facilique negatio tolli poſſint; id quod etiam in argumentis, quæ properamus diluere, arbitramur futurum. Cum enim primo loco arguitur, res,quemadmodum ſunt a parte rei, & ſecundum ſe actu entia, ita a parte rei, & ſecundum ſe ſunt actu intelligibiles: eòque haud eſt opus intellectu agente.

Dicimus, qđ iā in ſect.5.huius Diſput.oſtēdimus, quæcunque ab intellectu noſtro apprehenduntur,modò ſint corporea, ac materialia,ab eo minimè intelligi poſſe,niſi in ipſo ponantur alio modo, quàm in ſeipſis ſunt. Vnde res non ſortiuntur rationem intelligibilitatis ab entitate, ſed ab immaterialitate. Neque his aduerſatur Philoſophi dictum ex

3. Metaphyſic. in arg. adductum: nam eo loci agit de principijs, & aſſerit, ea debere eſſe veriſſima, quia ſunt cauſa, vt concluſiones veræ ſiant: vnumquodque autem ſicuti eſt, ita eſt verum: vnde ſi principia ſunt cauſę, vt alia ſint vera, ea profectò erunt veriora. Locus integer ſic habet. *Propter quod principia ſemper exiſtentium, neceſſe eſt veriſſima eſſe. Nec enim aliquando vera, nec illis vt ſint, aliquid aliud cauſa eſt, ſed illa cæteris. Quare, vt ſecundum eſſe vnumquodq; ſe habet, ita etiam ſecundum veritatem.* Nec vſpiã profecto inuenitur Ariſtoteles aſſeruiſſe, res corporeas, ac materiatas eſſe intelligibiles, pro vt ſunt a parte rei, & ſecundum ſe.

Ad 2. fatemur, commune eſſe omnibus agentibus naturalibus producere ſibi ſimilia, & facere alia qualia ipſa: ſed negandũ eſt, ſpecies actu intelligibiles in intellectu poſſibili ab agente procreatas, nõ eſſe ſimiles ipſi intellectui agenti. Sunt illæ quidem intellectui agenti ſimiles in eo, quod perinde atque hic ſunt immateriales. Pari ratione negandũ eſt, eaſdem ſpecies eſſe ſimiles, ſiue phantaſmatibus, ſiue rerum naturis, & imaginibus, vt in phantaſmatibus inſident. Verumenimuero phantaſmata, rerumq; ſimulacra, qua in phantaſmatibus reperiuntur, ſunt quædam particularia: ſpecies autem ſunt vniuerſales: illa materialia, iſtæ materiæ expertes: illa repręſentãt cum materia, & ſenſibilibus qualitatibus; iſtæ ſine materia, & cum abſtractione tẽporis, & loci. Vnde conſpicuũ fit, ſpecies eſſe quidẽ ſimiles intellectui agenti, non autem phantaſmatibus, & imaginibus rerum.

Ad 3. reſpondendum eſt ex his, quæ in calce ſectionis proximè præcedentis diſputabamus: vbi oſtendimus, intellectum agentẽ nullo pacto intelligere. Neq; verò conſequitur, quod quia eſt intellectus, ergo debeat intelligere. Nam etiam ipſa anima intellectiua, vocata eſt ab Ariſtotile, lib. 1. de Anima, tex. 65. intellectus, vt retrò Diſput. 5. ſect. 2. patefecimus: & nihilominus ipſa immediatè, ac proximè non intelligit. Vel dicito, intellectum agentem vocari intellectum, non quidẽ formaliter, ſed cauſaliter: quia nimirum facit ſpecies intelligibiles, quæ in intellectu poſſibili ſunt formæ ac rationes ad intelligẽdum. Poſtremò, nobis haud diſplicet opinio quorundam aſſerentium, dici intellectum agentem eam potentiam, cuius propria operatio eſt facere intelligibilia actu, propter nominũ penuriam: vbi dictio illa *agens* eſt quaſi nota quædam, extrahens eum a ratione intellectus, *quo intelligit, & exiſtimat anima*. Cuius munus, *eſt quoddam pati.*

Venio nunc ad argumenta Durandi: Atq; cum primo loco obijciebar: Intellectus agens, vel eſt principium paſſiuum, & receptiuum intellectionis, vel eſt principium actiuũ: neutrum eſt, quare &c. Hæc ratio nulla eſt: Supponit, intellectum agentem eſſe principium intellectionis, qui tamen neutiquã eſt, vt ſuperius docuimus: ſed eſt principium effectiuum formarum, ac ſpecierum intelligibiliũ, quæ omninò præcedunt intellectionem, vt pote quibus repræſentantur intellectui poſſibili ipſa obiecta intelligenda. Quòd ſi vis intellectum agentem, aliquo pacto nuncupari principium intellectionis, id erit non niſi mediatè, ac remotè, vt ſuperius innui. Vnde licet intellectus poſſibilis ipſe tum producat intellectionem, tum eam recipiat, adhuc tamen intellectus agens eſt in anima collocandus, veluti quoddam neceſſariò prærequiſitum,

Ad 2. Durandi, conceſſa maiori propoſitione, negatur minor, nempè intellectum agentem, neque in phantaſmata, neque in intellectum poſſibilem vllam habere operationem. Ad probationem prioris partis, dicimus, intellectum agẽtem agere vtiq; in phantaſmata, ſed non agere aliquid ijs imprimendo, vel ab ijſdem aliquid remouendo, ſed ea ſuamet præſentia illuſtrando, & eleuando, vt poſſint actionem præſtantiorem ſuis naturis promere, & mouere intellectum poſſibilem.

Quid autem ſit hæc intellectus agentis in phantaſmata illuſtratio, & eleuatio, diſſident Scholaſtici: qua de re adi, ſi lubet, Dominicũ Bannes ſuper 1. par. S. Thomæ, quæſt. 79. art. 3. dub. 2. Caiet. ibid. & qu. 85. art. 1. Capreol. in 2. diſt. 3. quæſt. 2. art. 3. Ferratien. in 3. cõt. Gent. cap. 73. & 77. & nos ſatis diximus ſupra Diſput. 5. ſect. 8. Illuſtrat hic intellectus phantaſmata (vt dicamus quantum pro confutatione arg. Durandi ſufficit) efficiendo, vt in ijs appareat natura cõmunis, ac vniuerſalis, exuta conditionibus particularibus, vt poſſit mouere intellectum poſſibilem ad intelligendum; perinde ac lumen efficit, vt colores fiãt actu viſibiles, & poſſint immittere ſui ſpeciẽ in viſum, eumque ad videndum mouere, nam & *lumẽ* ex 3. de Anima tex. 18. *quodãmodo facit potentia exiſtentes colores, actu colores*: Et intellectus agens *eſt quale lumen*, ex eodẽ tex. 18. *Et phãtaſmata ſunt, vt ſenſibilia*, ex eod. lib. tex. 30.

Soleo

Soleo equidem abditam hanc, & abſtruſam rem ita explicare. Sit in aliquo cubiculo noctu abſque lumine Petrus: ſit quoque in eius conſpectu ſcamnum, ſunt & tenebræ: iſtę ſunt impedimento, ne Petrus videat dictum ſcamnum. Inferatur eò lucerna: hæc ſtatim diſcutit tenebras, efficitque, vt præfatum ſcānum, eiuſque colores, qui erant in potentia viſibiles, fiant actu viſibiles, ſuique ſpeciem immittant in viſum Petri, & ita Petrus videt. Ita contingit in nobis, Petrus comparetut intellectui poſſibili, in luteo & tenebricoſo corporis habitaculo exiſtenti: ſcamnum comparetur phantaſmati: materialitas phantaſmatis eſt quaſi tenebrę, (nequit enim intellectus poſſibilis attingere materiale, cum ipſe ſit immaterialis: & inter potentiam, & obiectum intercedat proportio,) intellectus autem agens eſt quale lumen. Hic ergo accedens diſcutit phantaſmatis materialitatem, perinde, ac lumen diſcutit tenebras: efficitque vt dictum phantaſma illuſtretur, eleuetur, & quod ibi erat potentia intelligibile, fiat actu intelligibile, moueatque intellectum poſſibilem ad intelligendum.

Ex his, confutatum etiam manet id, quod Durand. pro inſtantia adducebat, mirabile nimirum ſibi videri, quod aliquid det alteri virtutem operandi, & nihilominus in illud nō imprimat, vel non remoueat ab eo aliquid. Quippe id clariſsimè videre licet, vt dicebamus, in lumine. quod coloribus, qui ſunt potentia viſibiles, præbet vim, ad hoc vt effecti actu viſibiles, immittāt in viſum ſui ſpeciem, eumque moueant ad videndum. Et nihilominus lumen neque imprimit aliquid coloribus, neque ab ijs aliquid remouet.

Verùm nobis longè mirabilius videtur id, quod Durandus ſubiungit: exemplum videlicet de lumine, procedere ex ignorantia: quia lumen, inquit ille, non requiritur ad videndum, vt præbeat colori vim mouendi viſum, cum eiuſmodi vim color ex ſe ipſe obtineat; ſed propter medium, & organum, quæ actionem coloris ſuſcipere nequeunt, niſi ſint illuminata. At nos dicimus, quod exemplū, quo intellectus agens comparatur lumini, eſt Ariſtotelis 3. de Anima tex. 18. quod ipſe, vt alio loco innuimus, deprompſit ex Platone lib. 6. de Repub.

Ratio verò a Durando allata, in omnibus falſa eſt: nempè lumen non requiri propter colores, vt eis præbeat vim mouendi viſum, ſed requiri ſolum propter medium, & organum. Immò verò ex oppoſito res habet. Lumen neceſsariò exigitur propter colores, ſiue obiectum viſibile: exigitur quoque propter medium, ſed non neceſsariò: tandem nullo pacto exigitur propter organum. Omnia quę hic aſſerimus, hoc vno experimento conuinces. Homo exiſtens in dēſiſſimis tenebris, videt colores procul exiſtentes in lumine: contra verò idem ipſe in loco lumine oppleto poſitus, nequaquam videt colores exiſtentes in tenebris. Ex quo manifeſtum eſt, primò lumen haud requiri propter organum: ſecus enim qui in tenebris exiſteret, non videret præfatos colores, cum non haberet organum illuminatum. Tum, nec etiam requiri eſſentialiter propter medium, quippe ſi præfati colores videri debeāt ab eo, qui in tenebris eſt, profectò neceſſe eſt, vt ſui ſpeciem per illud etiam tenebricoſum medium, atque adeò vſque ad oculum illius hominis immittant. Requiritur ergo apprimè, & eſſentialiter propter colores, qui quidem ex ſe ipſis non habent vim mouendi viſum, niſi remotam: proximam autem ſortiuntur a ſolo lumine. Et hoc eſt quod nos docuit Stagirites 3. de Anima, tex. 18. dum ait, *quodammodo enim & lumen facit potentia exiſtentes colores, actu colores.* Ex his liquet, quomodo, & quamnam operationem habeat intellectus agens circa phātaſmata.

Hinc etiam colligitur ſolutio ad alteram partem principalis argum. Durandi, dum aiebat, intellectum agentem nullā poſſe habere actionem in ipſum intellectum poſſibilem. Hoc omninò falſum eſt: & cum obijcit, vel hic intellectus agit in poſſibilem ſolus, ita vt phantaſma nihil coagat, ſed tantum ſe habeat obiectiuè, & hoc non: quia ſenſus appręhendit obiectum ſibi propoſitum, abſque adminiculo alterius, quod eum moueat ad ſentiendum: ergo etiam intellectus attingit obiectum, id eſt phantaſma, abſque eo quod ab intellectu agente moueatur. Negamus conſequentiā: & ratio in manu eſt, quia obiectum ſenſus in ſe eſt eiuſdem ordinis, & proportionatum eum ſenſu: phantaſma autem ſine lumine intellectus agentis, cum ſit materiale, nullam habet proportionem cum intellectu poſſibili, ſed de hoc paullò inferius.

Ad illud verò quod ſubnectitur, idem ma-

nens idem, & reſpectu eiuſdem ſemper facere idem. Et intellectum agentem manere ſemper eũdem, & ſecundũ ſe, & in habitudine ad poſſibilem, eòque &c. Dicimus, intellectum agentem eſſe agens liberum, quod ad libitum ab actione deſiſtit.

Tandem, cum ait, non poſſe intellectum agentem agere in poſſibilem vnà cum phantaſmate, tanquam vnum agens ex vtroque conflatum, quia non rectè intelligitur, quomodo ex intellectu agente immateriali, & phantaſmate materiali, integretur vnum principium ad producendas ſpecies intelligibiles: Dicimus, eo pacto ex his duobus fieri vnum actu intelligibile, quod mouet intellectum poſſibilem ad intelligendum, quo ex lumine, & colore, ſeu obiecto fit vnum actu viſibile, quod mouet viſum ad videndum, vt explicuimus.

Vt verò vltimum argumentum diluamus, nempè ſi in nobis conſtituendus eſſet intellectus agens, conſtitui quoque deberet ſenſus agens, ſcito, Apollinatem in lib. 2. de Anima quæſt. 13. & Iandunum in eundem lib. quæſt. 16. tum nonnullos alios, in ea extitiſſe opinione, quod in anima duplices ſint potentiæ ſenſitiuæ: ita vt quædam dicantur ſenſus paſsiui: aliæ ſenſus actiui. Et quemadmodum duplex eſt intellectus, agens, & patiens, ita duplex ſit viſus, duplex auditus &c. Cuius opinionis auctores, deinde in eo inter ſe diſferunt, quod quidam ponũt iſtos ſenſus agentes, vt producant ſpecies ſenſibiles in ſenſu. Alij verò non vt cauſent vllam ſpeciem in ſenſu, ſed vt cauſent ſenſationes in eo ipſo ſenſu. V.g. in viſu viſionem, in auditu auditionem &c. Præter hos alij opinantur, non eſſe improbabile, ſaltem inter ſenſus interiores ponere aliquem ſenſum agentem: ita refert Dominicus Bannes in prim. par. S. Thomæ, quæſt. 79. art. 3. dub. 1.

Quę opinio, huic potiſſimùm innititur fundamento, quia ratio, qua Stagirites 3. de Anima, tex. 17. probat, conſtituendum eſse in anima intellectum agentem, eſt, quia vbicunque eſt potentia paſſiua, quæ in vno aliquo genere omnia fiat, neceſſe eſt etiam dari potentiam actiuam, quæ in eodem genere omnia faciat. Quæ ratio ita applicatur: Atqui in ſenſu eſt potentia paſſiua, quæ fit omnia ſenſibilia: ergo debet correſpondere in illo genere potentia actiua, quæ faciat potentiam eſſe omnia ſenſibilia: quę profectò non eſt alia, niſi ſenſus agens. Deinde, ſpecies, quæ ſunt in potentijs ſuperioribus, ſunt perfectiores, quàm ſpecies, quæ ſunt in potentijs inferioribus, V. gr. ſpecies exiſtentes in cogitatiua perfectiores ſunt, quàm eæ quæ ſunt in imaginatiua, cum illæ ſint non ſenſatæ, iſtæ verò ſenſatæ: ergo ſpecies illæ perfectiores non poſſunt produci, vel a potentia illa inferiori, vel a ſpeciebus in ea exiſtentibus: quia nihil agit vltra ſuas vires, ſed neceſſariò conſtituenda eſt alia potentia, quæ ſpecies inferiores imaginatiuæ perficiat, vt poſſint recipi in cogitatiua: quæ potentia eſt ſenſus agens interior.

Oppoſita ſententia eſt S. Thomæ, in prima par. quæſt. 79. art. 3. ad 1. & quæſt. 9. de ſpiritualibus creat. art. 10. ad 17. Albert. Mag. in 2. de Anima, tract. 3. cap. 6. & hodie eſt inter ſcholaſticos communis, quæ nullum admittit ſenſum agentem.

Et probatur primò, quia huiuſmodi ſenſus nec poteſt poni, vt cauſet ſpecies, nec vt cauſet ſenſationem in ſenſu paſſiuo, ergo inanis eſt. Antecedens quoad primam partem patet ex Ariſtotele 2. de Anima, cap. 5. vbi in tex. 59. conceptis verbis ait, ſenſationis actiua eſſe extra, ipſa videlicet ſenſibilia: non ita autem intellectionis: *Differt verò*, inquit, *quia ſenſitiua operationis actiua extra ſunt, viſibile, & audibile, ſimiliter autem, & reliqua ſenſibilium. Cauſa autem, quoniam ſingularium quidem ſecundum actum ſenſus: ſcientia autem vniuerſalium.* Secunda etiam pars patet, quia ſenſus ſunt operatiui ſuarum actionum.

Pręterea, quia ſecundum illam opinionem, numerãdi eſsent decem ſenſus externi, quinque paſſiui, & totidem actiui: quod ab Ariſtotele, & doctrina communiter recepta abhorret. Iacobus Zabarella librum integrum compoſuit de ſenſu Agente: & ante eum Auguſtinus Niphus: eos adi, ſi vacat: tum Dominicũ Bannes in prim. par. S. Thomæ, quæſt. 78. art. 3. dub. 2. & quæſt. 79. art. 3. dub. 1. Ferrarien. 2. de Anima, quæſt. 9. Capreol. in 2. diſtin. 3. quæſt. 2. art. 3. ad arg. Durand. cõtra 8. concl.

Nec argumenta præcedentis opinionis quicquam negotij faceſſunt. Ad primũ enim dicimus, longè diuerſam eſſe rationem de intellectu, ac ſenſu: quia intellectus poſſibilis ita eſt in potentia paſſiua, vt a phantaſmate moueri non queat, quin adſit intellectus agens, quemadmodum toties dictum eſt. Senſus autem

tem, etſi ſunt in potentia paſſiua, tamen commodè moueri poſſunt, & de facto mouentur à ſenſibilibus, in ſe exiſtentibus. Cuius rei rationem iam indicauit Stagirites loco nuper allato, & proſecutus eſt S. Thomas in prima parte, quæſt.79.art.3. ad 1.& quæſt.85.ad 3. quia nimirum obiecta ſenſibilia habent eundem modum exiſtendi prout ſunt in materia corporali indiuiduali, quem etiam habent in potentijs ſenſitiuis, ideòque ſe ipſis poſſunt imprimere ſui ſimilitudinem in ſenſum. Phãtaſmata verò, cum ſint ſimilitudines indiuiduorum, & exiſtant in organis corporeis, non habent eundem modum exiſtendi, quem habent prout ſunt in intellectu poſſibili: icircò nequeunt ſua virtute imprimi in intellectum poſſibile, ſed virtute intellectus agentis, illuſtrantis dicta phantaſmata, reſultat in intellectu poſſibili quædam ſimilitudo, ideſt ſpecies impreſſa, quæ eſt repręſentatiua eorum, quorum ſunt phantaſmata, ſed ſolum quantum ad naturam ſpecificam. Hinc patet ſolutio ad primum argumentum: & præcipua ratio, cur debeat poni intellectus agens, non itidem ſenſus agens.

Ad ſecũdum, dicimus, quamuis ſpecies exiſtentes in potentijs inferioribus, ſint minus perfectæ, quàm ſint ſpecies exiſtentes in potentijs ſuperioribus, tamen optimè poſſe immittere ſui ſimilitudinem in potẽtias ſuperiores: quia hoc habet obiectum ſenſibile, vt immittat ſui ſimilitudinem modo aliquo eleuatiori. Hoc vides in obiecto viſibili, quod in oculum gignit ſui ſpeciem, ipſo minus materialem: ſed de bis non plura.

Venio nunc ad argum. Scaligeri, a quibus, paucis me expediam. In primo argumento aſſumit falſum, dum ait, intellectum poſſibilem *ipſum recepta phantaſmata, per diſcurſum nudare poſſe*. Quæ recepta phantaſmata, ſi ea recipere nequit ſine intellectus agenris ope? vt oſtenſum eſt. Deinde, non eſt eadem ratio de intellectu poſſibili, ac de cogitatiua, vt etiam patefecimus. Reliqua verò in eo argum. adiecta, nullius ſunt ponderis. Ad alterum, ex his itidem patet ſolutio, quę ſuperius dicebamus. Intellectus agens non intelligit: nec ideò eſt bruta res, & ſicuti piſtrini mola, quæ quid ſit farina neſcit: ſed eſt ſicuti lux, quæ facit colores potentia exiſtentes actu colores: nec tamen eos videt.

Poſtremò, argumenta Toleti deficiunt: & quidem ptimum, quod erat, non ſunt in nobis duæ voluntates, ſed vna; nec duæ memoriæ, nec duo appetitus, nec duæ imaginationes, ergo nec duo intellectus, ſed vnus. Hæc ratio nulla eſt: quandoquidem non ſunt in nobis duę voluntates, quia voluntas habet actum vnius ſolummodo rationis: nempè verſatur circa obiectum ab ratione propoſitum. Intellectus verò habet geminę rationis actus: abſtrahit, & intelligit: verſaturq; circa duplex obiectum: primò circa obiectum quod eſt poteſtate intelligibile, idq; efficit actu intelligibile, deinde id ipſum intelligit.

Eadem ratione, quamuis in nobis ſit vnica memoria, non ideò conſequitur, vnum quoq; eſſe intellectum: quia memoria, cum ſit habitus phantaſiæ, vt docet Ariſt. lib. de Memor. & reminiſc. cap. 2. habet vnicam duntaxat operationem, nempè conſeruationem notitiarum ſingularium in organo phantaſiæ: Intellectus autem geminus eſt, ob duplex genus operationum, & obiectorum, vt dicebamus. Adde, quod in nobis, præter memoriam ſenſitiuam, quæ nobis cum brutis communis eſt, reperitur etiam memoria intellectiua, quę eſt vis quędam conſeruatiua ſpecierum intelligibilium: qua de re adeundus eſt S. Thomas in ptima parte, quæſt.79.art.6. & 7.

Ad hæc, omninò falſum eſt, vnicum eſſe in nobis appetitum: quippè nos didicimus ex Ariſtotele, tres eſſe ſpecies appetitus: eius hæc ſunt verba in lib.1.Mag.Moral. cap.13. *quia tres ſunt appetitus ſpecies, cupiditas, ira, voluntas*. Poſtremò, patet quomodo & ſi in nobis imaginatio ſit vna, quia habet vnicũ operationũ genus, circa idẽ obiectũ ſingulare materiale, tamen intellectus geminatur. Patet ẽt quomodo non ſatis eſt vnus intellectus ad producendum lumen, & poſtea eliciendum ſpecies, & producendum in ſe notitiam, vt ſecundo loco idem auctor obijciebat. Hi quippe diuerſi effectus, diuerſas exigunt facultates, vt oſtenſum eſt. Denique patet quomodo complures, eæque conuincentes rationes pro intellectu agente conſtituendo adducuntur, quas ſuperius vidimus. Ex his igitur diſſoluta habes argum. Iſaac Narbonenſis, Durandi, Scaligeri, & Toleti: vlterius pergo.

SE-

SECTIO DECIMA.

Confutantur argumenta Alexandreorum, relata in ſecunda Sectione.

QVOD ad auctoritates Ariſtotelis attinet, antequam ad germanam vniuſcuiuſq; intelligentiam deueniam, operæprecium me facturum exiſtimo, ſi totum illum tex. 19. tertij libri de Anima, vbi procul dubio Stagirites venatur naturam intellectus agentis, hic exſcribam, vt ex diuerſa eius interpretatione, integer ſenſus eliciatur. Textus eſt. *Et hic intellectus ſeparabilis eſt, & immixtus, & impaſsibilis, ſubſtantia actu ens; ſemper enim honorabilius eſt agens patiente, & principium materia.*

Circa quem textum ſunt qui velint, quattuor hic conditiones à Philoſopho tribui intellectui agenti, ita vt illud *ſubſtantia actu ens*, vel vt alij tranſtulerunt, *ſubſtantia actio exiſtens*; ſit quarta conditio, vltra hoc quod ſit *ſeparabilis, immixtus, & impaſsibilis.* Quas quidẽ conditiones ineſſe intellectui agenti, probet Philoſophus hoc medio, *ſemper enim honorabilius eſt agens patiente; & principium materia.* Pro cuius intelligentia aduertunt, iſtorũ quattuor, quę Philoſophus in præſentia tribuit intellectui agenti; duo data & attributa fuiſſe intellectui poſſibili, quod ſit *immixtus* tex. 4. & quod *ſeparabilis* tex. 6. Tertium verò, quod ſcilicet ſit impaſſibilis, cum diſtinctione de eodem intellectu poſſibili protulerat. Oſtendit enim tex. 3. non eſſe paſſibilem vti ſenſum; deinde tex. 9. cõmuniter accepto pati, dicit eſſe, paſſibilem, in quantum ad intelligibilia eſt potentia. Quartum verò nimirum eſſe actu, omninò remouit ab intellectu poſſibili, dum aſſerebat, illum eſſe ad omnia potentia, nihilque eorum actu, antequam intelligat. Quo fit, vt intellectus agens, in primis duobus cõueniat cum poſſibili: in tertio, partim conueniat, partim differat: in quarto, omninò diſcriminetur.

Has verò quattuor conditiones ineſſe intellectui agenti, probat hoc medio: *ſemper enim honorabilius, &c.* hoc pacto. Agens eſt honorabilius patiente, & principium materia: Sed intellectus poſſibilis, qui eſt patiens, ac veluti materia, eſt ſeparabilis, & immixtus, vt ſupra eſt probatum, multò igitur magis agẽs erit ſeparabilis, atque immixtus. Reliqua itidem duo per idem medium excludit; Agens in hoc eſt honorabilius patiente, quia comparatur ad illud vt agens, & actu ens, ad patiens, & potentia ens. Atqui intellectus poſſibilis eſt patiens, & potentia ens; quare agẽs erit non patiens, ſeu impaſſibilis, & actu ens.

Quæ quidẽ explicatio, & ingenioſa eſt, & grauiſſimorum virorum, ſecundum quam nulla in tex. illo relinquitur difficultas; nec contra nos quicquam cõcludit; quòd enim agens intellectus vocetur hic a Philoſopho ſeparabilis, immixtus, & impaſſibilis, hoc idem de poſſibili dictum fuit, quem quidẽ eſſe aliquid animæ noſtræ, clamat Ariſt. *De parte autem animæ, qua, & cognoſcit anima & ſapit.* Quòd verò dicatur ſubſtantia actu ens, id per comparationem ad poſsibilem, qui eſt ens potentia nuncupatur. Et ita patet ad duo priora argumenta, maximè verò ad illud, quod aduerſarij tanti faciunt *ſubſtantia actu ens.*

Alij verò contendunt, tria ſolũmodo prædicata aſſignari hic a Philoſopho intellectui agenti, quæ ſunt *ſeparabilis, immixtus, & impaſſibilis.* Et hæc ab eo probari hoc medio termino, *ſubſtantia actu ens*, ſeù *ſubſtantia actio exiſtens*: quibus ego lubens aſſentior: hoc enim apertè conſtat è tex. græco; vbi dicitur *καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς, καὶ ἀμιγὴς, καὶ ἀπαθὴς, τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ.* vbi illud participium, *ὢν*, idem pollet, ac, quia eſt, ſeu, cum ſit. Quapropter idem eſt, ac ſi dixiſſet, & hic intellectus. Separabilis eſt, & immixtus, & impaſsibilis, quia ſubſtantia, ſeù, ſubſtantialiter eſt actu.

Sed animaduertẽdum eſt, cum intellectus à Philoſopho ſubſtantia actio, vel actu ens appellatur, non id ſignificari, vt ille ſit actio per eſſentiam, quaſi eius actio, & eſſentia idẽ ſint; Falſum hoc eſt: nã oſtendimus intellectus agẽtis actionem, eſſe accidẽs aliquod. Senſus itaque eſt, quòd natura, & eſſentia intellectus agentis, poſita ſit in actualiter operari, & agere; quemadmodum è conuerſo, natura intellectus poſsibilis eſt eſſe potentia, ac nullam actu habere naturam. Ita Philoſophus tex. 5. dum illius naturam aperiret; *quare neque ipſius vlla eſt natura.* Quapropter, quemadmodum eo loci, naturam poſsibilis nullam eſse actu affirmat, (nullam in eſse intelligibili) ſic in præſens naturam, atque eſſentiam agentis intel-

lectus

lectus collocauit in actu; vt agens è regione ipſi poſſibili opponatur: quò ſit, vt in 19. tex. collatio quædam inter vtrunque intellectum fiat. Et quemadmodum poſſibilis eſt potentia ſolum in genere intelligibilium, non verò ſimpliciter, ita agens dicitur actu minimè quidem in genere entis, vt ſit actus purus, ſed in eſſe tantum intelligibili.

His adnotatis, dicamus ad argumenta ſingillatim: & quidem ad primum, & ſecũdum, iam patet, quomodo nihil prohibet, intellectum agentem eſſe animæ potentiam, atq; in corpore, & tamen ab eo ſeparari, & eſſe immixtum, atque impaſſibilem: quemadmodum & anima ipſa rationis compos. Dicitur verò intellectus eſſe ſubſtantia actu ens, vel ſubſtãtialiter actu, in eſſe intelligibili, & per comparationem ad poſſibilem. De qua tamen auctoritate vide ea, quæ diximus ſupra Diſputat. quinta, ſect. 5. & etiam dicemus inferius.

Ad 3. Intellectus agens dicitur, *omnia facere,* non in eſſe entis, ſed in eſſe intelligibili; quoniam omnia deſcribit in intellectu poſſibili, qui in eodem genere fit omnia. Hinc Philoponus, ad hæc omninò ſcribit; *Scire ergo oportet, quod omnia facere dicitur intellectus, qui actu eſt, quod omnium typos deſcribat in intellectu, qui eſt potentia: quare, & eum Plato ſtylo, quo ſcribitur, aſſimilat. Ariſt. autem ex ſe ipſo, ipſum ſcriptorem ſupponit: Si enim qui potentia eſt intellectus fit omnia; qui ergo actu eſt, omnia facit.* Hæc ille. Et ob hanc rationem Ariſt. hunc intellectum luci comparauit: lux enim non facit colores in eſſe entis, atque ſimpliciter; ſed colores potentia viſibiles exiſtentes, facit actu viſibiles, eorumq; profert operationem, quo viſiuam potentiam poſſint mouere, vt retro expoſuimus: ſic itaque & hic intellectus omnia facere dicitur, omnia nimirum reddere intelligibilia actu, quæ ſunt huiuſmodi in potentia. Sed illud hic omittendum nõ eſt, quo vnquam pacto Alexandrei, hinc quidem Deum ſpoliant omni efficientia, eumque finalem ſolummodo cauſam eſſe contendunt; hinc verò tam acriter digladiantur, vt illud *Omnia facere* ad Deum referant, & in eſſe entis? Sed reuera ego neſcio qua vnquam fronte iſti cõtendunt, *Omnia facere*, debere intelligi in genere entis, & referri ad Deum. Dic ſodes quę omnia facit? nonne apud Ariſtotelem permulta ſunt æterna, ac proinde à nullo agente fieri nata? an ne intellectus agens facit Intelligentias, corpora cæleſtia, materiam primã, mundum ipſum? an ne facit omnia materialia, & à parte rei in ſe exiſtentia? quæ omnia facit in genere entis? nugæ ſunt. Sed ita intellectus agens *facit omnia,* ſicut intellectus poſſibilis *fit omnia*, vt in eodem tex. 18. dicitur. Modo quis eſt tam extremæ dementiæ, qui exiſtimet, intellectum poſſibilem fieri lapidẽ, lignum, cælum, omnia in eſſe entis? Hem audi Philoſophum 3. de Anima, tex. 38. *nõ lapis in anima eſt, ſed forma*: nempè fit omnia in eſſe intelligibili. Sic ergo & intellectus agens facit omnia in eſſe intelligibili. Hoc amplius patet ex comparatione, quam Stagirites ſubnectit: cum enim dixiſſet intellectum agẽtem eſſe quale lumen, explicat, ſic illum facere omnia, ſicuti lumen facit colores. *Quodam enim modo & lumen facit potentia exiſtentes colores*. Lumen autem nõ facit colores in eſſe entis, quia colores in genere entis proximè naſcuntur ex opaco, & perſpicuo: quæ duo principia coloris actu ſunt etiam in tenebris: ſed facit colores *quodammodo*. id eſt in eſſe viſibili. Sic de intellectu agente reſpectu intelligibilium.

Ad 4. cum dicitur, hunc intellectum non aliquando quidem intelligere, aliquãdo autem non intelligere; reſpondeo, Ariſt. proferre ea verba non de intellectu agente, ſed de intellectu in actu. Hic autem eſt intellectus poſſibilis reductus per agentem ad actum ſecundum. Pro cuius maiori intelligentia; ſciendum eſt ex Philopono 3. de Anima, & S. Thom. ſuper prædicta verba, & etiam prima parte, quæſt. 79. art. 10. intellectum potentia, tres habere ſtatus; Primum, cum in pura potentia capitur, & nihil eorum habet, quæ ſunt intelligenda: quemadmodum & materia prima, quoniam in eſſe entis eſt pura potentia nihil vnquam formarum habet: & tunc dicitur intellectus poſſibilis. Secundus eiuſdem ſtatus eſt, cum iam quodammodo habet, quæ ſunt intelligenda, idque in actu primo; & hoc pacto appellari conſueuit intellectus in habitu. Tertiò tandem ſumitur, prout actualiter operatur, ac intelligit, & vocatur intellectus in actu, ſeu adeptus. Et de his oĩbus egit Ariſtot. de primo à tex. 3. vſque ad 8. De ſecundo a tex. 8. vſque ad 17. & quia ad tertiũ ſtatum intellectus, qui eſt potentia requirebatur intellectus agens, ideò a tex. 17. vſque ad 19. egit de agente: quo quidem peracto, & abſoluto, peruenit tandem ad intellectum in actu,

ſeu

ſeu adeptum, in tex.20. atque adeò tractans de illo, ait, eum non aliquando quidem intelligere, aliquando autem non intelligere. Si enim eſt actu intelligens, neceſſe eſt, vt qua talis, ſemper intelligat; ſiquidem vnumquodque dum eſt, neceſſe eſt eſſe; hanc reſponſionem tetigit S.Thomas 2.contra Gentes, cap. 78. & in prima par.quæſt.79, art.4.ad 2.

Reſpondetur 2, quod ſi verba illa referantur ad intellectum agentem, eorum ſenſus eſt, non eſſe ex parte intellectus agẽtis, quod aliquando intelligamus, aliquando autem non: ſed hoc prouenire ex parte poſſibilis intellectus: quapropter non ſequitur, agentem eſſe ſemper in actu intellectionis; aut eſſe Deum ipſum. Sed mea quidem ſententia, prima reſponſio, eſt germana Philoſophi mens.

Quintam auctoritatem, *Separatus autem eſt ſolum hoc, quod quidem eſt: & hoc ſolum immortale eſt ac perpetuũ*, multis expoſuimus ſupra Diſput.5.ſect.6. vbi multa notatu digna ex Græco fonte hauſimus, diximuſque hanc eſſe concluſionem Ariſtotelis pro animæ immortalitate. Ea in præſens non ſunt referenda. Itaque dicta verba non intelliguntur de intellectu agente, ſed de radice vtriuſque intellectus, id eſt, de ipſa anima intellectiua, de qua Philoſophus proponebat initio eius libri, inquiens, Περὶ δὲ τοῦ μορίου τῆς ψυχῆς, ᾧ γινώσκει τε ἡ ψυχὴ καὶ φρονεῖ, *De particula autem animæ, qua cognoſcit anima, & ſapit &c.* Cæterùm quomodo hæc ſe habeant, & quomodo præfata verba referantur ad propoſitionem ab Ariſtotele factam, vide loco, quem dixi.

Porrò, dicitur ſolum hoc eſſe ſeparatũ, nempè hoc μόριον, particula, reſpectu animæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, quæ non ſunt ſeparatæ, ſeu ſeparabiles. Deinde, quid hic ſignificet *ſeparatus*, χωριςθεὶς expoſui in ſect. illa 6. Poſtremò, merum ſomnium eſt, quod ait Zabarella, nempè, per illa verba, *id quod quidem eſt*, ſeu, *id quod verè eſt*, ſignificari purum actum, & ipſammet entitatem. Significat ſubſtantiam, vt ex multis Philoſophi locis oſtendi in ſect. citata.

Ad 6. cum intellectus agens comparatur habitui, dicimus, quod egregij iſti Alexandrei, meminiſſe debebant, exempla, nequaquam ad omnia, ſed ad illud ſolum debere aptari, ad quod explicandum, ac illuſtrandum afferuntur. Similitudo itaque intellectus agẽtis ad habitum, in eo ſita & collocata eſt, vt quemadmodum habitus, eſt quodammodo medium, quo quis, cum velit operatur; ſic enim Philoſophus lib.1. Magn. moral. cap.7. *habitus ſunt, per quos erga opera habemus benè, aut malè*; & Auerroes in 3. de Anima, Comen. 18. *habens*, inquit, *habitum, intelligit per ipſum, quod eſt ſibi proprium, ex ſe, & quomodo voluerit*, & S.Thomas multis in locis, & præcipuè prima parte, quæſt.87.art.2. Ita intellectus agẽs eſt quodammodo medius inter poſsibilem intellectum, & actionem ipſam: quo intellectus poſsibilis, ſiue homo ipſe intelligit, ac operatur. Item, quemadmodum habitus eſt id quo cum volumus, vtimur ad actiones, ſic cum nobis libuerit, vtimur intellectu agente. Item, quemadmodum eſſe ipſius habitus eſt ineſſe, ac formaliter importatur, vt in habente; ita hic intellectus, cum ſit animæ potentia eſt in illa, veluti proprium accidens in habente. Ex quo non ſequitur, ſi habitus extrinſecus a nobis acquiritur, ita etiam ſit agens intellectus. Sunt qui dicunt, Ariſtotelem eo loci accepiſſe nomen habitus largo modo, prout habitus complectitur quamlibet formam, aut virtutem, aut perfectionem ipſius animæ.

Iam verò ego non video, quomodo in Alexandreorum ſententia omnia cohæreant, vt in eodem 6. argum. elatè ſubnectebatur: quinimò video, omnia inter ſe in eorum ſententia διὰ πασῶν, *bis per omnia diſſidere*. Quod enim Philoſophus lib.2. de generat. animal. cap.3. dicit, mentem foriſecus nobis accedere, id non de intellectu agente, ſed de anima ipſa intellectrice intelligit, vt multis oſtendimus ſupra Diſput.4. ſect.4. Et profectò quod hic Philoſophus vocat mentem, ante aliquot verba, conceptis verbis vocat animam intellectualem, de qua etiam pollicetur ſe dicturum: Eum audi: *De anima quoque ſenſuali, pari modo dicendum eſt, atque etiam intellectuali.* Mentem itaq; deforis nobis aduenire, eſt animam intellectus ac rationis participem, non educi de potentia materiæ, quemadmodum educitur vegetatiua, & ſenſitiua: de qua re vide Diſput. noſtram quartam.

Sapientem autem viſitari a Deo, tanquam ab amico, ea opinione dictum eſt, quæ aſſerebat, viros ſapientes ac probos, Deorum eſſe amicos, ab ijsq; amari, & foueri: nec iniuria. Porrò, ex hoc dicto nihil pro Alexandreorũ intellectu agente extorqueri poteſt. Item, diligit

ligit Deus ſapientem,probumq; & iuſtum hominem: eumque viſitat effectibus ſuis. Quod autem adducunt ex capite primo Ioannis, *Erat lux vera,qua illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum*;quoniam ex ſacris paginis eſt,reſpondeat Regius Pſaltes. *Peccatori autem dixit Deus, cur tu enarras iuſtificationes meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Ne ſupra crepida. Alium,& reconditum intellectum habet diuinum effatum, quem in præſens explicare, non opus.

Ad confirmationem,quo pacto intellectus agens,lumini comparetur,iam explicauimus. Adhuc dicitur ex S.Thom.2.cont. Gent. cap. 78.ſimilitudinem luminis ad intellectum attendi ſolum quantum ad neceſsitatem; vt, ſicut abſque lumine colores videri nequeunt; ita ſine intellectu agente, phantaſmata actu intelligi non poſſe. Fateor etiam intellectum agentem eſſe realiter ab eſſentia animæ diſtinctum. Nego tamen hinc ſequi,illum eſſe extrinſecum aliquid, atque alienum ab anima: Sic enim omnes animæ potentiæ eſsent extrinſecæ, cum ab anima re diſtinguantur; vt ſupra vidimus. Quod denique pro cotonide ponunt; Ariſt. concluſiſse, *intellectum paſſiuum eſſe mortalem,ac corruptibilem*. Dico,communem eſse interpretum explicationem,Philoſophum eo loci,nomine intellectus paſsiui, intellexiſse cogitatiuam, ſeu imaginatiuam. Auerr. ſuper eum locum, hæc ſcribit: *Rectè, itaque dixit, & rememoramur,quia iſte eſt non paſſibilis, & intellectus paſsibilis corruptibilis eſt,& ſine hoc nihil intelligit,id eſt, ſine virtute imaginatiua,& cogitatiua*. Quinimò in eiuſdem tex. explanatione,ait ſe habuiſse aliam Ariſtotelici textus tranſlationem,in qua loco, *intellectus paſſiui*, erat,*imaginatio*. Et ad vberiorem huiuſce rei explanationem, annectit, Auerr. nomen hoc *intellectus*, quatuor modis in 3.lib.de Anima capi. Primo, pro intellectu poſsibili: Deinde, pro eo,qui eſt in habitu: Præterea, pro agẽte:Et deniq; pro virtute imaginatiua.

Et quidem Ariſtotelem in præſentia nomen intellectus paſſiui ſumpſiſſe pro cogitatiua, ſeu imaginatiua, ex ijs verbis, quæ ſequuntur facile conſtat; *& ſine hoc nihil intelligit anima*. Si per illa verba intellectum poſsibilem intelligeret, inaniter inferret, & ſine hoc animam nihil intelligere. Quem enim latet, eam ſine intellectu poſsibili non poſſe elicere intellectionem? quia verò per intellectum paſsiuum,intelligit cogitatiuam, ſeu imaginatiuam,optimè intulit; animam ſine hac non poſſe intelligere:quemadmodum infra dicet. Sine phantaſmate nihil contingit intelligere,ſaltem pro ſtatu præſentis vitę. Eodem pacto, nomen intellectus,capitur pro imaginatiua; ſeu cogitatiua, 3. de Anima. tex.48.Et 2. de Anima tex. 155. vbi omninò legendi ſunt Philoponus,& S. Thomas: Nec immeritò cogitatiua in nobis,intellectus nomine condecoratur. Dicitur nimirum propter coniunctionẽ, ſeu ſubordinationem, quam ad intellectum propriè dictum habet: qua etiam ratione Philoſophus 1. Ethic.cap.vltimo, partem ſenſitiuam in homine, ob quandam ſubordinationem, quia eſt apta, atque nata obedire rationi, rationalem appellat: Et cogitandi facultas in nobis à commentatore,3. de Anima com. 5. dicitur ratio particularis, quia diſcurrit ab vno ſingulari, ad aliud. Et hæc ſatis quantum ad Philoſophi auctoritates, quibus ſe Alexandreorum ſententia munire putat.

Venio nunc ad eorum ipſorum rationes. Et quidem extollunt ſtrenui iſti, magnique ducunt primam rationem; quæ tamen licet multis alijs modis ab alijs D. D. confutetur, hac nobis via faciliori funditus videtur poſſe labefactari. Itaque maxima illa, cui innititur argumentum, *Quandocunq; eſt aliquid prius, & per ſe tale, & alia ſecundariò, & per accidens talia,hac eſſe ac fieri talia ab illo*. In ijs, verum habet,ſi tamen vniuerſaliter habet, quæ ſunt eiuſdem ordinis,ac rationis:minimè verò verificatur in illis,quæ diuerſæ rationis & ordinis ſunt. Atque vt in eorum exemplo perſiſtamus,lux Solis per ſe,ac prius viſibilis eſt, & nihilominus dantur viſibilia quædam, quæ ſunt,ac fiunt talia,non a luce illa, vt ſunt lapides pretioſi,& lumen candellæ,noctu lucentia: idque propterea,quia hæc non ſunt eiuſdem ordinis,ac rationis,cum Solis viſibilitate,& luce. Quia igitur intelligibilia, quæ nos intelligimus,differunt ordine, ac tota ratione a primo illo æterno,ac immutabili intelligibili, Deo, qui per eſsentiam eſt intelligibilis, quoniam per eſſentiam ens, & vnumquodq; ſicut habet eſſe, ita & intelligi, noſtra verò intelligibilia,ſunt finita,ac limitata, ſit, vt nõ ſit neceſſe,intelligibilia noſtra fieri talia,a primo illo, ac per ſe intelligibili,cuiuſmodi eſt Deus, ſed ponendum eſſe alium intellectum

agen-

agentem, qui ordine, & quidem in infinitum, a primo illo differat: ſit verò eiuſdem ordinis, cum intelligibilibus, quæ nos intelligimus, a quo etiam iſta fiant intelligibilia actu.

Dico præterea, propoſitionem illam, etiã in ijs, quæ ſunt eiuſdem ordinis, valere tantũ, cum effectus immediatè, ac proximè ab aliquo proficiſcitur, non autem, ſi ille procedat alio mediante. Patet hoc in calefactione paſſiua facta in aliquo ab aqua calida, vbi calefit aliquid, non quidem immediatè, ac proximè ab igne, qui eſt per ſe, ac prius calidus, ſed ab aqua, quæ calefaciendi virtutẽ ab illo participauit. Sic igitur intelligibilia, quæ nos intelligimus, ſunt, ac fiunt talia immediatè ac proximè, non a primo illo, ac per ſe intelligibili, Deo; ſed ab intellectu agente, qui eſt veluti lumen, & quædam participatio intellectus diuini, hominibus ſolum communicata: ſiquidem *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

Ad 2. illa ratio hoc ſolum concludit, nempè præſtantiorem facultatem, pręſtantius etiã nobiliuſq; lumen, ac medium ſibi poſtulare: idque rectè. Cæterùm lumen illud, ac mediũ eſſe aliquid extrinſecum, & alienum a facultate, minimè concludit. Probabilis eſt ſententia, cogitatiuam, vt appręhendat, indigere aliquo lumine, & quidem longè præſtantiori, quàm indigeat viſus: & tamen lumen illud haud eſt externũ. Multo magis intellectus poſſibilis, præſtantiſſima hominis facultas, indiget lumine, & quidem præſtantiſſimo, vt intelligat, ſed hoc non eſt quid extrinſecum ab anima, ſed eſt illuſtratio intellectus agentis, qua res poteſtate intelligibiles, fiunt actu intelligibiles, vt ſuperius expoſuimus.

Ad 3. rat. Cum dicitur hominis fęlicitatem eſſe Deum Opt. Max. hoc bifariam capi poteſt. Vno modo iuxta catholicam veritatem, & hoc pacto verè Deus, & quidem vt eſt in ſe, & clarè viſus eſt noſtra beatitudo. Si autem verba facimus in Peripato, in quo nunc verſamur, Deus alio modo eſt noſtra beatitudo: prout nimirum eum contemplamur, eique quoad fieri poteſt per contemplationem coniungimur. Coniungimur autem illi in hac vita non per illud Alexandreorum figmentum intellectus agentis, ſed primò per eius effectus, quibus viſis, excitatur in nobis deſiderium uidendi eorum primam cauſam. Deinde, per motum, ex quo neceſſariò deuenimus ad primum immotum mouens. Pręterea, per cauſas efficientes, in quibus cum non ſit abeundum in infinitum, neceſſe eſt ad aliquod primum efficiens deuenire. Adhæc, per diuerſos rerum gradus, quorum cum vnus altero ſit perfectior, omninò deueniendum eſt ad aliquod ens perfectiſsimũ, quo quid perfectius dari nequeat. Poſtremò, per ipſam rerum gubernationem, in quibus permulta videmus cognitione carentia, operari propter finem: ad quem ab aliquo alio dirigantur neceſſe eſt. His ergo potiſſimùm vijs, natutæ lumine ducti, contemplamur Deum, eique cõiungimur, non per figmentum illud Alex.

Iam verò quod Iacobus Zabarella lib. de Mente humana cap. 14. pro ſua, & Alexandri ſentẽtia adducit S. Thomam, quaſi hic eò acceſſerit, vt non improbauerit, intellectum agentem, de quo Stagirites in 3. de Anima, & nos hic verba facimus, eſſe Deum ipſum, profectò aperta impoſitio, ne dicam calumnia eſt. At inquies, S. Thomas impugnauit quidem priorem opinionem, quæ aſſerebat, intellectũ agentem eſſe vnam aliquam ſubſtantiam ſeparatam, ipſo Deo inferiorem: alteram verò, quæ cum ipſum intellectũ conſtituit eſſe Deum, nequaquam impugnauit: quinimò ait, eã fuiſſe quorumdam Catholicorum. *Ideò* inquit, *quidam Catholici poſuerunt, quod intellectus agens ſit ipſe Deus, qui eſt lux vera, qua illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum.* Quid? hoccine eſt bonos auctores citare? hoccine ſuam ſententiam grauiſſimorum Doctorum patrocinio munire? Cur non addit Zabarella, verba quæ S. Doctor ſubiungit? quæ ſunt: *Sed hæc poſitio ſi quis diligenter conſideret, non videtur eſſe conueniens. Comparantur enim ſubſtantia ſuperiores ad animas noſtras, ſicut corpora cæleſtia ad inferiora corpora. Sicut enim virtutes ſuperiorum corporum ſunt quædam principia actiua vniuerſalia reſpectu inferiorum corporum, ita virtus diuina, & virtutes aliarum ſubſtantiarum ſecundarum, ſi qua influentia ex ijs fiat in nos, comparantur ad animas noſtras, ſicut principia actiua vniuerſalia. Videmus autem quod præter principia actiua vniuerſalia, quæ ſunt cæleſtium corporum, oportet eſſe principia actiua particularia, quæ ſunt virtutes inferiorum corporum, determinata ad proprias operationes huius, vel illius rei, & hoc præcipuè requiritur in animalibus perfectis: quare &c.* Hæc S. Doctor. Conſimilia habet, & in art. 10. quęſt. de ſpiritual. creat. & in prima par. quæſt. 79. art. 4.

art. 4. & vbicunque de hac re loquitur. Vnde non video quid Zabarellæ in mentem venerat, vt ad ſuam ſententiam S. Doctorem extorquere niteretur: ſed de his non amplius.

SECTIO VNDECIMA.

Dilutio argumentorum Sectionis tertiæ, quibus probabatur, intellectum agentem eſſe vnam aliquam intelligentiam.

AD primum argum. Marini dicimus, iam nos retrò pateſeciſſe, cur, & quomodo intellectus agens ab Stagirite comparetur lumini. Præterea dicimus, illud argumentum in eo conuenire nobiſcum, dum probat lumen, cui collatus eſt hic intellectus, nullã habere proportionem cum *Deo*, qui potius eſt vt Sol, quã vt lumen. Verùm in eo deficit, dum colligit, ſi intellectus agens non eſt *Deus*, neque eſt ipſamet anima, neceſſariò eſſe illum dæmonis intellectum, ſeu vnam aliquam intelligentiã. Eſt hic aliqua facultas animæ, ab ea manans, vt a nobis alio loco oſtenſum eſt, ac re ipſa diſtincta: ideòque media inter *Deum*, a quo eſt per participationem, & ipſam animam a qua fluit: perinde ac lumen eſt medium inter Solem, & rem illuminatam. Et hic intellectus a *Deo* accenſus, & illuminatus illuminat, vt ſuperius explicuimus. Quo ſpectat etiam illud Stagiritæ lib. 3. Rhetoric. cap. 10. τὸν νοῦν ὁ Θεὸς φῶς ἀνῆψεν ἐν τῇ ψυχῇ, ἄμφω γὰρ δηλοῖ τι. ideſt, *mentem Deus lumen accendit in anima: ambo enim manifeſtant aliquid.*

Ad 2. dic ex ijs, quę Sectione proximè pręcedenti, pro reſponſione ſexti argumenti adduximus: vbi triplicem attulimus rationem, cur hic intellectus conferatur habitui. Ea nũc repetere non eſt opus.

Ad 3. dico, non rectè colligi: Ars, cui intellectus agens comparatur, eſt aliquid extrinſecum a materia, in quam agit; ergo intellectus eſt quid extrinſecum ab anima. Porrò inferri debet, ergo & intellectus agens eſt aliquid extrinſecum a materia ipſa circa quam verſatur. Huiuſmodi verò materia ſunt phantaſmata, q̃ is illuſtrat. Vel ergo eſt diſtinctus ab intellectu poſſibili, qui eſt potẽtia, & veluti materia reſpectu agentis. quod vltrò concedimus. Diximus .n. ſuperius hoſce intellectus re ipſa adinuicem diſcriminari. Cæterùm ſimilitudo artis ad intellectum agentem, in duplici hac proportione conſiſtit. Primò, quod ſicut ars eſt communis cauſa eorum omnium artificiatorum, quæ in vno aliquo genere ſunt, exempli gratia, ars domificatrix, vna cum ſit, multa efficit, quæ ad extruendum domum requiruntur, ita hic intellectus cõmunis eſt cauſa omnium eorum, quæ homo, vel intellectus poſſibilis intelligit. Quippè ſi homo, res etiam infinitas ſyncategorematicè poſſet intelligere, vnus intellectus agens illas omnes abſtraheret, redderetq; intelligibiles actu, & moueret intellectum poſſibilem ad earum intellectionem. Deinde, quod ſicut ars eſt extra res artefactas, ita præfatus intellectus eſt extra res intellectas. Quocirca ex hoc exemplo haud vnquam deducitur, intellectum agentem eſſe quid alienum, & extraneum ab anima noſtra. Ad eandem ſimilitudinem reſpexit Themiſtius, cum intellectum agentem appellauit architectũ, & notionum fabricatorẽ.

Ad 4. negandum eſt, in tex. illo 19. intellectum agentem dici *ſeparabilem* pro eo, quod ſit actu ſeparatus, ſed verè capitur, vt ſonat, nempè pro eo, quod actu quidem eſt alteri cõiunctum, tamen ab eo poteſt ſeparari. Neque græcanica vox oppoſitum conuincit: nã apud nos vna vocula χωριστὸς vtrumque ſignificat, & ſeparabile, & ſeparatum, ſed magis ſignificat ſeparabile: actu autem ſeparatum dicimus κεχωρισμένον. Quinimò generatim nomina in στὸς finita, magis important potentialitatem, vt ῥευστὸς fluxibilis, καυστὸς cremabilis, &c. Teſtem habe Ariſtotelem, qui 8. Phiſic. tex. 4. ita loquitur, ὥστε δεῖ πρότερον καυστὸν εἶναι πρὶν καίεσθαι. *quare prius oportet combuſtibile eſſe, antequam comburatur.* Quamuis ergo in Metaphyſic. loco in argum. citato χωριστὸς capiatur pro ſeparato, attamen in 3. de Anima tex. 19. accipitur pro ſeparabili. Eandem potentialitatem ſignificant reliqua intellectus agentis attributa, *immixtus, & impaſſibilis.* Quandoquidem impaſſibilis eſt, qui pati non poteſt.

Quod verò Philoſophus hęc attributa probet ineſſe intellectui agenti per hoc medium, τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ, *ſubſtantia, cum ſit actu*, ſeu *ſubſtantia, cùm ſit actus*, (ita enim cõmodius transfertur, cum & οὐσίᾳ, & ἐνεργείᾳ, ſint dandi caſus), & modus dicendi probatiuus, vt

latè expoſuimus ſupra Diſput. quinta, ſect. 5.) non ſignificat, quod actio intellectus agentis ſit eiuſmet ſubſtantia: vt in illo argum. temerè ſumitur, ſed eſt, quod huius intellectus natura eſt actu τῇ οὐσίᾳ, ipſi ſubſtantię, ideſt ipſi animæ, ad differentiam intellectus poſſibilis, qui eidē ſubſtantiæ, ideſt animæ, eſt potentia. Complures autem decepti ſunt, vt exiſtimarent actionem intellectus agentis eſſe eiuſdē ſubſtantiam, ob prauas, & diſtortas eius loci translationes, dum alius quidem vertit, *ſubſtantia actio exiſtens*: alius, *ſubſtantia actu ens*: alius alio modo. Quæ omnia, quia accuratè diſcuſſimus in ſect. illa 5. citata, haud eſt opus hic repetere. Tu verò vel hac ratione conuince, actionem intellectus agentis non eſſe eius ſubſtantiam, quia huius actio, vt etiam Alexandręi, & præcipuè Zabarella lib. de Mente Agente cap. 5. & 8. fatentur, eſt mouere intellectum poſſibilem: quæ functio tantum abeſt, vt ſit ipſamet eſſentia intellectus agentis, vt ne ab eo ſolo procedat, ſed oritur ab intellectu agente vna cum phantaſmatibus illuſtratis copulato: quare &c.

Ad 5. dicimus, quod intellectus agens eſt re ipſa diſtinctus ab intellectu poſſibili: & vterque eſt facultas animæ, & ab anima fluens, qua de re abundè ſupra. Quæ cum ita ſint, nullum contra nos ſequitur inconueniens ex ijs, quæ in 5. argum. recenſebantur. Sic enim agens, & patiens reuera ſunt ſeiuncta, ac diuerſa ſecundum ſubſtantiam, hoc eſt, ſecundum ſuam naturam. Quippè alia eſt natura intellectus agentis, alia intellectus poſſibilis. Sic aliud eſt in præſentia cauſa efficiens, ideſt intellectus agens, aliud cauſa veluti materialis, nempè intellectus poſſibilis. Sic non idem ſimplex mouebit ſeipſum, vt in eodem argu. eruebatur, cum re ipſa ſit alius, atque alius intellectus. Sic denique patet ad id, quod poſtremò adiungebatur: nam intellectus poſſibilis neque eſt forma ſeparata, vt Auerroes commentus eſt, neq; forma materiam informans, (niſi nomen intellectus poſſibilis capiatur pro ipſa anima intellectiua, vt alio loco adnotauimus) ſed eſt vera animæ rationalis facultas.

Ad 6. Hæc ratio eadem eſt, ac prima Alexandręorum, quā Sectione proximè antegreſſa fusè diluimus. Intellectus agēs eſt quidem cauſa ſimplicitatis in rebus, quia ex phantaſmatibus facit ſpecies immateriales, ac ſimplices, verùm hoc non facit, vt prima cauſa ſimplicitatis, ſed vt ſecunda, participata, & quaſi immediata: vnde haud ſequitur eum eſſe ipſum ſimpliciſſimum: ſicuti etiam aqua calida calefacit manum, & tamen nō ideò eſt ipſum calidiſſimum, ideſt ignis.

Ad 7. dicimus, nos iam in Diſput. præcedenti pateſeciſſe, intellectum poſſibilem haud eſſe formam aliquam ſeparatam, ſed veram intellectricis animæ facultatem, & id, *quo intelligit, & exiſtimat anima*, 3. de Anima, tex. 5. Quare licet intellectus agens, vt eſt agens, ſit aliquo modo perfectior, quàm poſſibilis, non ideò ſequitur, eum eſſe a corpore abiunctum, ſed erit eiuſdem animæ facultas.

Quamuis autem intellectus agens ſit aliquo modo purior, & immaterialior ipſo poſſibili, tum vterque intellectus eleuatior ſit quàm ipſa intellectrix anima, quatenus illi operantur abſque vllo organo corporeo, iſta verò eſt corpori copulata, & forma verè informans, tamen hoc non inducit in iſtis eiuſmodi diſtinctionem, vt vnum ſit extrinſecum ab alio: quinimo ne eſſentialem diſtinctionem oſtendit: cuius rei accommodatum exemplū adhiberi poteſt in flamma, quæ vna & continua cum ſit, tamen ea parte qua lignis eſt copulata, eſt minus pura: deinde paullo ſuperius, purior, tandem in ſublimitate adhuc purior. Sic anima corpori vti forma coniuncta eſt veluti ea flammæ pars, quæ lignis adhæret: mox intellectus poſſibilis excedit corpus, ſed quia retinet non nihil potentialitatis, cōparatur ea flammæ parti, quæ proximè ex lignis aſcendit, quæ tamen obtinet aliquid fumoſi: poſtremò eſt intellectus agēs, vt in ſublimitate flammę, quæ etiam reliquas flammæ partes illuminat. Hoc exemplū primo ab Auicenna adhibitum, refert non vno loco Albertus Mag. vt tract. 1. de natura, & orig. animæ, cap. 5. & tract. 2. cap. 2. & tract. 1. de intellectu, & intelligibili, cap. 6. Cuius verba, etſi aliquātum prolixa, nec me hic ſubieciſſe, nec te legiſſe pigebit. *Licet nos*, inquit, *in natura anima ponamus aliquid potentiale, & aliquid, quod eſt actus illius, non tamen poſſumus dicere quod potentiale, quod eſt in ipſa, ſit materia, quia non habet proprietates eius: ſed multò congruentius dicitur, qđ cū anima intellectualis eſſe nobile ſeparatum retineat, quod ex parte illa, qua attingit continuū, & tēpus, efficitur poſſibilis: et ex parte, qua omnimodè manet ſeparata, eſt actiua, et pfectiua eiuſdē poſſibilitatis.*

Cuius

Digitized by Google

Cuius congruum exemplum dicit Auicenna in flamma adhærente aridis lignis cremabilibus. Illa enim in ea parte, qua adhæret lignis, eſt aliquantulum fumoſa; in ea autem parte, quæ euolat in aerem purum, a lignis diſtans, eſt plena luce, illuſtrans aerem, & etiam partem fumoſam eiuſdem flammæ. Sic enim eſt de anima intellectuali, eò quod ipſa aliquo modo ſit perfectio corporis, & tamen ſeparata, & ideò ex parte qua inclinatur ad corporeas virtutes organorum, quæ ſunt imaginatio accipiens continuum, & ſenſus, accipiens temporale, & tranſmutabile, quaſi fumoſa eſt: & efficitur in potentia intelligentia, & non in actu: ſed in parte ſeparata eſt in actu, lucis perfectæ. In quo quidem flammæ exemplo hic auctor duo explicat: nos vero conſiderauimus tria, nempè ipſam animam, intellectum poſſibilem, & intellectum agentem.

Ad vltimum argumentum. Iam ex ſuperius dictis liquet, quomodo intellectus agens, nõ ſit in omnibus hominibus vnus. Ad probationem, fatemur quidem effectum ſingularem indicare ſingularem cauſam, quando cauſæ non ſunt ſubordinatæ, vel non ſunt in diuerſo genere cauſæ, vel partiales: nam tunc ſingularis effectus non arguit cauſam ſingularem, vt patet. De primo quidem, quia idem homo generatur a Sole, & ab homine: De ſecundo, quia idem homo gignitur a mare, & fœmina: De tertio, quia eadem nauis trahitur a duobus, vel pluribus. Ceterùm negamus minorem propoſitionem argum. nempè notitias, quas habent plures homines de primis principijs, eſſe numero eaſdem: nam etſi obiectum intelligibile, in ſe ſit idem numero, nihilominus vbi a varijs hominibus cognoſcitur, varijs porrò ſpeciebus intelligibilibus, ac varijs intellectionibus cognoſcitur: Tùm varij ſunt habitus variarum mentium: Tùm illæ notiones vario tempore acquiruntur. Quare ex notionibus primorum principiorum nullo pacto colligitur vnitas numerica intellectus agentis in pluribus hominibus.

SECTIO VLTIMA.

Confutantur argumenta quartæ ſectionis, quibus probabatur, intellectũ agentem eſſe habitum primorum principiorum: vel eſſe ipſummet intellectum poſſibilem, quatenus habet habitum primorum principiorum: vel denique eſſe ipſum intellectum poſſibilem, prout actu intelligit.

Prima opinio in 4. illa ſect. recenſita aſſeuerabat, intellectum agẽtem eſſe habitum primorum principiorum: cuius falſitatem abundè ſatis patefecimus in ſect. 9. huius Diſput. nunc eius argumenta diluenda ſunt. Ad 1. negamus, Ariſtotelem dicere intellectum agentem eſſe habitum quendam: ſed ait, eum operari, & facere omnia, vt habitus quidam facit omnia in ſuo genere. Modo longè aliud eſt eſſe habitum, aliud operari, vt operatur habitus. Deinde, iam ſupra ſectione 10. triplicem attulimus rationem, cur hic intellectus aſſimiletur habitui. Poſtremò, detur quod Stagirites hunc intellectum vocauerit habitum: negamus, nullum alium habitum intelligi poſſe, quàm primorum principiorum. Quippè ipſemet Stagirites ſemet explicans, cuiuſmodi habitum intelligat, ait, ſe huiuſmodi habitum intelligere, *quale eſt lumẽ*, quòd facit colores qui ſunt potentia viſibiles eſſe actu viſibiles. Hoc verò in habitum primorum principiorum haud videtur cadere poſse, quare &c.

Ad 2. patet ſolutio ex reſponſione ad tertium argum. ſectionis proximè præcedentis: vbi expoſuimus cur intellectus agens comparetur arti. Quod verò Philoſophus lib. 6. Ethic. cap. 6. habitum primorum principiorum conceptis verbis appellat intellectum, profectò id facit per quandam ſimilitudinem ad intellectum agẽtem, quæ in hoc poſita eſt: quod quemadmodum intellectus agens eſt principium omnia intelligendi, ab eo quippè vt intelligantur abſtrahi debent, ſic prima principia ſunt ea, per quæ intelligimus omnes concluſiones. Tum etiam, quemadmodum intellectus agens facit, quæ ſunt potentia intelligibilia, eſse actu huiuſmodi, ita prima principia faciunt concluſiones potentia intellectas, eſſe actu intellectas: nam concluſio latitat potentialiter in præmiſſis. Poſtremò, ſicut intellectus agens eſt nobis cõgenitus, ita notitia primorum principiorum eſt nobis naturaliter indita: naturaliter enim cognoſcimus omne totum eſse maius ſua parte. Has ergo ob cauſas prima principia per quandam ſimilitudinem nuncupantur intellectus agens.

Ad fundamentum ſecundæ opinionis in eadem ſect. relatæ, quod erat, Intellectus dicitur agens, quia cum lubet, poteſt agere. Talis autem eſt intellectus poſſibilis habitu dignitatum ornatus. Dicimus, non hanc ob cauſam dici intellectum agentem: ſed ob alias, quas ſuperius expoſuimus. Nec verò Ariſt. in illo tex. 18. loquitur de intellectu agête, ſed ſermonem habet de intellectu adepto, ſiue de intellectu in habitu: quare &c.

Nunc diluenda ſunt argumenta Philoponi. Ad 1. nempè, intellectus agês dicitur quia agit. Et intellectus poſſibilis dum actu intelligit, & iudicat, agit. Diſtinguenda eſt minor; nam intellectus poſſibilis dum actu intelligit, ac iudicat, agit quidem, ſed nô eo modo, quo agit intellectus agens. Hic enim ſic agit, vt nullo pacto patiatur, ille verò ita agit, vt ſimul & paſſus fuerit, & poſtea patiatur. Quippè intellectus poſſibilis, vt intelligat, induitur ſpecie intelligibili, quo pacto intelligere *eſt quoddam pati*: Deinde, ita agit intelligendo, vt inſemet etiam recipiat intellectionem, cum hæc ſit actio immanens; recipere autem etiam eſt pati. At verò intellectus agens ſic agit, vt neque antecedenter, neque conſequenter patiatur. Verumenimuerò neque ſpeciem vllam in ſe recipit, nec ſuammet actionem, ſed eam exercet in imagines, quæ ſunt in phâtaſia, quas eleuat ad producendas formas omninò immateriales in intellectu poſſibili, vt retrò diximus. Ex hac ipſa doctrina diluitur altera eiuſdem auctoris ratio: nam alio modo intellectus agens eſt actu: alio intellectus poſſibilis, etiam dum intelligit.

Poſtremò, ex attributis illis, quæ tertio loco enumerantur à Philopono, aliqua procul abſunt a veritate. Primò, falſum eſt quod attributum intellectus agentis, ideſt omnia facere, cadat in intellectum poſſibilem, vt actu intelligit: Quinimò dum hic actu intelligit, potius fit res ipſæ, & omnia, quæ intelligit, ſi intelligere eſt quid paſſioni ſimile, & perfectio cognoſcentis ab obiecto cognoſcibili, vt auctor eſt Ariſt. 3. de Anima, tex. 2. & 7. Et lib. 2. de Anima, tex. 57. Dum verò ait, intellectû agentem ſemper intelligere: idque conuenire intellectui poſſibili, vt actu intelligit, tam diſtat a vero, quàm quod maximè: tum quia intellectus agens non intelligit, ſed facit intelligibilia actu, vt retro oſtendimus: tum quia nos experimur, non ſemper intelligere.

Ad hæc falſum eſt, qđ intellectui poſſibili, vt actu intelligit, conueniat proportio cum habitu, & luce. Profectò, cum habitus, & lux ſint ante ipſas operationes agentium, non conferuntur cum agentibus ipſis. Illud quoque non congruit, quod qui eſt potentia intellectus, ab eo, qui actu eſt, differat tempore, & ſubiecto: nam ſi intellectus agens differt a poſſibili tempore, & ſubiecto, quomodo ille poteſt conſtitui hic prout actu intelligit? Poſt, nec eſt verum quod intellectus agens obliuiſcatur. Porrò cuius vnquam obliuiſci poteſt ille, qui nihil cognoſcit? quippè obliuio eſt affectio facultatis cognoſcentis. Intellectum verò agentem formaliter nihil cognoſcere, iam retrò probauimus. Itaque Philoponus in recenſitis illis attributis, & intellectui poſſibili coaptatis, ſolitum ſibi acumen non ſeruauit.

Hæc ſint ſatis de hac Diſputatione, & de duplici animæ ſtatu: nimirum quâ ea oritur, & quâ in corpore degit: quamquam plura, & haberem dicere, & vellem: ſed meminerimus in rebus adeſſe modum. Nunc ad tertium animæ ſtatum, diuina implorata ope, accedamus: ſit ergo.

Finis Diſputationis Nonæ.

DI-

DISPVTATIO DECIMA:

DE STATV ANIMÆ SEPARATAE, CVM EX VETERVM SENTENTIA, TVM SECVNDVM VERITATEM.

INTRODVCTIO.

SI anima rationis atque conſilij compos, vnà cum corpore non euaneſcit, ſed ab eo ſalua incolumiſque abit, quod retrò iam ſatis oſtendimus, profectò alicubi maneat omninò neceſſe eſt. Eò haud perueniet, niſi per aliquem morum: Illic non torpeſcet in otio, ſed quaſi in æſtate metet, quæ ſeminauit in huius vitę autumno: quocirca vt hoc argumentum ſuis numeris abſolutū prodeat, hæc diſquirenda, & determinanda veniunt. Primum, quonam pacto mouetur anima dum à corporis ſocietate diſſociatur, & quo dum actu eſt ſeparata. Deinde, quis ſit locus ille, in quem ea iam ſeparata recipitur. Poſt, quid ibi, & quomodo operetur. Poſtremò, quibus præmijs, aut ſupplitijs afficiatur.

Porrò in primis lectorem monitū volo, ne vllam hic naturalem, & quod aiunt, demonſtratiuam expectet rationē: nulla hic, aut ego fallor, talis ratio ſuppetit: vnde nec Naturalis Philoſophi eſt, qui omnem ſibi cognitionem venatur a ſenſibus, præfata capita, adeò retruſa, & à ſenſibus remotiſſima, perueſtigare, certòque decernere. Ducitur ille quidem, fateor, quibuſdam congruentijs, & aliquò vſq; perducitur, ſed rem totam, & tutò complecti nequit: ea propter huius rei determinatio ex ſublimiori aliqua doctrina ſemper petita eſt. De hac dixerunt aliquammulti Veteres non pauca, ſed non abſque fęda, & multiplici errorum labe, vt recitabo inferius. Nobis Chriſti cultoribus gratuitò datū eſt, illorum errata quaſi ex alta quadam ſpecula proſpicere, & veritatem intueri. Ergo afferam primò in medium, quid hic priſca ætas exiſtimauit. Tum enodabo, ſi quæ ſuppetunt huius rei congruentiæ, aut difficultates. Ad extremum exponā, quid iuxta veritatem ſentiendum ſit.

SECTIO PRIMA.

Quomodo Veteres poſuerint animas moueri, dum a corporibus ſeparantur, & dum actu ſunt ſeparatæ.

NVlla noſtra naturalis cognitio ſublimius attolli poteſt, quàm colligamus ex effectibus, quos experimur. Animæ autem ſeparatæ, nec in nobis ipſis, nec in rerum natura vllum vnquam effectum ſentimus, ex quo ad ea poſſimus dirigi, q̄ ipſa in alia vita vel faciat, vel patiatur. Hinc & priſci philoſophi qui huiuſmodi res tractauerunt Theologi vocabātur. Sex autem recenſentur præcipui. Primus fuiſse traditur Zoroaſter, Magorū caput: Secūdus, Mercurius Termaximus: Tertius, Thrax ille Orpheus: Huius ſacris initiatus fuit Aglaophemus:

Hunc Pythagoras: Pythagoram ſecutus eſt Plato, qui vniuerſam illorum ſapientiam ſuis literis comprehendit, auxit, illuſtrauit.

Hunc ergo primùm audiamus, qui in Phædone ita loquitur: *Nihil aliud cum migrat ad manes anima ſecum transfert præter eruditionem, atque educationem. Quæ quidem ſtatim in principio tranſmigrationis illius plurimùm vel prodeſſe, vel obeſſe dicuntur. Ferunt enim quemlibet hinc illuc emigrantem, ab eo dæmone, quem viuens ſortitus fuerat, in locum quemdam duci, vbi oporteat omnes vnà collectos iudicari; ac deinde ad inferos proficiſci eo duce, cui mandatum erat, vt hinc decedentes ad illa loca traducat. Sortitos verò illic, quæ oportebat ſortiri, tempusq; debitum commoratos, ab alio quodam duce rurſus huc reduci, poſt multos temporis, longoſque circuitos.* Neque his contentus, viam etiam pandit, ita ſubnectens. *Eſt autem iter nō tale, quale ait Telephus apud Aeſchylum: ille ſiquidem ſimplicem inquit viam ad inferos ferre. Ego verò neque ſimplicem, neque vnam eſſe puto. Alioquin nullis ducibus opus eſſet, quippè cum vnica via aberrare poſſit nemo: quinimo multos tramites, multoſque anfractus habere: quod quidem ex ſacrificijs, ac ritibus coniectare licet. Animus ergo moderatus, ac prudens ducem ſponte ſequitur, neque ignorat præſentia: ſed qui cupiditate corporis eſt infectus, per multum tempus ad ipſum ardenter afficitur, & circa locum viſibilem multis reluctatus modis, multaque perpeſſus, vix tandem ab eo ducitur dæmone, cui eius cura erat iniuncta.* Viden' vt anima ſtatim ac migrat e corpore, ducitur ab eo dæmone, ideſt Angelo, quem in vita cuſtodem ſortita eſt, & ducitur in locum, vbi iudicij examen ſubit, & lata ſententia, in alium transfertur locum?

Cōſimilia ſcribit Mercurius Triſmegiſtus, in Aſclepio cap. 10. dum ait. *Audi ergo ò Aſclepi, cum fuerit animæ a corpore facta diſceſſio, tunc arbitrium, examenque meriti eius tráſiliet in ſummi iudicis poteſtatem; is q; eam cum piam, iuſtamq; præuiderit, in ſuis competentibus locis manere permittit. Sin autem delictorum illitam maculis, vitijsque oblitam viderit, deſuper ad ima deturbans, procellis, turbinibuſque aeris ignis, & aquæ, ſæpè diſcordantibus tradet, atque inter cælum, & terram mundanis fluctibus in diuerſa ſemper æternis pœnis agitata raptabitur, vt in hoc obſit animæ æternitas, quod ſit immortali ſententia æterno iudicio ſubiugata.*

Huc ſpectat Chaldaicum oraculum, μὴ ἐξάξῃς, ἵνα μὴ ἐξίῃ ἔχουσά τι. ideſt, *ne educas animam, ne exiens* e corpore, *habeat aliquid periculi.* In cuius dicti expoſitione adeundi ſunt Pletho, & Pſellus. Nolo in præſens plura auctorum dicta exſcribere, maximè quia ex his, quæ attuli, abundè liquet, quid priſca fides exiſtimauerit de anima dum e corpore ſeparatur: hos .n. reliqua poſteritas ſubſecuta eſt.

Quid verò hac de re ſenſerit Stagirites, exquiſitè afferre non habeo: nullus tamen ambigo, quin is multa, & præclara de hoc argumēto, elaborarit, quæ nobis inuidit iniuria temporum. Ex ijs nihilominus, quæ Diſput. 5. & 6. oſtendi, coniectare licet, eum in maiorum ſuorum ſententiam abijſſe: ideòque ſi anima poſt animal incorrupta manet, vt ibi ad eius ipſius aures patefeci, profectò dum e corpore migrat, in aliquo loco recipiatur, & per aliquem motum, non quidem phyſicum ſed metaphyſicum, eò perueniat neceſſe eſt.

Iam verò quoniam illis difficile viſum eſt, quonā pacto immortalis, ſimplexq; ſpiritus, cuiuſmodi in ſe eſt anima, an oberrare, an perpeti poſſit, adiunxerunt illi corpuſculum, neſcio quod, ſubtile, æthereum, ac cęleſte, præter hoc noſtrum, cui in tempore coniungitur: ita vt animam non aliter terreno, ac mortali corpori coniungi arbitrati ſint, quàm per æthereum ac cęleſte illud corpus, quod ſibi prius coniunxerat. Quorum ratio ea erat, quia hoc pacto gradatim ac ſuauiter infima mens, primùm ac immediatè adhærebit ſupremo corpori, & per illud quaſi medium copulabitur cæteris craſſioribus corporibus. Tum etiam, quia hac via non fiet ab vno ad aliud extremum tranſitus ſine medio.

Porrò corpuſculum illud æthereum ac cæleſte, animæ primò aſſociatum, nuncupauerūt ψυχῆς ὄχημα, *animæ vehiculum*. Sic Plato in Timæo dum ait, *Aſtris parem numerum diſtribuit animarum, ſingulis ſingulas adhibens, eiſq; impoſitis tanquam in vehiculo, monſtrauit vniuerſi naturam &c.* In Phædro vocat ζεῦγος ψυχῶν, *currum animarum.* Alij vocarunt *animæ idolum.* Alij *naturale aīæ indumentum.* Hoc, opinor, Zoroaſtes appellat, animæ ſuperficiem, dum ait.

μὴ πνεῦμα μολύνῃς, μὴ δὲ βαθύνῃς τὸ ἐπίπεδον. ideſt,

Ne ſpiritum conſpurces, neque ſuperficiem profundam facias.

Ne videlicet coinquines animam, quam meritò vocat ſpiritum: neque eius ſuperficiē aditamentis materialibus excreſcere facias

in

in profundum. *Etenim Chaldai, duabus tunicis animam induunt, & vnam quidem ſpiritualem nominarunt, a ſenſibili mundo ipſi contextam, alteram verò luciformem, tenuem, & intactilem, quæ ſuperficies hic vocatur*, inquit, eo loci Pletho.

Hoc ipſum animæ vehiculum vnà cum anima perpetuũ, ac immortale fore arbitrati sũt, quia eſſentia, aiunt, animæ, vita ſempiterna eſt: eaq; vel fons, vel ripa vitæ eſt: ob id ſempiternam illi largitur vitam, cui primùm ac immediatè adhæret: cumq; eius eſſentia immutabilis ſit, immutabiliter proximum ſibi corpus viuificat, nec deſerit vnquam.

Huic eidem vehiculo aſcribunt quandam confuſam, & irrationalem phantaſiam: ſenſus præterea; eoſque tam acutos ac vegetes, vt ipſum totum per totum videat pariter, audiatq;. Per hoſce ſenſus videri, aiũt, dęmonas, audiri eorum voces, & Cęlorũ concentus mirabiles. Id porrò tunc accidere, cum anima derelicto ad tempus terreno craſſoq; corpore, in ſuum vehiculum, ac cęleſte corpus ſe ſe recipit: quod quia perpauci, & rarenter faciunt, paucos quoq; & perraro dictis ſenſibus vti. Hinc Tatium Mercurij Triſmegiſti filium, cum eſſet paternis expiationibus purgatus, actutum exclamaſſe accepimus, ſe tunc in corpus immortale eſſe translatum, & intueri mirabilia, ac videre. Quod ſibi quoque in abſtractione animæ contigiſſe narrat idem Triſmegiſtus. Eadem arte vſum fuiſſe ferunt Apollonium Tianęum, vt ex vrbe Roma proſpiceret, quæ in Aegypto agebantur.

Immò verò Marſilius Ficinus lib. 18. Theolog. Platon. cap. 4. contendit ipſummet Stagiritem tale quippiam de animæ vehiculo cogitaſſe in lib. 2. de generat. animal. cap. 3. Cape Marſilij verba, *Vbi cum probaſſet, intellectualem animam eſſe a corpore ſeparabilem, propterea quod cum operatione ſua non communicat operatio corporalis, paulò poſt ſubdidit, huic anima conuenire corpus aliquod, quod ſit a genitura corpore ſeparabile.*

Vin' aliũ locupletiorem audire teſtem? Excipe Simplicium, qui in 1. de Anima ad tex. 12. exponit Ariſtotelem, intellexiſſe hoc corpuſculum, ſeu vehiculum, dum quærit: Vtrũne *paſſiones anima ſint omnes communes, & habentis, an ſit aliqua, & ipſius anima propria.* Ad quęquidem verba adnotat primo. Cur Stagirites dubitationem ait eſſe non de actionibus, ſed de paſſionibus animæ? Dein ſubdit: *Quod enim ſeparabile exiſtit*, ideſt intelligere, *manifeſtè habet. Verùm vt cum id ita poſſideat, vt ipſe exactius loquens indicat, dubium eſt. Quoniam non omninò ſine corpore eſt. Quod tamen non de mortali omninò intelligendum. Sentiendi namque vim habet, atque cogitatione concipiendi, & illud quoque diuinum anima noſtra vehiculum.* Verùm ad Academicos redeo, ex quibus iſta hic quoque auctor hauſit.

Qui hoc ipſum vehiculum naturali quidẽ figura, dixerunt eſſe rotundum, propter ætheris, vnde decerptum eſt, regionem, at cum in corpus humanum ingreditur, in humanam effigiem ſe ſe formare: rurſuſque in priorem formam ſe reſtituere, cum e corpore migrat.

Tandẽ ſcio aliquàmultos Platonicos in eo dogmate extitiſſe, ſcilicet aĩam triplici vehiculo vti. Vno quidem immateriali, ac ſimplici: ideſt, cęleſti. Altero materiali ac ſimplici, hoc eſt aereo. Tertio materiali, & compoſito, nempè ex quatuor elementis conflato. Et primo largiri vitam irrationalem, ſed immortalem; Secundo, vitam irrationalem, ſed longęuam: vltimo, vitam & irrationalem, & exigui temporis, qualis eſt hæc noſtra. Hęc, & horum ſimilia illi, in quibus amplius immorari piget. Sunt hęc, vt verè fatear, ęgrotantiũ ſomnijs, quàm philoſophantium decretis ſimillima. At at meminerimus, eos in naturę tenebris caliginaſſe: Nos iam ex alia doctrina rem ipſam enucleemus.

SECTIO SECVNDA.

Quomodo anima mouetur dum actu decedit a corpore: tum ea ipſa ſeparata quomodo eſt in loco, & quomodo mouetur.

QVID priſca ętas de animę motu exiſtimauit, habes: quid ex vero ſentiendum ſit, nunc audi. Ac primò quidem ſi de ea ſit ſermo, dũ e corpore quaſi e carceribus abit, conſiderare debemus, quod virtus, & vitium in hac vita ſunt veluti via, ac motus, terminanturque in futura vita. Virtus pręmio, vitium complectur ſupplicio. Virtus eſt exoriens præmium, pręmium eſt virtus adulta. Vitium eſt ſupplicium naſcens, ſupplicium eſt vitium conſummatum,

Pręp-

Digitized by Google

Præterea, virtuti adiungitur meritum, vitio reſpondet demeritum. Ergo anima cum actu a corpore ſeparatur, mouetur a merito virtutis exercitæ, aut demerito vitij, ad præmium, aut ſupplicium, tanquam ad terminos, perinde atque corpora naturalia grauia, & leuia mouentur a grauitate, aut leuitate ad ſuos fines. Itaque quemadmodum corpora leuitate quidem feruntur ſurſum, pondere autem præmuntur deorſum, ita anima ſtatim atque excedit e corpore, aut virtutis merito ſurſum ad cęlum auolat, niſi purganda alibi detineatur, aut demerito vitij, pęno grauata, deorſum truditur in infernum. Ita didicimus cùm ex alijs SS.PP. tùm ex S. Thoma non vno in loco, & præcipuè in Additionibus ad 3. par. quæſt. 69. art. 2. quo loci hæc omninò legimus. *Dicendum, quod ſicut in corporibus eſt grauitas, vel leuitas, qua feruntur ad ſuum locum, qui eſt finis motus ipſorum, ita etiam eſt in animabus meritum, vel demeritum, quibus perueniunt animæ ad præmium, vel pœnam, quæ ſunt fines actionum ipſarũ. Vnde ſicut corpus per grauitatem, vel leuitatem ſtatim fertur in ſuum locum, niſi prohibeatur, ita anima ſoluto vinculo carnis, per quod in ſtatu vitæ detinebatur, ſtatim præmium conſequitur, vel pœnam, niſi aliquid impediat, ſicut interdum impedit conſecutionem præmij veniale peccatum; quod primùm purgari oportet: ex quo ſequitur, quod præmium differatur. Et quia locus deputatur animabus ſecundum congruentiam præmij, vel pœnæ, ſtatim vt anima abſoluitur a corpore, vel in infernum immergitur, vel ad cælos auolat, niſi impediatur aliquo reatu, quo oporteat auolationem differri, vt prius anima purgetur.* Hæc S. Doctor, nec ego de hac parte plura: ſi tamen hoc vnum te admonuero, quod hæc omnia non abſque Dei miniſtris, Angelis peraguntur, quibus princeps ille Deus mandauit de te: & a quibus morientium animæ ſæpiſſimò deportari perhibentur in ſacris voluminibus. Idq; profectò ſpectat, vel ad animarũ dignitatem, ſi beatæ in cælũ auolant, vel ad quandam diuinæ iuſtitiæ executionem, ſi nocentes detruduntur in infernum.

Venio nunc ad illud, quomodo anima ſeparata ſit in loco?

Pro cuius enucleatione recolamus oportet ex ijs, quæ ſuperius patefecimus, animam intellectricem, nec corpus eſſe, nec vllo pacto compoſitam phyſicè: verùm eſſe formam per ſe ſubſiſtentem, ſiue formam ſubſtantialem ꝑ ſpiritualemq;, perinde, ac ſunt reliquæ ſubſtantiæ ſeparatæ, quas vocamus Intelligentias, ſiue Angelos. A quibus differt quidem anima in multis, vt oſtendit S. Thomas in prima parte, quæſt. 75. art. 7. & quæſt. de Anima art. 7. atq; in eo maximè quod illæ ſint ſubſtantiæ completæ, hæc incompleta, & vt aiunt Semiperſona: nihilominus in multis conuenit, potiſſimùm verò in modo eſſendi. Porrò quia intelligentias, ſeu Angelos minori cum difficultate ſtimamur, quàm animas ſeparatas, quòd illorum vtcumque videmus aliquos effectus; ex quibus in eorumdem cognitionem deuenit quoque Ariſtoteles, cùm 8. Phyſ. c. tũ 12. Metaphyſ. Animarum autem ſeparatarum nullum vnquam effectum, nec in nobis ipſis, nec in vniuerſa rerum natura experimur, iccircò proportione quadam ex Intelligentijs, ſiue Angelis accepta, ducimur ad intelligendum, & explicandum animarum tũ locum, tum motum.

Scire igitur oportet, quod cũ locus proportionetur locato, ſi immateriales ſpiritualeſque ſubſtantiæ toto genere diſcriminantur a corporibus, *nam prout hoc quidem corruptibile, illud verò incorruptibile, oppoſitionem habent, quare neceſſe eſt genere diuerſa eſſe*, inquit Stagirites in calce lib. 10. Metaphyſic. conſequens eſt, vt locus corporum, ac ſubſtantiarum immaterialium, toto genere differat: idcòque, *eſſe in loco etiã æquiuocè conuenit corporibus, & Angelo*, vt auctor eſt S. Thom. in prima par. quæſt. 53. art. 1. quod nos de anima quoque aſſerimus. Eſt ergo locus duplex, Alius quidem qui corporibus tantum, & rebus quantis conuenit, vulgo circumſcriptiuus vocatur, qui nimirum ita cõtinet, ambitque vndequaque locatum, vt totũ locatum toti loco, & pars locati parti loci reſpondeat. Hunc definiuit Ariſt. lib. 4. Phyſic. *eſſe ſuperficiem corporis ambientes primò, & per ſe, & non ſecundum accidens.* Alius autem locus eſt definitiuus, qui vt grauiſſimi D.D. tradunt, nihil aliud eſt, quàm quod res aliqua ex modo exiſtendi ita alicubi ſit, vt ei repugnet ſimul alibi eſſe, & hic eſt proprius rerum immaterialium creatarum.

Hoc ergo ſecundo modo aſſerimus, animã ſeparatam, & generatim quamcumque ſubſtantiam immaterialem creatam eſſe in loco.

Quod vel ex eo liquet, quia cum anima, & quæuis ſubſtantia immaterialis creata ſit eſ-

ſentiæ

Digitized by Google

ſentię virtutiſque finitę; nequit omnem occupare locũ; ſed ſibi neceſſariò exiget ſphęram aliquam actiuitatis, locum inquã, in quo eſſe, & non in maiori; & in quo operari, & nõ in maiori poſſit. Hic autem eſt eius locus definitiuus. Præterea, nam auctore Philoſopho lib. 1. Poſter. cap. 10. ſi negatio adæquata eſt cauſa negationis, affirmatio erit cauſa affirmationis. Atqui Deum eſſe in loco etiam definitiuè (eſt enim vbique repletiuè) negamus ob eius infinitatem, ſiue immenſitatem: meritò ergo affirmabimus, finitas ac limitatas ſubſtantias eſſe in loco iuxta earum conditionem, nẽpè definitiuè.

Quod ſi quæras, quomodo, ſeu per quid animæ conſtituantur formaliter in huiuſmodi loco?

Per id, per quod & reliquæ formæ ſeparatæ. Et quidem communiter acceptata eſt hodiè ſententia D. Thomæ, quam habet in primo ſent. diſt. 37. quæſt. 3. art. 1. Et in 2. diſt. 6. quæſt. 1. art. 3. Et prima par. quæſt. 52. art. 1. 2. & 3. Et lib. 3. cont. Gent. cap. 68. quod ſicuti res corporeæ ſunt formaliter in loco per quantitatem dimenſiuam, quæ immediatè cõtingit locum, adeò vt dempta ab ijs omni quãtitate, eę nullibi futuræ ſint tanquam in vero & reali loco, ſed eſſent fortaſſe in loco a nobis imaginario, cum haud eſſent extenſæ, nec cõtingi poſſent a ſuperficię corporis ambientis: ita ſubſtantiæ a materia ſegregatæ, Angeli, quia nõ habent niſi quantitatem virtutis, *ſunt in loco per applicationem virtutis ad aliquem locum qualitercumque.* Quæquidem applicatio, ita ſe ad eorum ipſorum eſſentiam habet, quemadmodum quantitas ad res materiales, et corporeas: per illam quippè determinatur eorum eſſentia ad hũc, vel illum locum, quæ ſecundum ſe indifferens eſt. Qua de re permulta ſcholaſtici, in locis nuper citatis.

Conſimili ratione de anima ſeparata philoſophandum eſt: nempè eam formaliter collocari in loco per applicationẽ virtutis. Quocirca omninò neceſſe eſt, eam applicare ſuam virtutem illi rei corporeæ, in qua futura eſt tãquam in loco. Adeò vt quemadmodum Angelus, ſi ſibi omnem ſuæ virtutis applicationem ſuſpenderet, (quod tamen eum de facto non facere arbitrantur viri docti in Schola S. Thomæ, ſed perpetuò ſuam operandi vim applicare alicubi, ſiue in cęlis, ſiue in terra.) nullibi eſſet tanquam in loco, ſed ſolum fuiſſet in vniuerſo veluti pars in toto; ſic anima ſi operari, vel applicare ſuam virtutem deſiſteret, nuſquã vt in loco foret, quia ſublata illi fuiſset ratio exiſtendi in loco: Hæc de iſta opinione.

Verùm captu facilius exiſtimo, ſi dicatur, animam conſtitui in loco per ſuam ipſius ſubſtantiam, ſeu præſentiam ſubſtantialem: nimirum, quia ita ſubſtantialiter eſt hic, vt non alibi. Nam ſi multi, ijque graues auctores ſuſtinuerunt, Angelos re ipſa poni in loco per ſuã ipſorum ſubſtantiam, quanta maiori cum ratione id ipſum de anima pronunciari poteſt, quæ minus eſt immaterialis, & arctioris virtutis, quàm Angeli? Tum præterea, quia intellectu difficile eſt, quamnam virtutis applicationem habeat anima, ſeu quam operationẽ tranſeuntem exerceat in cęlo empyreo, vbi glorioſa perfruitur Deo? Etenim ſi ægrè, multòque cum labore expenditur, quidnam Angeli inibi agant (vt videre licet apud Thomiſticæ doctrinæ proceres, Capreol. in 2. diſt. 2. quæſt. 1. Caiet. & Bannes in prim. part. S. Thomæ, qu. 52. art. 1) profectò id de anima explicare omninò videtur inexplicabile. Tum etiam, quia ſi ita conſtituamus animam in loco, non cogimur fateri eam nuſquam eſſe, ſi alicubi non operetur, ſed ex vero aſſeuerabimus, eam ibi eſſe, vbi per ſuammet ſubſtantiam reperitur: ita vt ſi V. g. ſit, & operetur, fac in illo angulo domus, deinde ſuſpendat operationẽ, (poteſt enim id facere, cum ibi liberè agat) manebit ibidem, vt in loco definitiuè; quia ita ibi eſt, vt non ſit alibi. Quod autem ex operatione ſubſtantiarum ſeparatarum colligimus earum locum, quemadmodum collegit etiam Stagirites, tùm alibi, tùm 8. Phyſic. tex. 84. dum ait, primum motorẽ eſſe in orbe ſuo, & in parte conuexa, quia ibi eſt vehementior, & velocior motus, id facimus a poſteriori. Verùm de his non hic plura.

Quod ſi adhuc quæras, poteſtne anima, & generatim vna aliqua ſubſtantia ſeparata eſſe ſimul in duobus locis?

Nequit, ſi de loco illi adęquato loquamur; nam huiuſmodi locus, illam adæquat: vnde contradictionem inuoluit, vt ea ipſa ſimul extra illum locum reperiatur. Sin autem ſermo ſit de locis inadæquatis, diſtinctione eſt opus: Aut loca illa adeò inter ſe diſtant, vt ſpacium adæquatum animæ, & ſphæram, quod aiunt, actiuitatis excedant: aut intra illud ſpacium clauduntur. Priori modo, nequit anima, nec

vlla

vlla alia ſubſtantia ſeparata eſſe in duobus locis: quia illa loca ita diſtantia nequeunt in vnum adæquatum locum coire. Poſteriori verò modo poteſt, quia liberè in ijs operatur. Quin imò hoc pacto anima, etiam dum in corpore degit, eſt in duobus, & pluribus locis partialibus, vt in capite, brachio, pede, &c.

Adhuc quæret aliquis, duæ, vel plures animæ, poſſuntne in eodem loco conſiſtere?

Quidni, cum nullum occupent locum? Tamen de facto exiſtimo, ſtatum beatarum animarum decere, vt vnaquæque illarum ordine quodam collocata in ſua manſione degat, nec alia eodem in loco ponatur: Malas autem in inferno, ad maiorem ac fœdiorem earum confuſionem, multas in eodem loco cōfundi, quia ibi *nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.*

Poſtremò, animam ſeparatam tranſire de vno ad alium locum, ac proinde moueri localiter, non quidem motu phyſico, ſed tali, vt reſpondeat illius loco, colligitur primò, quia cū ea excedit e corpore, relinquit corpus, & acquirit alium locum ſibi congruum, mouetur igitur ab vno ad alium locum. Præterea, quęuis natura ſubſtantialis, quę eſt in vno aliquo loco, prædita ſit oportet vi aliqua mouendi, ſiuè id obueniat propter eius imperfectionē, vt in rebus corporeis, quæ quia egent aliquare abſente, mouentur ad illam: ſiue propter eius ipſius perfectionem, vt in Angelis, qui nimium imperfecti forent, ſi vni loco applicati inde dimoueri nequirent. Motui animæ ſeparatæ, ea omnia accommodantur, quæ Doctores noſtri cum Magiſtro in 2. ſent. diſt. 2. Et in 1. diſt. 37. ac S. Thoma in prima parte, qu. 53. ſubtiliter afferunt de motu Angelorum. De his ego nihil in præſens: ſed transfero ſtylum ad terminum, ſeu locum, in quem anima pro merito, aut demerito recipitur.

SECTIO TERTIA.

Quiſnam locus fuit a veteribus aſsignatus animabus pijs?

COnſtans Vetuſtatis extitit fama, eaque concordi nationū, atque ætatum conſenſu firmata, eorum animas, qui præſentem vitam iuſtè ſanctèq; tranſegiſſent, poſt aquam e corporibus exceſſiſſent, proficiſci in Inſulas beatorum, ſeu Campos Elyſios: qui verò vitijs, corporumque inquinamentis vitam cōmaculaſſent, eos detrudi ad inferos, in tartarum, barathrum, & tenebras horrendas. Lubeat audire Platonem, qui in Gorgia profatur etiam ſe non fabuloſa aliqua, ſed vera dicturum, *tanquam vera quæ dicturus ſum, tibi narrabo.* dein ſubdit, *Extabat lex de hominibus ſub Saturno, & ſemper, & nūc etiam extat apud Deos, vt quicumque homines iuſtè pieq; vitam egiſſent, cum e vita migrarent, ad beatorum inſulas profecti, in omni felicitate viuerent, a malis longè ſeiuncti: qui verò iniuſtè impièq; vixiſſent, in punitionis, iuſtique ſupplicij carcerem, quod appellant Tartarum irent.*

Porrò vbinam fuiſſe crederentur Elyſij cāpi? Reticeo hic poetarum, & leuium auctorum excogitata, quorum alij quidem exiſtimarunt Elyſios eſſe in medio inferorum: alij nō procul à columnis Herculis: nonnulli in ea Britaniæ parte, quæ eſt inter occidentem Britaniā, & Thulen ad ortum Solis: Hinc Homerus noſter ita canit in lib. 4. Odyſſeæ.

ἀλλά σ' ἐς ἠλύσιον πεδίον, καὶ πείρατα γαίης
ἀθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς ῥαδάμανθυς,
τῇ περ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν,
οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἄρ χειμὼν πολὺς, οὔποτε ὄμβρος
ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντος ἀήτας
ὠκεανὸς ἀνίησιν. idest,

Sed te ad Elyſium campum, & vltima terræ
Immortales mittent, vbi flauus Rhadamāthus:
Illic facillimus victus eſt hominibus,
Neque nix, neque hyems vlla, nec imbres,
Sed ſemper Zephyri dulce ſpirantis auras
Oceanus mittet.

Plutarchus, auctor grauis, in vita Sertorij ſcriptum reliquit, Sertorium in extremam Iberiæ oram, non multùm ſuper Bætis fluuij oſtia tranſuectum, vbi Bætes in Oceanum Atlanticum delabitur, obuios quoſdam habuiſſe, qui ſe ex fortunatis inſulis redire dicebant. Poſt quarum deſcriptionem, ſubdit Plutarch. *Vnde fides ad barbaros perlata firma eſt, Campos Elyſios eo loco, & beatorum ſedes, quas decantauit, Homerus eſſe.*

Cæterùm priſca illa profana Theologia longè aliter expoſuit campos Elyſios, idque gemino modo. Quidam partiti ſunt mundum vniuerſum in duas partes, quarū altera facia;

altera

altera patiatur. Illa faciat, quæ immutabilis cum ſit, alteri mutationis neceſſitatem imponit: Hæc patiatur, quæ per viciſſitudines variatur. Illam extendi a ſphæra, quæ aplanes (octaua ſphæra) dicitur, ad exordium vſq; Lunæ: hanc a Luna ad terras vſque, dixerunt. Illam vocarunt terram ætheream, & campos Elyſios: hanc inferos. Vnde Elyſiorum finē voluerunt eſſe Lunam, quæ ſit vitæ, mortiſq; confinium. Illuc piorum animas mitti, huc improborum vagari. Imò verò quemadmodū illic ſunt diuerſæ ſtellæ ac planetæ inæquali perfectione præditi, ita in diuerſis ſedibus piorum animas collacari, iuxta cuiuſque merita. An ne hoc voluit Plato, dum in Timæo ait, *animam aſcendere ad illud aſtrum, atque numen, cui ſe ipſa vita ſimilem reddidit*? Et hoc pacto animæ differunt ſicut ſtella differt a ſtella in claritate.

Alij verò campos Elyſios conſtituerunt in ſuprema duntaxat ſphæra, aplanes dicta; mirabili hac proportione ducti. Diuiſerunt mūdum in elementa ter quaterna, ita vt in primo ordine ſit terra, aqua, aer, ignis. Supra iſta totidem numero elementa, quadam proportione ad prima: vt Luna, reſpondeat terræ: Mercurius, aquæ: Venus, aeri: Sol, igni. Tertius elementorum ordo habeat ſe inuerſo ordine, vt Mars ſit pro igne: Iuppiter, pro aere: Saturnus, pro aqua: prima deniq; ſphæra aplanes, pro terra: vt elementorum ordo a terra ducat initium, in terram finiat, ſed terram fęliciſſimam, in qua *Elyſios campos eſſe puris animis deputatos, antiquitas intelligendum reliquit*, ait Macrobius lib. 1. in Somn. Scipion. capit. 11. Quid? nõ ne ex ſacris voluminibus didicimus, fęlicium animarum ſedes, appellari terrā viuentium? Ita Regius ſpulres in ſpalm. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*. Et ſpalm. 36. *iuſti hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculum ſeculi*.

Porrò quod priſci illi, ac venerandi philoſophi ſenſatè tenuerint, campos Elyſios, & inſulas beatorum re ipſa eſſe cęlum, in quod pię, iuſtęque animæ remearent, primò diſcimus ex Platone: qui cum in Gorgia dixiſſet proborū animas in beatorum inſulas proficiſci, in Phædone de ijs ipſis ſic effunditur. *Anima ſi ſic, iuſtè videlicet, ac piè, affecta diſceſſerit, non ne ad aliquid ſibi ſimile diuinum abit? diuinum, & immortale, & ſapiens? quò cum peruenerit euadit fœlix, ab errore, dementia, terroribus, duriſque amoribus, cæteriſque humanis liberata malis: & quemadmodum de initiatis dici ſolet, reuera reliquum tempus vitam cum dijs agit? Ita ne dicendum eſt Cebes, an aliter? Ita per Iouem &c.*

Deinde, lib. 10. de Repub. facit Erum Armenium duodecimo ab interitu die (ceciderat hic in prælio) cum iam in rogo cremandus imponeretur, reuixiſſe, quæque in alia vita conſpexiſſet, retuliſſe: Vidiſſe autē inter alia duos terræ hiatus, totidem alios in cæli regione: inter hos chiatus ſedere animarum iudices, qui poſteaquam eas iudicauiſſent, pias quidem conſtituebant a dexteris, improbas verò à ſiniſtris: tum iubebant illas abire in cælum: has deturbari ad inferos. Excipe eius verba. *Inquit ergo, Poſtquam anima fuiſſet a corpore ſeparata, vnà cum pluribus quendam in locum dæmonum perueniſſe. In quo terræ duos proximos vidit hiatus: duos item alios e conſpectu supernè in cæli regione conſpexit: inter hos verò hiatus iudices ſedere: qui poſtquam animos iudicarunt, iuſtos quidem ad dexteram ſupra per cælum aſcendere iubent, in aduerſa eorum parte ſigna eorum, quæ iudicauerint, ſuſpendentes: iniuſtos contra ad ſiniſtram, infra omnium, quæ fecerant in vita poſt tergum ſigna ferentes, &c.* Et mox, *Viderat igitur illic per vtramq; cæli, terræque portam, animas, lata ſententia abeuntes*, & quæ ibi ſequuntur.

Vin' adhuc? In Phædro ait pias animas, cum in cælum peruenerint, degere in conuexa cæli regione. Eum audi: *Quæ enim, animæ, immortales vocantur, cum ad ſummum peruenerint, extra progreſſæ in cæli dorſo conſiſtunt. Ibi conſtitutas circumferentia ipſa circumfert, atque illæ intuentur, quæ ſunt extra cælum.* Quid? pergit, & humano auſu, de cæleſti illa patria, ita ſubiungit: *Locum verò ſupercæleſtem, neque quiſquam noſtrum laudauit adhuc poetarum, neque vmquam pro dignitate laudabit.* Quia nimirum nec oculus vidit, nec auris audiuit, quæ illic præparata ſunt. In Phædone, quod ſanè incredibilē incutit admirationem, eam ipſam cæleſtem patriam, eo fermè ſermone, ijs nominibus, & tralationibus obſignat, quibus cæleſtis illa Hieruſalem, cùm a Ioanne in Apocalypſi, tùm a SS. PP. deſcribitur. Quam collationem proſecutus eſt Auguſt. Eugubinus lib. 10. de Perenni Philoſ. cap. 25. eo conſilio, *vt appareat, veritatē Theologiæ ſupremæ, eò mirandam eſſe, quod olim priſci, ſiue per oracula, ſiue indagatione naturæ viſam, & auditam ſuſpexerunt.* Sed de Platone non amplius.

Huc

Huc ſpectat illud Pythagoræ, qui aureis ſuis dictis hanc non tam coronidem, quàm coronam impoſuit, dum ait,

Ην δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον
ἔλθῃς,
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος, οὐκέτι θνη-
τός. ideſt.

Cum autem relicto corpore, ad æthera liberum iueris,
Eris immortalis Deus, incorruptibilis, non amplius mortalis.

Hoc ipſum legimus in vetuſtiſſimis Zoroaſtri oraculis:

Δίζεο σὺ ψυχῆς ὀχετόν, ὅθεν, ἢ τίνι τάξει
Σώματι θητεύσας, ἐπὶ τάξιν, ἀφ' ἧς ἐρρύης
Αὖθις ἀναστήσεις. Hoc eſt.

Exquire animæ viam, vnde, aut qua ratione
Vbi corpori inſerueris, in ordinẽ, a quo fluxiſti,
Rurſus erigas.

In quem quidem locũ hæc ſcribit Pletho: *Magi, qui Zoroaſtrem ſectantur, cenſent, vt & alij multi, animam humanam immortalem de alto deſcendere, mortali huic corpori inſeruituram: hoc eſt ad aliquod tempus operam ſuam ipſi accommodaturam; mox eandem hinc retrò, vnde profecta eſt, ſe ſe recipere. Cum autem plures ſint ibi ſedes animarum &c.*

Poſtremò, Pſellus in expoſitione ſummaria Dogmatum Chaldaicorum. *Conſtituunt,* inquit, *Chaldæi animas poſt mortem iuxta menſurã ſuarum purgationum in omnibus mundi partibus: quaſdam etiam vltra mundum euehunt: eaſque diſcrimine facto, in naturas diuiduas, & indiuiduas ſeperant. Atque Plato, & Ariſtoteles plures ex enumeratis opiniones receperunt.* Ita ne? etiam Ariſtoteles hæc recepit? vbi? Profectò id ego ex induſtria tractatum a Philoſopho, vel expreſsè nuſquam reperio: ſi tamen rectè conijcio, ſimile quicpiam indicauit lib. 1. de Cælo tex. 100. dum ait, *Manifeſtum igitur eſt, quod neque locus, neque vacuum, neque tempus eſt extrinſecus. Quapropter neque ea, quæ illic ſunt, nata sũt in loco eſſe, neque tempus ipſa facit ſeneſcere, neq; vlla tranſmutatio vllius eorum eſt, quæ ſuper extima diſpoſita ſunt latione; ſed inalterabilia, &c.*

Hic opinor Ariſtotelẽ loqui de animabus, et alijs ſeparatis ſubſtantijs, præter motrices orbium cæleſtium: reſpicereque ad illum Platonis locum, quem ex Dialog. Gorgia adduxi, quod animæ, quæ immortales vocantur, *extra progreſſæ in cæli dorſo conſiſtunt, ibi conſtitutas circumferentia ipſa circumfert, &c.* Vterque, aut ego fallor, e vetuſtiſſima fama, vel ab ipſis Chaldæis profecta hauſit, in quorum opinione audiuimus, *quaſdam animas etiam vltra mundum euehi.* Tandem non omiſerim, quod Plato in Phædone, probarum animarum ſtatum in tres gradus diſtribuit, ita vt animæ innocẽtes ac piæ, ſed expertes philoſophiæ, in aere vnà cum aereis corporibus facilè viuãt. Animæ autem philoſophia ciuili inſuper præditæ, in cælo cum cæleſtibus, lucidiſq; vehiculis: Denique purgatiſſimæ ſuper cælum abſque corporibus beatiſſime viuant. Sed de his non amplius.

SECTIO QVARTA.

De loco animæ improbæ poſt exceſſum e corpore ſecundum eos ipſos Veteres.

GANNIT hic, & garrit Lucretius, qui vt illuſtrem aliquem colophonẽ ſuæ impietati imponeret, omnem infernum nititur demoliri; nec non ea omnia, quæ ibi eſſe, recepta fama canebat, in hac vita adeſſe hominibus conatur oſtendere, in tertio libro rerum naturalium, dum ſic orditur.

Atqui animarum etiam quæcumque Acheronte profundo
Prodita ſunt eſſe, in vita ſunt omnia nobis.
Nec miſer impendens magnum timet aere ſaxũ
Tantalus, (vt fama eſt) caſſa formidine torpẽs:
Sed magis in vita diuum metus vrget inanes
Mortales &c.

Vt tandem poſt multa concludat,

Cerberus, & Furiæ iam verò, & lucis egenus
Tartarus, horrificos eructans faucibus æſtus,
Hæc neque ſunt vſquam, neque poſſunt eſſe profectò.
Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
Eſt inſignibus inſignis, ſcelerisque luela,
Carcer, & horribilis de ſaxo iactus eorum,
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedæ.
Quæ tamen etſi abſunt, at mens ſibi conſcia facti
Præmetuens, adhibet ſtimulos, torretq; flagellis.

Porrò hic auctor, cum animam rationalem mortalitate damnaſſet, quem tamen retrò Diſput. 7. ſect. vlt. multis redarguimus, non eſt mirum, ſi hac quoque in parte præceps agatur.

Digitized by Google

gatur. Illos miror, qui rudes adhuc, & philoſophiæ expertes, quamuis animam profiterentur immortalem, tamen *aliud eſse inferos negauerunt, quàm ipſa corpora, quibus incluſæ animæ, carcerem fœdum tenebris, horridum ſordibus, & cruore, patiuntur. Hoc animæ ſepulchrum, hoc Ditis concaua, hoc inferos vocauerunt. Et omnia quæ illic eſse credidit fabuloſa perſuaſio, in nobis ipſis, & in ipſis humanis corporibus aſſignare conantur*, inquit Macrobius lib. 1. in Somn. Scip. cap. 10.

Nihilominus communis aſſeueratio, ab innumerabili ætatum ſerie ducta, increbuerat, infernum propriè eſse locum quendam ſubterraneum. Cui quidem rei, non modo vetuſtiſsimi poetarum, Heſiodus, & Homerus, fidem ſtruſit, ille in Theogonia, hic lib. 7. Iliad. quos deinde vniuerſa poetarũ cohors ſubſecuta eſt, ſed graues etiam, & ſerij auctores tractauerunt, præcipuè Plato, & ſæpè alias, & in lib. 10. de Repub. in Gorgia, in Axiocho, in Phædone deligentiſſimè, vbi ſic infernum deſcribere orditur. *Hæc autem omnia ſub terra ſibi inuicem obuiare, atque irrumpere multis vndique modis, tum per anguſtiora, tum per ampliora, diſcurſusque habere, & exitus, quibus magna aquarum copia ex alijs in alia velut in crateres confluat. Item perpetuorum fluminum ſub terra incredibiles magnitudines aquarum, tum calidarum, tum etiam frigidarum, plurimumque ignem, & ignis ingentes amnes: multos quoque lutulenti humoris partim quidem purioris, partim verò ſordidioris, ceu torrens luti, qui in Sicilia eſt, & iuxta ipſum, amnes lutei inde fluentes*, & quæ ibi ſequuntur. Vbi etiam tria inferni diuidit loca, Acherontem, Pyriphlegetontem, & Tartarum: Ad quem quidem Platonis Dialog. Olympiodorus, tria ex Platonis ſententia vitia ponit. Hæc quidem, quæ facile ſanabilia ſint, quæ nimirum habitu careant. Hæc verò, difficile curari poſse inquit, vtpote quæ habitu committantur, ſed tamen repugnantiam quandam, & pœnitentiam comitem habeant. Alia denique eſſe inſanabilia, quæ videlicet, & habitu perpetrentur, & repugnantia, pœnitentiaque omninò careant.

Prima igitur apud Platonicos, deputantur Acheronti. Secunda, Pyriphlegetonti, atque Cocyto. Tertia, Tartaro, *ex quo*, vt Plato loquitur, *nullus vnquam egredi poteſt*, quia in inferno redemptio nulla. Audi eundem auctorem, quàm diuinè loquitur in Gorgia. *Conuenit autem*, inquit, *omnem, qui ab aliquo rectè punitur, vel ipſum fieri meliorem, vtilitatemque percipere, vel cæteris exempla dare, vt alij pœnas eius conſpicientes, meliores ob timorem efficiantur. Qui verò apud Deos, & homines ita dant pœnas, vt vtilitatem aliquam inde referant, hi ſunt, qui peccata ſanabilia commiſerunt, quibus dolor, cruciatuſque prodeſt, & apud homines, & apud inferos. Qui autem extrema iniuſtitia detinentur, ac propter eiuſmodi delicta ſunt inſanabiles, ex his exempla ſumuntur, ipſique nullam amplius vtilitatem inde reportant, vtpote qui ſanari non poſſunt: ſed proſunt duntaxat alijs per exemplum, qui eos intuentur &c.* Hos ipſos lib. 10. de Repub. ait, ligatis manibus, & pedibus, capiteque interius truſo, necnon ſuper tribulia excoriatos, ac dilaceratos, fuiſse extra viam tractos, oſtenſoſque prætereuntibus. Vbi etiam inducit feroces quoſdam, & aſpectu igneo viros, qui damnatas animas cruciarent. Quos quidem, quis non videt, non alios eſſe, quàm dæmones, feros, horribileſque ſceleſtorum carnifices? ſed hic non vltra crepida.

Scio, hos ipſos auctores exiſtimaſse, animas luere pœnas etiam alijs in locis, vt circa ſepulchra, & loca viſibilia. Animas inquam, quæ non purgatæ, ſed infectæ, & quaſi inuolutæ cõtagione corporea, ex corporibus exceſſere: de quibus ita Plato in Phædone. *Ponderoſum verò id putandum eſt, & graue, terrenumque, & viſibile, quod anima eiuſmodi ſecum trahit: ideòque ab eo grauatur, & ad viſibilem trahitur locum, metu inuiſibilis, atque occulti: & quemadmodum fertur, circa monumenta, ſepulchraque verſatur, circa quæ iam non nulla apparuerunt animarum umbroſa phantaſmata. Conſentaneum autem eſt, non eſſe has bonorum animas, ſed malorum, quæ circa hæc oberrare coguntur, pœnas dantes vitæ improbè actæ.* Idem auctor in Gorgia, defunctorum animas, iudicari cenſet *in quodam triuio*. vbi viri docti, icircò aiunt in triuio, quia tres animarum claſses conſtituuntur. Hæ quidem rectà in cælum, hæ ad infernum: aliæ purgandæ mittuntur.

Poſtremò, id quoque credidit priſca fides, animas luere pœnas, rerum improbè actarum, in toto ſpacio, quod inter Lunam, & terras iacet: idque pro delictorum varietate, vt nos alio loco ex Mercurio Triſmegiſto

indicauimus,& oſtendit Plutarchus in libello de facie, quæ viſitur in Luna, maximè illis verbis, *Omnem animam, ſiue dementem, ſiue cum mente, vbi e corpore lapſa ſit, fato decretum eſt, errare in loco, qui eſt inter Lunam, ac terram, non æquali tempore: ſed iniuſtæ, immoderataque ſcelerum pœnas perſoluunt, bonas autem oportet in amœniſſimo aeris eſſe loco, quem inferorum prata dicunt, certo tempore, quoad expiata, exin in patriam veluti poſtliminio reportatæ, gaudijs perfruantur.*

In huiuſmodi igitur locis aſſeruerunt priſci illi, ac venerandi philoſophi, animas luere pœnas antea actæ improbitatis, & quidem grauiores, vel minus graues, pro diuerſitate demeriti: ſic in Campis Elyſijs, vel locis cæleſtibus affici præmijs. Qua de re multa congeſſit Auguſt. Eugubin. lib. 10. de Perenni philoſophia, & Marſilius Ficinus lib. 15. de Theologia Platonis. Vnde liquet Veteres illos vidiſſe qualitercumque veritatem, ſed quaſi per quædam tenuis imaginationis vmbracula, & cum errore: nobis aliunde ea ſyncerè recluſa eſt: eam nunc audi.

SECTIO QVINTA.

Quomodo anima ſeparata intelligat cùm ſe ipſam: tum res alias, ſecundum veritatem.

SVPPONIMVS tam ex vero, quàm e Stagiritæis fundamentis, animas a corporibus ſegregatas, haud torpeſcere in otio, ſed exercere aliquas operationes. Nam beatorum animæ intuentur Deum, eiuſque admirabili pulchritudine: & aſſiduò pro his, qui in Eccleſia ſunt, necnon pro vnione ad propria corpora preces fundunt, vt ex multis ſacrorum voluminum locis conſtat.

Idem autem iuxta Philoſophi fundamenta eſſe aſſeuerandum, ex eo probatur, quia humana anima ad aures Ariſtot. immortalis eſt, vt a nobis ſupra Diſput. 5. & 6. ex eius ipſius auctoritatibus, & fundamentis oſtenſum eſt. At verò eodem auctore lib. 2. de Cælo, *omnis res eſt propter ſuam operationem*, ita vt manente ea, eius quoque operatio maneat omninò neceſſe ſit: ergo ſi anima poſt animal ſuperſtes manet, manet profectò in ea etiam aliqua operatio. Præterea, idem Philoſ. in 1. Ethic. cap. 11. ſcriptum reliquit, ea quæ in hoc mundo obueniunt, haud eſſe ſatis, vt defunctos reddant beatos eos, qui non ſunt beati: nec contra, vt faciant miſeros eos, qui ſunt beati: ac per conſequens fatetur poſt mortem hos quidem eſſe beatos, hoſce non item. Cum igitur ſecundum eundem Philoſ. lib. 10. Ethic. cap. 10. beatitudo poſita ſit in contemplatione ſubſtantiarum ſeparatarũ, maximèque primæ, profectò anima nexu corporis abſoluta, prędita eſt aliqua operatione, contemplatione, &c.

Veruntamen explicare, quomodo anima ſeparata intelligat, non eſt exigui laboris, pręcipuè naturali philoſopho, qui ſenſibus innixus, nullam in hac vita experitur intellectionem, quæ non fiat vel per conuerſionem ad phantaſmata, vel ſaltem ea ſupponat, vt retrò non vno in loco enucleauimus, præſertim Diſput. 5. Sect. 5. Animæ autem a corpore ſeparatæ, nulla phantaſmata ſuppetunt.

Vt ergo nodus hic quoad fieri poteſt diſſoluatur, ſcire oportet, quod anima iam a corporis ſocietate diſſociata, manet in ſe quædã forma per ſe ſubſiſtens, perinde ac cęterę ſubſtantiæ ſeparatæ. Et quia modus operandi vniuſcuiuſque rei, ſequitur modum eſſendi ipſius, fit vt anima ſeparata talem ſortiatur operandi modum, qualis eſt cæterarum ſubſtantiarum ſeparatarum. Hæ autem intelligunt non per aliqua phantaſmata, ſed conuertendo ſe ad ſuperiora: vnde & anima ſeparata intelligit, non per aliquam conuerſionem ad phantaſmata, aut media aliqua facultate materiali, ſed per conuerſionem ad ſuperiora, & vt loquitur S. Thomas in prima part. quæſt. 89. artic. 1. *per conuerſionem ad ea, quæ ſunt intelligibilia ſimpliciter, ſicut, & aliæ ſubſtantiæ a corpore ſeparatæ*. Quæ quidem conuerſio nil, vt opinor, eſt aliud, quàm quod anima e corpore egreſſa, recipiat ab influentia diuini luminis ſpecies, quæ ad eliciendum illas intellectiones ſunt

neceſſariæ. quas deinceps ea ipſa anima habi tura eſt.

Hunc autem intelligendi modum eſſe ponendum in animabus ſeparatis, vel ex eo ſuaderi poteſt, quoniam eæ, ſiue beatæ ſint, ſiue miſeræ, habent multarum rerum cognitionē, quas antea haudquaquam tenebant. Si ſunt beatę, cognoſcent de nouo multa læta, ac fęlicia: ſi damnatę, multa itidem vident, ſed mala ac triſtia. Quarum rerum cognitionem habere nequeunt, niſi illis alius intelligendi modus ſuperaddatur, diſtinctus ab eo, quem in hac vita habebant: Eòque magis, quia nullas poſſunt colligere ſpecies a rebus ipſis, quas intelligunt, ſicut etiam intelligentiæ, ſeu Angeli non intelligunt per ſpecies a rebus acceptas, vt docet S. Thomas in prima par. quæſt. 55. art. 2. ergo intelligunt per conuerſionem ad ſuperiora.

Quod ſi adhuc rem penitius excutiendo, quæras, quonam pacto anima ſeparata ſeipsā cognoſcit: quomodo quæ ſupra ſe ſunt, vt Deum, & Angelos: quomodo quæ ſibi æqualia, vt alias animas: quomodo quæ infra ſe, vt res naturales?

Se ipſam quidem intelligit per ſuammet ſubſtantiam: nam anima, ſeu intellectus quādiù in corpore degit, eſt pura potentia in genere intelligibilium, idcòque non ſolum res omnes alias, ſed ſe etiam cognoſcit per ſpeciē: cognoſcit enim ſeipſam reflexè, & per ſuum actum, quod optimè explicat S. Doctor cum ſæpe alibi, tum maximè prima par. quæſt. 87. art. 1. & indicat Ariſt. 3. de Anima, tex. 15. illis verbis, *Et ipſe etiam intellectus, intelligibilis eſt, ſicut ipſa intelligibilia.* Manifeſtum autem eſt, ipſa intelligibilia intelligi per ſpecies: ergo etiam intellectus, dum eſt in corpore intelligitur per aliquam ſpeciem. Vbi autem anima fuerit a corpore ſeparata, non amplius eſt pura potentia etiam in dicto genere, ſed fit quodammodo intelligibilis actu, cum ſit immaterialis: & præterea eſt intimè vnita ipſi intellectui: vnde intelligit ſe ipſam non per aliquam ſpeciem, ſed per ſeipſam. Hæc conſequentia tenet, quia ſpecies intelligibilis ponitur, vt rem intelligendam reddat actu intelligibilem, & vt vniat illam cum intellectu. Vnde ipſe etiam Stagirites tex. nuper citato ſubdit: *In ijs enim, quæ ſunt ſine materia, idē eſt quod intelligit, et quod intelligitur.* quod in lib. 12. Metaphyſic. non ſemel iteratur.

Pręterea, cognoſcit etiam aliquo pacto (loquor de naturali eius cognitione) Deum, per ſuam eſſentiam: quemadmodum cognoſcunt, & Angeli; qui auctore S. Thoma in prima par. quæſt. 56. art. 3. habent aliquam cognitionem de Deo per ſua naturalia.

Pro cuius rei intelligentia adnotat S. Doctor, trifariam poſſe aliquid cognoſci. Vno quidem modo per præſentiam ſuæ eſſentiæ in cognoſcente, quemadmodum cum lux videtur in oculo. Alio, per præſentiam ſuæ ſimilitudinis in facultate cognoſcitiua, vt cum lapis videtur ab oculo, per hoc quod ſimilitudo eius reſultat in oculo. Tertiò, ex eo quod ſimilitudo rei cognitæ nō accipitur immediatè ab ipſa re cognita, ſed ab aliqua alia re, in qua illa reſultat, quemadmodum videmus hominē in ſpeculo. Primæ harum cognitionum aſſimilatur cognitio Dei, qua beati facie ad faciem diuinam eſſentiam intuentur: quæ quidē nulli creaturę, per eius naturalia cōuenire poteſt, vt in prima par. quæſt. 12. art. 4. docemur. Tertię autem cognitioni aſſimilatur cognitio, qua nos in hac vita cognoſcimus Deum, nempè per aliqualem eius ſimilitudinem in creaturis relucentem, iuxta illud Pauli ad Rom. 1. *inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Reliquum ęſt, vt cognitio, qua anima, & Angelus per ſuammet naturam cognoſcūt Deū, ſit media inter haſce duas. *Et aſſimilatur illi cognitioni, qua videtur res per ſpeciē ab ea acceptam. Quia enim imago Dei eſt in ipſa natura Angeli impreſſa, per ſuam eſſentiam Angelus Deum cognoſcit in quantum eſt ſimilitudo Dei. Non tamen ipſam eſſentiam Dei videt: quia nulla ſimilitudo creata eſt ſufficiens ad repræſentandum diuinam eſſentiam. Vnde magis iſta cognitio tenet ſe cum ſpeculari, quia & ipſa natura angelica eſt quoddam ſpeculum, diuinam ſimilitudinem repræſentans*, inquit S. Thomas in illo art. 3. Ita nos philoſophamur de anima.

Quæ quidem veritas ex eo quoque concluditur: quoniam anima ſeparata comprehendit ſe ipſam, cognoſcit ergo ſe eſſe aliquid factum, ab alioq; dependens: quamobrem neceſsariò cognoſcit eſse aliquid aliud, a quo ea dependet: & cum in infinitum abeundum non ſit, cognoſcit dari aliquid vſquequaque independens, quod eſt Deus. Præterea, videt ſe immaterialem, & intellectiuam, ſcitq; cauſam debere in perfectione excedere effectum: cognoſcit ergo Deum eſſe longè

perfectiori modo immaterialẽ,& intellectiuũ, quàm ſit ipſa, Adhæc, videt ſe eſſe factam ex nihilo, quippè nouit formas per ſe ſubſiſtentes non poſſe alio modo, quàm ex nihilo prodire in eſſe: tum ad hoc exigi virtutem infinitam agentis; cognoſcit itaque in Deo eſſe virtutem infinitam. Et quia nulla virtus excedit eſſentiam, a qua fluit, apprehendit itidem Deum eſſe infinitæ eſſentiæ, Hoc pacto colligit multa Dei attributa, quemadmodum nos quoque colligimus ſecundum lumen naturæ.

Quod autem anima ſeparata naturali cognitione cognoſcat aliquo pacto Angelos, ſuaderi poteſt, quia cognoſcit quõ ipſa ſe habeat ad ſuperiora, quomodo ad inferiora: percipit ergo exceſſum naturæ Angelorum ſupra naturam ſuam; eòque illos modo aliquo ex ſui cognitione cognoſcit. Hoc indicare viſus eſt D. Auguſt. lib. 9. de Trin. cap. 3. dũ ait, *mens noſtra, cognitionem rerum incorporearum per ſe ipſam accipit.* quod explicat S. Thomas in prima parte quæſt. 89. art. a. *ideſt cognoſcendo ſe ipſam.* Quia verò hæc cognitio admodum exilis, ac deficiens eſt, ob id Deus infundit animæ ſeparatæ ſpecies, per quas eos ipſos Angelos intelligat; vt docet S. Thomas in quæſt. illa 89. art. 2. ad a, his omninò verbis. *Ad ſecundum dicendum, quod anima ſeparata intelligit Angelos per ſimilitudines diuinitus impreſſas, quæ tamen deficiunt a perfecta repraſentatione eorum, propter hoc, quod animæ natura eſt inferior, quàm Angeli.* Porrò etiam ſpecies illæ diuinitus infuſæ deficiunt a perfecta Angelorum repræſentatione, quia recipiuntur in anima, ad modum ſubſtantiæ eius, quæ inferior eſt, ac minus perfecta, quàm Angelica. Cõmune enim eſt omni ſubſtantiæ ſeparatæ, intelligere, tam ſuperiora, quàm inferiora, per modum ſubſtãtiæ ſuæ,

Multò magis anima ſeparata intelligit alias animas: ſiquidẽ animæ degunt quaſi populus aliquis, Ceterùm omnia quæ hucuſque de cognitione animæ ſeparatæ, quã habet de Deo, intelligentijs, & animabus dicta ſunt, hac etiã naturali ratione validè confirmari poſſunt. Si animæ ſeparatæ talem ſortiuntur eſſendi, & operandi modum, qualem habent intelligentiæ, vt ſuperius expoſuimus, profectò idem de ijs iudicium ferendum eſt, atque de ipſis intelligentijs, At lumine naturali conſpicuum eſt, eas intelligere ſe inuicem, intelligere etiã Deum. Nam incredibile eſt, naturas illas perfectiſſimas tales eſſe, vt nec vna aliam intelligat, nec Deum. Docuit hoc etiam Stagirites lib. 12. Metaphyſ. tex. 36. dũ ait, *quod non motum mouens, mouet vt concupiſcibile, & intelligibile.* Apprehenditur ergo a cæteris intelligentijs, cælorum motricibus. Et idẽ dicendũ de reliquis. Quid? intelligentiæ cognoſcunt motus, ac reuolutiones cælorum, quandoquidem iſtas efficiunt per intellectum, vt alio loco dicemus: Imò verò aliquo pacto cognoſcũt etiã hæc inferiora, quatenus ſunt cauſæ iſtorum per motum cæli.

Sic anima ſeparata intelligit etiam ea, quæ ſunt infra ſe, ideſt res naturales: *ſed per ſpecies, quas recipit ex influentia diuini luminis, ſicut & Angeli,* ait S. Doctor, art. 3. quæſt. 89. citatæ. Cognoſcit etiam ſingularia, non quidem omnia, ſed aliqua.

Quod ſi dicas, cognoſcunt ne ergo animæ ſeparatæ res, quæ apud nos aguntur?

Dico, ſi verba facimus de naturali earũ cognitione, profectò ignorant, quæ hic fiunt. Sic aſſerit S. Auguſt. lib. de cura pro mortuis agẽda cap. 13. 14. & 15, quod etiã ſacro illo Hiſaiæ effato, cap. 36. comprobat, *Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos.* Et S. Thomas in prima par. quæſt. 89. art. 8. idipſum confirmat ratione D. Greg. lib. 12. Moral. cap. 13. aientis, *Mortui, vitam in carne viuentium poſt eos, qualiter diſponatur, neſciunt, quia vita ſpiritus longè eſt a vita carnis: & ſicut corporea, atque incorporea diuerſa ſunt genere, ita ſunt diſtincta cognitione.* Quò etiam ſpectat illud Iob. 14. *Siue fuerint filij eius nobiles, ſiue ignobiles, non intelliget.* ideſt anima. Profectò nulla apparet via, qua poſſint animæ naturali cognitione naturalia hæc & corporea apprehendere.

Poſſunt tamen optimè ſcire, & de facto permulta ſciunt, quæ apud nos aguntur, ex alijs capitibus. Qua de re in hunc modum ſcribit Auguſt. lib. nuper commemorato, cap. 15. *poſſunt etiam,* animi ſeparati, *facta viuentium nõ per ſe ipſos cognoſcere, ſed vel per animas eorũ, qui hinc ad illos accedunt: vel per Angelos, ſeu Dæmones: vel etiam ſpiritu Dei reuelante.*

Poſtremò quærunt Doctores noſtri, num animæ beatorum videant omnia, quæ apud nos aguntur? vel quæ, & quomodo videant? De quibus ego nihil in præſens: id longè alterius inſtituti eſt. Adi, ſi vacat, Auguſt. lib. quem dixi, vbi hoc, argum. multis ſacrarum litterarum exemplis illuſtrat. D. Gregor. loco

etiam

etiam citato. S. Thomam art. 8. quæſt. 89. pri. par. & ibi expoſitores. Et denique P. Hieronym. Onuphrium in ſuis verè Aureis Diſput. Tract. 1. Diſput. 2. par. vlt. Nobis pro vltimo huius operis complemento, iam de animaru locis dicendum eſt. ſit ergo.

SECTIO SEXTA.

Vbinam ſecundum veritatem, animæ ſeparatæ piæ degunt: vbi improbæ detinentur: quibus illæ præmijs, quibus iſtæ pœnis afficiuntur.

BEatarum, ac fœlicium animarum ſedes, eſt empyreum Cœlum. Non quia locus ille naturali aliqua conditione illis debeatur, *ridiculum enim eſſet dicere, quod animæ, aut alicui ſpirituali ſubſtantiæ ſit aliquis locus naturalis, ſed per quandam congruentiam aliquis ſpecialis locus attribuitur*. inquit S. Thomas in prima par. quæſt. 102. artic. 2. in reſponſ. ad 2. Quod cœlum locorũ omnium corporaliũ ſupremũ eſt, nec aliqua naturali ratione poteſt inueſtigari, vtpote quod immobile, neque vllos radios viſibiles nobis emittit, tantæ præſtantiæ, ac dignitatis eſt, vt auctore S. Thoma in eadẽ par. quæſt. 66. artic. 3. *empyreum, idest igneum ſit vocatum, non ab ardore, ſed à ſplendore*.

In eo Deus Opt. Max. ſedem ſibi ita fixit, vt quamuis in omnes rerum creatarum fines præſens vbique, ac intimus illabatur, ac permeet, nihilominus ibi ſuæ gloriæ immortales diuitias beatis mentibus impertiatur, ob idque peculiariter dicatur in cœlo eſſe. Hoc, vt ait Strabus, & Beda ad illa Geneſ. verba in principio creauit Deus &c. *ſtatim ac factum fuit, repletum eſt Angelis*. Illic nunc beatæ, ac piæ animæ habitant: aliquando ſuſcitata etiã beatorum corpora habitabunt. *Sicut enim damnati in tenebras vltimas abiguntur, ita remuneratio pro dignis operibus reſtauratur in ea luce, quæ eſt extra mundum, & ibi quietis domicilium ſortientur*, inquit Mag. Baſilius Homil. 2. in Hexamer.

Porrò beata merces, & eſſentialis beatarũ mentium fælicitas, non in illa loci dignitate, & ornatu, poſita eſt, ſed in eo, vt quis videat Deum, ſicuti in ſe eſt, quia ſecundũ Chriſti Domini, & Dei noſtri effatum, Ioan. 17. *hæc eſt vita, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, &c.* Et 1. Ioan. 3. *Cum apparuerit ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt*. Illic animus totum Deum perfectè videt, apprehẽdit, perfruitur, prout in hac vita credidit, ſperauit, dilexit. Inde profunda omnium facultatum eius pax, incredibilisque gaudium, & ſũma bonorum omnium affluentia.

Fruuntur quidem omnes eodẽ Deo, at non omnes æquali conditione, & gradu: ſed pro diuerſitate, & meritis actionum, quas in vita ſuſceperunt, ad quarum menſuram cùm lumẽ (quod aiunt) gloriæ, tùm ipſa beata viſio datur. Porrò quamuis alij alijs cumulatiore abũdent gloria, tamen ita ſua quiſque expletur, ſuaque ſorte contentus viuit, vt illic *ſit diſpar gloria ſingulorum, ſed communis lætitia omniũ.* Quemadmodum planè ſi nobilis paterfamilias ſummos, medios, & infimos domus ſuæ tàm viros, quàm pueros eodem conueſtiret panno, lacernis, vel tunicis ad vniuſcuiuſque ſtaturam ſartoris arte aptatis, puer non inuideret adoleſcenti, aut viro, cum idoneo ſuæ magnitudini cultu, & panno eſſet ornatus: ſic beatitudo, & gloria eo modo vniuſcuiuſque capacitatem exæquat, vt quamuis alij alijs maioris gloriæ poſſeſſione præſtent, omnes tamẽ eodem gaudio ſine vlla maioris boni cupiditate perfundantur.

Et quia animus harum rerum beatam, ac ſecuram obtinet poſſeſſionem ſine vlla vnquam amiſſionis formidine, fit vt in ea ipſa gloria (qua Deus ipſe ab omni æternitate fruitur) cæterisque diuinis, & incredibilibus bonis dimoretur, tranquillusque, & quietus gestiat in omne æuum: vt merito atque optimo iure vita illa beata definiatur, quod ſit, *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*. Hæc de loco, & præmijs animarum, quæ vel ſine vlla cuiuſuis peccati labe e corporibus exceſſerũt, vel purgatæ tandem cæleſtem patriam repetunt.

Quæ verò peccatis infectæ e vita migrant, depelluntur in infernum: quiquidem ſi terræ poſitionem conſideres, meditullium obtinet, horrendis tenebris, execranda fœditate, pœnarum horribili multitudine, & mortis caligine opertus. Verumenimuero apud inferos tria, an loca, an receptacula Theologi noſtri diuiſerunt. Eſt enim primo locus, in quo perpetuo, & inextinguibili igne, eleuato diuina virtute, dæmonum greges, & animæ peccato mortali

tali commaculatæ cruciantur. Hic in ſacris litteris vocatur infernus inferior, ignis æternus, ignis inextinguibilis, gehenna ignis, lacus ignis & ſulphuris. Eſt dein purgatorius locus in quo piorum animæ ad definitum tempus cruciatæ expiantur, vt eis in cæleſtem patriã patere poſſit aditus, in quam nihil ſordidum, & coinquinatum ingreditur. Eſt denique tertium receptaculi genus, in quo animæ ſanctorũ ante Chriſti Domini & Dei noſtri aduentum excipiebantur: quem locum SS. PP. limbum Patrum, & ſinum Abrahę appellarũt: in eo iuſtorum hominum animæ extra omnẽ tormentorum aleam detinebantur, expectantes beatam ſpem, & aduentum Saluatoris noſtri Dei. Adiungitur apud inferos præter tormentorum pęnam, quæ pęna ſenſus dicitur, alia longè maxima, pęna damni nuncupata: ut ſe diuino aſpectu damnati priuatos, ac deſtitutos agnoſcant, quæ pęnarum eſt maxima.

Quod ſi quiſquam in contrarium objiciat, dari quartum locum, ſeu receptaculum, limbũ videlicet puerorum, qui ex hac vita ſine ſacro regenerationis lauacro decedunt: Occurrendum eſt, quod hic locus ſub inferno damnatorum comprehenditur, quoniam animæ illæ in perpetua exiſtent damnatione, æternùm aſpectu diuinæ eſſentiæ, & beatitudinis participatione priuatæ, iuxta illud Chriſti effatum Ioan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum cælorum.*

In quo quidem regno, tu æterne Deus, fac vt te aliquando facie ad faciem intueamur, complectamur, fruamur: te in cæleſti illa beatarum mentium ſocietate collaudemus, qui nunc balbutiendo vt poſſumus, excelſa tua reſonamus; atque ex intimo animi receſſu dicimus, glorioſe, excelſe, incomparabilis, ſis in omnes æternitatum myriadas benedictus. Tuque o ſanctiſſima Mater & Virgo, mea apprimè, & perpetuò cõſolatrix, effice precor, effice, vt huius vitæ ſirtes ac ſcopulos proſperè, ac fęliciter præteruehamur, vtque tibi, ſuper omnia cæleſtia regna meritò euectæ, tandem læti, ac puri inſeruiamus, veneremurque ſupplices: Cuius ope, & auxilio, hoc etiam opus & incepimus, & finimus: quod in tuamque, tuique vnigeniti gloriam cedat, omni animi nixu pronunciamus, volumus, optamus. *Hoc, quod ſpiro, & placeo, ſi placeo, tuum eſt.*

Finis totius Operis.

AVCTORIS PROTESTATIO.

IN omnibus, quæ a me, aut in hoc opere, aut alibi tractata ſunt, tantum aſſertum eſſe volo, quantum à Sancta, & Catholica Eccleſia comprobatur. Finiebam vltimo die Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſeptimi.

INDEX DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM.

IN DISPVTATIONE PRIMA.

Quæ eſt, de quidditate animæ rationalis.

OPINIO eorum, qui animam rationalem ſecerunt diuinæ naturæ particulam, eiuſque ſundamenta relata, & reiecta. pagina 1.
Argumenta, quibus ſuadere videtur, humanam animam eſſe aliquid diuinæ naturæ. pag. 3
Oſtenditur, animam intellectiuam non eſſe aliquam diuinæ naturæ particulam, ſiue ex illa aliquod excerptum. 4
Recenſentur varia veterum philoſophorum placita de natura animæ: tum probatur, eam non eſſe harmoniam, non craſim, non denique in vniuersùm accidens. 7
Anima eſt ſubſtantia, non quidèm materia, neque corpus, nec aliquid compoſitum ex materia, & forma, ſed actus primus ſubſtantialis. 10
Explicatur vera animæ natura, enucleando duplicem eius definitionem. 12
Soluuntur argumenta, quibus probari videbatur, animam rationis participem eſſe aliquid diuinæ naturę. 18

IN DISPVTATIONE SECVNDA.

Quæ eſt, de origine animæ intellectiuæ.

OStenditur difficultas huius quęſiti, eorumque ſententia refertur, qui animam intellectiuam, de poteſtate materię eduxerunt. 22
Argumenta, quod anima rationalis ex ſemine propagetur. 23
Aperitur, quid ſit formam educi de potentia materiæ. 25
Phyſicis rationibus oſtenditur, animam intellectiuam non educi de poteſtate materię, ſed forinſecus aduenire. 27
Animam hominis intellectiuam, ad aures Ariſtotelis, non educi de potentia materię, ſed deforis inſinuari. 31

Con-

Confutantur argumenta primę Sectionis, quibus ſuadebatur, animam educi de poteſtate matrię.

IN DISPVTATIONE TERTIA.

Quæ eſt, de productione animæ rationalis.

Opinio eorum, qui arbitrati ſunt, animas rationales pręextitiſse ante corpora, & certis temporum ſpatijs ad ipſa demitti. 39
Argumenta, quod hominum animę, omnes ſimul in aliquo certo numero fuerint ex ęternitate, aut initio creationis mundi, conditę: & ſtatis vicibus in diuerſa corpora immigrent, aut etiam commigrent. 45
Quid Ariſtoteles ſenſerit de exiſtentia animarum ante corpora. 50
Phyſicis rationibus oſtenditur, animam intellectricem, nullo pacto extitiſſe ante corpus, ſed eo temporis puncto, in corpore procreari, quo corpus organis, humanam prolem decentibus, diſtinctum, ac perfectum fuerit. 53
Anima rationalis, eo temporis articulo producitur in corpore, quo illud perfectè, & vltimè ad eam ipſam diſpoſitum eſt: Et quomodo producatur. 56
A quonam agente producatur anima intellectiua? à Deo ne, an ab aliqua intelligentia? 58
Diluuntur ſex argumenta, in Secunda Sectione conſtructa, quibus probabatur, animas eſſe ęternas. 60
Diluuntur argumenta, quibus in eadem Sectione ſuadebatur, animas intellectrices, & ſi non fuerunt ab ęterno, eſſe tamen productas, vel ante mundi viſibilis conſtitutionem, vel vnà cum vniuerſo omnes ſimul. 65
Soluuntur argumenta pro ſententia Origenis, ex diuerſis ſacrarum litterarum locis deprompta. 68

IN DISPVTATIONE QVARTA.

Quæ eſt, quomodo anima intellectiua vniatur corpori.

Partitio formę, in aſſiſtentem, & informantem: triplex inter eas diſcrimen: tum explicatur eorum opinio, qui animam intellectricem, negant eſſe hominis formam informantem, ſed eſſe tantum aſſiſtentem: idque non vno modo 71
Argumenta, quibus ſupradicta opiniones fulciuntur. 72
Confutatur phyſicis rationibus Auerrois error, quo aſſerit, principium intellectiuum, ſeu rationalem animam, non eſſe veram hominis formam, ſed cunctorum hominum vnam aliquam intelligentiam aſſiſtentem. 76
Nunquam Ariſtoteli in mentem incidit, cunctorum hominum intellectum, eſſe vnum & aſſiſtentem, ſed e ſententia tenuit, animas intellectrices ad numerum hominum diſpertitas eſſe, veluti veras eorum formas. 82
Platonis ſententia, quemadmodum vera eſt, qua ex parte aſſerit, rationales animas ad numerum hominum multiplicari, ſic à veritate aberrat, qua eas facit aſſiſtentes tantum corporibus, ac mouentes. 85
Obuiam itur aduerſariorum argumentis, initio diſputationis conſtructis. 89

DI-

DISPVTATIO QVINTA EST.

De Immortalitate principij intellectiui, ſeu animæ rationalis, ex auctoritatibus Ariſtotelis.

VAria auctorum opiniones ex ponuntur, quid in hoc quæſito Philoſophus ſenſerit. 97
Quomodo philoſophi auctoritatibus probari poſſe videatur, quod anima humana ſit mortalis. 99
Philoſophi teſtimonijs euidenter oſtenditur, animam intellectiuam eſſe immortalem, ex primo lib. de Anima. 103
Id ipſum oſtenditur ex ſecundo lib. de Anima. 108
Idem etiam oſtenditur ex tertio lib. de Anima. 112
Probatur, intellectum poſſibilem eſſe a corpore re ipſa ſeparabilem, impermixtum, immaterialem, atque adeò immortalem. 113
Intellectum agentem, tum radicem huius, atque poſſibilis intellectus, nempè animam ipſam rationalem, incorruptibilẽ ac immortalẽ eſſe, ex eodem tertio de Anima oſtenditur. 120
Eadem veritas ex alijs Ariſtotelis operibus comprobatur. 122
Confutantur duo priora aduerſariorum argumenta, constructa in Sectione 1. Tum, aperitur, quænam ſit propria animæ operatio: idque duplici modo. 126
Oſtenditur alio modo, eam eſſe propriam animæ operationem, quæ à corpore, nec velut à ſubiecto, nec vt ab obiecto dependet. Tum oſtenditur, huiuſmodi actionem elici ab intellectu noſtro, etiam in ſtatu huius vitæ. 129
Obuiam itur alijs tribus argumentis, & eorum confirmationibus, quibus animos interitui eſſe obnoxios, adhuc probari tentabatur. 134
Satisfit reliquis argumentis, in prima itidem ſect. ad hoc ipſum confectis. 140
Cur priſci Eccleſiæ patres, ita Platonicam, Stoicamue doctrinam, Ariſtotelicæ prætulerint, vt iſtam tentauerint etiam opprimere? 140

IN DISPVTATIONE SEXTA.

Quæ eſt, de immortalitate animæ rationalis, ex fundamentis, ac rationibus Ariſtotelis.

ARgumenta, eruta ex diuerſis Philoſophi fundamẽtis, quæ animorum immortalitatem oppugnare videntur. 150
Expenditur prima Ariſtotelis demonſtratio ex tertio lib. de Anima qua probat intellectum poſſibilem eſſe corpori immixtum, atque immortalem. 157
Propelluntur quædam aduerſariorum refugia: tum diluuntur nonnulla dubia, quæ circa præfatam Ariſtotelis rationem excitari poſſent. 159
Expenditur ſecunda Ariſtotelis demonſtratio, qua itidem probat, intellectum poſſibilem, eſſe corpori immixtum, ac immortalem. 166
Explicatur tertia Ariſtotelis demonſtratio, ad hoc ipſum ab eo allata. 171

Quid in contrarium ad eam Ariſtotelis rationem, non nulli afferunt & quomodo refellantur. 175

Relata, & confutata eorum placita, qui intellectui quoddam ſubiectum, & organum comminiſcuntur: tum etiam tanguntur nonnullæ rationes, ex varijs Ariſtotelis locis depromptæ, quæ itidem animorum immortalitatem oſtendunt. 183

Diluuntur tria priora argumenta, initio Diſputationis, pro animorum caducitate propoſita: eorumque confirmationes. 189

Diluuntur alia tria argumenta, cum ſuis confirmationibus, in eadem prima Sect. confecta. 194

Satisfit reliquis argumentis, in prima adhuc ſectione factis. 201

IN DISPVTATIONE SEPTIMA.

Quæ eſt, de humanæ mentis æternitate, ex morali, & priſca Philoſophia.

RECenſentur nonnulla argumenta, quæ animorum immortalitati officere videntur. 207

Enucleatur animorum immortalitas ex morali philoſophia. 211

Nonnulla alia argumenta, adhuc ex morali fonte deprompta, pro eadem animorum perennitate. 220

Oſtenditur, ab exordio mundi ad hanc vſq; ætatem, fuiſſe receptam, omniumq; gentium conſenſu firmatam, & quaſi per manus poſteritati traditam, opinionem, quæ hominum animos facit immortales, & primò ex Hebræis, & ſacris monumentis veteris teſtamenti. 224

Comprobatio eiuſdem immortalitatis, ex Caldæis, Aegyptijs, Magis: tum ex Sibyllarum veterumq; gentilium deorum oraculis. 227

Eandem animorum æternitatem, ex omni memoria, & faſſi ſunt, & decantarunt Græci vates. 231

Animorum immortalitatem, poſt natam in Græcia philoſophiam, ſenſerunt, & tutati ſunt philoſophi Græci. 238

Adducuntur nonnullæ Platonis rationes pro animorum æternitate, tum concluditur hæc pars. 241

Ex præcipuis latinis auctoribus, animorum æternitas comprobatur. 243

Confirmatur eadem veritas ex communi exterarum, ferarumq; gentium conſenſu: tum ex apparitionibus animarum. 250

Diluuntur quinq; priora argumenta, initio Diſput. propoſita. 254

Confutantur reliqua argumenta, quæ in eadem ſect. 1. conſtructa ſunt. 257

T. Lucretij, & C. Plinij argumenta, contra animorum immortalitatem allata, & confutata. 261

IN

IN DISPVTATIONE OCTAVA.

Quæ eſt, de Intellectu Poſsibili.

OPinio Alexandri Aphrodiſæi de intellectu poſsibili: tum pro ipſa aliqua argumenta. 267

Auerrois, & Arabum opinio de hoc ipſo intellectu, eorumq; argumenta. 268

Probatur, intellectum poſsibilem non eſſe præparationem, & animæ aptitudinem, vt opinabatur Alexander, neq; imaginationem, vt quidam alij. 271

Refellitur Commentatoris error, ponentis vnum cunctorum hominum intellectum, qui ſit ſubſtantia quædam abſtracta, omnibus tamen hominibus, pro intellectu poſsibili aſsideat. 274

Intellectum poſsibilem, pro vt eſt id, quo intelligit, & exiſtimat anima, non eſſe ipſam animæ ſubſtantiam, ſed eius facultatem, ac formam accidentariam, quæ ab anima fluat; & re ipſa ab ea differat. 280

Quomodo, & in quonam genere cauſæ, intellectus, & generatim omnes animæ facultates, ab eius eſſentia manent? 285

Diluuntur argumenta Alex. quibus probabat, intellectum poſsibilem eſſe animæ præparationem, & puram potentiam in genere entis. 289

Confutantur Auerroiſtarum argumenta, in ſecunda ſect. pro intellectus poſsibilis vnitate allata. 291

IN DISPVTATIONE NONA.

Quæ eſt, de intellectu Agente.

PRoponitur opinio, & argumenta eorum, qui intellectum agentem negarunt. 295

Allata, & explicata eorum ſententia, qui intellectum agentem exiſtimarunt eſſe Deum Op. Max. Tum, illorum argumenta. 299

Diuerſa placita eorum, qui intellectum agentem conſtituerunt aliquid ex parte animæ noſtræ, ſed vario modo: tum, eorundem fundamenta. 305

Vnde dicatur intellectus agens, & quæ ſit neceſsitas eum in anima noſtra conſtituendi: Tum, perpenditur Textus 17. & 18. tertij lib de Anima. 306

Intellectum agentem, de quo Ariſtoteles loquitur, nullo pacto eſſe Deum, vel aliquam intelligentiam, ipſo Deo inferiorem. 310

Nec Theophraſtus, nec Themiſtius, nec Simplicius, nec vllus vnquam ex Philoſophis Græcis, conſtituit intellectum, vel poſsibilem, vel agentem, de quo loquitur Ariſtoteles, eſſe aliquid extrinſecum ab anima rationali, & vnam aliquam ſubſtantiam ſeparatam, omnibuſq; hominibus communem: minime verò omnium Diuinus Plato. 315

Intellectus agens, non eſt habitus primorum principiorum, neq; eſt intellectus poſsibilis, pro vt actu intelligit: ſed eſt vera animæ rationalis facultas, quæ ad inſtar propriæ paſsionis ab ea dimanat. 325

Diluuntur argumenta, in prima ſect. conſtructa, quibus probabatur, non dari intellectum agentem. 327

Confutantur argumenta Alexandraeorum, relata in ſecunda ſectione. 332

Solutio argumentorum, quibus probabatur, intellectum agentem eſſe vnam aliquam intelligentiam. 337

Confutantur argumenta quartæ ſectionis, in quibus habebatur, intellectum agentem eſſe habitum primorum principiorum: vel eſſe ipſummet intellectum poſsibilem, quatenus habet habitum primorum principiorum: vel denique, eſſe ipſum intellectũ poſsibilem, prout actu intelligit. 339

IN DISPVTATIONE DECIMA:

Quæ eſt, de ſtatu animæ ſeparatæ, cùm ex veterum ſententia, tùm ſecundum veritatem.

QVomodo veteres poſuerint, animas moueri, dum à corporibus ſeparantur, & dum actu ſunt ſeparatæ. 341

Quomodo anima mouetur ſecundum veritatem, dum actu decedit a corpore: tum ea ipſa ſeparata, quomodo eſt in loco; & quomodo mouetur. 343

Quiſnam locus fuit a veteribus aſsignatus animabus pijs. 346

De loco animæ improbæ, poſt exceſſum e corpore, ſecundùm eoſdem veteres. 348

Quomodo anima ſeparata intelligat, cùm ſe ipſam, tùm res alias ſecundum veritatem. 350

Vbi nam, ſecundum veritatem, animæ ſeparatæ piæ degunt, vbi improbæ detinentur, quibus illæ præmijs, quibus iſtæ pœnis afficiuntur. 353

Finis Indicis Diſput. & Sect.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM.
Quæ in hoc Volumine continentur.

ACCIDENS.

OMne quod eſt per accidens, eſt ob eo quod eſt per ſe. pagina. 3.b
Nullum accidens poteſt eleuare aliquid ad ſpeciem ſubſtantialem, & vltra gradum ſuum. 10.a
Non operatur in virtute propria, ſed in vi ſubſtantiæ, & vt inſtrumentum. ibidem & 283.b. & inde.
Sicut habet eſſe, ita & operari. ibid.
Subiectum omnium accidentium, eſt ipſum compoſitum. 90.a
Potentiæ animæ, qualia nam accidentia ſunt. 171.b
Accidentia ſi ſunt eiuſdem ſpeciei, non multiplicantur numero penes cauſas, ſed ex ſubiectis. 276.b
Experientia videmus, ſolum accidens, in virtute ſuæ ſubſtantiæ, producere ſubſtantiam. 283.b
Quod non eſt de eſſentia alicuius rei, id omne eſt ei accidens: & quomodo. 284.a
Quomodo accidens acceptum, contra diſtinguitur immediatè contra ſubſtantiam. pag. 284.b
Accidentia propria, ſunt propter conſeruationem ſubſtantiæ. 286.b
Accidentis eſſe, eſt ineſſe. 310.b
Accidens non migrat de ſubiecto, in ſubiectum. 314.a
Accidens educitur de potentia ſubiecti. ibid.
Quandocunque eſt aliquid prius, & per ſe tale, & alia ſecundario, & per accidens talia, iſta ſiunt talia ab illo. 301.a
Quomodo, & in quibus hoc dictum habet veritatem. 335.b. & inde.

ACTIO, ET AGENS.

VNumquodque agit in quantum eſt actu: patitur in quantum eſt potentia. 5.a & 273 a
Idem eſt agens diſponens materiam, & inducens formam. 23.b
Quomodo hoc intelligitur. 35.a
Inter qualibet agentia finita, virtutis eſt aliqua proportio. 59.a
Quid exigitur ad rationem agentis liberi. 65 a
Ea agunt, & patiuntur inuicem, quæ habent aliquid in ſe commune. 119 a
Nihil poteſt conſtitui actu agens per id, quod

quodnihil eſt. 272.b
Quando ſi agens fuerit æternum, & patiens æternum, neceſſe eſt, vt factum quoque ſit æternum. 278.b
Actio non poteſt fieri niſi vbi eſt contrarietas. 283.b
Duæ actiones ſe inuicem conſequentes, poſſunt terminari in eodem inſtanti. 288.a
Agens, & patiens in vniuerſa natura ſunt diuerſa ſecundum ſubſtantiam. 304.b
Nihil agit in ſe ipſum. ibid.
Scundum naturæ leges, nulla eſt actiuitas, vbi non eſt proportio. 312.a
Omne patiens particulare, præter agens vniuerſaliſsimũ, exigit aliud particulare, vt reducatur ad actum. ibid. & inde.
Agens eſt honorabilius paſſo, & principium, materia. 332.a

ACTVS.

Licet in vna eademque re prior ſit potentia, quàm actus, tamen ſimpliciter actus prior eſt, quàm potentia. 5.a
Vnumquodque eò eſt perfectius, quo magis accedit ad actũ, & recedit a potentia. 5 b
In bonis melior eſt actus, quàm potentia, contra autem in malis. ibid.
Actus, alius eſt ſubſtantialis, alius accidentalis, alius primus, alius ſecundus. 13.a
Qui inter actus eſt prior, hic prius ineſt in materia prima. 90.a
Ab actibus, venamur facultates, & ob his, eſſentiam. 113.a
Omne id, quod eſt alicui ratio operandi, eſt ei actus, & forma. 272 b
Actus, & potentia ſunt in eodem genere pagina. 281.b
Nihil poteſt trahere ſeipſum de potentia ad actum. 308.b
Omne quod reducitur de potentia ad actum, debet reduci per aliquem contactum immediatè. 315.b

AETERNITAS, ET AEVVM.

Qvomodo Deus ab æterno fuit cauſa actu efficiens omnium rerum, & tamen non fuerunt ab æterno res. 61.a
In æternitate nihil eſt prius, aut poſterius. ib.
Eadem æternitate mẽſuratur actio Dei. ibi.
Aeuum multipliciter ſumitur. 48.b
Aeuum videtur formatum a voce Græca αἰών. ibid.
Aeuum propriè ſumptum, eſt ſpecies durationis, & qualis. 49.a
Quã, & quomodo admittit ſucceſsionem. ibi.
Aeternitas ſolius Dei eſt. 49.a
Etiamſi Deus fuiſſet agens naturale, non tan en produxiſſet omnes res ab æterno. pag. 201.a
Amor ſequitur cognitionem. 150.b
Amor, & gaudium, ſunt voces æquiuocæ, & quid ſignificent. 190.a

ANIMA.

Animam eſſe, ſupponimus ex communi hominum conſenſu. 1 a
Eam nihil eſſe, niſi nomen quoddam inane, dixit Dicæarchus. ibid.
Antiqui aliqui opinati ſunt, eam eſſe diuinæ naturæ particulam, & quare. 1.b
Manichæorum, & quorundam aliorum error circa ipſam. 2.b
Non eſſe particulam diuinæ naturæ, multis oſtenditur. 6.b
Relata varia Veterum Philoſophorum opiniones, de ipſa. 8.a & inde
Ipſius naturam inueſtigauerunt omnes Veteres ex motu, & cognitione. 7.b & inde.
Animam eſſe harmoniam contrariarum quali-

qualitatum, opinatus eſt Denarchus, & qui alij. 8.b
Eandem eſſe craſim exiſtimauit Galen. ibi.
Animam, neque harmoniam eſſe, neq; craſim, & omninò non eſſe accidens, demonſtratur. 9.
Nullus Philoſophorum auſus eſt affirmare, animam eſſe materiam. 10.b
Aperitur, eam non eſſe corpus. 11.a
Qui poſuerint eam eſſe compoſitam ex materia, & forma. 11.b
Oſtenditur, eam non ita eſſe compoſitam, ſed benè ex actu, & potentia ibid. & 20.a
Oportet, animam immediatè uniri corpori. pag. 12.a
Quo pacto anima dicatur pati, & recipere aliquid in ſe. ibid.
Animam intellectiuam eſſe actum aſſiſtentem, quinam exiſtimauerint. pagina. 15 b & 71. & 72
Explicatur vera animæ natura ex duplici eius definitione. 12. per totam ſect.
Deficiente anima a corpore, non eſt amplius oculus, niſi æquiuocè, ſicut lapideus, aut depictus. 17.a
Opiniones aliquot SS. Patrum de origine animæ. 22 a
Qui dixerint, animas generari ab animabus, ſicut corpora generantur a corporibus. 23.a
Anima vegetatiua, quomodo progreditur ad ſenſitiuam, & hæc ad intellectiuam, in generatione hominis. 24
Anima intellectiua tranſcendit omnem materiam. 27.a & 29.a
Hæc ipſa dicitur orizon corporeorum, & incorporeorum. 30.a & 140.a
In quibuſnam conuenit cum formis brutorum animalium, in quibus verò differt. 30.b
Anima rationalis, nulla in terris origo. 34.b
Animas intellect. ſecundum Platonem tot a principio mundi eſſe factas, quot ſunt aſtra: & illis aptatas. 43.a
Unde dicta eſt ψυχὴ ib.d.
Nonnulli Veterum dixerunt, animas detrudi in corpora, propter peccatum: & quodnam illud, explicatur. 43.b
Anima intellectiua qua ratione menſuratur æuo. 49.a
Eſt orizon æternitatis, & temporis. ibid.
An anima Adæ fuerit producta ante eius corpus. 49.b & 69.a
Anima neque materia eſt, neque compoſita ex materia, & forma, ex Ariſt. 53.b
Quomodo anima intellectiua producitur in corpore. 60.a
Potuit ne produci ab æterno ſecundum aliquam rationem. 65.a
An anima intellect. pertineat ad eſſentialem mundi perfectionem. 67.a
Cur anima debuit creari in corpore, & non in aliquo alio nobiliori loco. 67.b
Quomodo menſuratur tempore, quomodo æuo. 68.a
Animorum in diuerſa corpora tranſitum, unde mutuati ſunt, qui eum aſſeruerunt. pag. 70 a
Quomodo ex anima intellect. & corpore fit unum per ſe. 91.a
Quare anima informat corpus, non autem ipſius facultates. 91.b
Anima intellect. continet eminenter vegetatiuam, & ſenſitiuam. 92.b
Anima intellect. etiam ſecundum fidem catholicam, eſt forma informans hominis, ac numericè multiplicata. 96.b
Oſtenditur eius immortalitas, ex auctoritatibus Ariſtotelis, per ſex ſect. 103. & inde.
Eadem commonſtratur, ex fundam. & rationibus eiuſdem Ariſt. per quatuor ſect. pag. 157. & inde.
Qua ratione anima intellect. eſt aliud anima ge-

Digitized by Google

mæ genus. 110.a

Quomodo eſt phyſica conſiderationis, quomodo autem non. 128.b

Habet propriam operationem, quæ non dependet a corpore ſubiectiuè, quamuis pendeat obiectiuè, & quæ ſit huiuſmodi operatio. 129.& inde.

Oſtenditur alio modo, quod anima intellect. habeat aliquam operationem, quæ nec etiam vt ab obiecto dependet a phantaſmate. 129. per totam ſect.

Qui dixerunt, animam rationalem non moueri nec etiam per accidens, moto corpore. 140.a

Quomodo anima vegetatiua, & ſenſitiua, quæ ſunt in homine ſunt per concomitantiam incorruptibiles. 141.a

Quod anima intellectiua dupliciter ſumatur, vt entelechia, ſeu forma, & vt intellectus. 141.b

Omnis anima eſt in corpore, aut actu, aut aptitudine. 142.a

Quomodo anima ſeparata non ſit otioſa reſpectu facultatum ſenſitiuarum, & vegetatricium. 190.b & 191.b

Animæ a corporibus ſeparatæ, quomodo, & per quid, diſtinguuntur numericè. 201.b

Cur anima æternùm non detineretur violenter extra corpus. 204.a

Vera ne anima Samuelis apparuit Saul, an verò loco eius Dæmon, vel Angelus. 205.a

Anima in præſenti vita, ſecundum Platonem, cognoſcit ſeipſam ſicut oculus intuendo alium oculum. 164.a

Quomodo anima eſt locus formarũ. 165.b

Oſtenditur animæ intellect. immortalitas ex Morali philoſophia, per integras duas ſect. 211.& inde.

Eiuſdem immortalitatem, ab exordio mundi, omnium ætatum, ac nationum conſẽſu fuiſſe receptã, & confirmatã, diſcutitur per integras ſex. Sect. 224.& inde.

Qui animam faciunt mortalem, deſtruunt Societatem humanam, ſicut Hercules auferendo tripodem, deſtruxit oraculum. 223.b

Animæ immortalitas comprobatur ex oraculis gentilium Deorum. 231.a

Improbus, non vult animam ſuam immortalem eſſe, ne pœnas ſuorum ſcelerum luat. 243.a

Nemo firmiter poteſt Deum colere, qui animam immortalem non teneat. ibid.

Qui putauerint animam intellect. eſſe φῶς τῇ οὐσίᾳ lucem per eſſentiam. 247.b

Quinque rationes adductæ, quare anima ab aliquibus, dicta eſt ignis. ibid

Quare periodum animæ, ſiue bonæ, ſiue improbæ, ſtatuerũt eſſe mille annos. 248.a

Multas animas, poſt exceſſum ex corporibus, apparuiſſe viuis, oſtenditur, tum ex ſacris auctoribus, tum ex profanis. pagina. 251.& inde.

Animæ, vt exceſſerunt ex corporibus, non redeunt ad hæc noſtra loca, niſi ſpeciali Dei ordinatione. 253.b

An animæ differant inter ſe eſſentiali, indiuiduali perfectione. 255.a

Sicut in corpore habemus multa membra, ad diuerſas operationes, ſic anima noſtra habet diuerſas virtutes. 281.b

In anima hæc tria ſunt reipſa diſtincta, animæ eſſentia, facultates eius, & actiones. pag. 284.a

Anima, eſt cauſa materialis, finalis, & agens, reſpectu ſuarum facultatum. pagina. 288.b

Anima intellect. eſt natura, & determinatum naturæ genus. 309.a

Accommodato exemplo flammæ, explicatur anima intellectiua, & eius facultates, hoc eſt intellectus poſſibilis, & agens pagina. 338.b

Quid

Quid dixerunt Veteres de motu animæ ſeparatæ. 342.a
Quale eſt eius iter ad aliam vitam, ſecundum eoſdem Veteres. ibid.
Quomodo quidam Veterum attribuerunt animabus quædam corpuſcula, ſeu vehicula. 342.& inde
Anima ſecundum veritatem, dum actu ſeparatur a corpore, mouetur a merito, ſeu demerito, ſicut corpora naturalia a ſua grauitate, vel leuitate. 344.a
Anima, etſi in multis differt ab Angelis, tamen conuenit cum eis in modo inſiſtendi. pag. 344.b
Cum nullum effectũ ſentiamus animarum ſeparatarum, ducimur in illarum cognitionem, ex proportione ad Angelos. ibid.
Quomodo, & per quid anima ſeparata formaliter eſt in loco. 344.b & inde.
Vna anima nequit eſſe in pluribus locis adæquatis, benè autem inadæquatis: & quomodo. 345.b
Poſſunt ne duæ, vel plures animæ eſſe in eodem loco. 346.a
Anima ſeparata, verè mouetur de vno ad alium locũ, ſed tamen metaphyſicè.ibid.
De loco, in quo animam piam Veteres conſtituebant. 346.per totum ſect.
Anima ſeparata exercet aliquas operationes. 350.a
Anima ſeparata intelligit per conuerſionem ad ſuperiora: & quomodo. 350.b & inde.
Anima ſeparata intelligit ſeipſam, per ſuam met ſubſtantiam. 351.a
Quomodo intelligit Deum. 351.b
Anima ſeparata comprehendit ſeipſam.ibid.
Quomodo cognoſcit Angelos, quomodo alias animas. 352.a
Si loquamur de natural. animar. ſeparat. cognitione, ea ignorant, quæ in hoc mundo aguntur: ſed tamen ea ſciunt ex aliјs capitibus. 352.b
Vbinam ſunt ſedes animarum beatarum, vbi damnatarum. 353 & ſect.
De eſſentiali animæ beatitudine. 353.b

ANAXAGORAS.

Hic vnus a Veteribus diſcrepauit in poſitione intellectus. 117.a
Non explicauit, quomodo fiat intellectio. ibid.
Poſuit intellectum immaterialem, & impaſſibilem. ibid.
Nomine intellectus, intellexit duo, hoc eſt Deum, & intellectum noſtrum. 117.b
Ariſtoteles amplectitur Anaxagoræ ſententiam de intellectu noſtro. 118.a
Præclarum Anaxagoræ dictum de cœliſti patria. ibid.
Anaxag. induxit ὁμοιομερίαν. 197.b.
Quomodo poſuit intellectum ſeparatum eſſe principium totius motus. 157.b.
Hic patriam ſibi vocat cælum. 238 b
Quamobrem laudatur ab Ariſtotele tertio de Anima. 158.a
Hunc audiuit Socrates. 238.b
Anaxarchus in mortario ſaxeo contuſus, quid identidem repetebat. 72 a
Ariſtoxenus muſicus, ſumpta ſimilitudine ab arte ſua, explicabat, animam eſſe harmoniam. 8.b
Artium, aliquæ habent in ſua materia principium actiuum ad ſuos effectus, aliæ autem non. 293.a

ARISTOTELES.

Hic primus formauit nomen Entelechia. 13.a
Nullus extitit Philoſophorum, cuius memoria ad nos peruenit, qui penitius introſpexit naturam animæ, quàm

 Ariſto-

Ariſtoteles. 18.a
Quanam ratione probat lib. 2. de gener. animal. animam vegetatiuam, & ſenſitiuam educi de potentia materiæ, non autem intellectiuam. 32.b
Num cõſenſerit cum Platone, in animarum antegreßione. 50 per totam ſect.
Ariſt. optimè cognouit actionem Dei, eſſe eius ſubſtantiam. 62.a
Carpit Platonem, quod dixerit, in homine intelligere, ſentire, & appetere, oriri a diuerſis animabus. 84.a
An reuera exiſtimauerit, mentem eſſe aliud in homine ab anima. 93.
Referuntur variæ auctorum opiniones, quid hic de animæ immortalitate ſenſerit. 97 & 98.
Expreſſam ponit concluſionem, quod anima intellectiua eſt immortalis. 121.a
Malè audiuit a Sanctis Patribus: & quare. 147. & inde.
Artificio in rebus tractandis, ſuperauit omnes, quicũq; de rebus tractauerunt. 149.a
Non ſunt audiendi, qui dicunt Ariſtotelem ſibi contradixiſſe. 196 a
Nobis nõ eſt notum, quid reſpondiſſet Ariſt. ad illud arg. quod daretur infinitum actu, ſi cum mundi æternitate, animi ſint immortales. 197.a
Ariſt. non eadem via inueſtigauit animæ immortalitatem, atque ſubſtantias ſeparatas. 203.b
Votum vouit, & illud ſoluit. 205.b
Exquiſitè callebat omnes Veterum Theologiæ partes. ibid.
Iã iã moriturus in lachrymas profuſus, implorauit primæ cauſæ miſericordiã. 243 a
Approbauit Homeri ſententiã, qua dicebat, non eſſe indecorum Dijs, naturam hominis induere, vt homines liberentur ab erroribus. ibid.
Quid diſcipuli, & alij qui ipſi morienti adſtabant, dixerunt de viri anima. ibid.
Licet conjectare, eum iuiſſe in maiorum ſuorum ſententiam, de anima. 342.b
Aliqui dixerunt etiam Ariſt. conceßiſſe vehicula animarum, a quibuſdam Veteribus poſita: & vbi hæc innuere viſus ſit. 343.a
Multa accepit ex Chaldæis, & Aegyptijs. 348.a
In tex. 100. lib. 1. de Cælo, intelligit de animabus, & reſpicit ad quoddam Platonis dictum. ibid.

AVERROES, & Auerroiſtæ.

Propterquam potiſsimùm rationem Auerroes lapſus eſt in errorem de vnitate intellectus. 54.a
Abſurda quædam machinatur de intellectu illo, quem vult, omnibus hominibus aßiſtere. 77.b
Quomodo Auerroiſtæ vario modo continuant nobis intellectum illum ſeparatum. 77. & 78.
Inepta Auerrois informatio de Cælo, & homine. 80.b
Auerroes, ne apices quidem linguæ Græcæ tenebat, ideò fœdè in multis Ariſtotelis locis errauit. 85.a
Conſtituit intellectum poſsibilem eſſe vnam aliquam ſubſtantiam ſeparatam, quæ omnibus hominibus aſsiſtat. 269.a
Quod iſta intelligentia ſit omnium intelligentiarum vltima. ibid.
Confutatur id validiſsimè. 274 per totam ſect.
Auer. dum nititur reſpondere cuidam difficultati, a ſe propoſitæ, fatuè reſpondet; & facit homines mera bruta. 275.a
Nunquam Auerrois inuenitur dixiſſe, intellectum poſsibilem, informare totam ſpeciem

ciem humanam. 276.a

Impugnantur quædam Auerroiſtarum diuerticula. 275

Temerè Auerroes ſtatuit, habitus Scientiarum, non recipi in intellectu poſsibili, ſed in paſsiuo. 277.a

Vndenam ad hanc abſurditatem inductus eſt. 277.b

Auer. confutatur exemplo ab eo ipſo allato. pag. 278.a

Eius poſitio de intellectu poſsibili, euertit omnem Philoſophiam, & omnes virtutes. pag. 278.b

Apertè ſentit contra Ariſtotelem, dum habitum primorum principiorum dicit eſſe coæternum vni illi intellectui. 279.a

Vnitas intellectus ab eo inducta, eſt monſtrum in philoſophia. 280.a

Auer. deceptus eſt circa conſiderationem ſpeciei intelligibilis. 291.b

Auerroiſtarum opinio, de vnitate intellectus, æquè impia eſt, atque illa quæ apertè animam perimit. 294.a

Auer. conſtituit intellectum etiam agentem, eſſe vnam aliquam intelligẽtiam. 303.a

Quod iſta eſſentialiter ſit diſtincta ob ea, quam poſuit pro intellectu poſsibili. ibid.

Imponit Theophraſto, & Themiſtio vnitatem intellectus. 315.b & inde.

ALEX. APHRODISAEVS.

COmmentarij in Metaphyſicam Ariſtotelis, qui Aphrodiſæi nomine circumferuntur, non ſunt Aphrodiſæi. 123.a

Quanã immixtione aiebat eſſe immixtum intellectum poſsibilem. 159 a

Exiſtimauit, intellectum poſsibilem, nil entis eſſe actu, ſed eſſe ſolam animæ præparationem. 162.a

Impugnatur hæc aſſertio. ibi. & 271 per totam ſect.

Conſtituit animas in pectore, & cordis circuitu. 183.b

Ponit in nobis triplicem intellectum, materialem, ſeu poſsibilem; agentem; & acquiſitum. 267.a

Non rectè aſsimilat intellectum poſsibilem potius carẽtiæ inſcriptionis tabulæ, quàm ipſi tabulæ non ſcriptæ. 289.b

Lapſus eſt, quia non animaduertit partitionem potentiæ in eſſe entis, & in eſſe intelligibili. ibid.

Quanam potiſsimùm auctoritate Ariſtotelis deceptus eſt circa intellectum poſsibilem. pag. 290.b

Poſuit intellectum agentem, de quo Ariſt. loquitur, eſſe Deum. 314.b

Adducuntur tamen aliqua eius loca, quod exiſtimauerit, hunc intellectum agentem, eſſe aliquid animæ noſtræ. 324.a & inde

Aliqui conati ſunt eum liberare ab animarum parricidio. ibid.

Alexandræorum repugnantia. 333.a

A V I C E N N A.

IMmeritò dicit, per definitionem traditam ab Ariſtotele, non explicari eſſentiam animæ, ſed potius exiſtentiam. 18.a

Opinatus eſt, animam rationalem, & omninò omnes formas, produci ab vltima intelligentia. 58.a & 303.a

Hanc dixit, aſsidere toti elementari mundo. pag. 303.a

Hanc ipſam appellauit Colchodeam, & quid hac voce importatur. ibid.

B E S S A R I O N.

AIt, Ariſtotelem iuiſſe in Platonis ſententiam, quod attinet ad tranſanimationem. 50.a

Neſcio qua ratione inductus dixit, vnitatem

tem intellectus, non poſſe phyſicis rationibus conuinci. 280.a

BONITAS, & Bonum.

Veteres profani Theologi, bonitatem poſuerunt in centro, pulchritudinem in circulo. 44 b.

Bonum eſt in paucioribus, malum autem in pluribus; & quare ita contingat. 144.b

CAVSA.

Cauſa actu efficiens, infert actu effectum. 46.b

Quomodo id intelligitur. 61.a

Dupliciter aliquid contineri poteſt in aliquo eminenter, vel vt in cauſa effectiua, vel vt in cauſa formali. 94.a

A cauſa indifferenti, vt indifferens eſt, non egreditur determinatus effectus. 281.a

In iis, quæ ex ordine naturali proueniunt, ſicut primum eſt cauſa omnium, ſic illud quod propinquius eſt, eſt quodammodo cauſa ſubſequentis. 286.a

Cauſa, quæ efficit per ſimplicem emanationem, eadem poteſt eſſe ſuſceptiua eiuſdem effectus. 287.b

Quomodo cauſa quæ agit per veram actionem, præcedit effectum, quomodo autem quæ per ſimplicem emanationem 288 a

Etiam cauſa, quæ agit per veram actionem, non ſemper antecedit tempore ſuum effectum. ibid.

Nihil vnquam idem poteſt eſſe cauſa efficiens, & materialis. 304.b

Quod eſt cauſa ſimplicitatis, eſt in ſe maxime ſimplex. 305.a

CHALDAEI.

Exiſtimarunt, animas intellectiuas præextitiſſe ante corpora. 39.b

Qui dixit, quod Chaldæi primi omnium aſſeuerunt, animam eſſe immortalem. 227.b

Multa eorum dicta allata pro animorum immortalitate. 228.

Argutum eorum ænigma pro anima intellectiua. 229.a

Quomodo, & vbi conſtituerint animas a corporibus ſeparatas. 348.a

COELVM.

Quidam duas in Cælo finxerunt portas, per quas animas deſcendere, & aſcendere credebant; & quænam illæ. 44 a

Quomodo Cælum dicatur ſe mouere. 78.a

An ſit, & quomodo, dicatur animatũ. 87.b

Qui dicunt illud eſſe animatum. 141.a

Corpora cæleſtia, nec in intellectum, nec in voluntatem influunt directè, & immediatè. 260.a

Inclinant tamen ad aliqua. ibid.

Explicatur quomodo, & quo vſque inclinant, maximè intellectum, & voluntatem. 260.b

Neque motus Cæli, neque eius lumen habet aliquam porportionem, vel ad illuſtranda phantaſmata, vel ad intellectionem eliciendam. 314.b

Cælum empyreum eſt ſedes animarum beatarum. 353.a

Hoc cælum eſt locorũ omnium corporalium ſupremum. ibid.

Nulla ratione naturali inueſtigari poteſt, quia eſt immobile: nec vllos emittit radios ad nos. ibid.

Vnde nam ſortitum eſt hoc nomen. ibid.

Statim factum, fuit repletum Angelis. ibid.

CO-

Digitized by Google

COGNITIO.

OMnis cognitio fit per aſsimilationem cognoſcentis ad rē cognitam. pag. 116.b
Simile cognoſcitur ſimili. ibid.
Quæ ſimilitudo requiratur ad cognitionem. pag. 117.a
Tripliciter poteſt aliquid cognoſci, & quomodo. 351.b
Conſcientia cedit duro verbere: eadem eſt mille teſtes, & graue pondus. 220.b
Eius vis, & efficatia multis explicatur. pag. 221.a
Quem non angit conſcientia patratorum ſcelerum, is inter pecudes eſt numerādus. ibi.
Complexio cauſatur ex qualitatibus actiuis, & paſsiuis: & quomodo. 9.a

CORPVS.

COrpus nō eſt in aliquo ſubiecto. 11.a
Eius conditiones ſunt ſentiri, & tangi. 11.b
Diuiditur in cæleſte, elementare, & mixtum. ibid.
Variæ eius acceptiones. 16.a
Corpus mathematicum, quid ſit. 16.b
Quomodo corpus accipitur in definitione animæ. 17.a
Corpus dicitur σῶμα, quaſi σῆμα, ſepulchrum; & quare. 43.b
Corpus humanum eſt ſupremum rerum causatarum. 67.b & 92.a
Quomodo corpus mouetur ab anima. 86.a
Corporis dehoneſtamenta, apud omnes gentes arcebāt homines a Sacerdotio. 209.a
Quare ita cenſeretur. 257.a
In corporū maieſtate, veneratio ineſt. 257.b
Lineamenta corporis, ſunt animi argumenta ibid.
Quidam Veterum, animabus ſeparatis, adſcripſerunt quadam corpuſcula ſubtilia, æthera, &c. & quare. 342.b
Iſta appellarunt, animarum vehicula. pagina. 342. & inde
Quæ, & qualia illa poſuerint. ibid.
Corpora beatorum, poſt reſurrectionem, vbinam manſura ſint. 353.a

CREATIO.

ANima intellectiua verè creatur: Cur autem Ariſtoteles non exiſtimauerit, eam creari, licet ipſam non educat de potentia materiæ. pagina. 37.b & 200.a
Quid ſit creatio: Eam fieri ex nihilo, eſt non fieri ex aliquo ſubiecto. 47.a
Qui dixerunt, animas creari ab intelligentijs. 58.a
Huius aſſertionis fundamenta. ibid.
Repugnat cuiuis creaturæ, etiam inſtrumentaliter, poſſe aliquid creare. 58.b & 59.b
Qui arbitrati ſunt, Deum poſſe communicare vim creandi, alicui creaturæ, & quomodo. 60.a
Creatio, ſemper viſa eſt difficilis in Peripato. 312.b
In creatione, nulla ſupponitur potentia paſſiua. 313.a
Potuit ne aliqua creatura produci a Deo ab æterno. 64.b

CORRVPTIO.

QVomodo corrumpitur forma præcedens in embriſone, adueniente ſubſequenti. 37.a
Aliquid, ſecundum ſua principia interna, poteſt eſſe incorruptibile, & tamen corrumpi ab agente ſuperiore. 64.a
Campi Elyſij: communis fuit nationum conſenſus, quod animæ piæ irent, in Campos Elyſios;

Elyſios,ſiuè in Inſulas beatorum. 346.a

Variæ opiniones, de loco Elyſiorum, vbi nam eſſe crederentur. 346.b

Vetus profana Theologia poſuit Campos Elyſios, eſſe ab octaua ſphæra vſque ad Lunam. 347.a

Elyſiorum finem dixerunt eſſe Lunam, quæ ſit vitæ, mortiſque confinium. ibid.

Alij dixerunt,Campos Elyſios eſſe ſphæram, aplanes, ſeu eſſe in ſuprema omniũ ſphærarum. ibid.

Illam ſphæram appellarunt terram æthe-ream, & quomodo. ibid.

Reuera ſapientes illi ſenſatè tenuerũt, Campos Elyſios, & ſedes animarum piarum eſſe cœlum. 347.b

DEFINITIO.

Duæ *animæ definitiones accuratè explicantur.* 13

An definitio animæ, quod ſit actus primus, &c. *vniuocè conueniat omni animæ.* 82.& 83.

An ſit eſſentialis eadem definitio. 135

Ad cuiuſcunque remotionem remouetur definitio, remouetur etiã definitum. 100.a

Quomodo hoc dictum intelligitur. 135.a

In definitione formæ,debet poni proprium ſubiectum. 135.b

Dicæarchus exiſtimauit,nihil eſſe animam, ſea ſolum eſſe nomen inane: Vel exiſtimauit eſſe harmoniam ex quatuor elementis reſultantem. 1.a

DEMOCRITVS.

Compoſuit *animam ex atomis: & quomodo.* 8.a

Quomodo hoc intellexit. 239.b

Quid ſenſerit de ſentire, & intelligere. 112.b

Dixit,eſſe idem animã, & intellectũ. 117.b

Idem induxit [illegible] 197.b

Aiebat, animam moueri per ſe, quodam motu recto. 201.a

Omnia videtur accepiſſe ex Pythagora. pag. 239.a

Compoſuit integrum librum de his, quæ in inferno aguntur. ibid.

Eius pater, toti exercitui Xerxis dedit epulum. 239.b

Quomodo dixit, animam eſſe ignem.

Omnis determinatio fit per additionem ad illud, quod determinatur. 4.a

D E V S.

Qui *opinati ſunt, Deum eſſe quoddam nobiliſsimum corpus: & quare.* 1.b

Deus nec corpus, nec vllius corporis forma eſſe poteſt. 3.a

Solus Deus eſt actus purus. 4.a

Duobus modis poſſumus eum intelligere: vno negationis, altero affirmationis. 4.b

Radix omnium perfectionum in Deo eſt, quod is ſit actus purus. 5.a

Eius operatio eſt eius eſſentia, etiam ſecundum Ariſtotelem. ibid.

Nullo modo poteſt conſtitui alicuius rei cauſa formalis, neque vices gerere alicuius formæ. 6.b

Quidam Gentiles exiſtimarunt, Deum eſſe animam Cæli, aut etiã totius mundi. 7.a

Alij dixerunt, eum eſſe omnium rerum eſſentiam. ibid.

Inopinabilis quorundam error, qui dixerunt Deum, & materiam primam eſſe vnum, & idem. 19.b

Deus eſt in omnib. rebus; & quomodo. 21.a

Qua ratione Deus fuit motus, ſecundum Platonem, vt produceret mundum. 42.a

Quomodo Deus dicatur fieri ex non faciente faciens. 62.b

Quomodo

Quomodo Deus manet ſemper idem, & omnino immutabilis, effectus autem varij procedunt ab eo. 62.a
Deus in tempore dicitur Dominus, idque per ſolam habitudinem rationis ad creaturas. 64.b
Deus non eſt aliqua pars vniuerſi, ſed ὑπερκόσμιος. 66.a
Etiamſi Deus fuiſſet agens neceſſarium, non adhuc produxiſſet omnes animas ab aterno. 201.a
Deus concurrit cum omnibus rebus ad agendum. 312.a
Quomodo Deus, ad aures Ariſtotelis, agit in hæc inferiora. 312.b
Deus ſe ſolo, & produxit, & producere poteſt, quæcunque vult. ibid.
Deus verè eſt intellectus, ſac etiamſi intellectus agens, ſed tamen primus; & comparatur Soli. 314.a
Quomodo dicitur, quod ſapiens viſitatur a Deo, tanquam amicus ab amico. 335.a
Quibus vijs, naturali lumine, inueſtigamus, & inuenimus Deum. 336.a
Deus vbi videtur a beatis. 353.a

DIFFERENTIA.

Quacunq; habent differentiam, ſunt compoſita. 3.b
Non omne quod non differt ab alio, eſt idem cum ipſo. 20.a
Quod ab aliquo differt, medio aliquo differt: quod autem eſt diuerſum, eſt tale ſe ipſo. ibid.
Omnia, quæ materia carent, differunt inter ſe ſpecificè. 54.a
Pulchra differentia, quæ eſt inter productionem totius mundi, & alicuius rei particularis. 57.b
Per quid vna aliqua res differt ab omnibus alijs. 79.b
Diſtinctio numerica prouenit a materia, ſeu ab ordine ad illam. 54.a
Idem eſt conſtitutiuum, & diſtinctiuum alicuius rei. 79.b
Diuiſio duplex, materialis, & formalis, & quæ vtraque. 199.a

EFFECTVS.

Non ſemper eſt neceſſe, vt effectus ſit poſterior ſua cauſa. 46.b
Quomodo a principio æterno, ac immutabili, non poſſit prouenire nouus effectus. 278.b
Viſis effectibus, excitatur in nobis deſiderium, videndi primam eorum cauſam. pag. 336.a
Quomodo effectus ſingularis indicat cauſã ſingularem, quomodo non. 339.a

EMPEDOCLES.

Initia rerum conſtituit ſex, & quænam illa. 8.a & 165.b.
Ex ijs compoſuit etiam animam: idque propterea, vt omnia intelligeret. ibid.
Tenuit tranſanimationem. 40.b
Elegans epigramma de eo. 41.b
Quid ſenſerit circa ſentire, & intelligere. pag. 112.b
Videtur tenuiſſe, animam eſſe immortalem. pag. 240.a
Fuit Pythagoricis diſciplinis addictiſſimus. ibid.

ENS.

Omne ens vel eſt ortum, vel diuinum. 1.a
Vel eſt purus actus, vel pura potentia, vel ex his. 11.b
Quomodo ſit obiectum intellectus. 19.a & 162.b

Ens in ratione entis, eſt commune intelligibile, intellectui humano, Angelico, & diuino: Tum, explicatur, quomodo ſit proprium vnicuique. 19.a & inde.
Ens, & vnum conuertuntur. 57 a
Inter ens, & nihil, nulla eſt proportio. 59.a
Inter ſemper ens, & ſemper non ens, quod nã ens eſt medium. 195.a
Ens eſt comprehenſum: & non comprehenſum naturaliter, eſt non ens. 162.b

ENTELECHIA.

ENtelechia in Peripato eſt vox æquiuoca: & quæ ſint eius ſignificata. pag. 13 a
Quiſnam primus eam formauit. ibid.
Entelechia nomine vocata eſt etiam prima intelligentia. ibid.
Quæ entelechia eſt a corpore ſeparabilis, quæ autem non. 89.a
Quinam ἐντελέχειαν verterunt perfecti-habiam. 100.a
Entelechia, alia educitur de poteſtate materia, alia autem non. 134.a
Quinam dixerunt, vocem Entelechiam, dolo fuiſſe excogitatam ab Ariſt. 136. a
Malè ſeribitur a nõnullis per δ. ἐνδελέχεια. ibid.
Varia eius formationes. ibid.

FINIS. FIGVRA.

QVi ordinatè, & efficaciter vult aliquem finem, prius, & magis vult ea media, quæ ſunt fini propinquiora. 47.b
In quibuſnam rebus hoc dictum habet veritatem 66.a
Idem eſt primum principium, & vltimus finis. 58.a
Finis diuinæ voluntatis in productione rerum, eſt eius ipſius bonitas. 65.b
Finis in generatione, eſt forma. 94.b
Vt ſe habet figura ceræ rotundæ ad eandem ceram, ita anima ad corpus. 73.a
Nihil vnquam nec per ſe, nec ex accidenti poteſt eſſe figuratum, quod non ſit extenſum, aut per ſe, aut ex accidenti. ibid.
Dum Ariſt. ait τύπῳ μὲν, malè transfertur latine, figura igitur, &c. 89.b
Quodnam ſit ſubiectũ figuræ hominis. 90.a
Diuerſæ animæ comparantur diuerſis figurarum ſpeciebus. 94.a

FORMA.

FOrma quomodo comparatur ad materiam, quomodo ad ipſum compoſitum. 6.a
Quicunque habet in ſe aliquam formam, denominatur ab ea in concreto talis. 6 b
Forma eſt principium agendi, materia verò principium patiendi. 11.b
Platonici omnem formam dixerunt eſſe imaginem diuini exemplaris, expreſſam in materia. 19.b
Alij dixerunt, eam eſſe participationem primi actus. ibid.
Cur forma ab Ariſt. dicatur diuina. 21.b
Idem eſt agens diſponens materiam, & inducens formam. 23.b
Quomodo hoc veritatem habet. 35.a
Multis explicatur, quid ſit formam educi de potentia materiæ. 25 b & inde.
Forma reſultat in materia ex vi diſpoſitionum, quæ ab agente vltimatè applicantur. 26.b
Quinque illæ proprietates formæ eductæ de potentia materiæ, ex quanam radice oriuntur. ibid.
Forma quò nobilior eſt, eò magis materiam excedit, & minus eidem materiæ immergitur. 27.b

Omnis

Omnis forma, quæ dependet ab aliquo ſubiecto in eſſe, & conſeruari, non agit, neque patitur, niſi actione, aut paſsione illius. pag. 28.a

Vt aliquid ſit forma ſubſtantialis alicuius; duo requiruntur, & quænam illa. 29.a

Naturale eſt cuicunque formæ, vniri propria materia. 54.b

Cur vna forma non poteſt eſſe ſucceſsiuè in multis materijs, ſicut materia ſtat ſub multis formis. 57.a

Forma, alia informans, alia aſsiſtens, & quænam eſt inter eas differentia. 71.

Nulla forma complet aliquid in ſpecie, quæ non tribuat eidem operationem conuenientem ſecundum ſpeciem. 80.b

Forma eſt quod quid erat eſſe rei. ibid.

Errant, qui putant, Platonem, animam rationalem feciſſe formam informantem humani corporis. 88 b

Formæ perfectorum animalium ſunt indiuiſibiles. 90.b & 95.b & inde

Formarum quædam ſunt ſeparabiles a materia, quædam autem non, ex Ariſtotele. pag. 124.b

Communis ratio formæ eſt ſolum, vt ſit perfectio: & quomodo hoc ſit. 134.b

Solane forma eſt eſſentia rei, an etiam materia. 138.a

Quare materia non poſsit eſſe ſine forma, benè autem forma, vt rationalis, ſine materia. 193.b

Quomodo formæ cæterorum animalium exiſtunt in corporibus, quomodo forma hominis. 194.a

Forma, quæ eſt in ſubiecto, mouetur ad motum illius. 201.a

Omnis forma mixta cum corpore, afficitur affectione corporis. 166.a

Multis diſcutitur iſta propoſitio, forma, quæ per ſe habet operationem, cui non communicat corpus, habet etiam eſſe ab omni corpore independens. 177 a & inde

Vnius rei, vna eſt forma, & multarum, multa. 274.a

Forma, ita ordinatur immediatè ad eſſe, vt ſit indifferens ad hanc, vel illam operationem. 281.a

GENERATIO, & generabile.

Generatio in quonam propriè conſiſtit: Tum quis propriè dicitur generare. 35.a & inde

Quomodo per multas generationes, & corruptiones, peruenitur ad vltimã formam ſubſtantialem. 36.b

Omne generabile, eſt etiam corruptibile: & è contra. 64.a

Generabile, & genitum, quot modis dicatur. pag. 194.b

Datur ſecundum Ariſt. aliquid generabile, non per motum. ibid.

Galenus exiſtimauit, animam eſſe craſim, ſeu temperamentum. 8.b

Impugnatur: & confutatur præcipuum eius argumentum. 9.a

Galenus in eo deceptus eſt, quod non conſiderauit paſsiones, alio pacto tribui complexioni, alio verò animæ. 9.b

GENS. GENVS.

Nulla fuit gens adeò immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio. 212.a

Omnes gentes in Sacerdotum ordinem, non niſi homines integro corpore, admittebant. 209.a

Diuerſarum gentium diuerſæ naturales inclinationes: & vndenã oriantur. 210.a

In omni re conſenſio omnium gentium, lex naturæ putanda eſt. 224.a

Omnes gentes, ab omni sæculo tenuerunt animam humanam eſſe immortalem. ibid.
Idipſum multis oſtenditur ex varijs veſteris, & barbaris gentibus. 230. & inde.
Ex ijs, quæ genere differunt, non fit vnum ſimpliciter, ſed vnum tale. 74.a
Quæ differunt genere, habent diuerſum modum eſſendi. 29.a
Omne genus rectè diuiditur per actum, & potentiam. 74.a
Actus, & potentia ſunt in eodem genere. ibid.
Quænam ponuntur directè ſub genere, quæ verò reductiuè. 91.a
In eſſe entitatiuo reperitur triplex rerum genus. 127.b
Eorum, quæ continentur ſub vno aliquo genere, vnum eſt prius, & perfectius altero: quæ autem continentur ſub vna ſpecie non. 255.a

GRAECI.

GRæci Patres olim magis amplectebantur Platonis doctrinam, quàm Ariſtotelis. 46.a
Quare id facerent. 146. per totam ſect.
Græci homines, ſunt doctrinis dediti, & magis animã, quàm corpus exercent. 210.b
Græca fides, idem omninò eſt, atque certa, & ſyncera fides. ibid.
Nullũ apud Græcos extat vetuſtius opus, ipſa Homeri poeſi. 232 a
Græci poetæ concordi ore cantarunt, animam eſſe immortalem. 231. per totam ſect.
Græci Philoſophi, poſt natam in Græcia Philoſophiam, eandem animorum immortalitatem, ſenſerunt, & tutati ſunt. pag. 228. per totam ſect.

HERACLITVS. Heſiod. Homerus.

HEraclitus poſuit omnia ſenſibilia perpetuò fluere. 229.a
Animã aſſeruit immortalem. ibid.
Dixit, omnia eſſe plena animarum, & dæmonum. ibid.
Heſiodus aſſerit, etiam propter periurium parentum, fieri filios peiores. 217.a
Sitne vna cum Homero, ſiue paulò poſt vixerit. 233.a
Eius dicta pro animorum immortalitate. pag. 233 & inde.
Explicantur decantatæ illæ ætates, ab eo inductæ: Tum indicatur eius error. 234.a
Quamuis apud Græcos ante Homerum alij poetæ floruerint, tamen nullum extat apud Græcos vetuſtius opus, ipſa Homeri poeſi. 232.a
Multis eius dictis oſtenditur animorum immortalitas. ibid. & inde.
Cur vocet animam, tanquam ſomnium. pag. 232.b
Videtur exiſtimaſſe, hominem nihil aliud eſſe, quàm ipſam animam. ibid.
Vbi, & quomodo ponit, & deſcribit infernum. 233.b

HOMO.

EXpenditur, quomodo homo dicatur generare alium hominem, ſi non producit eius formam. 35.b
Homo habet vnam ſolum formam ſubſtantialem. 30.b & 57.a 84.a
Homo, qui eſt μικροκόσμος, factus eſt ad exemplar mũdi, qui μακροκόσμος dicitur. 42.b
Qui dixerunt, hominem eſſe ipſam animam ſolum. 55.a
Homo, tum omni proprietate dicitur intelligens. 76.a

Qui,

Qui, & quomodo conſtituunt hominem in eſſe hominis per cogitatiuam. 80.a
Quomodo dictum ſit, hominem non eſſe felicem, niſi poſt mortem. 102.a
Quare natura in homine pro anterioribus cruribus conſtituit manus. 125.b
Materia, non modo ingreditur eſſentiam hominis in particulari, ſed etiam in communi ſumpto. 138.b
Homo aſſneſcit ad contraria. 168.a
Agit plerunque contra inclinationem, quæ proficiſcitur a temperamento. 169.a
Solus homo habet religionem. 212.a
Et quare. 212.b
Homo eſſet omnium animalium infeliciſſimus, ſi eius anima eſſet mortalis. 213.a
Omnis humana Societas præmio, & pœna, tanquã duabus anchoris innititur. 215.b
Cur homines in aliquo graui periculo conſtituti, attollunt oculos, & manus in Cœlum. 216.a
Solus homo inter omnia animalia, habet temperantiam. 218.b & inde.
Homo non ideò prudentiſſimuſt omnium animalium, quia vnus omnium obtinet manus, ſed contra. 219.b
Multis expenditur hominis induſtria. ibid. & inde.
Homo vnde nã dictus ſit ἄνθρωπος. 222.b
Multa de eius forma, & ſtatura. 223.
Quare a Veteribus dictus eſt orizon vniuerſi. ibid.
Homo ad duas res, intelligendum, & agendum natus eſt, quaſi mortalis aliquis Deus. 255.b
Homo eſt animal imitantiſſimum. 260.a
Quænam monſtra, humanam formam præſeferentia, ſunt homines; quæ non. 261.a
Omnes hominis operationes, aut ſunt organicæ, aut inorganicæ. 285.a
Horatius aſſenſus eſt, animam eſſe immortalem. 248.b
Vocat animam diuinæ auræ particulam. pag. 249.a

IDEA, ET INFINITVM.

Qvomodo Ideæ inductæ ſunt a Platone. 81.b
Quid ſit Idea. 124.a
Quare intellectus, ſeu anima, quæ corrupto homine remanet, non eſt idea. ibid.
Quidnã Ideæ fuerint apud antiquos. 198.b
Infinita virtus requiritur in aliquo, ad hoc vt poſſit creare. 58.b
Quæ ſunt diuerſi ordinis, diſtant in infinitum. 74.b
Ariſtoteles ſemper præfert finitum infinito. pag. 152.b
Quomodo Ariſt. videatur negare omne infinitum. ibid.
Poſita mundi æternitate, & animorum immortalium multiplicatione, verè eſſet actu infinitum. 196.b
Philoſophus, vbicunque agit de infinito, loquitur de infinito in rebus corporeis. 197.a
Qui, & quomodo infinitum fecerunt principium rerum. 197.b
Quando Ariſtot. dicit in ſeparabilibus non dari infinitum, quid intelligit. 198.b

INFERNVS. INCIPERE.

Vbinam crederetur ab antiquis patere iter ad inferos. 205.a
Infernum in quonam loco, & quomodo deſcribit Homerus. 233.a
Quare opinati ſint aliqui, improborum animas in inferno mille annis eſſe affligendas. 249.a
Quidam negarunt aliud eſſe infernum, præter ipſa humana corpora, in quibus animæ veluti in carcere detinerẽtur. 345.a
Tamen communis fuit omnium ætatum con-

 ſenſus,

ſenſus, infernum eſſe locum quēdam ſubterraneum. ibid.
Tria inferni loca diuiſerunt antiqui, iuxta triplex delictorum genus. ibid.
Ex inferno propriè dicto, neminem egredi poſſe, ſecundum eoſdem Veteres. ibid.
Aliqui dixerunt, eſſe etiam locum inter Lunam, & terras, in quo improborum animæ, pro diuerſitate delictorum puniren tur. 349.b
Veritas eſt, infernū eſſe in medio terræ. 353.b
Apud inferos ponuntur tria loca, ſeu receptacula animarum: & quæ illa ſunt. pagina. 353 b & inde
Quare ibi non ſint plura, aut pauciora receptacula. 354.a
Quot modis poteſt aliquid incipere. 63.b
Quod incipit eſſe, quomodo etiam poteſt deſinere eſſe. ibid. & 194.a
Quomodo, quod aliquando incepit eſſe, poſſit eſſe æternum. 194.b
Inſtrumenti eſſentialis ratio quid exigat. pag. 59.b

INTELLECTIO, & Intelligibile.

Intellectio humana, poteſt eſſe infinita Syncategorematicè, & extenſiuè, non autem ſimul, & intenſiuè. 18.b
Intellectio eſt propria hominis operatio. pagina. 76.a
Eſt actio immanens: & ſuſcipitur in eo, a quo elicitur. 78 b & 272.b
Intellectio ineſt nobis exiguo tempore. 100.b
Intelligere, quomodo eſt propria operatio ſolius animæ. 103.b & 127.
Intellectiua operatio augetur uſq; ad quinquageſimum annum. 107.b
Quomodo intelligere eſt quoddā pati. 119.b
Quomodo res fiunt actu intelligibiles. 130.b
Intelligibilia actu, non ſunt extra animam. pag. 307.a
Intellectio duplex, prima, & ſecunda: & quæ utraque. 131.a
Intellectio ſecunda poteſt elici etiam ſine conuerſione ad phantaſmata. ibid. & inde.
Eſt actio maximè vitalis. 277.a
Materialitas eſt impedimento, quominus aliquid ſit actu intelligibile: & quomodo. 292.a
Vt aliquid intelligatur, debet abſtrahi a conditionibus particularibus. 307.a
Res, prout ſunt in ſe ipſis, ſunt intelligibiles in potentia remota, prout in phantaſmate, ſunt in potentia proxima, tandem ſunt actu intelligibiles, vt denudatæ. 307.a

INTELLECTVS.

Attingit Deum ſub ratione proprij obiecti, & ſub ratione finita. pag. 19.a & inde.
Attingit omnia entia, & quomodo. ibid.
Licet intellectus non ſit coniunctus corpori, tamen anima, a qua is fluit, eſt corpori coniuncta, vt forma. 74.a & 91.
Intellectus, ſeu mens, quæ græcè vnica voce dicitur νοῦς, dupliciter capitur, pro ipſa anima intellectiua ſubſtantia, & pro eius facultate. 32 b & 188.a
Intellectus, neque corpus eſt, neque virtus in corpore. 77.b
Qua ratione aliqui conſiderant intellectum, vt intellectus eſt, & vt pars animæ. pag. 89.b
Intellectus in nulla corporis parte reſidet. pag. 95.b
Multis explicatur, quomodo intellectus, ſeu mens, ſola forinſecus accedat, ſolaque diuina ſit. 31.a & inde
Quomodo eſt ſubſtantia nobis innaſcens. pag. 107 a
Nunquam dixit Ariſtoteles intellectum, ſeu mentem noſtram conſeneſcere. 143.b

Intellectus noſter nullum habet temperamentum. 145.a
Intellectum, Deus vt lumen accendit in anima. 337.a
In quàm varia corporis parte collocarint veteres intellectum, ſeu τὸ ἡγεμονικόν. 109.b
Quodnam eſt eius obiectum. 118.b
Vt intellectus intelligat, omninò indiget aliqua forma, & ſpecie. 131.a
Si non eſſet immixtus corpori, non intelligeret omnia. 158.a & inde
Quomodo aliqui poſuerunt eum immixtum a corpore. 159.b & inde
Ariſtoteles, quamnam intellectus ſeparationem cõſiderat in tertio de Anima. 160.a
Intellect. non eſt ipſa animæ eſſentia, ſed eſt eius facultas: & quomodo. 161.b
Explicatur, quomodo intellectus pro huius vitæ ſtatu cognoſcit. 164.& inde
Intellectus, nec per ſe, nec ex accidenti læditur. 175.b
Qui temerè dixerunt, intellectum eſſe in corde, tanquam in ſubiecto: non tamen vti eo, vt organo. 183.b & inde
Intellectus eſt vltima hominis perfectio, & ſpecifica differentia. 258.a & 274.b
Intellectus in hominis generatione eſt finis. ibid.
Quomodo intelligit res corporeas. 306.b
Sicut manus manat a corpore, ſic intellectus ab anima. 310.b
Sicut in corpore eſt viſus, ſic in anima intellectus, ſeu mens. 310.a
Nomen hoc, intellectus, in quatuor ſignificationibus ſumitur in lib. 3. de Anima. pag. 335.a
Res prout ſunt in intellectu, ſunt vniuerſales. 292.b

INTELLECTVS AGENS.

Sapiens viſitatur a Deo, tanquam amicus ab amico, *quidam interpretati ſunt de intellectu agente. pagina.* 106.a
Quatuor ne, an tria attributa tribuat Ariſtoteles huic intellectui in 3. lib. de Anima, tex. 18. 115.a
Intellectum agentem eſſe immortalem; huiuſque nemo Peripateticorum negauit. pagina. 120.a
Quæ ſunt eius munia. 130.b
Quomodo illuſtrat phantaſmata. ibid.
Alex. Aphrodiſ. poſuit intellectum agentem, de quo loquitur Ariſt. eſſe Deum ipſum. 299.a & inde.
Quidam tenuerunt, Platonem etiam ita ſenſiſſe. 300.a
Quinam omninò negarunt intellectum agentem. 295.& inde.
Marinus philoſophus dixit, intellectum agentem eſſe quendam δαίμονος intellectum: ideſt, vnam aliquam intelligentiam. 302.b
Hanc ſententiam amplexati ſunt Arabes, ſed eam vario modo explicuerunt. pagina. 302.& 303.
Qui dixerunt, intellectum agentem eſſe habitum primorum principiorum. 305.b
Qui, quod hic idem intellect. nihil ſit aliud, quàm intellectus poſſibilis, vt actu intellexit. 306.a
Qui, quod ſit animæ intellect. facultas. ibid.
Vnde dicatur intellectus agens. 306.b & 307.a
Quæ ſit neceſſitas eum conſtituendi. 307.a & inde.
Oſtenditur, intellect. agentem non eſſe aliquid extrinſecum ab anima, ſiue Deum, ſiue aliquã intelligentiã. 310 per totam ſect.
Si propriè loqui velimus, melius diceremus intelle-

intellectum eſſe in anima, vt loquitur Ariſt quàm eſſe anima. 310.b
Quomodo eſt in anima. 311.a
Quinam intellectus agens comparatur Soli, qui lumini. 313.a
Quando Plato, Theophraſtus, Themiſtius, & aliqui alij inueniuntur dicere, intellectum agentem eſſe Deum, quomodo intelliguntur. 318. & inde
Quare Ariſtoteles, intellectum agentem comparauit lumini, Plato autem Soli. 319 b
Intellectus agens duplex eſt: illuminans ſolum, & hic eſt Deus: illuminans, & illuminatus, & hic eſt anima voſtra facultas. 319.a
Intellect. agens non eſt habitus primorum principiorum. 325.a
Neque eſt ipſemet intellectus poſsibilis, quatenus actu intelligit. 325.b
Neque eſt ipſamet anima intellectiua, ſed vera eius facultas. 326.a
Diſputatur, an hic intellectus re ipſa differat, a poſsibili: & determinatur affirmatiuè. 3.6
Quamuis aliqui dicant, intellectum agentem intelligere, contraria tamen pars eſt verior. 327.a
Intellectus agens, qua ratione dicitur intellectus. 328.a
Quomodo eſt principium intellectionis: quomodo ſpecierum intelligibilium. 328 b
Quomodo agit in phantaſmata. ibid.
Explicatur accomodatiſsimo exemplo, quomodo illuſtrat phantaſmata. 328. b & inde.
Quomodo hic intellectus dicitur ſubſtantia actu ens. 332.b
Quomodo omnia facit. 333.a
Quare Plato eum aſsimilat ſtylo, quo ſcribitur. ibid.
Quare ab Ariſtotele collatus eſt lumini. ibid. & 335.a
Quare ab Ariſtotele comparatur habitui. pag. 334.b
Hic intellectus eſt quoddam lumen, & participatio diuini intellectus, ſolum hominibus communicata. 336.a
In quonam conſiſtit eius ſimilitudo ad artem. 337.b
In quo alia eius ipſius ſimilitudo cum habitu primorum principiorum. 339.b

INTELLECTVS POSSIBILIS.

Quinam dixerunt, intellectum poſsibilem eſſe a corpore ſeparabilem formaliter, non autem in eſſendo. 113 & 114.
Hæc poſitio validiſsimè impugnatur. ibid.
Multis oſtenditur eius immortalitas, & incorruptibilitas. 118. & inde.
Quomodo eſt pura potentia in genere intelligibilium. 130.a
Alex. Aphrodiſ. exiſtimauit, intellectum poſſibilem, nihil entis eſſe actu ſed eſſe ſolum animæ aptitudinem. 162.
Quæ ſententia penitus euertetur. ibid.
Si intellectus poſsibilis non eſſet immixtus corpori, non intelligeret omnia. 158.a & inde per totam ſect.
Si eſſet mixtus cum corpore, fieret qualis. pagina. 166 per totam ſect.
Tum, haberet aliquod inſtrumentum: nunc autem nullum habet. 171. per totam ſect.
Si haberet organum, ipſe ſolus non eſſet locus formarum. 174.b
Si eſſes organicus, receptio ſpecierum fieret in aliqua certa corporis parte. 185.b
Qui dixerunt, hunc intellectum eſſe in toto corpore. 186.b
Confutatur hoc dogma validis arg. ibid.
Qui dixerunt, intellectum poſsibilem eſſe vim imaginatiuam. 268.b
Quod intellect. poſsibilis non ſit animæ aptitudo. 271. per totam ſect.

Quod

Quod non ſit imaginatio. 273.b
Et aliud eſt, intellectum poſsibilem eſſe animæ aptitudinem, aliud eum eſſe animæ facultatem. ibid. & 272.a
Intellectus poſsibilis eſt animæ accidens, re ipſa ab ea diſtinctum. 280. per totã ſect.
Quamuis Plato aſſeruerit, intellectum poſsibilem, nec etiam in genere intelligibilium eſſe puram potentiam, tamen reuera eſt. pag. 289.a
Unde dictus eſt poſsibilis. 307.a
Quomodo hic intellectus fiat omnia. 333.a & inde.

INTELLIGENTIAE,
Seu Angeli.

INtelligentiæ, ſeu Angeli, potuerunt produci ab æterno. 65.a
Angeli, eſſentiali nobilitate, multùm antecellunt animam intellectiuam. 67.b
Ubinam creati ſunt. ibid.
In Angelis, eſſentia, volantas, & intellectus ſunt diuerſa. 172.a
Intelligentiæ, & omninò res immateriales ſuapte natura ſunt actu intelligibiles. pag. 307.a
Angeli inferiores illuminantur à ſuperioribus. 313.a
Minori cum difficultate intelligimus intelligentias, quàm animas ſeperatas. 344.b
Angeli deportant animas morientiũ. 344.a
Quomodo, ſint in loco: Et per quid formaliter conſtituantur in loco. 345.a & inde
Quomodo, & per quaſnam ſpecies intelligunt. 351.a

I N D I V I D V V M,
& indiuiſibile.

INdiuidua important totum id, quod importat ſpecies, & aliquid amplius. pag. 81.b
Per quid animæ, & dum ſunt in corporibus, & ab ijsdem ſeparatæ, indiuiduantur. 201. & inde.
Pulcherrimum exemplum de iſta re. 203.a
Ratio, quare indiuidua multiplicantur in eadem ſpecie. 154.b
Indiuiſibile eſt duplex, quantitatis, & ſubſtantiæ. 201.b
Illud per ſe nec mouetur, nec agit: hoc autem ſic. ibid.

L A C T A N T I V S.
Liber.

DEfenditur Lactantius, quod non exiſtimauerit, animam intellectiuam eſſe diuinæ naturæ particulam. 2.b
Probat, animam eſſe immortalem, ex eo quod magicis carminibus aliquæ mortuorum animæ, ab inferis euocarentur. pag. 205.a
Quod Ariſtoteles ſcripſit libellum, cui erat nomen de morte animæ. 102.b
Quid in eo libro tractaret. 145.b
Ariſtoteles, mirabili apparatu ſe munit, antequã accedat ad 3. lib. de Anima. 112.a
An libellus, de myſtica philoſophia ſecundum Aegyptios, ſit germanus Ariſtotelis. 126.a
Multa ſcripſit de animæ immortalitate, maximè verò ad Eudemum, quo tamen omnia perierunt. 145.b
D. Thomas ait, ſe vidiſſe librum Ariſtotelis de anima ſeparata, qui nondum erat latinè tranſlatus. 146.a
Quaſnam, & quantas calamitates perpeſsi ſunt libri Ariſtotelis. 205.b
Libri Protagoræ, Athenis in concione combuſti ſunt, quia dixit, De dijs, neque vt ſint, neque vt non ſint, habeo dicere. 212.b

LO-

LOCVS. LVMEN.

Locus debet eſſe congruus ijs, quæ ſunt in loco. 48.a

Unitas loci, atteſtatur vnitati naturæ, quæ eſt in loco. 48.b

Unius rei, vnus eſt naturalis locus. 55 b

Partes animæ, ſeu animæ, non diſtinguuntur loco. 109.& 110.

Quæ anima, & quomodo eſt locus formarum. 131.b & 165.b

Locus proportionatur locato. 344 b

Eſſe in loco æquiuocè competit corporibus, & Angelis, atque animabus ſeparatis ibid.

Duplex eſt locus, definitiuus, & circumſcriptiuus: & quid vterque. ibid.

Anima, & quæuis ſubſtantia immaterialis creata, eſt in loco definitiuè. 344.b & inde.

Deus eſt in loco repletiuè. 345 a

Dupliciter explicatur, per quidnam animæ, & generatim ſubſtantiæ immateriales, conſtituuntur formaliter in loco. 345.a & inde.

Non benè ait Durandus, exemplum de lumine, allatum pro intellectu agente, procedere ex ignorantia. 329 a

Lumen, neceßariò requiritur propter colores, vt videantur. 329.b

Exigitur etiam propter medium, ſed non neceſſariò. ibid.

Non tamen exigitur propter organum. ibid.

Colores ſortiuntur a lumine virtutem proximam mouendi viſum. ibid.

Lux non facit colores in eße entis, ſed in eße viſibili. 333.a & inde

LVCRETIVS.

Fuit ingenio furioſo. 261.a

Accedebat ad carmen per interualla temporum, non ſine animi furore. pag. ibid.

Proponuntur viginti eius argumenta pro animæ caducitate, & confutantur. pagina. 261. per totam ſect.

Sibi apertè contradicit, cum alibi conceptis verbis animam, fateatur immortalem. pag. 265.b

Se ipſe interfecit, dum ageret annum ætatis ſuæ quadrageſimum, quartum. ibid.

Conatur, omnem demoliri infernum: Et ea omnia, quæ ibi eſſe, fama recepta narrabat, nititur oſtendere, adeße in hac vita. pag. 348.b

M. TVLLIVS CICERO.

Hic alicubi impugnat, quod alio loco aſſeruerat. 2.a

Malè tranſtulit Entelechiam per δ. dicendo, Endelechia. Et incongruè eam ipſam interpretatur. 136.a

Multa imponit Ariſtoteli. ibid. & inde.

Ciceronis partes conatur tueri Angelus Politianus ſed in caſſum. 137.a

Cicero falſum ait, quod Ariſtoteles exiſtimauerit, Deum eße ardorem Cœli, aut mundum ipſum. ibid.

Cum eſſet tumultuariæ vitæ omninò deditus, in multis Ariſtotelis locis deceptus eſt. pagina. 137 a

Multos Ariſtotelis libros non vidit. ibid. & inde.

Scaligeri verbis corrigitur. ibid.

Lubricè ſentit etiam de Platone. 138 a

Quamuis alicubi videatur ambigere de animæ immortalitate, & alibi etiam propalam fateatur ſe neſcire, quid ſit anima, tamen multa alia eius dicta afferuntur, in quibus conſtantiſsimè tenet, eam eſſe immortalem. 244. & inde.

MA-

MATERIA.

Qvomodo in materia prima continentur omnes formæ ſubſtantiales, generabiles, & corruptibiles. pag. 25.b
Quare materia prima habet naturalem inclinationem ad omnes formas ſubſtantiales, non autem materia artificialium. pag. 26.b
Materia eſt cauſa pluralitatis numerica, forma autem eſt cauſa conuenientia. 54.a
Materia prima nequit ſtatum proprium ſub iectum alicuius accidentis. 73.a
Secundum ſe eſt pura potentia. 74.b
Si non eſſet materia, non eſſet paſſio. 119.a
Omnis materia habens potentiam ad recipiendum aliquod genus formarum, habet etiam ſtatutum agens, quod eam deducat de potentia ad actum. 308.b
Memoria intellectiua, non eſt alia vis diſtincta ab intellectu poſſibili. 131.b
Memoria eſt habitus phantaſia. 331.b
Memoria ſenſitiua eſt nobis communis cum brutis animalibus. ibid.

MERCVRIVS TRISMEGISTVS.

Qvia fuit ſummus ſacerdos, rex potens, & philoſophus, dictus eſt Triſmegiſtus. 229.a
Tenuit animorum in diuerſa corpora tranſitum. 39.b
A quonam agente, poſuit hominem factum. pag. 42.b
In Deorum numerum relatus fuit ab Aegyptijs. ibid.
Multa præclara eius dicta pro animorum immortalitate. 229.b
Pulchra eius gradatio de materia, aere, anima, mente, & Deo. ibid.
Quid ſentiat de motu animæ ſeparatæ, quid de eius præmio, & pœna. 342.a
Eius filius Tatius expiatus, clamat ſe videre mirabilia quadam. 343.a
Id ipſum ſibi accidiſſe narrat idem Mercurius. ibid.

MOTOR, MOTVS, Mundus.

Mobile non ſortitur ſpeciem a ſuo motore. 55.a
Mobile non dependet a motore ſecundum eſſe. ibid.
Tripliciter aliquid poteſt dici mouens reſpectu alicuius. 76.b
Inter motorem, & mobile, quæ proportio requiratur. 84.b
Idem poteſt moueri, & quieſcere, reſpectu diuerſorum, ſi mouetur per accidens. 90.b
Non eſt idem moueri ſecundum accidens a ſeipſo, & moueri ab alio. 101.a
Mundum condidit Deus, ſecundum Platonem, ex inordinato ente. 42.a
Mundus, quomodo dicitur a Græcis, & quare. 48.a
Mundum non fuiſſe productum ex intentione Dei, ſed quaſi ex accidenti, qui credidit. 65.b
Perfectio mundi eſt duplex, & quænam illa. pag. 66.b
Mundum tripartitò diuiſit priſca profana Theologia: & quomodo. 347.a

MORS, MOSES.

Mors eſt omnium rerum horribilis. pag. 102.a
Vtrum ne mortui poſſint eſſe participes alicuius boni, aut mali, quærit Ariſt. 125.b
Cur iuſtius habitum ſemper fit, mortuis opem ferre, quàm viuis. 126.a

Eo magis ob mortem dolebit aliquis, quò fuerit virtute ornatior. 144.b
Pulchra, & pia digreſsio de morte. 145.a
De ijs, qui ſe ipſos morte afficiunt. 128.a
Quid colligitur ex cura, qua homines incumbunt, vt poſt mortem benè inter viuos audiant. 221.b
De cura apud omnes agentes impenſa mortuis. 222.a
Mortuorum epitaphia, Hebræi, qua dicendi formula inciſa, claudebant. 225.b
Qui dixit, tam mortem, quàm vitam eſſe ſecundum naturam. 256.a
Moſes fuit antiquior omnibus legiſlatoribus, immò etiam omnibus poetis. 224.a
Extitit ante omnes Gretiæ Deos, eorumque ætates. 224.b
Fuit poſt Iob: illius hiſtoriam vel compoſuit, vel a ſermone Syriaco, in hebraum tranſtulit. ibid.
Eius auctoritatibus oſtenditur animæ immortalitas. 225.a
Variæ eius phraſes, & modi dicendi, ad hoc ipſum adductæ. ibid.

N.

Qvod conuenit alicui ſecundum naturam, eſt prius eo, quod conuenit eidem præter naturam. 54.b
Natura cuiusuis rei, trifariam conſiderari poteſt. 81.b
Nihil datur otioſum in rerum natura. 99.b
Commune eſt omni naturæ, habere aliquam inclinationem. 190.b
Naturali lumine cognoſcere certò non poſſumus ea, quæ animæ ſunt annexa poſtquam exceſſit e corpore. 191.a
Natura, propter indiuiduorum corruptibilitatem, quærit eorundem multiplicationem in eadem ſpecie. 203.a
Hoc quod eſt non eſſe, ipſa natura extremè omnium horret. 218.b
Deus, & natura, nihil faciunt fruſtra. pagina. 308.b
Nulla noſtra naturalis cognitio ſublimius attolli poteſt, quàm colligamus ex effectibus, quos experimur.
Deus non agit ex neceſsitate naturæ. 65.a
Neceſsitas, quæ proficiſcitur ex materia, eſt neceſsitas ſimpliciter. 166.b
Numerica diſtinctio prouenit a materia, aut ab ordine ad illam. 54.a
Quæcunque multa numero, materiam habent. ibid.
Quomodo hoc dictum ſit intelligendum. pagina. 202.b
Qui, & quomodo numeros fecerunt principia rerum. 198.a
Numerus duplex, vnus, qui habet vnum poſt aliud, alius autem nõ habet. 198.b
Omnis numerus, vel quod habet numerum, eſt numerabile. ibid.
Numerus, alius conſequitur diuiſionem materialem, alius formalem: ille eſt ſpecies quãtitatis, hic tranſcendentalis. 199.a
Numerus tranſcendentalis propriè non dicitur numerus. ibid.
De quonam numero loquitur Ariſtoteles, dum ab eo remouet infinitatem. 199.b
Nulla ſpecies numeri eſt infinita. ibid.
Quinam exiſtimant omninò eſſe impoſsibile, dari infinitum actu. ibid.
Exemplum prò infinito actu. ibid.
Infinitum eſt paſsio quanti. 200.a

OBIECTVM, operatio, ordo.

Obiectũ intellectus noſtri eſt duplex, adæquatum, & proportionatum: & quodnam ſit vtrumque. pag. 163.a
Obiectum intellectus noſtri eſt vniuerſale. pag. 306.b

Quæ operatio conſequitur ſpeciem. 55.a
Operatio naturæ eſt vniformis, ſemperq́ eadem. 56.a
Operatio non eſt, niſi entis in actu. Et vnumquodque operatur ſicuti eſt. 74.b
Per id, vnumquodque operatur primò, per quod eſt actu. 76.b
Id, quo aliquid operatur primò, eſt eius forma. 83.b
Operatio arguit formam, tranſmutatio verò materiam. 126.b
Modus operandi, ſequitur modum eſſendi. pag. 128.a
Operatio eſſentialis alicuius naturæ, nunquã ſeparatur, manente eadẽ natura. 151.a
Quomodo hoc intelligendum ſit. 193.a
Omnis natura creata, per aliud eſt, per aliud operatur. 171.b
Vna animæ operatio independens a corpore, ſatis oſtendit eius independentiam a corpore, quo ad eſſe. 180.b
Quare diuerſæ regiones inducunt diuerſas, ac varias hominum inclinationes, & operationes. 260.a
Duplex eſt principium operandi, proximum, & remotum: & quodnã vtrunq́. 284.a
Hominis operationes, aut ſunt organicæ, aut inorganicæ. 285.a
Operatio, cuius formale, & actiuum principium eſt externa cauſa, non eſt in noſtra poteſtate. 314.b
Ordo tranſcendentalis, in animabus ſeparatis, ad propria corpora, diſtinguit eas numericè. 54.b
Non exigit rectus ordo, vt nobilitentur inferiora, cum detrimento ſuperiorum. 56.b

ORIGENES.

Exiſtimauit, *Deum ante mundi viſibilis conſtitutionem, creaſſe ſimul omnes ſubſtãtias ſpirituales.* 45.a
Eas omnes fuiſſe æquales in natura, eſſe autẽ factas inæquales, ex libero arbitrio. ibid.
Animas, & Angelos, eſſe eiuſdem naturæ, differre autem ſolo merito. ibid.
Adducit pro ſua ſententia aliqua argumenta ex ſacris litteris. 49.a
Quæ tamen explicantur ſecundum intelligentiam SS. PP. 68 & inde
Orig. primus dixit, Deum creaſſe omnes ſimul creaturas ſpirituales, antè mundi viſibilis conſtitutionem. 65.b
Credidit, mundum eſſe factum, vt eſſet carcer animarum. ibid.
Tenuit, animam intellectiuam, eſſe formam corporis aſſiſtentem. 72.a
Quomodo interpretetur duas animæ alas, a Platonicis inductas. 88.a

PASSIO, PERFECTVM, phantaſma.

SI non eſſet materia, non eſſet paſſio. pagina. 119.a
Pati duplex: idque multis explicatur. pag. ibid.
In quocumq; genere, eò aliquid eſt perfectius, quò eſt ſimplicius in eodem genere. 5.b
Natura ſpiritualis creata, eſt media in perfectione, inter naturam diuinam, & corpoream. 47.b
Vnaquæque res, naturaliter appetit ſuam perfectionem. 55.b & 156.a
Perfectio cuiuſcunque rei eſt duplex: & quænam illa. 66.b
Perfectio alicuius, non poteſt eſſe abſque eo, quod perficit. 100.a
Via perfectionis, perfecta ſunt priora imperfectis: via autem generationis, imperfecta ſunt priora perfectis. 286.a
Phantaſmata, ita ſe habent ad intellectum, ſicut colores ad viſum. 77.a
Quod aliqua operatio pendeat a phantaſmate, vt

te, vt ab obiecto, non arguit, facultatem illius operationis, eſſe inſeparabilem a materia. 127.a
Quod anima intellectiua pendeat a phantaſmate in ſua operatione, competit ei, ſecundum quod eſt actus corporis. 128.a
Quomodo intelligentem oporteat, phantaſmata ſpeculari. 132.b & 190.a
An ſit animæ naturale, operari cum conuerſione ad phantaſmata: tum ſine phantaſmatib. 192.a
Phantaſmata ſe habent ad intellectum, vt motiua, & efficientia. 276.b
Melior phantaſia, melius præparat phantaſmata. 277.b
Phantaſma, vt huiuſmodi, eſt materiale. pag. 278.a
Vt intelligatur, neceſſe eſt, vt illuſtretur. ibid.
Nos experimur, abſtrahere vniuerſalia a phantaſmatibus. 315.b
Quomodo phantaſmata illuſtrantur ab intellectu agente. 328.b
Quomodo ex intellectu agente, & phantaſmate, fit vnum principium, quod mouet intellectum poſſibilem. 330.a
Pherecydes ſyrus, quomodo dicitur primus aſſeruiſſe, animam eſſe immortalem. pagina. 238.a
Huius diſcipulus fuit Pythagoras. 238.b

PHYSICA.

Quouſque Phyſicus conſiderat formas. 128.b
Si anima nec per ſe, nec ex accidente moueretur, non eſſet phyſicæ conſiderationis. 140.b
Quomodo Phyſicus agit de anima rationali. pag. 151.b
Non eſt opus Phyſici, conſiderare animam a corpore ſeparatam. 341.a
Veteres, qui animam ſeparatam conſiderabant, potius vocabantur Theologi, quàm Phyſici: & præcipui fuerunt ſex. 341.b

PLATO.

Solum Deum aiebat dici, ac eſſe ens, cætera autem omnia eſſe non entia. Et quomodo id int lligatur. 5.b
Elementa, ex quibus in Timæo facit animã, ſunt, Vnum, & Diuerſum. 8.b
Mordicus amplexatus eſt tranſanimationem. 40.b
Oppoſitum huic ſententiæ, appellat impium. pag. 41.a
Num animarum tranſitum, poſuerit etiam in corpora belluina, an ſolũ in humana. pag. 42.a
Mundum facit ex inordinato ente. ibid.
Quomodo Deum facit loquentem ad Angelos, quos produxerat. 64.a
Exiſtimauit, animam vniri corpori, vt motorem mobili, non ſecus ac nauta coniungitur naui. 71.b
Quid ſtatuit eſſe hominem. 72.a
Non exiſtimauit inconueniens, ex anima intellectiua, & humano corpore, fieri vnum per accidens. 86.b
Non omnes animas poſuit immortales, ſed ſolam rationalem: immò verò alias, ne animas quidem appellat, ſed animationes. 87.a
Quomodo reſponderet ad argumenta contra ſe facta, pro animorum aſſiſtentia. 87.a
Aſſiſtentia animæ rationalis placuit etiam aliquibus SS.PP. 87.b
Qui dixit, Platonem eſſe Moyſem atticiſantem. 149.a
Plato, omnium hæreticorum condimentarius factus. ibid.
Multa fidei noſtræ dogmata, in libris Platonicorum. 148.a
Plato, mundum fecit ex quatuor elementis. pag. 195.b

Dicebat

Dicebat,animam moueri per ſe circulariter. pag. 201.a
Quomodo poſuit animam eſſe locum formarum. 174.b
Quod,nemo poteſt firmiter Deum colere,qui non antea teneat animam immortalem. pag. 211.b
Multa Platonis rationes pro anima immortalitate. 211.per totam ſect.
Poſt decem millia annorum, quamcunque animam,aſſeruit redire ad priſtinam conditionem:& quare. 44.a
Opinatus eſt, animas interemptorum, plerunque perſequi occiſores. 253.a
Conatur reddere rationem, quare animæ appareant viuis. 253.b
Efficiens,& finem nominabat cauſas: materiam verò, & formam,vocabat concauſas,non cauſas. 309 a
Præter primum intellectum agentem, hoc eſt Deum,conſtituit alium in anima, qui ſit eius facultas. 320.b
Poſuit animas habere ſibi congenitas ſpecies rerum intelligibilium, ſed animam non intelligere,niſi luce Dei illuſtretur. 323.a
Quæ ſpecies, ita ſint in anima,ſicut litteræ ſucco cepæ ſcriptæ. 323.b
Deſcribit cæleſtem patriam,iiſdem nominibus,quibus,& SS.PP. 347.b
Deſcribit infernum. 349.a
Plutarchus ait, eandem eſſe rationem, quæ diuinam prouidentiam, & animæ immortalitatem ſtatuit. 211.b
Pulcherrimum eius exemplum,pro improborum animabus ſeparatis. 217.b
Aliud eiuſdem exemplum,quare anima moleſtè egreditur è corpore. 256.a
Plinij argumenta,contra animorum immortalitatem,propoſita,& confutata. 265.b
Aperta eius contradictio. 266.b

POMPONATIVS.

Hic poſt Alexandrũ, accerrimè pugnauit, pro animorum mortalitate. pag. 176.a
Malitiosè conatur effugere vim Ariſtotelicæ demonſtrationis,pro animæ immortal. pag. 170.a
Quomodo dixit,intellectum coniungi corpori per concomitantiam. 170.b
Temerè inſcribit librum ſuum,de animæ immortalitate. ibid.
Contendit, animam intellect. ſimpliciter eſſe mortalem, & ſecundum quid immortalem. 176.b
Malè negat hanc conſeq. Intellectus in ſua operatione,nullo vtitur corpore, vt organo, ergo eſt a corpore ſeparabilis, 176. & inde.
Contradictoria in eius poſitione ſequuntur. pag. ibid.
Poſuit intellectum,vt intellectus eſt,eſſe immortalem, vt autem humanus eſt, eſſe mortalem:ium impugnatur. 181. & inde.
Vacillat in ſuamet opinione. 182.b
Adducuntur apertæ eius contradictiones. pag. 186.b & 187.a
Duplex conſtituit virtutis præmium,vt effugeret arg. pro animæ immortal. ſed in caſſum. 213.& 214.

POTENTIA.

Cuicunque potentiæ naturali paſſiuæ,reſpondet alia naturalis actiua. 23.a
Quomodo hoc effatum eſt intelligendũ. 34.b
Eſſe aliquid in potentia in aliquo, dupliciter contingit. 26.a
Potentia duplex, alia prima, alia ſecunda. pag. 61.a
Quod eſt in potentia tale, reducitur ad actũ, ab eo,

ab eo, quod eſt actu tale: Quomodo intelligitur. 61.b
Fruſtra eſt potentia, & aptitudo, quæ non reducitur ad actum. 135.a
Omnes potentiæ, quæ in homine ſunt, fluunt ab anima; ſed vario modo. 191.a & 285 b
Duplex facultatum genus in homine: quæ, ſint, vnde fluant, & in quo ſubiectentur. pag. 172.& inde.
Variæ auctorum opiniones, de diſtinctione potentiarum ab anima. 280.b
Omnes animæ potentiæ, re diſtinguuntur ab anima, ſicut accidentia a ſubſtantia pagina. 281.b & inde.
Omnes animæ facultates, ponuntur in ſecunda ſpecie qualitatis. 284.b
Naturaliter, non poſſunt ſeparari ab anima. ibid.
Potentiæ hominis, aliæ ſunt organicæ, aliæ inorganicæ, & quæ ſint. 285.a
Potentiarum, aliæ inſident immediatè in ipſa anima, aliæ in toto compoſito. ibid.
Brutorum animalium potentiæ, in quonam immediatè ſubiectantur. ibid.
Vna animæ potentia, fluit ab eſſentia eiuſdem animæ, mediante alia potentia: & quomodo. 286.a
In quonam genere cauſæ procedunt ab anima potentiæ. ibid. & inde.
Quò facultas eſt præſtantior, eò magis indiget puriori medio, & externo lumine præſtantiori, ad ſuam operationem. 301.b
Proclus, immeritò carpit Ariſtotelem, quaſi non explicuerit, quid ſit anima, ſed potius, cuius ſit. 18.a
Idem dictus eſt Platonis anima. 195.b
Pythagoras mordicus tenuit trãſanimationẽ. Elegans epigrãma in dictum Pythagoræ: tum aliqua alia eius dicta. 41.b
Quomodo hic animas detrudebat in corpora fortuitò, & caſu. 142.a
Vnde dictus eſt πυθαγόρας Pythagoras. pag. 228.b
Firmiſſimè tenuit animã eſſe immortalem. pag. ibid.

R.

OMne recipiens debet eſſe denudatum a natura recepti. 158.b & inde & 163. b & 290.a
Id quod eſt forma alicuius materiæ, non poteſt recipere aliquid abſque ſua materia. pag. 75.b
Qualis nam relatio ſit inter Deum, & creaturas. 64.b
Poteſt aliquis acquirere de nouo relationem realem, ſine vlla ſui mutatione. ibid.
Relatio paternitatis in N. ad plures filios, extincto vno, vel altero, adhuc ſaluatur: & quare. 81.b & inde
Relatiuorum tranſcendentalium, quomodo vnum dependet ab altero. 92.b
Quomodo relatiua ad inuicem ſunt inſeparabilia. 139.a
Vnius rei, vna eſt forma, & multarum multa. 274.a
Qui in vna re conſtituunt duplex eſſe: ſpecificum, & indiuiduale. 274.b
Res non ſortiuntur rationem intelligibilitatis ab entitate, ſed ab immaterialitate. pag. 327.b

S A C E R D O S,
Scientia, Senex,

MOre omnium gentium receptũ fuit, vt nemo ad ſacerdotium aſſumeretur, niſi integro eſſet corpore. 209.a
Quare id rationi conſentaneum iudicaretur. pag. 257.a
Id, quo primò ſcit intellectus, eſt ſciẽtia. 84.a

Quando aliquid ſcitur. 89.a
Quomodo ſcientia præceptoris, & ſcientia diſcipuli, eſt eadem, quomodo non. 292.b
Cur Seniores amplius mente valeamus, iuniores ocyus diſcimus. 84 b
Senium non eſt, quia ſuſtinuit aliquid anima, ſed id, in quo. 107 b
Senex, eſt quaſi ſeminex, & ſemimortuus. pag. 108 a
Prudentia, & veræ gloriæ bonum, in profundam ſenectam aduenit. 107.b
Vnde eſt quod plures decrepiti ſenes, repueraſcant. 108 a
Seneca, multis in locis, compluribus rationibus, elegantiſſime explicat, probatque animorum immortalitatem. 245
Separari, eſt nomen æquiuocum. 111.b
Trifariam aliquid dicitur a materia ſeparatum: & quomodo. 114.a
Inſeparabilitas a materia, non competit formæ in communi. 134.b

SENSVS, ET SENSIBILE.

Senſibilia, quomodo pertingunt ad ſenſum. 132.a
Senſus, & intellectus, quamnam connexionem habent, ibid & 133.a
Vires ſenſitiuæ obediunt rationi. 144.b
Quod cognitio noſtra ortum ducat a ſenſibus. 163.a
Explicantur quinque ſenſus exteriores: eorumque ſenſiteria. 172
Senſus interni ſunt quatuor, & qui. 173.a
Vbi vnus quiſque eorum reſideat. ibid.
Quandoque læduntur ſenſus interni quo ad vnam operationem, & non quo ad aliã. pag. 173.b
Omnis ſenſus conſiſtit in quadam organi ſymmetria. 175.a
Quare excellens obiectum lædat ſenſum. pagina. ibid.
Senſus fit in actu, per ſenſibile in actu. 307.a
Quare non eſt opus Senſu agente, bene autem intellectu agente. 329 b
Aliqui conſtituerunt in anima duplices potentias ſenſitiuas: actiuas, & paſſiuas. pag. 330 a
Non datur in nobis ſenſus agens. 330.b & inde.

SIBYLLA, Similitudo,

Qvi de Sybillis tractauerunt. 230.a
Quantæ auctoritatis fuerint olim earum oracula. ibid.
Vnde vocatæ ſint Sibyllæ. ibid.
Multa, & præclara earum dicta, de animæ immortalitate, de reſurrectione; deque iudicio extremo. 230.& inde
Multa de ſimilitudine, quæ filijs cum parentibus intercedit. 209 b
Variæ de ea Veterum ſententiæ. 258 b
Galenus, vndenam ipſam oriri putat. ibid.
Vnde, Ariſtoteles. ibid.
Filij non ſemper ſunt in moribus ſimiles parentibus. 259 a
Cur autem plerumque contingant ſimiles, explicatur. 259 b
Commune eſt omnibus agentibus naturalibus, producere ſibi ſimilia. 328.a
Simplicius tenuit animam intellect. aſsiſtere corpori. 72 a
Affert aliquas rationes, cur Ariſt. vocat animam noſtram quid diuinius. 107.a
Tenuit, intellectum poſsibilem, & agentem, de quo loquitur Ariſt. eſſe facultates animæ humanæ. 320.a & inde
In quibus rebus ponit materiam, & efficiens propriè: in quibus ex quadam proportione. 320.b
Explicat Ariſtotelem, 1. de Anima tex. 12 intellexiſſe, de animæ vehiculo. 343.a

Socrates

Socrates, quid dixit Zopyro phyſiognomo. pagina. 169.a
Quàm intrepidè migrabat e vita. 216.a
Biburus venenum, quæ verba dixit. 128.b
Pium eiuſdem morituri dictum. 256.a

SPECIES. SVBIECTVM, Subſiſtens.

QVæ ſunt eiuſdem ſpeciei, habent eundem modum prodeundi in eſſe. pag. 42 b
Omnes animæ humanæ ſunt eiuſdem ſpeciei. 66.b
Species rerum, pertinent ad eſſentialem mundi perfectionem. ibid.
Qui dixerunt, animam intellect. eſſe formam informantem totius ſpeciei humanæ, aſſiſtentem autē indiuiduorum 81.a
Species rerum ſunt ſicuti numeri. 94 a
Quomodo producuntur ſpecies intelligibiles in intellectu poſſibili. 130.b
Species intelligibiles generum, producuntur a ſolo intellectu poſſibili. 132.a
Speciei intelligibilis duplex ſubiectum ſtatuit Auerroes. 278.b
Euidenter oſtenditur huius dicti falſitas. ibid & inde.
Species intelligibilis, in eſſe entis eſt quid ſingulare, in eſſe repræſentatiuo, eſt vniuerſale. 291.a
Aliquando, vtroq; modo eſt ſingularis. ibid.
Quare ſpecies intellig. cum ſit aliquid ſingulare, non ſit intelligibilis in potentia, ſed eſt intelligibilis actu. 291.b
Quomodo ſpecies intelligibiles ſunt ſimiles intellectui agenti. 328.a
Species, quæ ſunt in potentijs ſuperioribus, ſunt perfectiores, quàm ſpecies, quæ ſunt in potentijs inferioribus. 330.b
Omnis forma accidentaria, indiuiduatur a ſubiecto, in quo inhæret. 77.b
Subiectum quantum, quomodo informetur a forma non quanta. 90.b
Subiectum, quod in ſe immediatè ſuſcipit aliquam formam accidentalem, debet eſſe ens actu. 272.a
Inter ſubiectum, & id, quod in eo recipitur, debet eſſe proportio. 285.b
Multis diſcutitur, an ſubiectum ſit cauſa effectiua propriæ paſſionis. 286.b
Quid ſit, eſſe cauſam efficientem, per ſimplicem emanationem. 287.a
Subiectum, eſt cauſa materialis, finalis, & actiua, proprij accidentis. ibid. & inde
Subſiſtens, non vno modo dicitur. 29 b & 92.a
Quodnam per ſe ſubſiſtens, non poteſt eſſe alterius forma. 30.a
Anima intellectiua, dum eſt in corpore, ſubſiſtit ne ſolum vt quo, an etiam vt quod. pag. 92.a
Supremum infimi, quomodo attingit infimum ſupremi. 29.b

SVBSTANTIA.

NE quit componi ex accidentib. 10.a
Quinam aſſeruit, omnem ſubſtantiam præter Deum, eſſe compoſitam ex materia, & forma: Et quo fundamento. 11.b
Quomodo intelligitur, omnem ſubſtantiam naturalem, aut eſſe corpus, aut cum corpore generari. 38.a
Apud Ariſtotelem ὅπερ ἐστὶ quod quidem eſt, *ſignificat ſubſtantiam.* 120.b
Qui, & quomodo dixerunt, numeros eſſe ſubſtantias, & primas entium cauſas. pagina. 198.a
Subſtantias ſeparatas, triplici via venatus eſt Ariſtoteles. 125 a & 203.b
Nulla ſubſtantia ſeparata poteſt in præſenti vita cognoſci a nobis per propriam ſpeciem. 163.a

Nulla

Nulla ſubſtantia creata, poteſt eſſe immediatum principium operandi. 171.b
Non ſuſcipit magis, & minus. 255.a
Contrarietas non eſt in ſubſtantia. 283.b
Quo ſenſu dixit Auerroes, ſubſtantiam non eſſe agentem, aut finem accidentium, ſed ſubiectum. 288.a
Omnis ſubſtantia vel eſt materia, vel forma, vel compoſita ex his. 314.a
Quomodo hæc diuiſio intelligitur. 71.a

TEXTVS ARISTOTELIS correcti ex Græco textu.

Corrigitur ex græco codice, textus vndecimus, libri ſecundi de Anima. pag. 89.b
Conſideratur textus vndecimus, libri primi eiuſdem operis. 103.a
Optima conſideratio circa textum trigeſimũ libri tertij de Anima. 104.b & 132.b
Indicatur incommoda tralatio latina, textus ſexageſimi quinti, libri primi de Anima. pag. 105.a
Optima adnotatio, circa textum vigeſimum primum, libri ſecundi de Anima, ad illud, videtur autem, &c. *Tum oſtenditur, ineptè tria græca verba ἔοικε, φαίνεται, δοκεῖ, transferri latinè vno hoc,* videtur. *pag.* 111.a
Quàm variè, & prauè tranſlatus eſt textus decimus octauus, tertij libri de Anima. Tum duplex eius explicatio ex græco fonte. 115. & indè & 332.b
Indicatur praua tranſlatio latina, textus vigeſimi. Tum aperitur radix, vnde multi decepti ſunt. 120.b
Perpenditur textus primus ex libro tertio de Cælo. 38.a
Tum, textus vigeſimus ſextus, libri ſecundi de Anima. 51.b
Oſtenſio Caietani, in illis verbis ὅπερ ἐςὶ quod quidem eſt. 120.b
Pulcherrima ad notatio circa textum primum, & vigeſimum, libri tertij de Anima. 121.b
Multa adnotantur, & corriguntur, circa textum decimum ſextum, libri duodecim Metaphyſi. 122. & 123. & 124.
Oſtenditur incongrua Argyropili verſio, textus quinquageſimi primi, ex eodem libro. 125.a
Adnotatio circa textum centeſimum libri primi de Cælo. 137.b
Corrigitur textus ſexageſimus ſextus, ex libro primo de Anima. 143.a
Optima correctio dicti Ariſtotelis ex libro ſecundo Politic. cap. 9. 143.b
Oſtenditur ex græco duplex error tralationis latinæ, circa problemma primum, Sectionis decimæ quartæ. Et circa problem. 5. ſect. 30. 145 b
Conſideratio circa textum quartum, libri tertij de Anima. 158.a
Item circa textum quintum eiuſdem libri. pag. 290.b
Circa difficillimum textum, decimum ſeptimum ex eodem libro, adnotatur, primò, quod in aliquibus latinis textibus deeſt ὥσπερ, ſicut: *ob id dupliciter, textus ille conſtruitur.* 307 b & 308. & indè
In eod tex quod faciendo omnia, *omninò delenda eſt dictio,* quod. 307.b
Ad hæc, malè transfertur, quod ars ad materiam, &c. *ibid.*
Præterea, malè vertitur, ad materiam paſſa eſt: 308.a
Expenduntur verba textus decimi octaui. Et eſt quidam talis intellectus. *pagina.* 308.b
Oſtenditur ex græco codice, idem eſſe dicere, in textu decimo octauo, has differentias eſſe in anima, atque dicere, has differentias eſſe animæ. 310.b

Adno-

Adnotatio circa caput quartum, libri primi Ethic. 311.a
Item, circa textum trigeſimum nonum, libri duodecimi Metaphyſ. 314.a
Quid ſignificat, χωριστὸς, in textu decimo octauo, libri tertij de Anima. 337.b
Alia conſideratio itidem ex græco, circa eundem textum. 338.a

THEMISTIVS;
Theophraſtus, totum.

Immeritò aliqui intrudunt Themiſtium in opinionem Auerrois. 303.b
Nunquam tenuit, in omnibus hominib. intellectum agentem, de quo loquitur Ariſt. eſſe vnum. 318.b
Firmiſsimè tenuit, intellectus poſsibiles, eſſe multiplicatos ad numerum hominum. pag. 319.a & b
Duplicem ponit intellectum agentem, & rectè. ibid.
Conceptis verbis ſtatuit, intellectum agentem vel eſſe partem animæ noſtræ, vel nos ipſos. 319.b
Quomodo arbitratur, animam intellectiuam componi ex intellectu agente, & intellectu poſſibili. 320.a
Theophraſtus, ne ſomniauit quidem Auerrois opinionem, de intellectus vnitate. pagina. 316.a
Triplicem ſtatuit intellectum: diuinum, Angelicum, & humanum. ibid.
Aliquando, nomine intellectus, vocat totam vitam rationalem. 316.b
Intellectum poſſibilem, appellat animalem: *& quare.* ibid.
Hunc ipſum intellectum, dicit eſſe congenitum cum anima noſtra. 317.a
Intellectus animalis apud Theophraſtum, diuiditur in intellectum poſſibilem, & agentem. 317.b
Aequè de intellectu agente, atque poſſibili quærit, an deforis veniat. 318.a
Duplicem conſtituit intellectum agentem: primum, id eſt Deum, comparauit Soli: alterum, id eſt animæ facultatem, lumini. pag. 318.b
Totum triplex, eſſentiale, potentiale, & integrale. 95.b
Qua totalitate, quæuis anima, eſt diuiſibilis, vel indiuiſibilis. 96.a
Quomodo anima intellectiua eſt tota in toto corpore, & in qualibet eius parte tota. pagina. ibid.
Omnis pars, naturaliter inclinatur ad ſuum totum. 156.a

V.

Varro dixit, animam eſſe aerem conceptum ore, deferuefactum in pulmone, tepefactum in corde, diffuſum in corpus. 11.a
Dixit, Deum eſſe animam, mundum intuitu, motu, & ratione gubernantem. 1.b
Tanta ſcripſit, vt nihil videretur potuiſſe legere, tanta e conuerſo legit, vt videretur nihil potuiſſe ſcribere. 244.a
Id ait eſſe ad corpus animum, quod eſt Deus ad mundum. ibid.
Veritas, multorum improbitate depreſſa, tandem emergit. 150.a
Violentum, in quonam dicatur eſſe. 204.a
Quid requiritur, vt aliquid dicatur violentum. ibid.
Multa violenta ſunt perpetua, modò adſit perpetua cauſa illius violentiæ. ibid.
Virgilius hauſerat animorum immortalitatem ex Pythagoricis, & Academicis fontibus. 247.a
Quare animam vocat igneam, igneus eſt ollis vigor. ibid.
Amplexus eſt tranſmigrationem animarum. 248.a

Periodum

Periodum animarum ſtatuit mille annos; & vndenam hanc doctrinam ſumpſit. pag. ibid.
Totam Eclogam, Sicelides Muſæ &c. *exſcripſit a Cumæa Sibylla.* 230.a
Virtus duplex eſt, & quæ. Tum nulla virtus nobis ineſt a natura. 168.a
Virtutem eſſe ſui præmium, & vitium ſui ipſius ſupplicium, quomodo intelligitur. pag. 213.b & inde
Duplex virtutis præmium, & quod. ibid.
Virtus, & vitium, in hac vita ſunt veluti via, & motus, terminantur autem in futura vita. 343.b
Virtuti adiungitur meritum, vitio demeritum. 344.a
Vita, alia eſt ſubſtantialis, alia accidentaria: & quæ vtraque. 17.b
Quare animalia inſecta, deciſa viuũt. 109.b
Vnum, & ens conuertuntur. 57.a
Ex forma, & materia fit, vnum per ſe: & quare. 78.b & 86.a
Subſtantia intellectualis, & corpus, prout vniuntur, ſunt vnius generis, & ſpeciei, vt principia. 91.a
Quæ ſunt ſparſa in inferioribus, adunantur in ſuperioribus. 94.a
Quid ſit formaliter, animam eſſe vnitam cum corpore. 95.a
Vnumquodq; dum eſt, neceſſe eſt eſſe. 334.a
Voluntas agit non ſecundum modũ ſui eſſe, ſed ſecundum modum ſui propoſiti. 63.b
Quomodo a voluntate antiqua poſſit prodire nouus effectus. 62. & 63.
Actio voluntatis, verè eſt libera. 79.a
Vbicunque eſt intellectus, neceſſariò reperitur & voluntas. 190.b
Hæc appellatur appetitus intellectualis. ibid.
Quomodo luctatur cum appetitu ſenſitiuo. pag. 169.a
Quare in nobis non ſunt ponendæ duæ voluntates, ſicuti ſunt duo intellectus. 331.b

Z.

Iacobus Zabarella quomodo explicat intellectus poſſibilis cum corpore immixtionem. 169.a
Idem confundit in vnum, duo Ariſtotelis medios terminos. 169.b
Quod vno in loco aſſeruit, in alio impugnat. pag. ibid.
Eandem ſententiam tuetur, ac olim Pomponatius. 176.b
Non iuit in Alexandri ſententiam, quod intellectus ſit aptitudo, &c. ibid.
Tenuit, intellectum poſſibilem eſſe veram hominis formam. ibid.
Malè ait, quod homo non ſit mediæ naturæ per veram extremorum participationem, ſed per eorum ſimilitudinem. 177.a
Indicatur cõtrarietas ĩ eius doctrina. 178.a
Fatetur, ex Ariſtotelis confeſſione ſumi argumẽtũ pro animæ immortalitate. 178.b
Nititur infringere hanc propoſitionem, ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad operari. *pag.* 177.b
Validè impugnatur. 179.a
Conſtituit, intellectum eſſe commixtum cũ corpore quo ad eſſe, immixtum autem quo ad operationem. 187.b
Oſtenditur huius aſſertionis falſitas. ibid.
Immeritò imponit S. Thomæ, quod conetur defendere Alexand. Aphrodiſ. 271.b
Eidem S. Doctori imponit, quaſi hic non ſit, auerſatus, intellectum agentem eſſe Deũ. pag. 302.a
Praue eum citat. 336.b
Angitur circa particulam τῶ in tex. 17. ex lib 3. de Anima. 308.a
Incommoda eius conſideratio, circa illa verba: Et eſt quidam talis intellectus. *pag.* ibid.
Triplex eius ſolutio allata, & impugnata. pag. 312. & inde

Falſum

Falſum eſt quod ait, per illa verba, id quod quidem eſt, *ſignificari, purū actū.* 334.a
Zeno, & eius ſectatores Stoici, quid de anima immortalitate ſenſerunt. 240.b
Multa Zoroaſtri dicta allata, & explicata, pro animorum immortalitate. 228.
Periodus animæ, mille annorum, ortum habuit a Zoroaſtre: Et quare tot annorum cenſeretur. 248.a
Erus Armenius, quem Plato lib. 10. de Repub. fingit reuixiſſe, fuit Zoroaſter. 253.a

F I N I S.

Errata, quæ intercudendum irrepſerunt, ſic corrige.

Pagina	Errata	Correctio.
32.b	offendes	offundes
87.a	Solis motrix	Cœli motrix
90.a	vt quod inter actus	vt qui inter
111.b	neſiſo qui	neſcio quis
6.b	grauiter	gnauiter
206.b	Chimerias	Cimerias.
315.b	ambo	ambos.
318.a	ineſt	inſit
348.a	Gorgia	Phædro
39.b	torpora	corpora
217.a	Dier. Gen.	Dier. Canicul.
183.b	actuario	auctario
39.b	menſe	mente
146.b	piſci	priſci
149.b	lib. 1.	lib. 3.
	Phlethon	Plethon
In Epiſtola ad lect.	etiammum	etiamnum
ibidem.	imani	immani

A 91
1656966

XXV
H
23

Digitized by Google

Digitized by Google